Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

4 . 1 . 270.

M 1

Digitized by Google

TRACTATUS
THEOLOGICUS
DE
GRATIA CHRISTI
SALVATORIS
AC DE
PRÆDESTINATIONE
SANCTORUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS THEOLOGICUS
DE
GRATIA CHRISTI
SALVATORIS
AC DE
PRÆDESTINATIONE
SANCTORUM

IN SEX LIBROS DISTRIBUTUS.

TOMUS SECUNDUS.

M D C C L X X X I.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS THEOLOGICUS
DE
GRATIA CHRISTI
SALVATORIS
AC DE
PRÆDESTINATIONE
SANCTORUM.

LIBER TERTIUS

De variis humanæ naturæ statibus.

Positis in Libro præcedenti remotioribus fundamentis, quibus noſtra de divinâ Chriſti gratiâ Tractatio ſuperſtruetur, jam propiùs accedendo ad profundiſſimum iſtud myſterium exponendum, varii ſtatus diverſæque ætates humanæ naturæ nobis conſideranda occurrunt, ut, cognitâ felicitate quam amiſimus, & miſeriâ in quam per peccatum incidimus, promptiores & alacriores requiramus liberatricem gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Ut autem dicendis hoc in Libro certa methodus non deſit, dicemus 1°. de ſtatu naturæ innocentis, cujus dotes, vires, commoda exponentur, ut ex amiſſis bonis ſubſecuta calamitas magis æſtimetur. 2°. De infelici ſtatu humanæ naturæ peccato corruptæ ac ſauciatæ, id eſt, de peccati primi parentis in omnes & ſingulos ejus poſteros propagatione, de naturæ totius in deterius commutatione, de ignorantiâ, de concupiſcentiâ, de morte aliiſque corporis & animæ miſeriis. 3°. De ſtatu naturæ puræ, quem Pelagiani ut reipſâ exiſtentem aſſeruerunt, & plurimi moderni Scholaſtici ſaltem ut poſſibilem tuentur: expendemus nimirùm an Deus ſummè bonus, ſapiens, omnipotens & juſtus potuerit hominem innocentem primitùs creare obnoxium omnibus miſeriis (ſolo excepto peccato), quibuscum naſcimur & luctandum nobis eſt. 4°. De variis humani generis ſtatibus antequàm gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta fuerit, id eſt, de ſtatu hominum ante legem à Deo per Moyſen Iſraëlitis datam, de ſtatu Judæorum ſub illâ lege, & de diſcrimine veteris teſtamenti & novi per Chriſtum ſanciti. Quæ omnia cùm maximi ſint momenti, ſummum ſtudium acremque laborem adhiberi, ſimulque ardentes ad Patrem luminum, à quo vera ſapientia deſcendit, preces obſecrationesque fundi poſtulant.

DIS-

DISSERTATIO PRIMA.

De ſtatu naturæ innocentis.

Tria occurrunt circa primitivum innocentiæ ſtatum conſideranda & explananda. Primum, quænam fuerint illius dotes & commoda. Secundum, quibus auxiliis homo opus habuerit ad perſeverandum in illo felici ſtatu. Tertium, quomodò lapſus fuerit in peccatum, & unde repetenda ſit illius peccati gravitas.

CAPUT PRIMUM.

De dotibus naturæ innocentis.

Quamvis breviſſimo tempore duraverit primigeniæ naturæ ſtatus, non parvi tamen intereſt ſedulò inquirere in quo poſita fuerit illius dignitas & beatitudo; tam ut, illius & noſtri præſentis ſtatûs comparatione, facilius innoteſcat quàm profunda nobis inflicta ſint vulnera, quàmque grande fuerit illud peccatum, per quod totus homo, & quoad animam & quoad corpus, in deterius mutatus eſt; tum ut gratias ampliores habeamus & agamus Chriſto Domino, qui morte ſuâ in excellentiorem, quàm creati fueramus, beatitudinem nos inſtauravit.

Omnes primævæ innocentiæ dotes complectuntur vulgò Theologi nomine juſtitiæ originalis; quâ voce non virtutem aliquam peculiarem, nec ſolam animæ ſanctitatem intelligunt, ſed rectitudinem quamdam univerſalem, quâ fiebat ut in homine omnia eſſent pacatiſſima & ordinatiſſima, omneſque illius potentiæ non niſi congruè ac decenter moverentur. Intellectus nullâ caligine involutus perſpicuè cognoſcebat quidquid ſcire homini expediebat: voluntas, ſancto caſtoque amore ſoli Deo ſubdita, cæteris omnibus infrà ſe poſitis dominabatur: inferiores animæ partes corporiſque membra rationi ſubmiſſè obediebant: bruta ipſa hominis dominium abſque ullâ feritate venerabantur: denique nulla in mente ignorantia, nulla in voluntate ad quodvis malum inclinatio, nullus in corpore dolor, nulla patiendi & moriendi neceſſitas perfectæ paci & tranquillitati obſtabant. At hæc fuerunt: jam peccato penitus amiſſa & deperdita lugemus.

 Uni-

Digitized by Google

Univerſalem illam totius hominis rectitudinem paucis quidem, ſed apertiſſimis verbis expreſſit Eccleſiaſtes (VII. 30.) dicens: *Solummodò hoc inveni quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miscuerit quæſtionibus.* Sed ſingulas illius rectitudinis partes ſeorſim attendere ſuiſque argumentis adſtruere opus eſt.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrùm primis parentibus in ipſâ ſuâ creatione Deus caritatem gratiamque ſanctificantem indiderit, & utrùm in eo ſtatu gratia dici debeat naturalis, an ſupernaturalis.

PELAGIANI contendebant Adamum gratiâ ſanctificante donatum non fuiſſe in primo ſuæ creationis inſtanti, ſed in puris naturalibus creatum fuiſſe, juſtitiæ pariter & peccati expertem, præditumque innocentiâ & potentiis naturalibus, quibus benè vel malè utendo, gratiâ & gloriâ, vel odio & pœnâ dignus fieret.

Antiquus auctor *Quæſtionum veteris & novi Teſtamenti*, quæ S. Auguſtino olim falsò attributæ fuerunt, apertè docet, quæſt. 123, Adamum nunquàm habuiſſe Spiritum ſanctum: quem errorem in auctore illo multis aliis referto mirum non eſſe obſervat Bellarminus, lib. *de Gratia primi hominis* cap. 3.

Nonnulli Catholici non ſatis receſſerunt ab illo errore, non tantùm aſſerendo primum hominem creari potuiſſe in puris naturalibus, de quo dicemus poſteà, ſed opinando Adamum ornatum gratiâ ſanctificante non fuiſſe in ipſo inſtanti creationis, ſed progreſſu temporis ad eam perveniſſe antequàm peccaret. Ita cenſuerunt Rupertus lib. 13. *in S. Matthæum; Hugo Victorinus* lib. 1. *de Sacramentis*, part. 6. cap. 17; *Magiſter Sententiarum* lib. 2. cap. 24; *Alexander Alenſis* part. 2. quæſt. 98. membro 2; *S. Bonaventura* in 2um. diſt. 29. art. 2; *Scotus & Richardus.*

S. Thomas & plerique alii Theologi ex adverſo docent primos parentes in ipſo creationis articulo habuiſſe gratiam ſanctificantem ſibi concreatam.

Hic prænotandum eſt de fide eſſe, & apud Catholicos omnes indubitatum, primos illos homines, antequàm peccaſſent, gratiâ præditos fuiſſe. Perſpicuè id definivit concilium Tridentinum, ſeſſ. 5. can. 1, his verbis: „ Si quis non confitetur primum hominem Adam, cùm „ man-

„ mandatum Dei in paradiſo fuiſſet trangreſſus, ſtatim ſanctitatem & „ gratiam, in quâ conſtitutus fuerat, amiſiſſe; anathema ſit." Et can. 2: „ Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli & non ejus propagini aſſerit „ nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem & juſtitiam, quam perdidit, „ ſibi ſoli & non nobis etiam eum perdidiſſe;...... anathema ſit." Non etiam de tempore creationem ſubſecuto, ſed de ipſo creationis inſtanti variæ fuerunt Scholaſticorum opiniones, quanquàm ſanctorum Patrum hâc de re doctrina planè concors fuerit, ut mox videbimus.

P R O P O S I T I O

Adamus creatus eſt in gratiâ & ſanctitate.

PROBATUR I°. teſtimoniis & conſenſu ſanctorum Patrum. Illorum plerique verba iſta Geneſis, cap. 1: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, de gratiâ ſanctificante intellexerunt, imaginemque & ſimilitudinem Dei in creatura rationali nihil aliud eſſe docuerunt, quàm juſtitiam & ſanctitatem. Ita S. Irenæus, lib. 3. *adverſùs Hæreſes*, cap. 20; S. Cyprianus in tractatu *de Pœnitentia;* Origenes lib. 3. Περι Αρχων cap. 6; S. Gregorius Nyſſenus lib. *de Creatione hominis;* S. Baſilius hom. 101 in Hexameron, & alii plurimi quos commemorat Eſtius in 2um. diſt. 16. §. 6. Unius S. Auguſtini verba refero: „ Hoc agit, inquit „ lib. *de Spiritu & litt.* cap. 27. num. 47, ſpiritus. gratiæ, ut imaginem „ Dei, in quâ naturaliter facti ſumus, inſtauret in nobis."

Aliunde SS. Patres expreſſè docent primum hominem in gratiâ creatum fuiſſe.

Idem S. Auguſtinus lib. 14 *de Civitàte Dei*, cap. 11. num. 1: „ *Fecit* „ *Deus*, inquit, ſicut ſcriptum eſt, *hominem rectum*, ac per hoc volun- „ tatis bonæ: non enim rectus eſſet bonam non habens voluntatem. „ Bona igitur voluntas opus eſt Dei: cum eâ quippe ab illo factus eſt „ homo." Porro apud S. illum Doctorem bona voluntas & caritas unum & idem ſunt.

Petrus Diaconus ejuſque ſocii in Epiſtolâ ad præſules Africanos: „ Credimus, inquiunt, bonum (id eſt, juſtum & ſanctum) & ſine ullâ „ carnis impugnatione à Deo creatore omnium factum Adam."

S. Fulgentius lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 13, „ Rectam voluntatem ſic perdidit (homo), ut eam nullus hominum „ deinceps ex ſe habere poſſit, niſi eam ab illo gratis acceperit, à quo „ eam primus homo, *cùm conderetur*, accepit."

Florus Diaconus Lugdunenſis doctiſſimus, lib. *de Prædeſtinatione adverſus Scotum*, cap. 4, in refutatione tertiæ definitionis Scoti, eamdem doctrinam tanquam *ad fidem catholicam* pertinentem aſſerit. „ Nos, inquit, juxta fidei catholicæ veritatem, dicimus quòd natura primi illius hominis à bono creatore omninò bona & bonâ voluntate prædita „ ſit. Hoc eſt enim quòd creavit Deus hominem rectum.“ Et poſteà: „ Hæc igitur voluntas,.... juxtà veritatem ſcripturarum Dei, à bono creatore bona & recta eſt homini inſita, cùm crearetur.“ De bona autem voluntate, quæ caritas ſit, eum loqui, conſtat ex eo quòd addat illam ſine gratiæ adjutorio conſervari non potuiſſe.

S. Anſelmus lib. *de Conceptu Virginis & originali peccato*, cap. 1: „ Adam & Eva, inquit, originaliter, hoc eſt, in ipſo ſui initio, mox ut homines extiterunt, ſine intervallo juſti fuerunt.

S. Thomas 1 part. quæſt. 95. art. 1 in corp. ſic loquitur: „ Quòd fuerit (homo) conditus in gratiâ, videtur requirere ipſa rectitudo primi „ ſtatûs, in quâ Deus hominem fecit, juxta illud Eccles. VII: *Fecit Deus „ hominem rectum.* Erat enim rectitudo ſecundùm hoc quòd ratio ſubdebatur Deo, rationi verò inferiores vires, & animæ corpus. Prima „ autem ſubjectio erat cauſa ſecundæ & tertiæ..... Unde manifeſtum eſt „ quòd & illa prima ſubjectio, quâ ratio Deo ſubdebatur, non erat ſolum ſecundùm naturam, ſed ſecundùm ſupernaturale donum gratiæ.“ Doctori autem angelico conſentiunt Albertus magnus in 2um. diſtinct. 24; Durandus in 2um. diſtinct. 4. quæſt. 2, & diſtinct. 29. quæſt. 1; Gregorius Ariminenſis in 2um. diſt. 24, & cæteri deinceps omnes ferè Theologi.

Idem pro certo ſuppoſuit concilium Arauſicanum II. can. 19, ubi ſic loquitur: „ Natura humana, etiamſi in illâ integritate, *in qua eſt condita*, permaneret, nullomodò ſeipſam, creatore ſuo non adjuvante, „ ſervaret. Unde, cùm ſine gratiâ Dei ſalutem non poſſet cuſtodire „ quam accepit, quomodò ſine gratiâ Dei poterit reparare quam perdidit?“

Prætereà cùm homini & angelo commune ſit ordinari ad gratiam & cæleſtem beatitudinem, ut obſervat S. Thomas loco mox citato, idem de utroque judicium ferri debet. Porro angelos omnes, ſive qui boni permanſerunt, ſive qui à Deo receſſerunt, creatos fuiſſe in gratiâ & ſanctitate allegoricè declaratur, Ezechiel cap. 28, ubi diabolum ſub typo regis Tyri ſic alloquitur divinus ſermo: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ & perfectus decore: in deliciis paradiſi Dei fuiſti,..... perfectus in viis tuis à diebus conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* „ Nec eſt quòd objiciat aliquis, ait Eſtius in 2um. diſtinct. 3 §.7, „ parùm firmum videri hoc argumentum, eo quòd procedat ex ſenſu allegorico: nam firmitatem ei addit communis interpretatio Patrum, Hieronymi, Gregorii & aliorum, qui eam ſcripturam myſticè de diabolo

„ ex-

Digitized by Google

„ expoſuerunt. Neque profectò Spiritus Dei per Prophetam de rege „ Tyrio tam grandia loqueretur, niſi ſub illorum verborum velamine „ ſublimior alius ſenſus tegeretur."

Præter eos Patres, qui prophetica illa verba de angelo apoſtatâ intellexerunt, non pauci expreſſè docent angelos omnes in gratiâ creatos fuiſſe.

S. Auguſtinus lib. 11. *de Civit Dei*, cap. 11: „ Nullomodò, inquit, „ ſecundùm aliquod temporis ſpatium priùs erant illi ſpiritus tenebræ, „ quos angelos dicimus; ſed, ſtatim ac facti ſunt, lux facti ſunt: non „ tamen ita tantùm creati, ut quoquomodò eſſent & quoquomodò vive- „ rent, ſed etiam illuminati ut ſapienter beatèque viverent. Ab hac il- „ luminatione averſi quidam angeli non obtinuerunt excellentiam ſapien- „ tis beatæque vitæ:" id eſt, gloriam & beatitudinem æternam, ex quâ decidere non poſſent. Et lib. XII. cap. 9: „ Iſtam (angelorum bonam „ voluntatem) quis fecerat, niſi ille qui eos cum bonâ voluntate, id „ eſt, cum amore caſto, quo illi adhærerent, creavit, SIMUL IN EIS „ ET CONDENS NATURAM ET LARGIENS GRATIAM. Unde ſi- „ ne bonâ voluntate, hoc eſt, Dei amore nunquam angelos ſanctos „ fuiſſe credendum eſt." In libro etiam *de Corrept. & grat.* cap. 10 dicit angelos, quando creati ſunt, accepiſſe caritatem, in quâ ſtare ac perſeverare poſſent, ſi vellent.

S. Baſilius magnus in Pſalm. 32. num. 4. ad hæc verba: *Verbo Domi-* Tom. 1.
ni cæli firmati ſunt, multis docet omnes angelos in ſua creatione habuiſ-
ſe ſanctitatem ſibi infuſam à Spiritu ſancto. Idem inculcat in lib. *de Spi-* Tom. 3.
ritu ſancto, cap. 16. num. 38.

Gloſſa ordinaria in caput. III. Oſee, ad illa verba: *Vinacia uvarum*, hæc habet ex S. Hieronymo: „ Per *vinacia* dæmones (intellige), qui „ creati ſunt in magnâ pinguedine Spiritûs ſancti, ſed per ſuperbiam arefacti, de cælo ſunt projecti."

Demum Catechiſmus ad Parochos juſſu concilii Tridentini compoſitus, & à conciliis Provincialibus quàm plurimis approbatus, explicans iſta Symboli Apoſtolici verba: *Creatorem cæli & terræ*, ait „ perſpicuum „ eſſe diabolum reliquoſque deſertores angelos ab ortûs ſui initio gratiâ „ præditos fuiſſe."

Probatur II°. rationibus Theologicis.

1°. Primus homo ab ortûs ſui exordio ordinatus eſt ad fruendum Deo ſummo ſuo bono ac fine ultimo. Cùm ergo finis adeò præcellens ſine gratia comparari non poſſit, profectò gratiam in primo illo inſtanti accepiſſe dicendus eſt: ſiquidem ſapientiæ divinæ repugnat creaturam ordinare ad certum finem, quin ſimul virtutem & facultatem illi conferat ad eum finem perveniendi.

2°. A ratione alienum videtur ut Adæ poſteri meliori conditione naſcituri eſſent, quàm ipſe creatus fuiſſet. Porro, Adamo non peccante, ejus poſteri gratiâ & ſanctitate præditi naſcerentur. Id expreſſè docet S. Ful-

Digitized by Google

S. Fulgentius lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 19: „ Quam (bonam voluntatem), inquit, ſi primus homo non perderet, omnis „ homo deinceps naturaliter poſſideret.“ Idem etiam definit concilium Tridentinum, cùm in canone 2°. ſuperiùs laudato declarat Adamum non ſibi tantum, ſed etiam omnibus ſuis poſteris gratiam & juſtitiam perdidiſſe. Ergo Adamus gratiâ ſanctificante donatus fuit in primo inſtanti ſuæ creationis.

3°. Deus ſibi ipſi debuit ut non crearet hominem non rectum. Atqui SS. Patres docent primum hominen futurum fuiſſe non rectum, niſi fuiſſet bonæ voluntatis. Verba ſunt S. Auguſtini in textu mox allato. Idem S. Doctor, lib. 5 *Oper. imperf.* cap. 61, probat Adamum creatum fuiſſe cum bonâ voluntate, quia à Deo creari aliter non potuit. „ Neque enim homo, inquit, à voluntate peccandi exorſus eſt vitam, in „ quâ rectum eum condidit Deus, utique talem qui uti ratione jam „ poſſet..... Illa itaque perfectio naturæ, quam non dabant anni, ſed „ ſola manus Dei, non potuit niſi habere voluntatem aliquam, eamque „ non malam; alioquin non ſcriptum eſſet: *Fecit Deus hominem rectum.* „ Bonæ igitur voluntatis factus eſt homo..... Unde piâ & ſobriâ cogitatione colligitur primam bonam voluntatem opus Dei fuiſſe: cum „ illâ quippe fecit hominem rectum; neque enim unquam, niſi recta vo- „ lens, rectus eſt quiſquam.“ Videtis, ex eo quòd Deus non potuerit creare hominem cum malâ voluntate, concludi à S. Doctore primum hominem creatum fuiſſe cum bonâ voluntate; cùm bonam inter & malam voluntatem nullum ſit medium. Porro *bona voluntas in phraſi Auguſtinianâ eſt caritas*, ut fatetur Tournely in tractatu de Gratiâ tom. 2. pag. 25, & expreſſè docet S. Doctor lib. *de Gratiâ Chriſti*, cap. 21. „ Quaſi verò, ait, aliud ſit bona voluntas quàm caritas, quam ſcriptura „ nobis eſſe clamat ex Deo.“ Igitur Adamus in gratiâ & caritate creatus fuit. Iſtud argumentum confirmabunt quæ de ſtatu naturæ puræ in ſequentibus dicemus.

Objiciunt 1°. illud Apoſtoli 1. Corinth. XV: *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem: noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem: ſed non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale; deinde quod ſpiritale. Primus homo de terrâ terrenus; ſecundus homo de cælo cæleſtis..... Igitur, ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.* Igitur, inquiunt, Adamus priùs habuit vitam quamdam naturalem, nec niſi lapſu temporis gratiam Spiritûs ſancti conſecutus eſt.

Nego conſequentiam. Eo quippe in loco S. Paulus non opponit vitam naturalem ſupernaturali, ſed corpus animale ac terrenum, quale fuit corpus Adami ante peccatum, nondum veſtitum incorruptione, corpori ſpiritali ac cæleſti, quale Chriſtus habet poſt reſurrectionem; hortaturque ut, ſicut nunc terrenum & corruptibile corpus circumferimus, ita ſtudeamus aſſequi beatam immortalitatem, quâ vivificabuntur mortalia cor-

corpora noſtra, configurata corpori claritatis Chriſti. Hunc textûs Apoſtolici ſenſum eſſe demonſtrant verba immediatè præcedentia: *Si eſt corpus animale, eſt & ſpiritale*, & ſcopus totius illius capitis, in quo de corporum reſurrectione duntaxat diſſeritur.

Objiciunt 2°. nonnulla S. Auguſtini loca. 1°. Ex lib. 2. *de Geneſi contra Manichæos*, cap. 8. num. 10, ubi ſic loquitur: „ Nondum ſpiritalem hominem debemus intelligere, qui factus eſt in animam viventem, ſed adhuc animalem. Tunc enim ſpiritalis effectus eſt, cùm in paradiſo, hoc eſt, in beatâ vitâ conſtitutus præceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei conſummaretur." 2°. Ex lib. 13 *Confeſſionum*, cap. 2 & 3, ubi docet angelos priùs informes creatos fuiſſe, ac poſteà ſanctificatos; & num. 4, ubi Deum ſic alloquitur: „ Quod dixiſti: *fiat lux, & facta eſt lux*, non incongruenter hoc intelligo in creaturâ ſpiritali, quia erat jam qualiſcumque vita quam illuminares: ſed, ſicut non te promeruerat ut eſſet talis vita quæ illuminari poſſet, ita nec, cùm jam eſſet, promeruit ut illuminaretur. Neque enim ejus informitas placeret tibi, ſi non lux fieret, non exiſtendo, ſed intuendo illuminantem lucem eique cohærendo." 3°. Ex lib. 4 *de Geneſi ad litt.* cap. 24, ubi ait priorem fuiſſe in angelis cognitionem ſuî, quam vocat veſpertinam, cognitione Dei in Verbo cogniti, quam matutinam appellat, alludendo ſcilicet ad verba illa *Geneſis* cap. 1: *factum eſt veſperè & manè dies unus:* quæ verba eodem modo exponit S. Thomas 1. part. quæſt. 33. art. 6. ad 4.

Reſpondeo textus S. Auguſtini illos intelligendos eſſe de prioritate duntaxat conceptûs & rationis, non autem de prioritate temporis; ideòque S. Doctorem diſtinxiſſe angelorum & hominis creationem ab illorum illuminatione ſeu ſanctificatione, ut ſignificaret illos, ſicut non à ſeipſis exiſtunt, ita nec à ſeipſis lucem & ſanctitatem habuiſſe.

Igitur primi loci ſenſus non eſt primum hominem tunc tantùm fuiſſe ſpiritalem, quando in paradiſo collocatus eſt, ſed ſacram ſcripturam non declarare illum fuiſſe ſpiritalem, niſi ubi ait illum in paradiſo fuiſſe poſitum. Igitur, juxtà S. Doctorem, homo, quando creatus eſt, ſimul accepit & animam viventem, & ſpiritum vivificantem; ſed eorum unum ſignificari cenſuit, ubi dicitur: *inſufflavit Deus in faciem ejus ſpiraculum vitæ;* alterum autem, ubi paradiſi ſit mentio.

Secundum textum explicat ipſemet S. Auguſtinus ibidem cap. 10. num. 11, dicens creaturam ſpiritalem, *mox ut facta eſt, nullo intervallo temporis* evectam fuiſſe ad lucis participationem. „ In nobis enim, inquit, diſtinguitur tempore quòd tenebræ fuimus & lux efficimur. In illâ verò dictum eſt quid eſſet, niſi illuminaretur; & ita dictum eſt, quaſi priùs fuerit fluxa & tenebroſa, ut appareret cauſa quâ factum eſt ut aliter eſſet, id eſt, ut ad lumen indeficiens converſa lux eſſet."

Ad tertium reſpondeo S. Auguſtinum exiſtimaſſe opera omnia, quæ

ſex diebus facta eſſe in Geneſi perhibentur, ſimul, atque in unico inſtanti facta fuiſſe; adeòque in ipſius mente *veſperè & manè* ſolo mentis ac rationis conceptu diſtingui, non autem ſpatio temporis. Quod vero ad S. Thomam attinet, nedum cenſuerit angelos aliquandiù extitiſſe ſine gratiâ, expreſſè docet part. 1 quæſt. 45. art. 1, uti vidimus, *angelum eſſe creatum in gratiâ;* & quæſt. 63. art. 5, ait omnes angelos in primo ſuæ creationis inſtanti meruiſſe; quod manifeſtè ſupponit illos non ſine gratiâ ſanctificante creatos fuiſſe.

An gratia primo homini in creatione collata dici poſſit naturalis, & quo ſenſu.

Hanc quæſtionem famoſam fecit damnatio nonnullarum propoſitionum per Bullam Pii V. Illarum 26a. ſic ſe habet: *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.* Et 78: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.* Probabile tamen eſt illas propoſitiones non idcircò damnatas fuiſſe, quòd aſſerant primævam integritatem & immortalitatem naturales fuiſſe, ſed eoquòd doceant illas naturæ humanæ debitas fuiſſe, non gratuitum beneficium. Quidquid ſit, variæ ſunt acceptiones vocis hujus, *naturale*, eaque æquivocatio diverſis atque ſpecietenùs oppoſitis loquendi modis occaſionem præbet.

1°. *Naturale* nonnunquam ſumitur pro ipſâ rerum eſſentiâ, ſine quâ res nec eſſe, nec concipi queunt. Hoc ſenſu corpus & anima dicuntur eſſe homini naturalia, quia ſunt partes hamanæ naturæ eſſentiales; ſanitas verò & quædam etiam membra corporis non ſunt hoc ſenſu naturalia, quia ſine illis natura hominis exiſtere poteſt.

2°. *Naturale* dicitur id quod ad primam rerum inſtitutionem pertinet, cujuscumque generis illud ſit, eaque valde propria eſt vocis *naturæ* acceptio. „ Ipſam naturam, inquit S. Auguſtinus lib. 3. *de Libero ar-* „ *bitrio*, cap. 19. num. 54, aliter dicimus, cùm propriè loquimur, natu- „ ram hominis, in quâ primùm in ſuo genere inculpabilis factus eſt; „ aliter iſtam in quâ, ex illius damnati pœnâ, & mortales, & ignari, & „ carni ſubditi naſcimur.“ Et lib. 26. contra Fauſtum, cap. 3: „ Deus „ creator & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit: id „ enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit à quo eſt omnis mo- Tom. 7. pag. 90. „ dus, numerus, ordo naturæ.“ S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 3. *contra Julianum apoſtatam*, ait „ id eſſe ſingulis rebus naturam, quod Deus „ voluerit.“ Et S. Thomas 2. 2. quæſt. 104. art. 4 ad 2um: „ Hoc eſt, „ inquit, natura uniuſcujuſque rei, quod in eâ Deus operatur.“ *Naturali* hoc ſenſu accepto opponitur quidquid rei jam à Deo factæ & inſtitutæ advenit, ſive proficuum, ſive noxium illud ſit. Proinde mors, ignorantia, concupiſcentia, miſeriæ hujus vitæ, privatio gratiæ, non ſunt

ſunt hoc ſenſu naturales homini, quia, ut dicit S. Auguſtinus lib. 3 *de Libero arbitrio*, cap. 18. num. 52, *non ſunt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.*

3°. *Naturale* dicitur uſitatiſſimè, etſi minùs propriè, id omne quod ineſt nobis à nativitate, quamvis non pertineat ad primariam naturæ inſtitutionem. „ Tranſlato verbo utimur, inquit S. Auguſtinus, lib. 3 *Retractationum*, cap. 10, „ ut naturam dicamus etiam qualis naſcitur ho„ mo, ſecundùm quam dicit Apoſtolus: *fuimus & nos aliquando natu„ râ filii iræ.*" Et lib. 3 *de Libero arbitrio*, cap. 20. num. 56: „ Conve„ nientiſſimum & ordinatiſſimum apparet, ut malum meritum prioris natura „ ſequentis ſit, & bonum meritum ſequentis natura prioris ſit." *Naturali* ſic ſumpto opponitur quidquid boni vel mali homini jam nato accidit.

4°. *Naturale* etiam dicitur quod rei conſentaneum ac perfectivum eſt, etſi de novo illi adveniat. Hoc ſenſu virtus & beatitudo dicuntur naturæ congruere, peccatum autem & miſeria naturæ adverſari.

5°. *Naturale* vocatur quod commune eſt omnibus eâdem naturâ prædítis, quodque contingit juxta conſuetum curſum, legeſque generales quibus hic mundus regitur & gubernatur. Naturali ſic intellecto opponuntur miracula, in quibus ſolitus rerum ordo non ſervatur. „ Quid ſit ſecundùm naturam, quid contra naturam, ait S. Auguſtinus lib. 26 *contra Fauſtum*, cap. 3, „ homines qui, ſicut vos, errant noſſe non poſ„ ſunt. Dici autem humano more contra naturam eſſe quod eſt contra „ naturæ uſum mortalibus notum, nec nos negamus; ſicut illud quod „ Apoſtolus ait: *Si tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra natu„ ram inſertus es in bonam olivam.* Id eſſe contrà naturam dixit, quod „ eſt contra conſuetudinem naturæ, quam notitia humana comprehen„ dit." Obſervat tamen iſtum loquendi morem, etſi frequentem apud homines, minùs accuratum eſſe; quia, inquit, *id eſt cuique rei natura, quod Deus fecerit.*

6°. *Naturale* dicitur quod ita competit alicui, ut amitti non poſſit. Hoc ſenſu beati dicuntur naturaliter amare Deum, & Chriſtus naturaliter eſſe peccandi incapax.

7°. *Naturale* ſæpiſſimè appellamus quod æquitati, rationi & juſtitiæ conſonum eſt. Sic dicimus de naturâ præcepti eſſe, ut ſit poſſibile, quia ratio & juſtitia vetant quidquam præcipi quod impleri nequeat: quamvis reperiantur nonnulli homines adeò iniqui, ut impoſſibilia jubeant.

8°. Demum *naturale* illud dicitur quod non excedit facultates viresque naturæ. *Naturali* ſic accepto opponitur ſupernaturale, id eſt, quod naturam ſuprà ſe evehit, aut ejus facultates viresque ſuperat. Verùm naturale & ſupernaturale ſic definita diverſimodè adhuc ſumi poſſunt. Aliquid enim dici poteſt ſupernaturale: 1°. Quia elevat hominem ſupra illum ſtatum, in quo primitùs conditus eſt, vel ſupra ſtatum in quo, etſi non primitùs conditus, tamen natus eſt. 2°. Quia

Digitized by Google

unit hominem Deo, qui naturam omnem reſque omnes naturales infinitè ſuperat. 3°. Quia potentiæ ſeu facultates naturales, quales ſunt in homine intellectus & voluntas, ad illud producendum non ſufficiunt, niſi ſuperno lumine & dono illuminentur ac roborentur. 4°. Denique quia modus illud habendi eſt inſolitus, & ſupra totius naturæ ordinem. Sic viſus cæco nato à Chriſto collatus, etſi in ſeipſo conſideratus naturalis fuerit, tamen, quoad modum quo donatus eſt, dici debet ſupernaturalis.

Expoſitis tot variis vocis *naturale* acceptionibus, jam ſatis facilè dijudicari poteſt quo ſenſu gratia in ſtatu innocentiæ poſſit aut non poſſit dici naturalis.

Naturalis quippe dici poteſt in ſecundo expoſito ſenſu, quia ſcilicet natura humana primitùs condita & inſtituta fuit cum gratiâ & ſanctitate: naturalis quoque dici poteſt in quarto ſenſu, quia nimirùm nihil magis conſentaneum ac proficuum eſt homini, quàm Deo per gratiam adhærere: dici poteſt etiam naturalis quinto ſenſu, in quantum ſcilicet, ſi duraſſet felix innocentiæ ſtatus, gratia ſimul cum naturâ in omnes Adami poſteros tranſiiſſet: ſeptimo quoque ſenſu naturalis dici poteſt, quatenùs divinæ ſapientiæ & bonitati repugnat creaturam rationalem aliter creari, quàm Deo per caſtum amorem conjunctam: demùm in octavo etiam ſenſu naturalis dici poteſt, in quantùm per gratiam in ipſa ſua creatione ſibi infuſam homo non elevabatur ſupra eum ſtatum in quo conditus fuerat.

Ex alterâ vero parte gratia Adamo concreata non erat naturalis in primo ſenſu; non enim ad naturæ ipſius eſſentiam pertinebat, fuiſſetque Adamus verus homo, etiamſi illâ caruiſſet: naturalis quoque non erat in ſexto ſenſu; ſiquidem amitti & reipſâ per peccatum amiſſa eſt. Denique non fuit naturalis octavo ſenſu, ſed ſupernaturalis; tum quia naturales hominis facultates, intellectus ſcilicet & voluntas, non ei ſufficiebant neque ad habendam, neque ad conſervandam caritatem, tum quia per illud donum Deo conjungebatur, qui naturam omnem immenſo intervallo ſuperat.

Ex dictis manifeſtum eſt non eamdem rationem eſſe gratiæ ſanctificantis Adamo innocenti inditæ, & gratiæ quæ nunc per Chriſtum Mediatorem nobis confertur. Etſi enim eadem eſt utriuſque entitas, tamen, quoad modum illam accipiendi, & quoad conditionem accipientium, plurimùm differunt. Gratiam ſimul cum naturâ primus homo acceperat, adeòque per illam non elevabatur ſupra ſtatum in quo fuerat conditus: nunc verò, ſanctitate perditâ, naſcimur filii iræ, & per Chriſti gratiam transferimur à tenebris in lucem, efficimurque, ex filiis diaboli & gehennæ, filii Dei & hæredes regni cæleſtis. Adamo non peccante, gratia ſimul cum naturâ ad ejus poſteros manaſſet; nunc verò gratia non omnibus datur, & quibus datur, miſericorditer datur, quibus autem non datur, juſto judicio non datur. Demùm gratia non debebatur quidem

dem naturæ humanæ innocenti, ſed homo non ſe præbuerat illâ indignum; nunc verò per peccatum gratiâ ſumus planè indigni, nec, niſi damnationem meremur.

His præmiſſis, jam inquirendum ſupereſt quomodò de gratiâ ſtatûs innocentiæ locuti ſint SS. Patres. Porro illorum ſcripta demonſtrant eos, pro diverſâ vocis *naturæ* acceptione, gratiam illam modò *naturalem* appellaſſe, modò à naturâ diſtinxiſſe.

Ac primò quidem gratiam cæteraſque primigenii hominis ſtatûs dotes ſæpenumerò *naturales* appellant ſancti Patres.

S. Auguſtinus, præter loca ſuperiùs allata, ſic loquitur lib. *de Spiritu & litterâ*, cap. 27. num 47: „ Hoc agit ſpiritus gratiæ, ut imaginem „ Dei, in quâ *naturaliter* facti ſumus, inſtauret in nobis."

S. Proſper lib. *contra Collatorem*, cap. 18: Dubitare fas non eſt, inquit, primum hominem tale accepiſſe liberum arbitrium, ut... poſſet in „ bonis quæ naturaliter acceperat perſeverare.

Inter Capitula Epiſtolæ S. Cæleſtini ad Epiſcopos Galliarum ſubjuncta, quartum definit „ in prævaricatione Adæ omnes *naturalem* poſſibilita- „ tem & innocentiam perdidiſſe."

Julianus Pomerius lib. 2. *de Vitâ contemplativâ*, cap. 18, „ dicit ho- „ minem perdidiſſe beneficia Dei ſui, quæ in *naturâ* ſuæ conditionis „ acceperat."

S. Leo Serm. 1. de Jejunio decimi menſis, ſanctitatem, in quâ creati in Adamo fuimus, appellat *naturalem noſtri generis dignitatem*. Et Serm. 13 & 14. de Paſſione Domini, libertatem in Adamo perditam, cujus robur & integritas à caritate derivabatur, vocat *naturalem libertatem*.

S. Fulgentius lib. 1 *de Veritate prædeſt. & gratiæ*, cap. 19, ait, „ ſi „ primus homo non perdidiſſet bonam voluntatem (ſeu caritatem), om- „ nem deinceps hominem eam *naturaliter* poſſeſſurum fuiſſe.

Concilium Arauſicanum II. can. 25, decernit „ antiquis ſanctis fidem „ ..... non per *bonum naturæ*, quod priùs in Adam datum fuerat, ſed „ per gratiam Dei fuiſſe collatam:" ubi *gratia Dei bono naturæ* ex adverſo opponitur.

Caſſiodorus lib. *de Anima*, cap. 15, beatitudinem ſtatûs innocentiæ *naturalem* appellat.

Florus Lugdunenſis lib. *de Prædeſtinatione*, cap. 4, in refutatione tertiæ definitionis Scoti, bonam illam voluntatem ſeu caritatem appellat *naturale bonum*.

S. Bernardus, Serm. 16 de Diverſis, num. 1, virtutes naturæ innocentis naturales fuiſſe docet his verbis: „ Nec ſic dicimus bona naturæ, quaſi „ gratiæ non ſint, ſed ideò quòd ipſi naturæ quodammodò ingenita & „ complantata fuerint, antequàm fieret peccatum illud, quod non ſo- „ lùm perſonam infecit, ſed etiam naturam." Et num. 4: „ In his „ autem bonis, ſicut prædiximus, reparamur & quaſi quodammodò

Digitized by Google

„ reſtituimur in antiquum, dùm ad ingenitam naturæ ſuavitatem rever-
„ timur.“

Juxta ſimilem loquendi modum, quamvis unio hypoſtatica cum perſonâ Verbi infinitè excedat vires & potentias naturæ humanæ, tamen eoquòd natura humana Chriſti ad tantum illud decus evecta fuerit ab ipſo ſuo conceptu, non dubitavit S. Auguſtinus unionem illam *naturalem* appellare in *Enchiridio*, cap. 20: „ In humanæ naturæ ſusceptione, inquit, ſit quodammodò ipſa gratia illi homini naturalis, quâ nullum poſſit admittere peccatum.“ Et S. Thomas part. 3. quæſt. 2. art. 12 in corp. „ Dicitur *naturalis*, inquit, gratia (unionis & habitualis) in Chriſto, „ in quantùm eam à nativitate habuit.“

Et ſanè ſi peccatum, ignorantia, concupiſcentia, mors & reliquæ hujusce præſentis ſtatûs pœnalitates quotidiano uſu dicuntur *naturalia*, eoquòd nobiscum naſcantur, quamvis primævæ hominis inſtitutioni ac naturæ bono adverſentur; quantò potiori jure ſanctitas aliæque dotes, quas primus homo in ipſâ ſuâ creatione accepit, dici poſſunt ac debent naturales, eoquòd & naturam ipſam perficiant, & ad primariam illius inſtitutionem pertineant?

2°. Nihilominùs iidem SS. Patres gratiam ſtatûs innocentiæ à naturâ ipſâ, tanquam duo diverſa, ſæpè diſtinguunt. Sic S. Auguſtinus lib. 12 *de Civit. Dei*, cap. 9, utramque diſcernit, ubi, de angelis loquens, dicit Deum in illis *ſimul & condidiſſe naturam, & largitum eſſe gratiam.* Pariter ibidem lib. 11. cap. 11, & lib. 13. *Confeſſionum*, cap. 3 & 10, in eisdem angelis ſeorſim conſiderat, ut ſuperius vidimus, & quòd facti, & quòd illuminati ſunt. De homine quoque loquens lib. 2. *de Geneſi contra Manichæos*, cap. 8, duo diſtinguit, ſcilicet quòd factus eſt in animam viventem, & quòd gratiâ ſpiritûs ſanctificatus eſt.

Plurimi alii Patres, ac nominatim S. Ambroſius lib. *de Elia & jejunio*, cap. 4, gratiam appellant indumentum quo primus homo decorabatur. Porro indumentum non eſt pars naturæ, ſed ornamentum naturæ ſuperadditum.

Demum non pauci parabolam Evangelicam hominis à latronibus ſpoliati, & graviſſimè vulnerati, interpretati ſunt de toto humano genere per peccatum gratuitis donis nudato & in naturalibus ſauciato.

Quamobrem S. Thomas part. 1. quæſt. 95. art. 1 in corp. „ ait manifeſtum eſſe quòd illa prima ſubjectio, quâ ratio Deo ſubdebatur, „ non erat ſolùm ſecundùm naturam, ſed ſecundùm ſupernaturale do- „ num gratiæ.“ Verùm de his ſatis.

QUÆS-

Digitized by Google

QUÆSTIO SECUNDA.

An primi parentes, antequàm peccaſſent, ignorantiæ & concupiſcentiæ penitùs expertes fuerint.

CERTUM eſt Adamum infuſam non habuiſſe rerum omnium notitiam, & plurima neſciviſſe quæ ad ipſum non pertinebant. Hujusmodi defectus propriè dicitur neſcientia, nec inter vitia aut infirmitates naturæ deputandus eſt. Quæritur ergo tantummodò an Adamus omnium quæ ipſum ſcire expediebat certam & claram cognitionem habuerit, & concupiſcentiæ cujuslibet planè expers fuerit, adeò ut nullum experiretur in anima vel in corpore motum inordinatum, qui rationem præveniret, ejusque imperio non perfectè ſubderetur.

Pelagiani aſſerebant primum hominem talem ab initio creatum fuiſſe, quales nunc naſcimur, non abſimili ignorantiâ retardatum à veri cognitione & boni proſecutione. Errorem illum jam pridem ab Eccleſiâ damnatum Sociniani poſtremo ſæculo renovarunt.

Nonnulli recentiores Scholaſtici nonniſi ſpecietenùs ignorantiam & concupiſcentiam à ſtatu innocentiæ removent, admittuntque in primis parentibus innatum appetitum propriæ excellentiæ, quo ad ſui complacentiam excitabantur. Hujusmodi autem appetitus quid aliud eſt quàm illa *ſuperbia vitæ*, quam funeſtis concupiſcentiæ ramis annumerat B. Joannes Apoſtolus, & declarat *non ex Patre*, *ſed ex mundo* ſeu diabolo eſſe? Ita inter alios ſenſit Molina in Concordia, quæſt. 14. disput. 4. pag. 19. col. 1. „ Cùm nullas, inquit, tentationes haberet (Adamus), præter „ eas quæ extrinſecùs inferrentur, & præter innatum appetitum excellentiæ „ & laudis quoad voluntatem & intellectum: quæ omnia in tanta tran- „ quillitate paſſionum, tanquam præclaris donis præditus, facilè pote- „ rat ſuperare.“ Cornelius quoque à Lapide, Comment. in Geneſim, fol. 46. col. 2, dicit „ amorem excellentiæ in naturâ integrâ & perfec- „ tâ intenſiſſimum fuiſſe: “ & Suarez lib. 10 *de Gratiâ* cap. 9. num. 8: „ Ipſe ſupremus angelus, inquit, „ à propriâ excellentiâ & pulchritu- „ dine abſtractus fuit & illectus.“ Et lib. 1. cap. 25. num 9: „ Hæc „ tentatio ſuperbiæ non multùm impediret tunc poſſibilitatem non pec- „ candi contra legem naturæ.“ Inerat ergo tunc, juxta Suarem, interna *tentatio ſuperbiæ*, & hæc ſaltem aliquantulùm *impediebat poſſibilitatem non peccandi.*

Quin etiam cætera concupiſcentiæ membra, quibus ad fruendum rebus

bus creatis provocamur, in ſtatum innocentiæ invehere non dubitavit Molina ibid. diſp. 45. pag. 182. col. 1, his verbis: „ Ex contemplatio-
„ ne rei valdè amabilis, & quam multùm refert adipiſci, naturaliter
„ inſurgit in voluntate motus quidam quo voluntas ad illam afficitur:
„ qui motus non eſt volitio, ſed affectio voluntatis ad illam rem. Ne-
„ que hic motus ſolùm in hominibus ſolet antecedere volitionem, ſed
„ etiam in angelis. Priùs namque tempore vel naturâ fuit Luciferum
„ ad id affici voluntate, quod per ſuperbiam obtinere voluit, quàm per
„ voluntatem illud vellet contra legem Dei: ſicut priùs etiam fuit Evam
„ affici ad pomum vetitum; id quod ſcriptura, Geneſeos 3, ſolis innuit
„ illis verbis: *Vidit mulier quòd eſſet bonum* &c.“ Sic ille, pacem beati illius ſtatûs ex præſenti noſtræ miſeriæ & corruptionis ſenſu potiùs, quàm ex ſcriptura & traditione, æſtimans. Ad eumdem lapidem offendiſſe olim Julianum oſtendunt iſta ipſius verba apud S. Auguſtinum, lib. 1 *Op. imperf.* „ Hanc voluptatem & concupiſcentiam ante peccatum in
„ paradiſo fuiſſe res illa declarat, quia ad delictum via per concupi-
„ ſcentiam fuit, quæ, cùm pomi decore oculos incitaſſet, ſpem etiam
„ jucundi irritavit ſaporis.“ Utrumque confutabimus, poſtquàm à ſtatu innocentiæ ignorantiam omnem depulerimus.

PRIMA PROPOSITIO.

In ſtatu innocentiæ nulla fuit ignorantia, ſed clara & certa cognitio omnium quæ primos humani generis parentes noſſe expediebat.

In docet ſacer auctor Eccleſiaſtici, cap. XVII. 5. & ſeq. ubi de Adamo & Eva ſic loquitur: „ *Conſilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi, & diſciplinâ intellectûs replevit illos. Creavit illis ſcientiam ſpiritûs, ſenſu implevit cor illorum, & mala & bona oſtendit illis.*

Quantam rerum naturalium notitiam habuerit Adamus, probant nomina ſingulis animalium ſpeciebus ipſorum indoli propria ab ipſo indita.
„ Quod excellentiſſimæ indicium fuiſſe ſapientiæ, uti obſervat S. Au-
„ guſtinus lib. 5. *Op. Imperf.* cap. 1, in ſæcularibus etiam litteris legi-
„ mus. Nam ipſe Pythagoras, inquit S. Doctor, à quo Philoſophiæ
„ nomen exortum eſt, dixiſſe fertur illum fuiſſe omnium ſapientiſſimum,
„ qui vocabula primus indidit rebus. Et quis dubitat Chriſtianus eos,
„ qui in hoc ſæculo ærumnis erroribusque pleniſſimo ingenioſiſſimi ap-
„ parent, quorum tamen corruptibilia corpora aggravant animas, ſi il-
„ lius

„ lius ingenio comparentur, diſtare longè ampliùs quàm celeritate à „ volucribus teſtudines diſtant?" Nullum igitur dubium eſt quin Adamus, absque ullâ difficultate & absque ullo errandi periculo, evidenter cognoſcere potuerit quidquid ſibi utile & conveniens ſcire voluiſſet. Igitur „ ſi in paradiſo aliquid disceretur, ait S. Doctor ibidem lib. 6. cap. 9, „ quod illi vitæ eſſet utile ſcire, ſine ullo labore vel dolore id aſſequeretur beata natura, vel Deo donante, vel ſeipſâ." Hinc lib. 3 *de Libero arbitrio* definit veri cognoſcendi & boni faciendi difficultatem *non eſſe naturam inſtituti hominis, ſed pœnam damnati.*

Cognitio illa quæ vigebat in homine ſano & integro, etſi longè inferior, & alterius planè generis quàm viſio intuitiva, adeò tamen erat clara & perſpicua, ut eam Hugo Victorinus lib. 1 *de Sacramentis*, part. 6. cap. 13, 14 & 15, appellare non dubitet oculum contemplationis; quia ſcilicet non per ſolam fidei obſcuritatem, nec per operoſam argumentationem à rerum creatarum ſpectaculo deductam, homo tunc ad Divinitatis cognitionem aſſurgebat, ſed Deum quodammodò ſibi præſentem, ejusque potentiam toto in orbe relucentem, velut in ſpeculo intuebatur. Doctor quoque Angelicus part. 1 quæſt. 94. art. 1 in corp. docet Adamum „ cognoviſſe Deum quâdam altiori cognitione quàm nos cognoscimus, „ cognitionemque ejus mediam fuiſſe inter cognitionem præſentis ſtatûs „ & cognitionem patriæ." Unde autem tanta notitiæ perſpicuitas & certitudo fluxerit, ibidem exponens: „ Quantò, inquit, creatura aliqua „ eſt altior & Deo ſimilior, tantò per eam Deus clariùs videtur...... „ Et ſic patet quòd multò eminentiùs videtur Deus per intelligibiles „ effectus, quàm per ſenſibiles & corporeos: à conſideratione autem plenâ & lucidâ intelligibilium effectuum impeditur homo in ſtatu præſenti, per hoc quòd diſtrahitur à ſenſibilibus & circa ea occupatur..... „ Hæc autem fuit rectitudo hominis diviniths inſtituti, ut inferiora „ ſuperioribus ſubderentur, & ſuperiora ab inferioribus non impedirentur. Unde homo primus non impediebatur per res exteriores à clarâ „ & firmâ contemplatione intelligibilium effectuum, quos ex irradiatione „ primæ veritatis percipiebat, ſive naturali cognitione, ſive gratuitâ."

Attamen, quæ humani intellectûs lumine gloriæ nondum illuſtrati ac roborati conditio eſt, primus homo nonniſi per fidem cognoscebat myſteria quæ rationis captum ſuperant: verùm ipſa fides tunc multò lucidior fuit quàm nunc eſt, quatenùs, etſi myſteriorum ratio Adamum lateret, Deum illa revelantem intimè percipiebat. „ Unde, ut ait S. Thomas 2. 2. quæſt. 5. art. 1. ad 1, „ non inerat eis (primis parentibus) fides, quâ ita quæreretur Deus abſens, ſicut à nobis quæritur: „ erat enim magis præſens per lumen ſapientiæ quàm ſit nobis, licet „ nec eis eſſet ita præſens ſicut eſt beatis per lumen gloriæ."

Digitized by Google

SECUNDA PROPOSITIO.

Nulla concupiſcentia, nullus innatus appetitus propriæ excellentiæ, nullus voluntatis motus inordinatus rationem præveniens extitit in ſtatu innocentiæ.

Probatur 1°. ex Scripturis.

ECCLE. cap. VII. dicitur Deus *feciſſe hominem rectum*, id eſt, cujus omnes potentiæ eſſent rectè ordinatæ. Ordo autem poſtulat ut ratio hominis Deo, & inferiores animæ vires corporiſque membra rationi ſubdantur: id verò eſſe nullatenùs poteſt ubi caro concupiſcit adverſùs ſpiritum. Quamobrem S. Auguſtinus Julianum aliter ſentientem ſic interpellabat lib. 5 contra ipſum, cap. 4: „ Si prudenter hìc ſaperes, pro„ fectò eſſe iniquitatem videres, quâ pars inferior hominis repugnat „ ſuperiori."

Geneſeos cap. II. 25, de Adamo & Eva, antequàm peccaſſent, dicitur: *Erat uterque nudus, & non erubeſcebant.* Statim atque mandatum Dei tranſgreſſi ſunt, lugenda rerum mutatio ſubſecuta eſt. *Aperti ſunt oculi amborum*, ait ſacer textus cap. III. 7 & ſeq. *Cùmque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficûs, & fecerunt ſibi perizomata* (quibus pudenda membra tegerent). *Et cùm audiſſent vocem Domini Dei in medio ligni paradiſi*, vocanteque Domino Deo, ait Adam: *Vocem tuam audivi in paradiſo, & timui, eoquòd nudus eſſem, & abſcondi me. Cui dixit: Quis indicavit tibi quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti?* Hæc igitur fuit origo pudendæ libidinis. Ante peccatum nuditas erat, hominemque non pudebat. In peccati autem pœnam, juſto Dei judicio, caro prius ſubdita rebellavit, ſtimuliſque anteà inexpertis vim ſuam exeruit. „ Quid eſt enim nuditas „ nuntiata, ait S. Auguſtinus lib. 5 *Op. imperf.* cap. 16, cui procul du„ bio ignota non erat, niſi eo motu ſtimulante, ut inuſitato aſpectu „ ſe urgeret adverti, pudoremque incuteret? ..... Sed tu (Juliane) con„ tra omnia claudis oculos, &, Deo manifeſtante quòd non confunde„ retur homo de ſuâ nuditate, niſi peccaſſet, ita fuiſſe aſſeris inſtitu„ tum, ut, etiam ſi non peccaſſet, puderet eum nuditatis ſuæ." Idem Fauſtus quoque, tametſi Semipelagianus, obſervavit lib. 1 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 2. „ De ſuperbiâ, inquit, nata eſt incontinentia. „ Nam quid in eo percuſſum eſſet oſtendit, dùm verecunda contexit.

„ Præ-

Digitized by Google

„ Præceſſit elatio; ſubſecuta confuſio eſt: divinitatis ambitioſus, libidi-
„ nis cœpit eſſe captivus."

Concupiſcentia ſæpè appellatur *peccatum* ab Apoſtolo. Cùm ergo fide certum ſit illam in renatis non eſſe propriè peccatum, cur tamen peccatum dicitur, niſi *quia merito peccati contigit*, ut ait S. Auguſtinus Serm. 128. cap. 6. num. 8, vel, ut definit concilium Tridentinum, quia *ex peccato eſt & ad peccatum inclinat?* Al. ſerm. 43. de Verbis Apoſtoli.

Probatur 2°. ex SS. Patrum concordi doctrinâ.

S. Ambroſius lib. 7. *in Lucam*, num. 142. cap. 12. vers. 52: „ Caro, „ inquit, in naturam regreſſa vigoris ſui agnoſcit altricem, atque, auſu „ depoſito contumaciæ, moderationis animæ conjugatur arbitrio; qualis „ fuit cùm inhabitanda paradiſi ſecreta ſuſcepit, antequàm veneno peſtiferi ſerpentis infecta ſacrilegam famem ſciret, divinorumque memoriam præceptorum animæ ſenſibus inhærentem edacitatis ſtudio præteriret." Hic textus à S. Auguſtino refertur lib. I. *Op. imperf. contra Julianum*, cap. 71.

Verùm cùm hoc fidei dogma adverſùs **Pelagianos** præ cæteris Patribus aſſerere ac tueri coactus ſit S. Auguſtinus, ipſum præſertim audiamus. Sic loquitur S. Doctor lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 22. num. 36: „ Quamvis (primi parentes) corpus animale geſtarent, nihil „ inobediens in illo adverſùm ſe moveri ſentiebant. Faciebat quippe „ hoc ordo juſtitiæ, ut, quia eorum anima famulum corpus à Deo acceperat, ſicut ipſa eidem Domino ſuo, ita & illi corpus ejus obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum ſine ullâ reſiſtentiâ famulatum." Superfluum foret plura S. Doctoris teſtimonia hic contexere. Legi poſſunt duo ipſius libri *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, & ſex *contra Julianum*, in quibus hæc materia abundè tractatur.

Ex his concludit S. Doctor concubitum conjugalem in illo beatiſſimo ac pacatiſſimo ſtatu futurum fuiſſe abſque illâ inordinatâ libidine, cujus nunc pudet honeſtos conjuges, gignentiumque membra eo ferè modo ſeſe habitura fuiſſe ad procreationem filiorum, quo ab agricolis ſemina in terram jaciuntur, id eſt, *jubente voluntate, non turpiter & indecoro motu cogente voluptate*, ut loquitur lib. 2 *de Nupt. & concupiſc.* cap. 14. num. 29. Ibidem, cap. 31. num. 53, dicit illa membra ad voluntatis nutum abſque ullo pruritu libidinis partes ſuas impletura fuiſſe, ſicuti manus, brachia, pedes, digiti ad voluntatis imperium decenter & obedienter moventur. Idem docet lib. 3 *contra Julianum*, cap. 25. num. 57; lib. 4. cap. 11. num. 57, & alibi paſſim.

De ciborum appetitu non aliter ſenſit. „ Ergo ne, inquit, & in paradiſo ante maleſuadi venena ſerpentis, ante corruptam ſacrilego ſermone voluntatem, illiciti cibi cupido jam fuit? Et videbant illi ho- „ mi-

„ mines fructum ligni prohibiti, & concupiſcebant; ſed ut non manducarent, concupiſcentia ſpiritûs carnis concupiſcentiæ reſiſtebat, & vivebant in illo loco tantæ beatitudinis non habentes in ſeipſis pacem „ mentis & corporis? Non usque adeò dementes eſtis ut iſta credatis; non usque adeò impudentes ut iſta dicatis. Ergo intelligite, vel „ intelligentibus obſtrepere vanâ loquacitate nolite. Præceſſit mala voluntas, quâ ſerpenti ſubdolo crederetur, & ſecuta eſt mala concupiſcentia, quâ cibo inhiaretur illicito. Non itaque ibi qualiscumque „ cupiditas qualicumque reluctata eſt voluntati; ſed ei potius depravatæ depravata ſervivit. Ac per hoc, quamvis jam utraque mala esſet, tamen voluntas cupiditatem, non cupiditas voluntatem duxit. „ Non præceſſit voluntatem, nec reſtitit voluntati.“ Et lib. 14. *de Civitate Dei*, cap. 10: „ An fortè cupiebant prohibitum lignum ad vescendum contingere, ſed mori metuebant; ac per hoc & cupiditas & „ metus jam tunc illos homines etiam in illo perturbabat loco? Abſit „ ut hoc exiſtimemus fuiſſe, ubi nullum erat omninò peccatum. Neque enim nullum peccatum eſt ea quæ lex Dei prohibet concupiſcere, atque ab his abſtinere timore pœnæ, non amore juſtitiæ.“

S. Auguſtino conſentiunt alii Patres. S. Fulgentius lib. 3 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 16: „ In Adam, inquit, ante peccatum „ nullam habuit caro concupiſcentiam, quæ ſpiritui repugnaret.“ S. Hildebertus Cœnomanenſis Epiſcopus, Epiſt. 54: „ Tunc, ait, apud hominem agebatur, ut quod offenderet nihil eſſet in animâ, nec in carne „ quod puderet; omnis affectus hominis anhelans pronus ad virtutem; „ illicitus & indecorus motus longè prorſus à corpore. Totum hominem „ obedientia ſibi vindicabat: omnia enim ei ſubjecta, quandiu ipſe mulieri ſubjectus non fuit.“

Probatur 3°. *rationibus Theologicis.*

Concupiſcentiæ nomine intelligitur inclinatio ſeu pronitas voluntatis ad fruendum rebus creatis propter ſe; ex quâ pullulant motus indeliberati rationemque prævenientes, quibus allicimur ad amorem rerum creatarum, v. g. honoris & laudis, voluptatum ſenſibilium &c, & quibus voluntas, ut non peccet, tenetur ſecum ipſa pugnando reſiſtere. Unde Apoſtolus, Galat. V. 17, ait: *Caro concupiſcit adverſùs ſpiritum, & ſpiritus adverſùs carnem, ut non, quæ vultis, illa faciatis.* Porro hujusmodi inclinationes in ſtatu innocentiæ non extitiſſe, S. Auguſtinus ſæpè demonſtravit ex pace, beatitudine ac perfecta libertate illius ſtatûs. Enimverò aut voluntas motibus illis inordinatis ceſſiſſet, eoque peccasſet; aut, ſi non ceſſiſſet, in continuâ pugnâ inteſtinoque diſſidio fuiſſet: quod paci ac felicitati omninò repugnat. „ Habet carnalis concupiſcentia, inquit S. Doctor lib. 13 *de Trinitate*, cap. 18. num. 23, motus

„ non

„ non voluntarios, quibus oſtendit vel nullam ſe in paradiſo ante peccatum eſſe potuiſſe, vel non talem fuiſſe, ſi fuit, ut aliquando reſiſteret voluntati: nunc autem talem illam eſſe ſentimus, ut...., ſi ei ceditur, peccando ſatietur; ſi non ceditur, diſſentiendo frænetur: quæ duo aliena fuiſſe à paradiſo ante peccatum dubitare quis poſſit? Nam neque illa honeſtas faciebat aliquid indecorum, neque illa felicitas patiebatur aliquid impacatum." Et lib. 5 *contra Julianum*, cap. 16. num. 62: „ Abſit ut honeſtiſſima illa felicitas in paradiſo commotæ libidini ſemper obtemperaret: abſit ut illa pax animi & corporis haberet aliquid, propter quod adverſùs ſcipſam prima hominis natura pugnaret! Si ergo ibi nec ſerviendum libidini, nec adverſus eam bellandum fuit, aut non ibi fuit, aut non talis, qualis nunc eſt, fuit. Nunc autem libidini neceſſe eſt ut repugnet, qui ſervire noluerit: neceſſe eſt ut ſerviat, qui repugnare neglexerit. Quorum duorum unum eſt moleſtum, etſi laudabile; alterum turpe & miſerabile." Idem proſequitur lib. 4. cap. 14. num. 69; lib. 1. *Oper. imperf.* cap. 30, & alibi.

Et certè ſi concupiſcentia, quantùmvis moderata ſupponatur, locum habuiſſet in illo ſtatu, primus homo feciſſet quod nolebat, nec feciſſet quod volebat; quemadmodum nunc juſtis accidit, in quorum perſona dicit Apoſtolus Rom. VII: *Non quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio..... Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Atqui illa voluntatis à ſeipſâ diſcordia non modò illius ſtatûs beatitudini adverſatur, ſed etiam libertatis ſanitatem, & æquilibrium illi ſtatui proprium tollit, benè agendi difficultatem procreat, facitque ut voluntas, quod vult bonum, perfectè implere non poſſit: quod quantùm ſanitati, felicitati, fortitudini naturæ innocentis repugnet dici vix poteſt.

Manifeſtum eſt illa argumenta non ſolùm libidinem carnis à paradiſo penitùs excludere, verum etiam innatum illum laudis & propriæ excellentiæ appetitum, quem nonnulli recentiores in illum invehere auſi ſunt. Cum enim hujuſmodi appetitus rationem præveniens inordinatus ſit, eique obſequi non liceat, vel homo peccaſſet illi obtemperando, vel reſiſtendo pugnaſſet; quorum unum ſanctitati, alterum paci ac felicitati adverſatur. Aliunde hujuſmodi appetitus ipſa eſt interior tentatio ſuperbiæ omnium ſubtiliſſima & exitioſiſſima. Unde ſi in illâ integritate locum habuit, nulla ratio eſt propter quam cæteræ quoque concupiſcentiæ ibi eſſe non potuerint. Hinc *ſuperbiam vitæ*, non minùs quàm alios concupiſcentiæ ramos, à primâ hominis inſtitutione alienam fuiſſe & à peccato fluxiſſe declarat Joannes Apoſtolus 1 Epiſt. II. 16, cùm dicit: *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ; quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.*

Quæres utrùm illo in ſtatu locum habuerint voluptates ſenſibiles, quas nunc experimur in uſu ciborum & aliorum hujuſmodi? An voluptates ſenſibiles lo-

cum habuerint in ſtatu naturæ innocentis.

Reſpondeo voluptates illas ſenſibiles, cùm nunc ſæpiſſimè tentationum occaſiones ſint, noſque ad res ſenſibiles propter ſe amandas impellant, aut nullatenùs fuiſſe in ſtatu innocentiæ, aut certè tales fuiſſe quæ nec animum à rerum ſpiritalium contemplatione averterent, nec ad res ſenſibiles propter ſe amandas impellerent. Igitur, ut ait S. Auguſtinus lib. 1. *Op. imperf.* cap. 68, „ aut libido nulla erat, aut omnino ſe un- „ quam contra voluntatis arbitrium non movebat.“

Et ſanè nemo eſt verè ſapiens pièque temperans, qui voluptates illas tanquam peccandi illecebras non pertimeſcat, &, quantùm in ipſo eſt, non imminuat. Num verò in beato illo ſtatu innocentiæ id admittemus, de quo gemit homo quisque ſincerè Chriſtianus? Hinc S. Auguſtinus, quamvis (quæ ipſius in in tractandis obſcuris quæſtionibus moderatio fuit) nihil hâc de re definire voluerit, ſatis tamen indicat ſe multò magis propendiſſe ad excludendum à ſanctitate illius ſtatûs delectationes quascumque ſenſibiles. Hanc ob cauſam dicere non dubitat conjugalem concubitum futurum tunc fuiſſe abſque ullo motu indecenti, ex ſolo prolem gignendi tranquillo pacatoque deſiderio, atque ita ut mens per illum à contemplatione rerum intelligibilium nequaquam avocaretur aut retardaretur. „ Quis negat, inquit lib. 4 *contra Julianum*, cap. 11. num. 57, „ futurum fuiſſe concubitum, etiam ſi peccatum non præceſſiſſet? „ Sed futurus fuerat, ſicut in aliis membris, ita etiam genitalibus vo- „ luntate motis, non libidine concitatis, aut certè etiam non ſine libi- „ dine, ut non vos de illâ nimiùm contriſtemus, non qualis nunc eſt, „ ſed ad nutum voluntarium ſerviente.“ Et cap. 14. num. 69: „ Re- „ manet igitur ut aut nulla ibi fuerit carnalis concupiſcentia, ſed ille „ fuerit vivendi modus, ut omnia neceſſaria, congruis membrorum offi- „ ciis, ſine ullius motu libidinis implerentur (non enim quia terra non „ libidine, ſed voluntate motis agricolarum manibus ſeminatur, ideò „ ſuos pariendos non concipit fœtus); aut, ne nimiùm videamur of- „ fendere homines qui voluptatem corporis quoquomodò defendunt, „ ita ibi credatur carnalium ſenſuum fuiſſe libidinem, ut omni modo „ rationali ſubdita voluntati non aliàs adeſſet, niſi cùm per illam vel „ ſaluti eſſet corporis, vel ſtirpis propagini conſulendum, & tanta ad- „ eſſet ut nullâ ex parte mentem de ſupernarum cogitationum delecta- „ tione deponeret, nullus ſupervacuus aut importunus motus eſſet ex il- „ lâ, nihil, niſi quod prodeſſet, fieret per illam, nihil omnino fieret „ propter illam.“ Ex quibus conditionibus S. Doctor, ne Pelagianos nimiùm offenderet, conſenſit voluptates ſenſibiles in ſtatu innocentiæ admittere, id eſt, modò tales admittantur, ut ab illis, quas nunc experimur, toto cœlo differrent. Legi poteſt circa iſtam quæſtionem liber cui titulus: *l'Action de Dieu ſur les creatures ou la Premotion phyſique prouvée par le raiſonnement*, ſect. 5. cap. 2.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres 2°. an paſſiones ſeu affectiones animi extiterint in ſtatu innocentiæ?

Reſpondeo cum S. Thoma, part 1. quæſt. 95. art. 2. in corpore, eas paſſiones quæ paci ac beatitudini officere poſſunt, aut quæ circa malum verſantur, quales ſunt timor, mœſtitia, ira, ardens cupiditas &c, ab illo beato ſtatu penitùs exulaſſe; placidas verò & felicitati nondum perfectæ congruentes, ut lætitiam, amorem, deſiderium, ſpem &c, ibi fuiſſe.

QUÆSTIO TERTIA.

De corporis in ſtatu innocentiæ dotibus, & maximè de immortalitate.

Quatuor hìc habemus expendenda. Primum, utrùm Adamus, ſi non peccaſſet, moriturus fuiſſet: ſecundum, utrùm illa ipſius immortalitas naturalis fuerit, an ſupernaturalis: tertium, utrùm cibo & potu ad vitam conſervandam opus habuerit: quartum, utrùm ſomni neceſſitati obnoxius fuerit.

An Adamus, ſi non peccaſſet, fuiſſet moriturus.

Pelagiani primùm contenderunt Adamum ita mortalem creatum fuiſſe, ut, ſive peccaret, ſive non peccaret, mortis neceſſitati ſubjaceret. Sed poſteà manifeſtis ſcripturæ oraculis univerſæque Eccleſiæ querelis oppreſſi, ab illo errore paululùm deflexerunt, ut teſtatur S. Auguſtinus in epiſt. 193 ad Mercatorem, cap. 4. num. 12. „ Quamvis, inquit, „ eos jam non exiſtimem dicere, etiam ſi non peccaſſet Adam, fuiſſe „ vel corpore moriturum.“ Reverà Julianus, apud S. Doctorem lib. 6. *Op. imperf.* cap. 30, teſtatur nequaquam à ſe reprehendi illos qui putabant „ Adam, ſi dicto audiens extitiſſet, ad immortalitatem potuiſſe „ pro remuneratione transferri,“ ſicut, ſcripturâ docente, Henoch translatus eſt ne videret mortem: „ verùm, inquiebat, aliud ſunt inſtituta „ naturæ, aliud præmia obedientiæ.“ Alii plures Pelagiani conſenſerunt moriendi neceſſitatem ex peccato Adami fluxiſſe, ſed contendebant illam abſque ipſius peccati contagione ad ejus poſteros promanare.

Sociniani ſentiunt pariter primos parentes conditos fuiſſe mortales, ac morituros reipſâ fuiſſe, etiam ſi non peccaſſent.

Non-

Nonnulli Scholaſtici, quamvis fateantur Adamum eâ conditione creatum fuiſſe, ut, ſi non peccaſſet, non moreretur, ſenſerunt tamen illum, propter elementorum, ex quibus ejus corpus conſtabat, mutuam pugnam, aliquando fuiſſe moriturum, niſi illam corporis diſſolutionem Deus, illum in cœlum transferendo, prævertiſſet. Ita Scotus apud Eſtium in 2um diſt. 14. §. 2. Multò erudiùs adhuc Pelagianum errorem renovavit Franciscus Garaſſus Jeſuita in *Summâ Theologicâ*, lib. 3. pag. 700, ubi ſic loquitur: „ In eo ſtatu innocentiæ per impaſſibilitatem „ muniti fuiſſemus adverſùs omnes injurias & invaſiones elementorum, „ in omnibus quæ fingi animo poſſunt vitæ commodis conſtituti, „ EXCEPTÂ IMMORTALITATE. Enimverò, cùm ex eisdem elementis concreati fuiſſemus, quibus nunc componimur, deveniendum tandem aliquando fuiſſet ad finem opificii. Sine dolore quidem morituri „ fuiſſemus, MORITURI TAMEN."

P R O P O S I T I O.

Natura humana ſic à creatore inſtituta eſt, ut, ſi anima non peccaſſet, corpus nunquam moreretur.

PROBATUR 1°. ex ſcripturis, quæ docent mortem eſſe pœnam peccati, futuramque omnino non fuiſſe, ſi peccatum non præceſſiſſet.

Geneſeos II. 17. Deus Adamum ſic alloquitur: *Ex omni ligno paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni ac mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*, id eſt, certiſſimè morieris. Mortem autem non animæ tantùm, ſed & corporis, ibi intelligendam eſſe probat S. Auguſtinus lib. 1. *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 2 & 4; confirmaturque ex eo quòd Deus pœnam illam, quam interminatus fuerat, poſt admiſſum peccatum hisce verbis pronuntiaverit, cap. III. 19: *In ſudore vultûs tui vesceris pane, donec revertaris in terram de quâ ſumptus es; quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Nec obſtat quòd non eo ipſo die, quo peccavit, Adamus mortem oppetiverit. Satis namque eſt quòd illo ipſo die morte damnatus ſit, ad illamque per multiplices ærumnas infirmitatesque properaverit. Hæc quoque verba: *quia pulvis es, & in pulverem reverteris*, non ſignificant, ut volebat Julianus, *non peccati merito*, *ſed naturæ conditione* mortem evenire. Ut enim ait S. Auguſtinus lib. 6. *Op. imperf.* cap. 27: „ Quisquis hæc Dei verba...... ſecundùm fidem catholicam intelligit,..... „ ſic accipit dictum, tanquam diceretur: Ego quidem te de terrâ ſumpſi,

„ ſi, & hominem feci, & utique facere potui ut eadem terra, quam „ viventem feci, nunquam cogeretur vitâ carere quam dedi; ſed quia „ terra es, id eſt, ſecundùm carnem quæ de terra ſumpta eſt, non ſe- „ cundùm me, qui te de terrâ ſumpſi, vivere voluiſti,.... juſtâ pœnâ „ ibis in terram de qua factus es, quia ſpiritui non obediſti à quo „ factus es."

Sapientiæ I. 13. dicitur: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum: creavit enim ut eſſent omnia.* Et II. 23: *Deus creavit hominem inexterminabilem,.... invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* His textibus Pelagianos debellabat auctor *Hypognoſticon* lib. 1. cap. 1.

Idem apertiſſimè ac frequentiſſimè docet S. Paulus Apoſtolus Rom. V. 12. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit* (per eum) *in quo omnes peccaverunt.* Hìc mors à peccato diſertè diſtinguitur, atque adeo non animæ, ſed corporis mors intelligenda eſt, definiturque mortem non ex naturâ, ſed ex peccato fluxiſſe. Eiſdem ferè verbis idem Apoſtolus, de corporum reſurrectione loquens 1 Corinth. XV. 21: *Per hominem mors*, inquit, *& per hominem reſurrectio mortuorum; & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.*

Rom. VIII. 11: *Si Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus verò vivit propter juſtificationem.* Non dicit Apoſtolus, uti obſervat S. Auguſtinus lib. *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 5, corpus mortuum eſſe propter fragilitatem terrenam, ſed *propter peccatum;* nec dicit corpus mortale eſſe, ſed *mortuum*, id eſt, morte damnatum ac certò moriturum, quoniam & ante peccatum erat aliquo ſenſu mortale, ſed non moriturum, ut exponit S. Doctor ibidem, & lib. 6 *de Geneſi ad litteram*, cap. 22. num. 33, & Epiſt. 193 ad Mercatorem, cap. 3. num. 6.

1 Corinth. XV. 54: *Cùm mortale hoc* (corpus) *induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: abſorpta eſt mors in victoria. Ubi eſt, mors, victoria tua? Ubi eſt, mors, ſtimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum eſt.* Et Rom. VI. 23: *Stipendia peccati mors.* Agitur utrobique de morte corporis, quæ appellatur *ſtipendium*, ſeu pœna peccato juſtè retributa: peccatum etiam appellatur *ſtimulus mortis*, id eſt, ſtimulus „ quo mors facta eſt, non quem mors fecit: ſicut poculum mor- „ tis eſt quo mors fit, non quod à morte fit," ut ait S. Auguſtinus lib. 3 *de Peccator. mer. & remiſſ.* cap. 11. num. 20, & lib. 3 *Op. imperf.* cap. 40.

Demum, Heb. II. 14, Apoſtolus dicit Chriſtum pro omnibus guſtaſſe mortem, *ut per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum.* Cur verò diabolus dicitur *habere mortis imperium*, inquit S. Auguſtinus lib. 2 *de Peccat. mer. & remiſſ.* cap. 31. num. 51, niſi quia peccati, quo mors introducta eſt, auctor extitit? Ac proinde,

Digitized by Google

ſi peccatum non præceſſiſſet, nec moriendi neceſſitas eſſet. Hanc ob cauſam Chriſtus Dominus, quia ſolus peccati expers fuit, ſolus dicere potuit, Joann. XIV. 30: *Venit Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.*

Probatur 2°. unanimi SS. Patrum traditione. Illos omnes qui Pelagii tempora præceſſerunt id pro certo tenuiſſe ac docuiſſe teſtis eſt S. Auguſtinus lib. 6. *Oper. imperf.* cap. 25, Julianum ſic alloquens: „ Nullomodò ignoras quot & quanti in Eccleſiâ docti Eccleſiæque „ Doctores ante nos dixerint ſic naturam hominis divinitùs inſtitutam, „ ut, ſi non peccaſſet, moriturus non eſſet.“ Eos verò qui poſteà vixerunt commemorare in re certâ ac definitâ ſuperfluum eſt. Sufficiat, inſtar omnium, S. Gregorius magnus, cujus hæc verba ſunt lib. 4. *Moral.* cap. 25. num. 30: „ Ad hoc in paradiſo homo poſitus fuerat, „ ut ſi ſe ad conditoris ſui obedientiam vinculis caritatis adſtringeret, „ ad cæleſtem angelorum patriam ſine carnis morte tranſiret. Sic nam- „ que eſt immortalis conditus, ut tamen, ſi peccaret, & mori poſſet, „ atque ex merito liberi arbitrii beatitudinem illius regionis attingeret, „ in quâ vel peccare vel mori non poſſet. Ubi igitur poſt redemptio- „ nis tempus, carnis morte interpoſitâ, electi tranſeunt, illuc procul „ dubio parentes primi, ſi in conditionis ſuæ ſtatu perſtitiſſent, etiam „ ſine morte corporum transferri potuiſſent.“

Probatur 3°. definitionibus Conciliorum.

Statim atque innotuit Pelagiana hæreſis, undequaque Epiſcoporum judicio fuit oppreſſa. Concilium Dioſpolitanum anni 415 Pelagium coegit anathemate damnare iſtud Cæleſtii capitulum: *Adam mortalem factum, qui, ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet;* niſi vellet ipſe anathemate percuti; ut videre eſt apud S. Auguſtinum, Epiſt. 186, olim 106, ad Paulinum, cap. 9. num. 31, & lib. *de Geſtis Pelagii*, cap. 11. num. 23 & 24.

Concilium univerſale totius Africæ Carthagine habitum anno 418, can. 1°., eumdem errorem damnavit his verbis: „ Quicunque dixerit „ Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, ſive peccaret, ſi- „ ve non peccaret, moreretur in corpore, id eſt, de corpore exiret, „ non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ; anathema ſit.“

Illa anathemata renovavit concilium œcumenicum Tridentinum, ſeſſ. 5. de peccato originali, can. 1. „ Si quis, inquit, non confitetur primum „ hominem Adam...... incurriſſe per offenſam prævaricationis iram & „ indignationem Dei, atque ideò mortem quam anteà illi comminatus „ fuerat Deus; anathema ſit.“

Quo ſenſu Adamus immortalis fuit.

Verùm, etſi homo ante peccatum moriendi neceſſitati obnoxius non eſſet, non erat tamen propriè immortalis. Quemadmodùm enim peccare, ita & mori poterat; corpuſque habebat, non ſpiritale ac cœleſte, quale poſt reſurrectionem futurum eſt, ſed animale ac terrenum. *Factus.*

tas eſt primus homo Adam in animam viventem, ait S. Paulus 1. Corinth. XV, *noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem. Non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpiritale. Primus homo de terrâ terrenus; ſecundus homo de cœlo cœleſtis.* Unde S. Ambroſius in lib. *de Paradiſo* dicit Adamum creatum fuiſſe *in umbrâ vitæ*, à quâ excidere poterat, non neceſſitate, ſed voluntate; & in quâ permanendo per obedientiam, donandus fuiſſet vitâ ipſâ quâ ſancti in cœlo fruituri ſunt, & quam amittere non poterunt.

Igitur, ut docet S. Auguſtinus lib. 6. *de Geneſi ad litteram*, cap. 25, hominis innocentis corpus „ & mortale ſecundùm aliam, & immortale „ ſecundùm aliam cauſam dici poterat: id eſt, mortale, quia poterat „ mori: immortale, quia poterat non mori; aliud eſt enim non poſſe „ mori, ſicut quaſdam naturas immortales creavit Deus; aliud eſt autem „ poſſe non mori, ſecundùm quem modum primus creatus eſt ho- „ mo immortalis.“ Duplex ſcilicet diſtingui debet immortalitas; una quâ quis mori non poteſt, altera quâ poſſit non mori. „ Illud, ut ait „ idem S. Doctor lib. 6. *Op. imperf.* cap. 25, majoris eſt immortalita- „ tis, hoc minoris.“ Poterat ergo abſolutè Adamus lædi vel offendi per vicina corpora, ſed quamdiù abſque peccato fuit, ita muniebatur ut nihil omninò pateretur adverſi, „ partim per propriam rationem, per quam poterat nociva vitare, partim etiam per divinam providentiam, quæ ſic ipſum tuebatur, ut nihil ei occurreret ex improviſo, à quo læderetur, ut dicit S. Thomas part. 1. quæſt. 95. art. 15. ad 4.

Et ſanè „ juſtum erat ut imago Dei nullo ſubjecta & obſoleta peccato „ tali infereretur corpori, quamvis de terrenâ materiâ creato atque for- „ mato, ut ei de ligno vitæ ſubminiſtrata vivendi ſtabilitas permaneret, „ ac viveret interim per animam viventem, quam nulla ab eo neceſſi- „ tas ſepararet; atque inde, propter obedientiam cuſtoditam, ad vivifi- „ cantem ſpiritum perveniret; ita ut ei non ſubtraheretur hæc vita „ minor, ubi & mori & non mori poſſet, ſed illa amplior adderetur, ubi „ viveret ſine illius ligni beneficio, morique non poſſet.“ Verba ſunt S. Auguſtini lib. 6. *Op. imperf.* cap. 39.

Undenam homini innocenti proveniebat illa immortalitas.

Quæres undenam illa immortalitas primo homini obtingeret: num ex ipſâ corporis contemperatione, an ex fructu ligni vitæ?

Reſpondeo utrumque ſimul concurriſſe ad procreandam illam immortalitatem: ac primò quidem optimam corporis habitudinem, quæ à ſanitate animæ fluebat. Sicut enim in beatis ex perfectâ animæ ſanctitate redundat in corpus perfecta immortalitas; ita in ſtatu innocentiæ ex ſanitate animæ peccati prorſùs expertis hæc minor & inchoata immortalitas in corpus reſluebat. Quamobrem Apoſtolus Rom. VIII. dicit nunc *corpus mortuum eſſe*, id eſt, morbidum lethaliterque vulneratum, *propter peccatum.* Docent pariter Concilia & SS. Patres peccato factum eſſe ut totus homo ſecundùm animam & ſecundùm corpus in deterius mutatus fuerit.

fuerit. Lignum quoque vitæ ex divinâ inſtitutione ad conſervandam optimam corporis valetudinem inſerviſſe, non ſolùm nomen ipſum ligno inditum inſinuat, ſed etiam SS. Patrum convincit auctoritas. „ Ut „ poſſet non mori, inquit S. Auguſtinus lib. 6 *de Geneſi ad litteram*, „ cap. 25, ei præſtabatur de ligno vitæ, non de (ſolâ) conſtitutione „ naturæ „.

Sunt qui exiſtimant fructûs ligni vitæ hanc fuiſſe virtutem, ut ſemel ſumptus perfectam immortalitatem conferret, ideòque hominem ſemel tantum ex ſpeciali Dei mandato de illo comeſturum fuiſſe, atque hoc ipſo corpus ejus ex terreno in cœleſte transformandum fuiſſe. Ita ſenſiſſe Rupertum lib. 3 in Geneſim, cap. 30, & auctorem Gloſſæ interlinearis, teſtatur Bellarminus lib. *de Gratiâ primi hominis*, cap. 18; nimirùm propter iſta verba Geneſis, cap. 3: *Ne fortè mittat homo manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & vivat in æternum.* Laudat quoque S. Chryſoſtomum, Hom. 18 in Geneſim, & Theodoretum, quæſt. 26 in Geneſim, qui dicunt illam arborem plantatam fuiſſe *in præmium obedientiæ*; nec non S. Irenæum lib. 3 adversùs Hæreſes, cap. 37; S. Hilarium in Pſalmum 68, ad illa verba: *quem tu percuſſiſti perſecuti ſunt*; S. Gregorium Nazianzenum Orat. 2 de Paſchate; S. Hieronymum in cap. 25. Iſaïæ; S. Cyrillum Alexandrinum lib. 3 adversùs Julianum apoſtatam &c, qui putant miſericordiæ Dei tribuendum eſſe quòd hominem poſt peccatum è paradiſo ſtatim expulerit, quia, ſi de ligno vitæ comediſſet, ſemper vixiſſet, ejuſque miſeriæ nullum finem fuiſſent habituræ.

Verum aliter ſentiunt plerique SS. Patres, ac Theologi ferè omnes; nempe arborem vitæ ad id poſitum fuiſſe in paradiſo, ut homo innocens de illius fructu identidem veſcendo corpus ſuum à debilitate ac ſenio immune ſervaret. Id expreſſè docet S. Auguſtinus lib. 13 *de Civitate Dei*, cap. 20. „ Ut (corpora) ſenio non veteraſcerent, & neceſſitate per- „ ducerentur ad mortem, ... de ligno vitæ mirabili Dei gratiâ præſ- „ tabatur: .... de quo propterea guſtabatur, ne mors eis undequaque „ ſubreperet, vel ſenectute confecta decurſis temporum ſpatiis interi- „ rent." Lib. 1 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 11: „ Habebat „ homo de ligno vitæ ſtabilitatem contra vetuſtatem „: quod etiam repetit lib. 4. *contra Julianum*, cap. 14. Hinc lib. 14 *de Civitate Dei* ſupponit hominem eo fructu frequenter uſurum fuiſſe; imo, lib. 6 Op. imperf. cap. 30, dicere non dubitat uſum illum homini imperatum fuiſſe. „ Si vigilanter intelligamus, inquit, ſicut de ligno interdicto mandu- „ cando peccavit, ita de ligno vitæ non manducando peccaret; quoniam „ ſibi ipſi vitam, quæ ex illo ligno aderat, invideret." Eamdem ligno vitæ deſtinationem attribuit Julianus Pomerius lib. 2. *de Vita contemplativa*, cap 18, his verbis: „ Arbor vitæ myſticum cibum, non unde „ viveret, ſed unde corporis vitam non finiret, ſui creatoris munera „ miniſtravit. Qui cibus, quamdiu perciperetur, ita percipientem ſe in „ uno

Digitized by Google

„ uno ſtatu, ſacramenti cujuſdam latentis figuratâ ſignificatione, ſerva-
„ ret, ut eum nec ullâ infirmitate corrumpi, nec ætate mutari & ſeneſ-
„ cere, nec diſſolvi morte permitteret."

Illam autem virtutem ligno vitæ inditam quodammodò naturalem fuiſſe, atque in mirâ ejus cum corpore ſano contemperatione poſitam, admodum probabile eſt. Sed utrum corporis per peccatum in deterius mutati vires inſtauraſſet, definire nolim. Conſtat enim eoſdem cibos qui corpori ſano ac robuſto apprimè conveniunt, infirmo ac languido plerùmque noxios eſſe. Nonnulli tamen Theologi arbitrantur per lignum vitæ, ſi illo poſt peccatum veſci licuiſſet, vitam humanam non quidem perpetuam, ſed multò diuturniorem futuram fuiſſe, quàm eſt; atque inter beneficia Dei computandum eſſe quòd ab illo nobis omninò interdictum ſit, eoque ſenſu intelligunt quod legitur Geneſis III: *Ne fortè ſumat homo de ligno vitæ, & vivat in æternum*: quanquàm probabilius eſt illa verba per quamdam ironiam dicta fuiſſe, quemadmodùm id quod ibidem dicitur: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.*

Utrùm immortalitas hominis innocentis fuerit naturalis, an ſupernaturalis.

Ex variis vocum *naturale* & *ſupernaturale* acceptionibus ſuprà expoſitis facile eſt præſentem quæſtionem ſolvere. Liquet enim immortalitatem hominis innocentis dici poſſe *naturalem* multiplici ſenſu: 1°. Quidem eo quòd ad primam naturæ humanæ inſtitutionem pertinuerit. 2°. Eo quòd primis parentibus collata fuerit in ipſo ſuæ creationis inſtanti. 3°. Eo quòd appetitui naturæ admodùm conſentanea ſit; *mortem* quippe *horret, non opinio, ſed natura*, ut ait S. Auguſtinus. 4°. Eo quòd, ſi primus homo non peccaſſet, futura fuiſſet omnium hominum conditio, ſicuti nunc moriendi neceſſitas. 5°. Eo quòd ſapientiæ & juſtitiæ divinæ congruentiſſimum videatur ut hominem nullam pœnam merentem morti non ſubjiceret. 6°. Eo quòd per illam inchoatam immortalitatem homo non eveheretur ſuprà ſtatum ſuum primigenium.

Verum eadem immortalitas non fuit *naturalis* eo ſenſu quòd ad hominis eſſentiam pertineret, vel quòd amitti non poſſet; quandoquidem reverà amiſſa eſt. Supernaturalis quoque dicenda eſt eo ſenſu quòd non ex ipſâ corporis conſtitutione flueret, quòd exteriori alimento ligni vitæ, & quidem, ut ait ſuprà S. Auguſtinus, *mirabili Dei gratiâ* ſuſtentaretur. Eam ob rem corpus primi hominis vocatur ab Apoſtolo, 1 Corinth. XV, *animale* ac *terrenum*. S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 1. in Joan. cap. 15, dicit hominem *ſuprà naturam immortalitatem fuiſſe conſecutum*, & lib. 4 contra Julianum apoſtatam, *hominem corruptibili naturâ progenitum, Deo volente, fuiſſe immortalem.* S. Auguſtinus lib. 6. *de Geneſi ad litteram*,

Digitized by Google

ram, cap. 25 : „ Ut poſſet non mori, inquit, ei præbebatur de ligno „ vitæ, non de conſtitutione naturæ..... Mortalis ergo erat condi- „ tione corporis animalis, immortalis autem beneficio creatoris." Et S. Thomas part. 1. quæſt. 97. art. 3. ad 1 : „ Immortalitas, inquit, „ primi ſtatûs erat ſecundum vim quamdam ſupernaturalem in animâ „ reſidentem, non autem ſecundùm aliquam diſpoſitionem corpori in- „ hærentem. Unde per actionem caloris aliquid de humido illius cor- „ poris poterat deperdi ; & ne totaliter conſumeretur, neceſſe erat per „ aſſumptionem cibi homini ſubveniri."

Obſervandum tamen eſt eamdem immortalitatem, ſub hoc etiam reſpectu conſideratam, alio ſenſu naturalem dici poſſe, quatenùs ſcilicet ſanctam & innocentem animam, cui nulla pœna debebatur, decebat tale corpus ; & quatenùs ſanitas incorruptæ mentis in corpus ipſi unitum quaſi naturaliter derivabatur : idque innuunt angelici Doctoris verba mox allata.

Utrùm primi Parentes ante peccatum cibo & potu indiguerint.

Teſtatur S. Auguſtinus lib. 4 *contra Julianum*, cap. 14. num. 69, „ nonnullos, neque hos contemptibiles, divini eloquii tractatores ipſo antiquiores opinatos fuiſſe „ primos parentes nullo corporali victu „ indiguiſſe, ut ea ſola in paradiſo voluptas vel alimonia exiſtimetur „ fuiſſe, quâ delectantur & aluntur corda ſapientium." Idem ipſe quoque ſentiebat quo tempore ſcripſit librum 2. *de Sermone Domini in monte*. Sed ſeipſum ſic emendavit lib. 1. *Retract.* cap. 19. num. 9 : „ Non attendi, inquit, etiam primis parentibus data fuiſſe in paradiſo „ corporis alimenta, antequàm iſtam mortis pœnam peccando meruiſ- „ ſent. Sic enim erant immortales in corpore nondum ſpiritali, ſed „ animali, ut tamen in ejuſmodi immortalitate corporalibus alimentis „ uterentur." Reverà cur Deus primos parentes in paradiſo mirâ fructuum varietate, ubertate, ſuavitate referto collocaſſet, ſi cibis non eguiſſent ? Cur illis dixit Geneſis I. 19 : *Dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam* ; niſi, ut ait S. Auguſtinus loco citato *contra Julianum*, „ & quia ille uterque ſexus his alimentis, „ quibus & animalia cætera, corporaliter utebatur, & habebat ex hoc „ victu ſuſtentaculum congruum, licet modo quodam immortali, tamen „ animali corpori neceſſarium, ne indigentiâ læderetur ?" Idem docet lib. 6. *de Geneſi ad litteram* cap. 21 & 26, & lib. 10 *de Civitate Dei*, cap. 20 & 23. Et certè in illo beato ſtatu corpus nondum erat ſpiritale, quale nobis poſt reſurrectionem promittitur, ſed animale ac terrenum, concretumque diverſis elementis, quorum, licet ſapientiſſimè contemperatorum, vel ſolus motus fieri non poterat ſine aliquâ partium diſtractione

tione, quas proinde per alimenta reparare oportebat, ut optimè ratiocinatur S. Thomas part. 1. quæſt. 97. art. 3.

Ex textu etiam Geneſis, cap. II. 16 & 17, apparet non tantùm homini vetitum fuiſſe uſum ligni ſcientiæ boni & mali, ſed etiam præſcriptum ut de cæteris paradiſi fructibus veſceretur. *Ex omni ligno paradiſi comede*, inquit Deus; *de ligno autem ſcientiæ boni ac mali ne comedas.* Quibus ex verbis rectè concludit Angelicus Doctor, ibidem ad 3um., hominem peccaturum fuiſſe, *ſi ſibi non ſubveniſſet de cibo, ſicut peccavit ſumendo vetitum cibum.*

Advertendum tamen eſt hac in parte conditionem primorum parentum à noſtrâ inſigniter diverſam fuiſſe. Nos quippe importunis ac moleſtis ſenſationibus famis ac ſitis urgemur ad manducandum & bibendum. Aliunde inordinatis & indeliberatis concupiſcentiæ carnis motibus allicimur ac proritamur ad manducandum abſque ulla neceſſitate, vel plus quàm neceſſe eſt, ob ſolam manducandi voluptatem. Abſit autem ut iſta in illâ felicitate locum habuerint! Non enim fame cruciante, ſed intimo quodam ſenſu, eoque tranquillo & rationi planè ſubdito, admonebatur homo, quando opus erat, per alimenta ſibi conſulere; ſicque cibis utebatur, ut vel nullam ex illis voluptatem ſenſibilem perciperet, vel eam ad Deum tanquam illius ſolam cauſam efficientem referret; atque adeò per illam à rerum ſpiritalium contemplatione nequaquam impediretur, ut docet S. Auguſtinus lib. 4 *contra Julianum*, cap. 14. num. 68.

An homo innocens ſomno indiguerit.

Dormiendi neceſſitatem à ſtatu innocentiæ excludi oportere arbitrati ſunt quidam Theologi, ne videlicet ſomni intercapedine rerum divinarum contemplatio ſuſpenderetur. Verùm S. Thomas part. 1. quæſt. 97, & cum ipſo plerique Theologi rectiùs ſentiunt ſomnum in illo quoque ſtatu homini neceſſarium fuiſſe; tum quia terrenum & animale corpus fatigari potuiſſet, niſi interdum quiete reficeretur; tum quia eadem tunc fuiſſet, quæ nunc eſt, dierum noctiumque viciſſitudo ad laboris quietiſque vices à creatore inſtituta; tum denique quia Adamus innocens reipſâ dormivit.

Verùm, ſicut quantùm ad alimenta non eadem fuit hominis integri & lapſi conditio, ita nec ſomni indigentia in utroque ſtatu ſimilis dicenda eſt. Nam 1°. capitis & corporis oneroſâ gravitate, laborum moleſtiâ, membrorum laſſitudine dormire cogimur quandoque inviti; tunc verò nihil ejuſmodi ſomnum extorſiſſet. 2°. Somnum acceſſere ac depellere non eſt nunc in noſtrâ poteſtate, tunc verò utrumque in hominis erat poteſtate. 3°. Nunc corruptibile, morbidum ac torpore aggravatum corpus ultrà neceſſitatis metas ſomnum ſæpè produeit; non ita tunc fuiſſet. 4°. Nimis frequenter contingit ut inter dormiendum mens noſtra

tra ſtultarum, inordinatarum, noxiarum, malarumque cogitationum ludibrium fiat: unde in officio Completorii Eccleſia precatur ut procul à nobis recedant noctium phantaſmata, utque, dum oculi ſomno indulgent, cor ad Deum vigilet: hæc porrò miſeria abſuiſſet ab innocentiæ ſtatu. 5°. Non eſt nunc in noſtrâ poteſtate, cùm ſomnus torpentia membra corripuit, utilibus ſanctiſque cogitationibus occupari, ſed mens quodammodò iners, otioſa remanet, vel vagabunda ſpatiatur: tunc autem mentem, etiam in ſomno, ſui compotem futuram fuiſſe admodùm probabile eſt; ita ut dicere potuiſſet quod de ſe ſponſa dicit, Cant. V. 2: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ita ſenſiſſe S. Auguſtinum apparet ex his verbis lib. 5 *contra Julianum*, cap. 10. num. 42.: „ Si erat in „ paradiſo viciſſitudo vigilandi atque dormiendi, ubi non erat malum „ concupiſcendi, tam felicia erant ſomnia dormientium, quàm vita vi„ gilantium."

Alexander Alenſis, part. 2. quæſt. 89. membro 3, iſtâ quæſtione in utramque partem agitatâ, ſic concludit: „ Cùm ergo anima ita erat ſublimata & tantâ jucunditate beata, quæ debuit illi eſſe dormiendi voluntas, ac privandi ſe ad horam modicam tantâ vitæ felicitate?..... Si ergo debuit aliquis defectus præveniri quiete, debuit præveniri quie„ te ſoporis, & non ſomni. Differunt enim ſomnus & ſopor, quia „ ſomnus eſt quies animalium virtutum, cum intenſione naturalium; ſo„ por eſt quies animalium virtutum, cum intenſione intellectualium. Un„ de quies ſoporis non privat animam jucunditate aliquâ, quam habet „ ex converſione ſive elevatione mentis in Deum, ſicut facit ſomnus, „ nec ponit corpus ulli addictum pœnalitati. Unde hæc potentia in „ nullo illi ſtatui præjudicat." In eamdem ſententiam inclinat doctiſſimus auctor libri *de l'Action de Dieu ſur les creatures ou la prémotion phyſique &c*, ſect. 5. cap. 1.

Quod attinet ad ſoporem quem Deus Adamo immiſit, ſeptuaginta Interpretes & S. Hieronymus illum vocant *extaſim*, eoque nomine non intelligunt mentis alienationem (nam mentem ſui compotem tunc remanſiſſe ex eo apparet, quòd expergefactus Adamus omnium, quæ ſibi dormienti acciderant, recordatus ſit), ſed vehementem mentis intenſionem ſejunctam ab actuali miniſterio ſenſuum; quam ob cauſam dicitur à S. Epiphanio ἐκστασις του ὑπνου, *extaſis ſomni.* Sic autem ſomnum illum interpretatur S. Bernardus, Serm. 2 in Septuageſimâ, num. 1: „ Ille ſopo„ ratus videtur præ exceſſu contemplationis..... Mihi quidem nonniſi „ incommutabilis veritatis intuitu & abyſſo divinæ ſapientiæ, corpo„ reis excedens ſenſibus, obdormiſſe videtur: quod ex ejus verbis vel „ maximè conjici poteſt..... An tibi penitùs obdormiſſe videtur, qui „ in hanc vocem excitatus erupit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, & *prop„ ter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam* &c?"

QUÆS-

Digitized by Google

QUÆSTIO QUARTA.

De Paradiſo terreſtri, aliiſque ſtatûs innocentiæ commodis.

PRIMUM hominem vel creavit, vel creatum poſuit Deus in paradiſo voluptatis, id eſt, in loco terræ fertiliſſimo, & varietate arborum fructuumque dulcedine amœniſſimo. Cenſuit quidem Origenes paradiſum non fuiſſe locum aliquem realem, ſed allegoricè intelligenda eſſe quæ de illo in Geneſi dicuntur. Verùm (excepto S. Ambroſio, qui in libro de Paradiſo idem ſenſiſſe videtur) cæteri Patres opinionem illam rejecerunt, docueruntque ſenſûs litteralis veritatem præſupponi ſemper debere, antequàm ad ſenſus myſticos deveniatur.

Plurimùm laborant nonnulli ut aſſignent ubinam terrarum ſitus fuerit ille paradiſus. Multi cum Eſtio, in 2um. Sentent. diſtinct. 17. §. 18, non improbabiliter exiſtimant cum verſus Meſopotamiam & Armeniam extitiſſe; ſed multò ſatiùs arbitramur excluſionem noſtram ab illo beatitudinis loco humiliter ferre, & multò excellentiorem paradiſum, pleniorem que beatitudinem Chriſti meritis nobis partam toto corde concupiſcere, quàm parùm utiliter inveſtigare quod vel certò cognoſci nequit, vel cognitum miſeriam exilii noſtri levare nullomodò poteſt; præſertim cùm ille locus, ubicunque terrarum exiſtat, jam non paradiſus voluptatis ſit, ſed, ſicut cæteræ orbis terræ partes, maledictioni ſubjectus ex ſe nonniſi *ſpinas & tribulos* producat. De ſitu paradiſi terreſtris.

In paradiſo terreſtri duæ arbores conſiderandæ veniunt; ſcilicet arbor vitæ, de quâ ſatis diximus, & arbor ſcientiæ boni & mali, cujus fructus homini vetitus eſt. Iſtud nomen ab eventu futuro illi arbori inditum fuiſſe obſervant S. Auguſtinus lib. 1 *contra Adverſarium Legis & Prophetarum*, cap. 14. num. 18; lib. 14 *de Geneſi ad litteram*, cap. 6. num. 12; lib. *de Verâ Religione*, cap. 20. num. 38; Concione 2. in Pſalmum 70. num. 7; & Julianus Pomerius lib. 2 *de Vitâ contemplativâ*, cap. 19. num. 2: quia nimirùm, ſi homo ab illâ, juxta Dei præceptum, abſtinuiſſet, experimento cognoviſſet quantum ſit obedientiæ bonum; de illâ autem contra vetitum comedendo, expertus erat quantum ſit inobedientiæ malum. Quamvis enim homini concreata fuiſſet ſcientia ſpeculativa boni & mali, nondum illi inerat experimentum mali; hoc autem experimentum ex peccato conſecutum fecit ut boni amiſſi excellentia ipſâ ejus jacturâ pluris æſtimaretur. De ligno ſcientiæ boni ac mali: cur homini vetitum ſit de illius fructu edere.

Cur verò, inquies, Deus illius fructûs eſu homini interdixit? Reſpon-

pondet S. Auguſtinus lib. 18 *de Geneſi ad litteram*, cap. 13. num. 29, hujus prohibitionis cauſam non eſſe quòd ipſe fructus malus aut noxius eſſet, cùm è contrariò ſcriptura teſtetur *bonum* fuiſſe *lignum ad veſcendum*, *& pulchrum oculis aſpectuque delectabile*; nec quòd hujusmodi prohibitione aliquid commodi Deo accideret, ſiquidem ſumma Dei perfectio nullâ re extrà ipſum augeri minuive poteſt; ſed ut homini demonſtraretur creaturam quamlibet creatori ſuo ſubditam & obedientem eſſe oportere. „ Cùm enim illud tangitur, ait S. Doctor, quod nec tangenti „ obeſſet, ſi non prohiberetur, nec cuiquam alteri, quandolibet tange- „ retur, quare prohibitum eſt, niſi ut ipſius per ſe bonum obedien- „ tiæ, & ipſius per ſe malum inobedientiæ monſtraretur? ...... Domi- „ nus quidem cur juſſerit viderit: faciendum eſt à ſerviente quod juſ- „ ſit, & tunc fortè videndum à promerente cur juſſerit." Lib. 6 *Op. imperf.* cap. 15 hanc legem ait fuiſſe datam, „ ut rationalis creaturæ vel „ ſola vel præcipua virtus eſſe obedientia doceretur." Idem fuſiùs exponit egregius humilitatis divinique dominii prædicator ibid. cap. 6. num. 12. „ Mihi, inquit, etiam atque etiam conſideranti dici non po- „ teſt quantùm placeat illa ſententia, non fuiſſe illam arborem cibo „ noxiam, neque enim qui fecerat omnia bona valdè in paradiſo inſti- „ tuerat aliquid malè; ſed malum fuiſſe homini transgreſſionem præcep- „ ti. Oportebat autem ut homo ſub Domino Deo conſtitutus alicun- „ dè prohiberetur, ut ei promerendi Dominum ſuum virtus eſſet ipſa „ obedientia, quam poſſum veriſſimè dicere ſolam eſſe virtutem omni „ creaturæ rationali agenti ſub Dei poteſtate; primumque eſſe & maxi- „ mum vitium tumoris ad ruinam ſuâ poteſtate velle uti, cujus vitii nomen „ eſt inobedientia. Non eſſet ergo unde ſe homo dominum habere cogi- „ taret atque ſentiret, niſi aliquid juberetur." Et Sermone 2 in Pſalmum 70, num. 7: „ Homo, inquit, poſitus ſub præcepto audivit à „ Domino Deo: noli tangere. Quid? hanc arborem. Quid eſt enim „ illa arbor? Si bona eſt, quare non tango? Si mala eſt, quid facit in „ paradiſo? Prorſùs ideò eſt in paradiſo, quia bona eſt, ſed nolo tan- „ gas. Quare non tango? quia obedientem volo, non contradicentem „ ſervum; .... quia dominus ſum, & ſervus es: hæc tota cauſa eſt.... „ Quid autem tibi expedit, niſi eſſe ſub domino? Quomodò eris ſub do- „ mino, niſi fueris ſub præcepto? Porrò ſi expedit tibi eſſe ſub domi- „ no & ſub præcepto, quid tibi juſſurus erat Deus? ..... Obſequere mi- „ hi, dicturus eſt tibi, ſive ad lectum, cùm requieſco, ſive ad men- „ ſam, cùm me reficio, ſive ad balneas, cùm lavo? Quia ergo nullo „ ab ſte indiget Deus, nihil tibi debuit jubere. Si autem debuit ali- „ quid jubere, ut te, quod tibi expedit, ſentires eſſe ſub domino, ab „ aliquâ re prohibendus eras, non propter iſtius arboris malitiam, ſed „ propter tuam obedientiam. Non potuit Deus perfectiùs demonſtrare „ quantum bonum ſit obedientia, niſi cùm prohibuit ab eâ re quæ non

„ erat

Digitized by Google

„ erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam; ſola ibi inobedientia in-
„ venit pœnam.... Numquid qui hinc prohibuit, alia ſubtraxit? Non-
„ ne eſt paradiſus fructuoſis plenus arboribus? Quid tibi deeſt? Hoc
„ nolo tangas; bonum eſt, ſed obedientia melior.“

Hominis in paradiſo poſiti beatitudo.

In paradiſo terreſtri collocatus homo, beatam ſpiritalemque vitam peccati & cujuslibet miſeriæ expertem, ducebat, ſoli Deo ſubditus, angelis ferè æqualis, cæteris omnibus ſibi ſubjectis imperans. Dominabatur *piſcibus maris & volatilibus cœli, & beſtiis univerſæ terræ, omnique reptili quod movetur in terrâ:* Geneſ. I. 26 & 28. Hinc ſingulis animalium generibus nomina impoſuit; quod ſupremæ poteſtatis indicium eſſe demonſtrat uſus antiquiſſimorum dominorum, qui ſervis ſuis nomina immutabant. „ Quid timere aut dolere poterant illi homines, ait
„ S. Auguſtinus lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 10, in tantorum tantâ
„ affluentiâ bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis ma-
„ la valetudo, nec aberat quidquam quod bona voluntas adipiſceretur,
„ nec inerat quod carnem animumve hominis feliciter viventis offen-
„ deret. Amor erat imperturbatus in Deum, atque inter ſe conjugum
„ fidâ & ſincerâ ſocietate viventium; & ex hoc amore grande gaudium,
„ non deſiſtente quod amabatur ad fruendum. Erat devitatio tranquil-
„ la peccati, quâ manente, nullum aliunde malum, quod contriſta-
„ ret, irruebat.“

Pulcherrimæ huic imagini nova lineamenta addit S. Doctor, qui, ſicut naturæ corruptæ vulnera, ita integræ vires felicitatemque cæteris Patribus profundiùs meditatus eſt, diligentiùſque deſcripſit. „ Vivebat, inquit
„ ibidem, cap. 26, in paradiſo ſicut volebat, quamdiu hoc volebat quod
„ Deus juſſerat. Vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: vivebat
„ ſine ullâ egeſtate, ita ſemper vivere habens in poteſtate. Cibus aderat,
„ ne eſuriret; potus, ne ſitiret; lignum vitæ, ne illum ſenecta diſſol-
„ veret. Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas moleſtias
„ ullis ejus ſenſibus ingerebat: nullus intrinſecùs morbus, nullus ictus
„ metuebatur extrinſecùs; ſumma in carne ſanitas, in animo tota tran-
„ quillitas. Sicut in paradiſo nullus æſtus aut frigus, ita in ejus ha-
„ bitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis of-
„ fenſio. Nihil omninò triſte, nihil erat inaniter lætum. Gaudium
„ verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat caritas de corde puro,
„ & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ, atque inter ſe conjugum fida
„ ex honeſto amore ſocietas, concors mentis corporiſque vigilia, &
„ mandati ſine labore cuſtodia. Non laſſitudo fatigabat otioſum, non
„ ſomnus premebat invitum.“

Tantæ beatitudini id unum deerat, ut non poſſet amitti, atque homo de perpetuâ juſtitiæ ſtabilitate ſecurus fieret. Verùm illud in præmium obedientiæ, ſi, quod facillimè poterat, in bono perſeveraſſet, ſervabatur. Interim, etſi nondum numeris omnibus abſolutâ, verâ tamen felicitate po-

E 2

Digitized by Google

potiebatur, quemadmodùm de malis angelis, antequàm caderent, dicit S. Auguſtinus lib. *de Correptione & gratiâ*, cap. 10. num. 27.

Sicut Adami peccatum totam ejus progeniem depravavit, atque innumera in mala præcipitem egit; ita, ſi in juſtitiâ permanſiſſet, omnia illa bona ad ejus poſteros integra tranſiſſent. Id docent communiter SS. Patres, quos inter S. Auguſtinum commemorare ſufficiat. Sic loquitur S. Doctor lib. 3 *Op. imperf.* cap. 198: Naſceretur natura humana in pa-„ radiſo ex Dei benedictione fœcunda, etiam ſi nemo peccaſſet, donec „ Deo præcognitus ſanctorum numerus compleretur. Sed illi parvuli „ nec flerent in paradiſo, nec muti eſſent, nec aliquando uti ratione „ non poſſent, nec ſine uſu membrorum infirmi & inertes jacerent, „ nec morbis affligerentur, nec à beſtiis læderentur, nec venenis neca-„ rentur, vel ullo ſenſu aut ullâ parte corporis privarentur, nec à dæmo-„ nibus vexarentur, nec ſurgentes in pueritiam domarentur verberibus „ aut erudirentur laboribus, nec ulli eorum tam vano & obtuſo naſce-„ rentur ingenio, ut nec labore, nec dolore ullo emendarentur; ſed, ex-„ ceptâ propter incapaces uteros matrum corporis quantitate, tale om-„ ninò, qualis Adam factus eſt, gignerentur. Nunc autem nec tales „ eſſent, quales videmus, nec talia paterentur, niſi peccato illo magno „ naturâ humanâ in has miſerias mutatâ atque damnatâ. Non ergo ita „ ſe habent conditione naſcendi, ſed contagione peccati & conditione „ ſupplicii.“

CAPUT SECUNDUM.

De Gratiæ auxiliis ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ neceſſariis.

CIRCA gratiæ auxilia ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ requiſita, tria quæruntur: primum, an homo innocens opus habuerit adjutorio gratiæ ad perſeverandum in juſtitiâ, & ad ſingulos actus bonos: alterum, quod non mediocris eſt difficultatis, quali gratiæ adjutorio in illo ſtatu indiguerit: tertium, in quo differant adjutorium gratiæ illo in ſtatu requiſitum, & adjutorium gratiæ Chriſti medicinalis, quo nunc indigemus.

QUÆS-

QUÆSTIO PRIMA.

An homo innocens opus habuerit adjutorio Gratiæ ad perſeverandum in juſtitiâ, & ad ſingulos actus bonos.

PROPOSITIO

Homo innocens indigebat auxilio gratiæ ad perſeverandum in juſtitiâ, & ad ſingulos actus.

Probatur 1°. teſtimoniis SS. Patrum.

S. Augustinus in *Enchiridio*, num. 28. cap. 106, docet „ ſine gratiâ „ nec tum ullum meritum eſſe potuiſſe, quia, etſi peccatum in ſolo li- „ bero arbitrio erat conſtitutum, non tamen juſtitiæ retinendæ ſufficie- „ bat liberum arbitrium, niſi participatione incommutabilis boni divi- „ num adjutorium præberetur.“ Et cap. 107: „ Sic factus eſt homo „ rectus, ut & manere in eâ rectitudine poſſet non ſine adjutorio di- „ vino.“ Et lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 27: „ Sic erat inſtitutus, „ ut, ſi de adjutorio Dei fideret bonus homo, malum angelum vinceret; „ ſi autem creatorem atque adjutorem Deum ſuperbè ſibi placendo deſe- „ reret, vinceretur. Meritum bonum habens in adjutâ divinitùs vo- „ luntate rectâ, malum autem in deſerente Deum voluntate perverſâ; „ quia & ipſum fidere de adjutorio Dei non poſſet ſine adjutorio Dei.“ Illud autem adjutorium, juxta S. Doctoris mentem, ad ſingulos actus neceſſarium fuiſſe conſtat, quia nullum meritum bonum ſine illo agnoſcit; quia, ut loquitur lib. ſeu ſerm. *de Cant. novo*, num. 8. tom. 6, „ liberum arbitrium in ipſo Adam non adjutum ad malum ſufficit ſibi, ad bonum autem non, niſi adjuvetur à Deo; quia denique lib. *de Naturâ & gratiâ*, cap. 48, dicit homini innocenti auxilium gratiæ non minùs fuiſſe neceſſarium ad benè vivendum, quàm lumen ſanis oculis ad videndum.

S. Fulgentius epiſt. 4. ad Probum de Oratione, cap. 2, concludit hominem lapſum non poſſe *quodcunque bonum facere aut velle* ſine quotidiano gratiæ auxilio, ex eo quòd *nec* homo innocens id *implere potuit conatu proprio.*

S. Remigius Lugdunenſis ejuſque Eccleſia, lib. *De tenendâ veritate Scripturæ*, cap. 4, probat primum hominem indiguiſſe auxilio gratiæ,

Digitized by Google

quia, inquit, „ ſine gratiâ nulla rationalis natura, ſcilicet nec angelica, „ nec humana, unquam potuit, aut poteſt, aut poterit in ſanctitate & „ juſtitiâ eſſe, manere atque perſiſtere.“ Idem docent Lupus Servatus lib. *de tribus Quæſtionibus*, quæſt. 1. num. 7, & Florus lib. *de Prædeſtinatione*, cap. 4. in refutatione tertiæ definitionis Scoti.

S. Bernardus Serm. 1. in Annuntiatione, num. 1. de operibus bonis, ait: „ Certum omninò eſt quòd nemo hæc habeat à ſeipſo. Nam ſi ſtare „ non potuit natura humana adhuc integra, quantò minùs poteſt per „ ſeipſam reſurgere jam corrupta? Certum eſt ad ſuam originem uni- „ verſa, quantum in eis eſt, tendere, & in eam partem ſemper eſſe pro- „ cliviora. Sic & nos qui de nihilo creati ſumus conſtat quia, ſi no- „ bis ipſis relinquimur, in peccatum ſemper, quod nihil eſt, declina- „ mus.“

S. Thomas part. 1. quæſt. 60. art. 2. probat angelum (de homine idem dicendum eſt) „ indiguiſſe gratiâ ad hoc ut converteretur in Deum, „ prout eſt objectum beatitudinis, quia ultima beatitudo creaturæ ratio- „ nalis eſt ſuprà naturam cujuſlibet intellectûs creati: unde nulla creatura „ rationalis poteſt habere motum voluntatis ordinatum ad illam beati- „ tudinem, niſi mota à ſupernaturali agente.“

Probatur 2°. ex concilio Arauſicano II, can. 19, cujus verba deſumpta ex Epiſtolâ SS. Alypii & Auguſtini ad Paulinam, cap. 11. num.
Epiſtola 186, olim 106. 37, ſic ſe habent: „ Natura humana, etiamſi in illâ integritate, in „ quâ condita eſt, permaneret, nullomodò ſeipſam, creatore ſuo non „ adjuvante, ſervaret. Unde cùm ſine gratiâ Dei ſalutem non poſſit „ cuſtodire quam accepit, quomodò ſine gratiâ Dei poterit reparare „ quam perdidit?“

Probatur 3°. confeſſione ipſorummet Semipelagianorum. Quamvis enim gratiam reparatricem, qualem Eccleſia profitetur, admittere detrectarent, gratiæ tamen in ipſo etiam innocentiæ ſtatu neceſſitatem, ſaltem verbotenùs, confeſſi ſunt, ut patet ex Caſſiano & Fauſto eorum anteſignanis. Caſſianus quidem lib. 12. *de Inſtitutis Cœnobiorum* ſic loquitur: „ Elatus „ (angelus) tanquam qui ad perſeverantiam puritatis hujus divino „ non egeret auxilio, Deo ſe ſimilem judicavit, ut pote qui nullius in- „ digeret, quemadmodùm Deus, liberi ſcilicet arbitrii facultate confiſus, „ per ilum credens affluenter ſibimet omnia ſuppeditari, quæ ad conſum- „ mationem virtutum vel perennitatem ſummæ beatitudinis pertinerent. „ Hæc ei ſola cogitatio facta prima ruina eſt: ob quam deſertus à Deo, „ quo ſe credidit non egere,.... infirmitatem propriæ naturæ perſenſit, „ & beatitudinem, quâ Dei munere fruebatur, amiſit.“ Idem de primo homine dicit ibidem cap. 5.

Fauſtus verò, lib. 1 *de Gratiâ & libero arbitrio*, cap. 1: „ Ego arbitror, „ inquit, quòd libertas arbitrii ſibi ſola ſufficere ſine præſidio gratiæ „ non potuerit, etiam antequàm privilegium illud tranſgreſſio violaret.

„ Quomodò

Digitized by Google

„ Quomodò verò nunc poteſt ſibi ſola ſufficere, ad cujus arrogantiam „ dicitur: ſine me nihil poteſtis facere?

Probatur 4°. eâ ratione quam S. Auguſtinus aliique Patres frequenter afferunt, nempe quòd, ſicut nulla creatura ſeipſam conſervare poteſt abſque auxilio Dei conſervantis, ita bona, juſta, ſapiens ſtare nequeat, niſi continuatâ participatione jugique auxilio ſummæ bonitatis, juſtitiæ & ſapientiæ, quæ Deus eſt. Quemadmodùm enim ſummum ens fons eſt & cauſa cujuſlibet entis finiti, ita pariter ſumma juſtitia fons eſt & cauſa omnis juſtitiæ finitæ.

Objiciunt 1°. S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1 *Differentiarum*, cap. 27, ait „ Adamum habuiſſe boni inchoandi liberum arbitrium, quod tamen „ Dei adjutorio perficeretur; nos verò & inchoationem liberi arbitrii „ & perfectionem de Dei ſumere gratiâ.“ Quibus verbis relatis, concludit Ratramnus, lib. *de Prædeſtinatione*, primum hominem „ liberi arbitrii poteſtate juſtitiæ bonum velle potuiſſe & operari; nos verò „ utroque carere, niſi divini muneris largitate fuerit præſtitum.“ Apud Maug. tom. 24. p. 84.

Reſpondeo iſtos auctores à ſtatu innocentiæ excludere tantummodò adjutorium gratiæ medicinalis, quo nunc indigemus. S. Iſidori ſenſus eſt Adamum habuiſſe liberum arbitrium inchoandi bonum, quia creatus fuerat bonus, quamvis nondùm perfectè bonus; ſiquidem bonitatem quam acceperat amittere poterat; ſed inchoatam illam bonitatem ſine adjutorio gratiæ perfici non potuiſſe. Non ergo loquitur de operibus bonis, quaſi homo innocens ea inchoare potuerit abſque adjutorio gratiæ, ſed de bonitate ipſâ liberi arbitrii per priorem gratiam inchoatâ, & per poſteriorem perficiendâ. Ratramnus autem id unum ſibi vult, Adamum integris viribus libertatis bonum velle & operari potuiſſe, ſed eas vires peccato amiſſas fuiſſe, ac proinde Adamum opus non habuiſſe gratiæ auxilio, quod rectè volendi & agendi vires ei conferret, nos verò ejuſmodi gratiæ auxilio indigere.

Objiciunt 2°. Juxtà S. Thomam, homo innocens poterat amare Deum, & tentationes vincere ſine gratiâ. Sic enim loquitur 1. 2. quæſt. 109, art. 3: „ Diligere Deum ſuper omnia eſt quiddam connaturale homini, „ & etiam cuilibet creaturæ non ſolùm rationali, ſed irrationali, & „ etiam inanimatæ, ſecundùm modum amoris qui unicuique competere „ poteſt.... Unde homo in ſtatu naturæ integræ dilectionem ſui ipſius „ referebat ad amorem Dei, ſicut ad finem, & ſimiliter dilectionem „ omnium aliarum rerum; & ita diligebat Deum plus quàm ſeipſum & „ omnia: ſed in ſtatu naturæ corruptæ ab hoc deficit ſecundùm appetitum voluntatis rationalis.“ Et part. 1. quæſt. 95. art. 4. ad 3um, de victoriâ tentationum loquens: „ In primo ſtatu, inquit, nihil erat interiùs impellens ad malum, ſicut modò eſt: unde magis tunc poterat „ homo reſiſtere tentationi ſine gratiâ, quàm modò.“ Et in Quæſtionibus diſputatis, quæſt. 3 *de malo*, art. 1. ad 9um: „ Aliter loquendum eſt

„ de

„ de homine ſecundùm ſtatum naturæ conditæ, & aliter ſecundùm ſtatum „ naturæ corruptæ: quia ſecundum ſtatum naturæ conditæ homo nihil „ haberet impellens ad malum, licet bonum naturæ non ſufficeret ad „ gloriæ conſecutionem. Et ideò indigebat auxilio gratiæ ad meren- „ dum, non autem indigebat ad peccata vitanda, quia per hoc quod „ naturaliter acceperat poterat ſtare; ſed in ſtatu naturæ corruptæ habet „ impellens ad malum, & ideò indiget auxilio gratiæ ne cadat.“

Exponitur mens S. Thomæ.

Ad primum textum reſpondent nonnulli graves Theologi S. Doctorem ibi non loqui de amore rationali & electivo, ſed de amore ſeu appetitu boni in genere conſiderati; idque probant tum ex ipſomet illo textu, in quo expreſſa mentio fit illius amoris cuilibet creaturæ innati & connaturalis; tum ex eo quòd hoc loco remittat ad primæ partis quæſt. 60am., ubi iſtum amorem naturalem& neceſſarium oppoſuerat amori rationali & electivo, non autem amori ſupernaturali. Enimverò in primo articulo ſtatuerat eſſe in angelis amorem ſeu appetitum naturalem. In 2°. quæſierat an ſit in angelis dilectio electiva, amorem electivum manifeſtè opponens amori naturali, dixeratque eſſe in angelis dilectionem electivam, quia per id quod naturale eſt nec meremur nec demeremur, & quia „ voluntas naturaliter tendit in ſuum finem ultimum ſeu beatitudinem,..... & „ ex hac naturali voluntate oriuntur omnes aliæ voluntates, cùm, quidquid „ homo vult, velit propter finem.“ In 3°. expenderat *utrùm angelus diligat ſeipſum dilectione naturali & electivâ*, ubi dilectio naturalis iterum diſtinguitur à dilectione electivâ. In 5°. articulo, ad quem peculiariter remittit, quærit *utrùm angelus naturali dilectione diligat Deum plusquàm ſeipſum:* ſicque reſpondet in corpore: „ Inclinatio naturalis, in his „ quæ ſunt ſine ratione, demonſtrat inclinationem naturalem in voluntate „ intellectualis naturæ. Unumquodque autem in rebus naturalibus..... „ principaliùs & magis inclinatur in id cujus eſt, quàm in ſeipſum;..... „ videmus enim quòd naturaliter pars ſe exponit ad conſervationem to- „ tius corporis..... Quia igitur bonum univerſale eſt ipſe Deus, & ſub „ hoc bono continetur etiam angelus & homo, & omnis creatura; quia „ omnis creatura naturaliter, ſecundùm id quod eſt, Dei eſt, ſequitur „ quòd naturali dilectione etiam angelus & homo plus & principaliùs dili- „ gat Deum, quàm ſeipſum; alioquin ſi naturaliter plus diligeret ſeipſum „ quàm Deum, ſequeretur quòd naturalis dilectio eſſet perverſa, & quòd „ non perficeretur per caritatem, ſed deſtrueretur.“ Perſpicuum eſt, inquiunt, amorem naturalem ibi ſumi ab angelico Doctore pro appetitu innato & neceſſario beatitudinis in communi. Addunt etiam id conſtare ex reſponſione ad 4um., ubi definit Deum, ſecundùm quòd eſt univerſale bonum, à quo dependet omne bonum naturale, diligi dilectione naturali ab unoquoque: atque etiam ex reſponſione ad 5um, ubi, cùm ſibi objeciſſet dilectionem naturalem ſemper manere, dilectionem autem Dei in angelo & in homine non remanſiſſe poſt peccatum, reſpondet, etiam

poſt

poſt peccatum, Deum, *in quantùm eſt commune bonum, naturaliter amari ab omnibus.* Ex his omnibus ſic argumentantur: Amor naturalis, de quo S. Doctor loquitur 1. 2. quæſt. 109, art. 3, idem eſt ac ille amor naturalis de quo locutus fuerat in prima parte, quæſt. 60. Atqui evidens eſt hoc poſtremo in loco amorem naturalem ab ipſo ſumi pro amore Dei, ſecundùm quòd eſt univerſale bonum, ſeu bonum in communi, de amore non meritorio, de amore qui remanſit in angelo & homine poſt peccatum, de amore qui opponitur amori electivo. Ergo de hoc eodem amore agitur in 1. 2. quæſt. 109, non autem de amore naturali prout ſupernaturali opponitur.

Huic interpretationi adverſari videtur quod ibidem (1. 2. quæſt. 109. art. 3) immediatè ſequitur. „ Sed in ſtatu naturæ corruptæ homo ab „ hoc deficit (nempe à dilectione Dei plusquàm ſuî ipſius) ſecundùm „ appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ ſe- „ quitur bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam.“ Verùm in promptu eſt reſponſio; ſcilicet angelicum Doctorem, poſtquàm de dilectione Dei naturali & neceſſariâ locutus fuerat, occaſione datâ, breviter inſinuaſſe per peccatum naturæque corruptionem, licet naturalis ille amor remanſerit, tamen ſecundùm appetitum voluntatis rationalis & electivæ hominem à dilectione Dei defeciſſe, ut nempe quid peccato factum fuerit indicaret.

Reſpondent alii nomine *gratiæ* ibi intelligi ab angelico Doctore, non gratiæ actualis auxilium, ſed gratiam habitualem, quam negat in ſtatu innocentiæ neceſſariam fuiſſe ad diligendum Deum; idque probare conantur ex concluſione articuli, quæ ſic ſe habet: „ Et ideò dicendum „ eſt quòd homo in ſtatu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ „ ſuperadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter ſuper „ omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis.“ Et certè facillimum foret plurima S. Doctoris teſtimonia hìc congerere, quibus demonſtratur per *donum gratiæ naturalibus bonis ſuperadditæ* ſemper ab ipſo intelligi gratiam habitualem & infuſam. Verùm ex illâ expoſitione ſequi videtur hominem nunc indigere gratiâ habituali ad diligendum Deum, adeòque ante juſtificationem nullam eſſe poſſe dilectionem Dei quæ ad illam diſponat; quod erroneum eſt. Quapropter, rejectâ iſtâ expoſitione:

Addo Doctorem angelicùm ibi locutum eſſe in hypotheſi eorum, qui primum hominem in puris naturalibus, ſeu gratiâ habituali deſtitutum, creatum fuiſſe opinabantur, ut patet ex argumento *ſed contra*, quod tale eſt: „ Primus homo in puris naturalibus conſtitutus fuit, ut à qui- „ buſdam ponitur: in quo ſtatu manifeſtum eſt quòd aliqualiter Deum „ dilexit.“ Porro in illâ etiam hypotheſi, cujus veritatem ac poſſibilitatem ibi non expendit, obſervat naturam humanam ſanam & integram futuram non fuiſſe, niſi Deum plusquàm ſeipſam dilexiſſet, quia natu-

 ralis

Digitized by Google

ralis ordo id exigit; atque inde concludit, poſitâ etiam illâ hypotheſi, angelum & hominem dilexiſſe Deum ſuper omnia, ſine gratiâ quidem habituali, non autem ſine actuali auxilio gratiæ ipſum movente & dilectionem illam producente. Nunc verò, ob naturæ corruptionem, auxilium gratiæ medicinalis & naturam ſanantis neceſſarium eſt. „ In ſtatu „ naturæ corruptæ, inquit, indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ „ naturam ſanantis."

Ad ſecundum & ad tertium textum reſpondeo mentem angelici Doctoris eſſe, primum hominem ante peccatum opus non habuiſſe gratiâ ad vincendas tentationes internas, quia tunc, cum nulla erat concupiſcentia, nulla quoque erat interna tentatio, nihilque interius ad malum impellens; ſed opus habuiſſe auxilio gratiæ ad merendum, hoc eſt, ad rectè agendum. Quod verò tentationes externas ſpectat, docet hominem integrum multò faciliùs eas ſuperare potuiſſe quàm nos poſſumus, eoquòd interiùs non impelleretur ad conſentiendum; non tamen eas ſuperare potuiſſe abſque actuali gratiæ auxilio, ut patet ex parte 1. quæſt. 94. art. 4. ad 5um., ubi ait „ in tentatione non fuiſſe homini ſubven- „ tum ne deciperetur, licet tunc maximè indigeret, quia jam præ- „ ceſſerat peccatum in animo, & quia recurſum ad divinum auxilium „ non habuit."

QUÆSTIO SECUNDA.

Quali adjutorio gratiæ primus homo indiguerit ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ.

TOTA hujus quæſtionis difficultas verſatur in conciliandâ doctrinâ Thomiſtarum cum principiis S. Auguſtini circa diſcrimen gratiæ in utroque ſtatu naturæ humanæ, tum integræ, tum lapſæ. Eam pro rei gravitate enodare conabor, quantùm potero, poſtquam varias Theologorum opiniones recenſuero.

Moliniani & Congruiſtæ, ut in præſenti naturæ corruptæ ſtatu, ita multò magis in ſtatu innocentiæ nullam admittunt gratiam actualem ſeipſâ efficacem, ſed verſatilem duntaxat, cujuſcunque generis illa fuerit.

Theologi qui vulgò Auguſtiniani dicuntur inſigne diſcrimen aſſignant inter adjutoria gratiæ in duobus naturæ ſtatibus requiſita. In primo quippe adjutorium quodlibet ſeipſo efficax omninò excludunt, atque

que ejusmodi admittunt, quo uti vel non uti in libero voluntatis relinquerctur arbitro: in altero autem gratiæ per ſe efficacis victricisque delectationis neceſſitatem ad ſingulos actus ſtrenuè adſtruunt.

Thomiſtæ omnes docent hominem integrum opus habuiſſe præmoveri phyſicè ad ſingulos actus bonos titulo dependentiæ cauſæ ſecundæ à causâ primâ. Hanc phyſicam præmotionem plerique non diſcernunt à gratiâ propriè dictâ, adeòque ſtatuunt in quocunque naturæ ſtatu ad ſingulos actus bonos neceſſariam eſſe gratiam ſeipsâ & ab intrinſeco efficacem, cùm eâ tamen differentiâ, quòd in ſtatu innocentiæ gratia illa fuerit neceſſaria titulo tantùm dependentiæ, in præſenti verò naturæ ſtatu neceſſaria ſit inſuper titulo infirmitatis, propter naturæ corruptionem. Nonnulli tamen inter Thomiſtas, qui Auguſtiniano-Thomiſtæ appellantur, cenſent præmotionem phyſicam ad actus bonos diſtingui poſſe à gratiâ propriè & ſtrictè ſumptâ, prout eſt adjutorium morale ad bonum alliciens, cenſentque adjutorium illud morale in ſtatu innocentiæ non fuiſſe per ſe efficax.

Nullam hîc rationem habebo ſententiæ Molinianorum, quam opportuniùs refellam Libro ſequenti; Auguſtinianorumque ac Thomiſtarum duntaxat momenta ponderabo. Videntur mihi Auguſtiniani intimiùs perſpexiſſe mentem S. Auguſtini circà differentiam gratiæ pro diverſo naturæ ſtatu, Thomiſtæ verò felicius attingere creaturæ in quocunque ſtatu poſitæ dependentiam à Deo, tanquam à primâ causâ. Itaque illa, in quibus ſinguli præcellunt, conjungenda eſſe arbitror; ſicque ambas celeberrimas illas ſcholas conciliandas, ut circa gratiæ propriè ac ſtrictè ſumptæ naturam & efficaciam Auguſtinianis, circà naturam verò & efficaciam concurſûs divini ad ſingulos creaturarum actus Thomiſtis palma tribuatur. Id verò quomodò fieri poſſe cenſeam, ſequentibus propoſitionibus abſque ullo partium ſtudio declarabo.

F 2 PRIMA

PRIMA PROPOSITIO.

Gratia propriè dicta, ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ requiſita, non fuit adjutorium quo, *ſeu per ſe efficax, ſed* adjutorium ſine quo, *ac tale ut illo uti vel non uti in libero voluntatis arbitrio relinqueretur.*

DUPLEX adjutoriorum genus diſtinguit S. Auguſtinus lib. *de Corrept. & gratiâ*, cap. 12, num. 34. „ Ipſa adjutoria, inquit, diſtinguenda „ ſunt. Aliud eſt adjutorium ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt „ adjutorium quo aliquid fit. Nam ſine alimentis non poſſumus vivere, „ nec tamen, cùm adfuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. „ Ergo adjutorium alimentorum eſt ſine quo non fit, non quo fit ut „ vivamus. At verò beatitudo quam non habet homo, cùm data „ fuerit, continuò fit beatus; adjutorium eſt enim non ſolùm ſine „ quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur. Quapropter „ hoc adjutorium & quo fit eſt, & ſine quo non fit: quia, & ſi data „ fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus, & ſi data nunquam „ fuerit, nunquam erit: alimenta verò non conſequenter faciunt ut „ homo vivat, & tamen ſine illis non poteſt vivere."

Hâc diſtinctione præmiſſâ, declarat S. Doctor hominem lapſum nunc indigere auxilio gratiæ *quo*, ſeu ſeipſo efficaci; hominem verò innocentem, integris viribus voluntatis, opus non habuiſſe hujuſmodi gratiæ auxilio, ſed tantùm adjutorio *ſine quo*. Sic quippe proſequitur: „ Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, „ acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum „ non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret „ ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non „ poſſet. Nunc verò ſanctis in regnum Dei prædeſtinatis non tale ad- „ jutorium perſeverantiæ datur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa do- „ netur." Et num. 37, exponens quare in ſtatu innocentiæ *adjutorium quo* homini datum non fuerit, ſic loquitur: „ Ut non acciperet hoc „ donum Dei, hoc eſt, in bono perſeverantiam primus homo, ſed per- „ ſeverare vel non perſeverare in ejus libero relinqueretur arbitrio, tales „ vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo inſtituta fuerat peccato, „ & nihil illi ex ſeipſo concupiſcentialiter reſiſtebat, ut dignè tantæ „ bonitati & tantæ benè vivendi facilitati perſeverandi committeretur „ arbitrium."

Tractandæ hujus quæſtionis occaſionem præbuit ortum inter monachos

Digitized by Google

nachos Adrumetinos diſſidium. Nonnulli ex illis objiciebant corripi non debere eos qui peccant, ut pote qui perſeverandi gratiam non acceperint. Reſpondet S. Doctor meritò illos corripi, quia, quòd gratiâ carent, pœna eſt peccati, ſaltem originalis. Sed cùm eadem objectio moveri poſſet reſpectu primi hominis, cui, nullo adhuc præcedente peccato, perſeverantia data non fuit, ad eam penitùs ſolvendam, docet conditionem hominis integri longè diverſam fuiſſe à conditione hominis lapſi, nec tali adjutorio indiguiſſe, quali nunc indigemus. Objectionem proponit ipſemet S. Doctor ibid. cap. 10. num. 26. „ Non habuit, inquit, in bono perſeverantiam (primus homo); & „ ſi non habuit, non utique accepit. Quomodò enim & accepiſſet „ perſeverantiam, & non perſeveraſſet? Porrò ſi propterea non habuit, „ quia non accepit, quid ipſe non perſeverando peccavit, qui perſeve„ rantiam non accepit?"

Graviſſimæ huic difficultati reſpondet, num. 27, „ Deum ſic ordinaſſe „ angelorum & hominum vitam, ut in eâ prius oſtenderet quid poſſet „ eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium „ juſtitiæque judicium." Addit bonos angelos, cæteris per ſuum liberum arbitrium Deum deſerentibus, *per ipſum liberum arbitrium in veritate ſtetiſſe.*

Cap. autem 11. num. 29 ſic proſequitur: Quid ergo, Adam non ha„ buit Dei gratiam? Imò habuit magnam, ſed diſparem. Ille in bonis „ erat quæ de bonitate ſui conditoris acceperat.... Sancti verò in hâc „ vitâ, ad quos pertinet liberatoris hæc gratia, in malis ſunt, ex „ quibus clamant ad Deum: *libera nos à malo.*" Et num. 31: „ Iſ„ tam gratiam non habuit primus homo, quâ nunquam vellet eſſe „ malus, ſed ſanè habuit, in quâ ſi permanere vellet, nunquam malus „ eſſet, & ſine quâ etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet, „ ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet. Nec ipſum „ ergo Deus eſſe voluit ſine ſuâ gratiâ, quam reliquit in ejus libero „ arbitrio..... Quod adjutorium ſi homo ille per liberum non deſe„ ruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus; ſed deſeruit, & deſertus eſt. „ Tale quippe erat adjutorium quod deſereret cùm vellet, & in quo „ permaneret ſi vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc eſt prima gratia, „ quæ data eſt primo Adam, ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. „ Prima eſt enim quâ fit ut homo habeat juſtitiam ſi velit; ſecunda „ ergo plus poteſt, quâ etiam fit ut velit."

Et num. 32: „ Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; „ in illâ quippe eum fecerat qui fecerat rectum: dederat adjutorium „ ſine quo in eâ non poſſet permanere ſi vellet; ut autem vellet, in „ ejus libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere ſi vellet, quia „ non deerat adjutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſe„ veranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere,

„ utique ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet,
„ ſicut fecerunt angeli ſancti, qui, cadentibus aliis per liberum arbi-
„ trium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi..... Si autem hoc
„ adjutorium angelo vel homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet,
„ quoniam non talis natura facta erat quæ ſine divino adjutorio poſſet
„ manere ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent: adjutorium quippe
„ defuiſſet ſine quo manere non poſſent." Addit paulò poſt æternam
„ beatitudinem „ futuram fuiſſe homini, ſicut facta eſt angelis ſanctis,
„ mercedem meriti: nunc autem, per peccatum perdito bono merito,
„ in his qui liberantur factum eſſe donum gratiæ, quæ merces meriti
„ futura erat."

Eamdem doctrinam breviùs complectitur lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 7. num. 13. „ Non diſcedere à Deo, inquit, non eſt omnino in
„ viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt: fuerat in homine antequàm
„ caderet.... Poſt caſum autem hominis nonniſi ad gratiam ſuam Deus
„ voluit pertinere ut homo accedat ad eum, nec niſi ad gratiam ſuam
„ voluit pertinere ut homo non recedat ab eo."

Quomodò hæc doctrina non adverſetur præmotioni phyſicæ in ipſo innocentiæ ſtatu admittendæ, exponam poſteà. Nunc noſtræ propoſitionis veritas unicè aſſerenda eſt. Docet S. Doctor hoc diſcrimen eſſe inter ſtatum naturæ integræ & ſtatum naturæ lapſæ, quòd in hoc gratia ſit ***adjutorium quo***, vi ſuâ efficax; in illo autem fuerit ***adjutorium ſine quo***, non ***quo***, adjutorium poſſibilitatis, nec ab intrinſeco efficax. Docet ideò gratiam primi ſtatûs non fuiſſe ***adjutorium quo***, quia homo, viribus integris voluntatis, non indigebat hujuſmodi gratiæ auxilio. Docet ſolam perſeverandi poſſibilitatem tunc per gratiam datam fuiſſe, ipſam autem perſeverantiam in libero relictam fuiſſe voluntatis arbitrio. Docet ſanctos angelos reipſâ per liberum ſuum arbitrium in veritate ſtetiſſe. Docet in libero hominis ſani arbitrio relictum fuiſſe, ut adjutorium gratiæ poſſet deſerere vel non deſerere, prout vellet. Docet vitam æternam, quæ nunc eſt donum gratiæ, tunc futuram fuiſſe mercedem meriti humani. „ Humana hîc merita conticeſcant, inquit, lib. *de Præ-*
„ *deſtinatione ſanctorum*, cap. 15. num. 31, quæ perierunt per Adam,
„ & regnet, quæ regnat, Dei gratia per Jeſum Chriſtum Dominum noſ-
„ trum." Porrò hæc omnia manifeſtè ſignificant gratiam propriè dictam non fuiſſe ſeipſâ efficacem in ſtatu innocentiæ. Hanc verò doctrinam non ut opinionem ſibi peculiarem, ſed veluti certiſſimam Eccleſiæ doctrinam indubitanter proponit S. Doctor: „ ***Saluberrimè confitemur***, inquit lib. ***de Corrept. & gratiâ***, cap. 10. num. 27, ***quod rectiſſimè credimus.***

Idem quoque ſentiunt alii SS. Patres. Non ſolùm enim docent naturalem boni poſſibilitatem primævamque arbitrii libertatem amiſſam fuiſſe per peccatum, ut libro præcedente probavimus; ſed etiam diffe-

ren-

rentiam adjutoriorum in duobus naturæ humanæ ſtatibus eisdem ferè verbis ac S. Auguſtinus exponunt.

Antiquus auctor *Hypognoſticon*, lib. 2. cap. 2, differentiam illam ex ipſismet ſcripturis adſtruit. „ Eſt liberum arbitrium, inquit, cum „ poſſibilitatis bono, quo valeret implere quod voluiſſet Adam: „ factum intelligas, audi quid dicat ſcriptura: *reliquit eum in manu* „ *conſilii ſui.* Quid eſt, *reliquit* &c, niſi dimiſit eum in poſſibilitate „ liberi arbitrii ſui? In manu enim poſſibilitas intelligitur. Ipſa eſt „ prima gratia, quâ primus homo ſtare potuiſſet, ſi ſervare man- „ data Domini voluiſſet."

S. Proſper lib. *contra Collatorem*, cap. 9. num. 25: „ *Dubitare* fas „ non eſt, ait, eum (Adam) tale accepiſſe liberum arbitrium, ut, ſi „ auxiliantem ſibi Deum non deſereret, poſſet in bonis quæ naturali- „ ter acceperat perſeverare, quia vellet, & merito voluntariæ perſeve- „ rantiæ in eam beatitudinem pervenire &c." Nota id tanquàm indubitatum afferi.

S. Fulgentius lib. *de Trinitate*, cap. 8, dicit ſanctos angelos *per liberum arbitrium* beatitudinem eſſe conſecutos, malosque ideò juſtè damnari, „ quia, ſi voluiſſent in ſuâ perſeverare beatitudine, ſuffragabatur eis uti- „ que voluntas libera; (ſicut boni) per idem liberum arbitrium Deo „ ſuo inceſſanter adhærentes, per id quod ſteterunt, gratiâ Dei beatio- „ res effecti ſunt." Idem dicit de primo homine cap. 9. „ Habebat, „ inquit, liberum arbitrium, ut poſſet bonus eſſe ſi vellet, non quidem „ ſine gratiâ Dei, quâ ipſa regebatur voluntas ut vellet; & tamen in „ poteſtate ejus erat ipſam gratiam deſerere cùm voluiſſet." Cap. autem 11 refert & adoptat verba S. Auguſtini ex lib. *de Correptione & gratiâ.*

Eamdem doctrinam tanquam ad fidem pertinentem rurſus tradit in lib. *de Incarnatione & gratiâ*, cap. 12, his verbis: „ Credat (Chriſtia- „ nus) firmiſſimè Deum noſtrum.... primo homini.... non ſolùm bonæ „ voluntatis donum, quin etiam ad habendam cuſtodiendamque juſti- „ tiam integrum ſanumque creaſſe libertatis arbitrium, ut facultas at- „ que motus inditæ libertatis ſi juvantem ſe gratiam Dei non deſere- „ ret, præmium vitæ æternæ tribueret Dei bonitas homini." Demum lib. 3 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 15: „ Liberum hu- „ manæ mentis arbitrium in primo homine rectum creatum eſt, non ta- „ men ſine adjutorio gratiæ: talis utique gratiæ, quâ poſſet, ſi vellet, „ in eâdem rectitudine permanere, & à quâ poſſet, ſi vellet, averſâ „ voluntate, diſcedere."

Julianus Pomerius lib. 1 *de Vitâ contemplativâ*, cap. 3. num. 2, dicit „ voluntatis ſanctorum angelorum fuiſſe, quòd, malis ſponte caden- „ tibus, ipſi in ſuâ dignitate manſerunt."

Ratramnus Corbeienſis monachus lib. 2 *de Prædeſtinatione* ait hominem, Apud Mauguinum, tom. I, pag. 84.

Digitized by Google

nem, „ antequàm peccaſſet, & inchoationem & conſummationem boni „ per liberi facultatem potuiſſe arbitrii; poſt delicti autem reatum, nec „ incipere nec perficere bonum illi poſſibile manſiſſe."

S. Thomas egregius phyſicæ motionis aſſertor, eamdem tamen aſſig- differentiam inter adjutoria in duplici naturæ ſtatu. Sic namque loquitur 2. 2. quæſt. 137. art. 12. ad 2um. „ Sicut Auguſtinus dicit in „ libro *de Correptione & gratiâ*, primo homini datum eſt, non ut perſe- „ veraret, ſed ut perſeverare poſſet per liberum arbitrium, quia nulla „ corruptio tunc erat in humanâ naturâ, quæ perſeverandi difficultatem „ præberet: ſed nunc prædeſtinatis per gratiam Chriſti non ſolum da- „ tur ut perſeverare poſſint, ſed ut perſeverent." Idem ex S. Au- „ guſtino docet 1. 2. quæſt. 109. art. 10. ad 3.

Eamdem auxiliorum gratiæ differentiam agnovit Clemens VIII in Congregatione *de Auxiliis* habitâ die 20 martii 1602, & in ſcripto propria manu ſubſcripto & Conſultoribus tradito; in articulo enim primo integrum textum libri *de Correptione & gratiâ* ſupra allatum exſcribit: agnovit Facultas Lovanienſis in Cenſurâ adverſùs Leſſium & Hamelium, ad propoſitiones 9, 10, & 13: agnovit Florentius Conrius, Archiepiſcopus Thuamenſis in Irlandia, in opuſculo cui titulus: *Peregrinus Hiericuntinus*, & in tractatu *de Statu parvulorum*; quæ opera ante Janſenii Auguſtinum in lucem prodierunt: agnoverunt Cardinalis Noriſius *in Vindiciis Auguſtinianis*, & Card. Laurea in opuſculo 3°. *de Gratiâ*, cap. 6, 7 & 8: agnoſcit tandem totus Auguſtinenſium religioſus Ordo, & cum ipſo plurimi celebres Theologi.

Suffragatur quoque ratio, quam S. Auguſtinus aliique mox laudati auctores ſuppeditant, petita ab integritate & viribus liberi arbitrii, & ab immunitate à concupiſcentiâ. Hinc enim fiebat ut homo innocens non indigeret, ſicuti nunc ob naturæ corruptionem & infirmitatem, potentiori gratiâ ad bonum impelli, ſed alterius generis auxiliis adjuvandus eſſet, quibus uti vel non uti in libero ejus arbitrio relinqueretur.

Quodnam fuerit illud adjutorium ſine quo, & *in quo poſitum.*

Adjutorium *ſine quo* non fuit ipſamet libertas arbitrii.

Diſcrimen auxiliorum gratiæ modò aſſertum admittunt, ſaltem tenùs, omnes ferè Theologi: at ubi aſſignandum eſt quodnam fuerit adjutorium illud *ſine quo* à S. Auguſtino expoſitum, mirum in modum diſſentiunt.

I. Magiſter Sententiarum lib. 2. diſt. 24. cenſuit „ illud adjutorium „ fuiſſe libertatem arbitrii ab omni labe & corruptelâ immunem, „ atque voluntatis rectitudinem & omnium naturalium potentiarum „ animæ ſinceritatem atque vivacitatem." Hæc opinio ſtare nullomodò poteſt, maximè in ſententiâ ipſius Magiſtri, qui Adamum abſque gratiâ ſanctificante creatum fuiſſe exiſtimavit. Sequeretur enim adjutorium *ſine quo*

quo fuiſſe naturam ipſam ſanam ac robuſtam, non aliquod gratiæ auxilium naturæ additum, quod profectò à mente S. Auguſtini alieniſſimum eſt.

II. Molina *in Concordiâ*, diſput. 4, contendit *adjutorium ſine quo* fuiſſe gratiam ipſam habitualem, quam homo in primo ſuæ creationis inſtanti acceperat, & præter quam nullo gratiæ auxilio opus habuerit ad perſeverandum in juſtitiâ. Hæc quoque interpretatio nihilò magis admitti poteſt. Nam 1°. S. Auguſtinus loquitur de adjutorio neceſſario ad perſeverandum in gratiâ habituali: ac proinde non de ipſâ gratiâ habituali & ſanctificante. 2°. Adjutorium illud diſertè diſtinguit à gratiâ ſanctificante lib. *de Corrept. & gratiâ*, cap. 11. num. 32. „ Tunc, „ inquit, dederat homini Deus bonam voluntatem: in illâ quippe eum „ fecerat qui fecerat rectum:" (en gratia habitualis). „ Dederat adjutorium „ ſine quo in eâ non poſſet permanere ſi vellet:" (en adjutorium additum gratiæ ſanctificanti, & ab illâ diſtinctum). 3°. S. Auguſtinus comparat adjutorium *ſine quo* alimentis & lumini, ſine quibus nec corpus vivere, nec oculi videre poſſunt: porrò alimenta & lumen diſtinguuntur à ſanitate corporis & oculorum; ac proinde adjutorium *ſine quo* diſtingui pariter debet à gratiâ originali & ſanctificante. 4°. S. Doctor opponit adjutorium illius ſtatûs adjutorio noſtri præſentis ſtatûs: ac proinde de eodem genere auxiliorum loquitur. Atqui adjutorium *quo* in præſenti naturæ ſtatu neceſſarium non eſt gratia habitualis, ſed actualis. Ergo adjutorium *ſine quo* fuit quoque gratia actualis. Et ſanè ſi compares gratiam habitualem utriuſque ſtatûs, aut nullam diſparitatem reperies, aut ſi quam reperies, in eo ſita erit quòd in primo ſtatu plenior ac robuſtior fuerit, in præſenti verò imperfectior ſit & infirmior.

Non fuit gratia ipſa habitualis.

III. Multi ſentiunt adjutorium *ſine quo* fuiſſe gratiam actualem, non quidem excitantem & prævenientem, ſed cooperantem & ſubſequentem, ſeu concurſum ſupernaturalem qui voluntatis determinationem non operaretur, ſed comitaretur tantummodò & adjuvaret. Præter illa quæ contra hujuſmodi concurſum ſimultaneum dicta ſunt ſuprà Lib. II, multa ſunt quæ hanc expoſitionem evertant. 1°. Concurſus phyſicus propriè loquendo non eſt gratia, ſiquidem requiritur ad quoſcunque actus creaturarum, atque ad ipſum materiale peccati. 2°. Juxtà S. Auguſtinum lib. *de Corrept. & gratiâ*, cap. 11. num. 32, adjutorium *ſine quo* deeſt aliquibus in pœnam peccati: concurſus autem phyſicus, ſive naturalem, ſive ſupernaturalem eum appelles, nunquam deeſt homini agere volenti, juxtà auctores quos refellimus. 3°. Illud adjutorium, juxtà S. Auguſtinum, non eſt *quo* fiat actio, ſed tantùm *ſine quo* non fit. Porrò quamvis juxta eoſdem auctores penes hominem ſit habere concurſum phyſicum, vel non habere, tamen concurſus nunquam datur quin fiat actio, ſiquidem phyſicus eſt, actionemque ipſam unà cum voluntate phyſicè producit. 4°. In hâc opinione explicari non poteſt quo ſenſu S. Auguſtinus doceat gratiam nunc potentiorem eſſe

Non fuit concurſus concomitans.

quàm fuit ante peccatum. Vel enim hoc dixit S. Doctor de gratiâ excitante, vel de cooperante. Non poteſt intelligi in ſententiâ adverſariorum de gratiâ excitante, ſiquidem nullam in ſtatu innocentiæ gratiam excitantem admittunt; quam autem in præſenti naturæ ſtatu admittunt, ea non victrix eſt, ſed pro voluntatis arbitrio efficax aut inefficax redditur. Non poteſt etiam intelligi de gratiâ cooperante, ſeu concurſu ſupernaturali, cùm iſtiuſmodi concurſus nec plus nec minùs potens ſit in uno ſtatu quàm in altero. 5°. Inde etiam ſequeretur hominem ſanum gratiâ actuali non indiguiſſe ut vellet perſeverare, ſed tantummodò ut actu perſeveraret: quod dici non poteſt.

Non fuit ſimplex illuſtratio intellectûs.

IV. Tournely in tractatu de Gratiâ, aliique de grege Molinianorum & Congruiſtarum docent adjutorium *ſine quo* fuiſſe ſimplicem illuſtrationem intellectûs, non autem adjumentum voluntatis. Rejici quoque debet hæc opinio, tum quia S. Auguſtinus nudam mentis illuſtrationem nunquam agnovit ut gratiam propriè dictam, nedum eam appellaſſet *gratiam magnam*; tum quia expreſſè docet, præter mentis illuſtrationem, adfuiſſe in ſtatu innocentiæ gratiam quæ voluntatem moveret ad amandum bonum. „ Si voluntas, inquit lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 13. num. 1, „ in amore ſuperioris immutabilis boni, à quo illuſtrabatur ut „ videret, ET ACCENDEBATUR UT AMARET, ſtabilis permaneret &c.“ Puerile eſt quod reſpondet Tournely tom. 1 *de Gratiâ*, pag. 64, voluntatem accenſam fuiſſe ad amandum, in quantùm illuſtratio intellectûs prærequirebatur ut gratia habitualis in actum erumperet. Nam ſi ita eſſet, quid opus fuit illuſtrationem & motionem diſtingui à S. Auguſtino tanquam duo diverſa? Prætereà, ſi præter illuſtrationem habitualem requiſita fuit actualis illuſtratio, cur non pariter præter caritatem habitualem fuit requiſita actualis motio ſeu invitatio gratiæ?

Non fuit gratia præveniens verſatilis.

V. Plerique Auguſtiniani cenſent adjutorium *ſine quo* fuiſſe gratiam actualem verſatilem, ei prorsùs ſimilem quam Moliniani in præſenti naturæ ſtatu admittunt. Hâc in opinione aliquid eſt veri, aliquid falſi. Verum eſt adjutorium *ſine quo* non fuiſſe ex ſe efficax, ſed pro voluntatis arbitrio, nec certò determinaſſe voluntatem ad perſeverandum; ſed falſum eſt illud adjutorium fuiſſe præveniens & indeliberatum, qualis eſt gratia ſufficiens Molinianorum. Cùm enim in ſtatu innocentiæ nulli eſſent motus indeliberati concupiſcentiæ, nulli quoque debuerunt eſſe motus interiores gratiæ qui voluntatem prævenirent & ad perſeverandum excitarent. Præterea motus indeliberati ſtare prorsùs nequeunt cum æquilibrio voluntatis, quod SS. Patres in ſtatu innocentiæ agnoſcunt, & quo *facultas æqua boni & mali conſtabat*, ut loquitur Lupus Servatus in lib. *de Tribus Quæſtionibus*, quæſt. 1. num. 7. Eis namque motibus admiſſis, voluntas ante ſuum deliberatum conſenſum magis inclinata fuiſſet in unam partem quàm in alteram, ac proinde ſemper obtemperaſſet indeliberatis gratiæ motibus; ſiquidem, fatentibus Auguſti-

tinianis, *ſecundùm id quod magis delectat operemur neceſſe eſt.* Porrò in illâ opinione gratia præveniens excitaſſet ad bonum, nulla autem delectatio oppoſita impuliſſet ad malum. Si verò contendant fieri nihilominùs potuiſſe ut voluntas gratiæ ad bonum allicienti reſiſteret (quod tamen ipſorum principiis manifeſtè adverſatur), illa ſaltem reſiſtentia non fuiſſet abſque aliquâ pugnâ; quod nullomodò admittunt pax & felicitas naturæ innocentis.

VI. Thomiſtæ vulgò exiſtimant adjutorium *ſine quo* fuiſſe gratiam excitantem, ſeu, ut vocant, ſufficientem, quâ homini integro dabatur potentia perſeverandi, ita tamen ut præter illum neceſſaria fuerit alia gratia per ſe efficax & phyſicè prædeterminans ad actu perſeverandum. Verùm 1°. hâc interpretatione planè evaneſcit grande diſcrimen à S. Auguſtino aliiſque Patribus inter adjutoria utriuſque ſtatûs aſſignatum. Quid enimverò intereſt utrùm gratia per ſe & ab intrinſeco efficax homini lapſo neceſſaria ſit duplici titulo dependentiæ & infirmitatis, homini autem innocenti neceſſaria fuerit unico tantùm dependentiæ titulo, ſi in utroque ſtatu adjutoria gratiæ eadem reipsâ ſint? 2°. Juxtà S. Auguſtinum, homo innocens per adjutorium *ſine quo* habebat vires omnes ad perſeverandum requiſitas: gratia verò Thomiſticè ſufficiens in ſtatu naturæ lapſæ non ſanat omnem infirmitatem voluntatis, nec confert vires omnes ad implenda mandata neceſſarias. 3°. Gratia Thomiſticè ſufficiens conſiſtit in motu præveniente & indeliberato: porrò modò probatum eſt hujuſmodi motus non fuiſſe in ſtatu innocentiæ. 4°. Fatentibus Thomiſtis, gratia quam vocant ſufficientem ſemper operatur aliquem effectum ad quem proximè ordinatur, atque ſub eo reſpectu efficax eſt, atque adeò adjutorium *quo*: è contrario adjutorium de quo S. Auguſtinus loquitur, nullatenùs fuit adjutorium *quo*, ſed tantùm *ſine quo*. 5°. Effectus ille proximus quem gratia Thomiſticè ſufficiens ſemper operatur, eſt imperfectum boni deſiderium piaque velleitas. Atqui hujuſmodi imperfecta & inexpleta deſideria admitti nequeunt in ſtatu innocentiæ, in quo nulla fuit voluntatis pugna, ſed quidquid homo volebat, plenè volebat. Ergo adjutorium *ſine quo* non fuit gratia ſufficiens ſenſu Thomiſtarum.

Non fuit gratia ſufficiens Thomiſtica.

VII. Duo ſcriptores, unus libri gallici cui titulus: *De l'Action de Dieu ſur la creature, ou la prémotion phyſique* &c, ſect. V. cap. 4. art. 5 & 6; alter *Reſponſionum ad primum Monitum Epiſcopi Sueſſionenſis* [Languet] (*Reponſes au premier Avertiſſement de M. l'Evêque de Soiſſons*), parte 8; qui ambo de gratiæ differentiâ in duplici naturæ ſtatu copioſè & eruditè diſſeruerunt, opinati ſunt adjutorium *ſine quo* fuiſſe continuatam productionem ſeu conſervationem gratiæ ſanctificantis, quandiu homo vellet in eâ perſeverare. Verùm, quamvis iſta Theologorum doctiſſimorum expoſitio, prout ab illis proponitur, aliquid probabilitatis præ ſe ferre videatur, non pauca tamen ab illâ me abducunt. Primum

DD. Bourſier & Petitpied.

Non fuit continuata productio gratiæ ſanctificantis, nec præmotio phyſica ad perſeverandum homini jam volenti conceſſa.

Digitized by Google

quidem quòd, ut paulò ante dictum eſt, comparatio à S. Auguſtino inſtituta inter adjutorium naturæ integræ, & adjutorium naturæ lapſæ, manifeſtè exigat ut, quemadmodùm reſpectu naturæ lapſæ, de gratiâ actuali agatur: porrò conſervatio gratiæ ſanctificantis non eſt propriè gratia actualis, ſed continuata productio gratiæ habitualis. Alterum, quòd ipſum *adjutorii* vocabulum, juxta communem ſignificationem, aliquid actuale deſignet, quo agens inter agendum adjuvetur, & cui cooperetur. Quapropter S. Auguſtinus ex hoc ipſo vocabulo frequenter concludit liberum arbitrium gratiæ cooperari, ſiquidem nemo adjuvatur, niſi ipſe aliquid agat. Porrò continuata productio, ſive conſervatio gratiæ ſanctificantis, non eſt quid actuale cui homo cooperetur, ſed fit nobis ſine nobis, nec primariò datur ut agamus, ſed ut jugiter Deo placeamus. Tertium, quòd S. Auguſtinus apertè loqui videatur de adjutorio neceſſario ad actualem perſeverantiam, id eſt, ad voluntatem actualem permanendi in juſtitiâ, non autem de adjutorio requiſito ad perſeverantiam formalem. Opponit quippe perſeverantiam in juſtitiâ originali perſeverantiæ juſtorum hujuſce ſtatûs, hancque poſtremam manifeſtè intelligit de actuali voluntate non diſcedendi à juſtitiâ. Porrò continuata productio gratiæ ſanctificantis facit quidem hominem perſeverare formaliter, ſed non adjuvat voluntatem ad actu perſeverandum, idque ultro fatentur docti Theologi quibuſcum hic agimus, cum dicunt adjutorium *ſine quo* datum fuiſſe homini jam volenti, ac proinde actu perſeveranti. Ergo adjutorium *ſine quo* non fuit continuata productio gratiæ ſanctificantis, quandiu volebat in eâ permanere.

Idem auctor *Reſponſionum ad Epiſcopum Sueſſionenſem* aliam expoſitionem excogitavit ac propoſuit in Operibus poſthumis, ac præſertim in *Examine Pacifico* tom. 2, ad Prop. 37am. Cenſet *adjutorium ſine quo* fuiſſe *gratiam cooperantem*, ſive *præmotionem phyſicam*, quæ homini innocenti data fuerit quoties perſeverare volebat; ideòque illud diſtingui ab adjutorio *quo*, quia non operabatur ipſum velle, ſed cum homine perſeverare volente cooperabatur actualem perſeverantiam: quemadmodum, inquit, lux & alimenta non dant edendi & videndi voluntatem, ſed, ſi homo velit eis uti, alimenta vitam ſuſtentant, & lux actualem viſum tribuit. Verùm hæc opinio, quam alii quoque forſitan Thomiſtæ amplexi ſunt, ſtare nullomodò poſſe videtur. Nam 1°. ſi ab illis auctoribus quæras utrùm homo innocens etiam ad volendum indiguerit præmotione phyſicâ, id fateri cogentur, quia, juxtà Thomiſtas, ad quemcunque creaturarum actum producendum requiritur phyſica Dei præmotio. Hoc autem poſito, nulla erit auxiliorum gratiæ in duplici naturæ ſtatu diverſitas; quam tamen maximam eſſe docet S. Auguſtinus. Quin etiam S. Doctor turpiter illuſiſſe videbitur monachis Adrumetinis, ad quos librum ſuum direxit de *Correptione & gratiâ*, ſi, quæſtionem ex profeſſo tractans, non tantùm diſſimulavit ac ſilentio prætermiſit illud gratiæ pro-

propriè dictæ, adjutorium efficax, quo fiebat ut homo vellet, ſed etiam apertè inſinuavit hominem innocentem hujuſmodi auxilio opus non habuiſſe. 2°. In ſtatu innocentiæ voluntas perſeverandi diſtingui minimè poteſt ab ipſamet perſeverantia, ſiquidem in illo beato ſtatu perſeverare nihil erat aliud quàm velle, ubi non erat ille, quem nunc experimur, voluntatum inter ſe diſſidentium conflictus, quo fit ut multa quæ volumus non faciamus, imò facere aliquo ſenſu non poſſimus. Ergo illo in ſtatu admitti nequit adjutorium gratiæ ſeipſo efficax, quod homini volenti perſeverantiam daret, non autem daret perſeverandi voluntatem. 3°. Tale fuit, juxtà S. Auguſtinum, adjutorium *ſine quo*, ut perſeverantiam ipſam non operaretur, ſed tribueret tantùm perſeverandi poſſibilitatem. Atqui gratia phyſicè cooperans ac ſeipſâ efficax, de quâ iſti Theologi loquuntur, operabatur ipſammet perſeverantiam: non eſt ergo adjutorium illud *ſine quo* à S. Auguſtino commemoratum. 4°. Adjutorium *ſine quo* non dabatur homini jam volenti, ſeu quoties volebat, ſed ſemper illi præſtò aderat antequàm vellet. Notanda ſunt S. Auguſtini verba num. 32. „ Dederat homini Deus bonam voluntatem;... dederat „ adjutorium ſine quo in eâ non poſſet permanere, ſi vellet; ut autem „ vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere, ſi „ vellet, quia non deerat adjutorium per quod poſſet & ſine quo non „ poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet." Et poſteà: „ Si hoc „ adjutorium angelo vel homini, cum primùm facti ſunt, defuiſſet, „ ..... non utique ſuâ culpâ cecidiſſent." Hæc clara & perſpicua ſunt. Audimus adjutorium *ſine quo* non ejuſmodi fuiſſe, quod homini jam volenti daretur ad ſingulos actus operandos; ſed ſemel ab initio datum nunquam non homini adfuiſſe. 5°. Ex eiſdem verbis manifeſtum eſt hominem innocentem perſeverare non potuiſſe abſque illo adjutorio. Atqui perſeverare in juſtitiâ originali, ut jam dictum eſt, non aliud erat quàm velle; & ſi homo perſeveranter voluiſſet in juſtitiâ permanere, hoc ſolo reipſâ perſeveraſſet. Ergo, ſicut ſine illo adjutorio homo non poterat perſeverare, ita nec poterat velle perſeverare; ac proinde adjutorium illud non erat adjutorium ſeipſo efficax, ſeu præmotio phyſica, quæ volenti homini daretur, ſed motio duntaxat moralis, quæ invitaret ad bonum. 6°. Denique, quemadmodum bonum quodcunque morale aut caritas eſt, aut ex caritate manat, ita gratia ad amplectendum vel retinendum bonum in quocunque naturæ ſtatu neceſſaria, caſta dilectio eſt, ac proinde voluntatem ipſam afficit. Unde S. Auguſtinus dicit bonam voluntatem nihil aliud eſſe quàm caritatem. Ergo adjutorium, de quo loquitur S. Auguſtinus, etiam ad benè volendum requirebatur in ſtatu innocentiæ, non verò hominem jam benè volentem ſupponebat.

VIII. Auctor Obſervationum quæ extant in quartâ Columnâ *Hexaplorum* (D. d'Etemare), parte VIII. de hâc materiâ differens, exiſtimavit per adjutorium *ſine quo* S. Auguſtinum intellexiſſe gratiam ſeipſâ efficacem, ſed

S. Auguſtinus in eis quæ docuit de adjutorio naturæ

innocentiæ nullatenus hæſit in errore Maſſilienſium.

ſed ad bona duntaxat opera requiſitam in ſtatu innocentiæ, nullam verò agnoviſſe illo in ſtatu ad benè volendum neceſſariam. Quo autem pacto S. Doctor eam in opinionem deſcenderit, ſic explicat. S. Auguſtinus, inquit, initio ſui Epiſcopatûs putaverat bona quidem opera à Deo in nobis eſſe per gratiam ſeipſâ efficacem, fidei autem & bonæ voluntatis initia ex nobis eſſe: poſteà verò, cùm libros ad Simplicianum ſcripſit, per ſcripturas edoctus agnovit fidem ipſam à Deo nobis donari. Cùm verò gravis inde quæſtio exſurgeret, cur ſcilicet fides non omnibus detur, reſpondet ideò illam omnibus non dari, quia per peccatum homo gratiâ privari meruit, totumque genus humanum maſſa damnationis factum eſt, ex quâ quòd nonnulli miſericorditer liberentur, gratiæ agendæ ſunt liberatori; quòd verò plurimi in eâ relinquantur, adorandum eſt, non ſerutandum, divinæ juſtitiæ æquiſſimum judicium. Verùm alia quoque inde naſcitur quæſtio: cur videlicet homini innocenti, qui gratiâ deſtitui non meruerat, perſeverantia data non fuerit. Illam, inquit, ſolvere conatus eſt S. Doctor in libro *de Correptione & gratiâ;* ſed, ex reſiduo quodam illius erroris in quem junior inciderat, ſic illam reſolvit, ut docuerit ideò primo homini datam non fuiſſe perſeverantiam, quia ipſe perſeverare noluit; atque illo in ſtatu gratiam neceſſariam quidem fuiſſe ad perſeverandum, non autem ad benè volendum.

Hæc conjectura S. Doctori injurioſa ingenioſior, profectò & ſubtilior eſt, quàm ſolidior & verior. Nam 1°. adjutorium *ſine quo* in mente S. Auguſtini non fuiſſe gratiam ſeipſâ efficacem, quæ homini jam volenti perſeverantiam donaret, modò probatum eſt. 2°. Quis credat tanto Doctori à viginti & ampliùs annis pro gratiæ defenſione pugnanti ac triumphanti aliquid inhæſiſſe Semipelagiani erroris? Quis credat hujuſmodi Semipelagianiſmi ſurculum ab eo aſſeveranter traditum fuiſſe tanquam certam & indubitatam Eccleſiæ doctrinam, *rectiſſimè credendam & ſaluberrimè confitendam*, illis in libris in quibus totus eſt in profligandis Pelagianiſmi reliquiis, quique à Sede Apoſtolicâ ſpeciatim approbati ſunt? 3°. Multi S S. Patres poſt S. Auguſtinum eamdem doctrinam eiſdem ferè ac ille verbis tradiderunt. Ergone illos quoque Semipelagianiſmi fuligine eâ in parte aſperſos exiſtimabimus? 4°. Latum diſcrimen eſt inter præſentis noſtri ſtatûs infirmitatem & primævi ſtatûs ſanitatem ac vigorem. Homo lapſus multa ſæpè bona vult facere, nec facit, quia voluntati bonæ, ſed invalidæ, repugnant innata concupiſcentia, pravæ conſuetudines, aliaque tum interna, tum externa impedimenta. Quapropter non ſufficit nunc bonum velle, niſi donetur per amplius gratiæ auxilium virtus perficiendi. „ Qui enim habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam, ait S. Auguſtinus, „ oret ut tantam habeat, quanta ſufficit ad implenda mandata.“ Mirum igitur non eſt Semipelagianos, initium bonæ voluntatis à bono-

rum

rum operum exercitio diſtinguentes, in hoc naturæ infirmæ ſtatu deſiderium boni libero arbitrio, effectum verò gratiæ attribuiſſe. At naturæ ſanæ longè diſpar fuit conditio. Tunc enim voluntati nihil intùs vel foris reſiſtebat: nulla erat perſeverandi in bono difficultas, nulla deſideriorum pugna, quibus oppoſitas in partes animus impelleretur. Quidquid homo volebat, totus ac planè volebat, voluntasque perſeverandi erat ipſamet perſeverantia, adeòque homini volenti perſeverare opus non erat alio adjutorio quo reipſâ perſeveraret.

IX. Auctor operis cui titulus: *l'Action de Dieu ſur la creature ou le prémotion phyſique* &c, etſi ſeptimam expoſitionem ſuprà memoratam amplexus eſt, aliam tamen adjutorii *ſine quo* expoſitionem proponit, quam ſolam ab Auguſtinianis rationabiliter defendi poſſe obſervat. Ait ſect. V. cap 4. art. 5 per adjutorium *ſine quo* poſſe intelligi *motionem moralem & indeterminatam*, non prævenientem aut indeliberatam, non voluntatem ad hoc vel illud in particulari impellentem, quam attendere vel non attendere, cui obſequi vel non obſequi in hominis poteſtate eſſet. Optarem ſanè ut inſignis ille Theologus expoſitionem iſtam majori luce donaſſet, ſuoque calculo comprobaſſet, quia illam menti S. Auguſtini apprimè congruere exiſtimo, ut mox declarabo.

Ut enim in tanto opinionum conflictu dicam ipſe quod ſentio, præfabor facilius eſſe aliorum conjecturas reprehendere, quàm aliquid certò definire. Enimverò ſi circa gratiam ipſam Chriſti, quâ intus afficimur, non unus eſt omnium Theologorum ſenſus, quis affirmare præſumat compertam ſibi eſſe naturam illius adjutorii, quod nemo noſtrûm in hâc lacrymarum valle expertus eſt?

Adjutorium *ſine quo* fuit motio moralis, ſeu delectatio boni indeterminata.

Duobus præcipuè titulis adjutorium illud inſignit S. Doctor. Dicit 1°. tale fuiſſe illud, *ſine quo* Adamus perſeverare non poſſet, id eſt, abſolutè neceſſarium ad perſeverandum. Dicit 2°. illud non tale fuiſſe *quo* fieret ut homo vellet perſeverare. De iſto altero titulo duntaxat hic diſputatur.

Adjutorium *quo* à S. Auguſtino dicitur illud quod eſt ex ſeipſo efficax, quodque propriâ & intrinſecâ virtute voluntatem determinat ad bonum. Ergo ut oppoſitio ſervetur, dicendum eſt adjutorium *ſine quo* & *non quo* non eſſe adjutorium ex ſeipſo efficax, ac voluntatem certò determinans ad benè agendum.

Obſervandum eſt inſuper, quod jam ſæpiùs notavimus, perſeverare in ſtatu innocentiæ nihil aliud fuiſſe quàm velle, ac proinde auxilium neceſſarium ad perſeverandum, neceſſarium imprimis fuiſſe ad habendam actualem voluntatem perſeverandi, & non agendi tantummodò, ſed & volendi poſſibilitatem adjuviſſe. Illud ergo adjutorium non ſubſequebatur actum volendi, ſed eum præcedebat, aut ſaltem comitabatur & adjuvabat. Hæc, ut opinor, ex anteà dictis ſatis manifeſta ſunt.

Jam verò illud adjutorium non fuit phyſicum, tum quia, ut modò di-

Digitized by Google

dicemus, gratia interior propriè dicta eſt auxilium morale, non phyſicum; tum quia auxilium phyſicum ſemper producit phyſicè effectum propter quem datur: cùm è contrariò adjutorium *ſine quo*, apud S. Auguſtinum, non ipſammet voluntatem actumve perſeverandi, ſed ſolam perſeverandi poſſibilitatem tribueret. Præterea adjutorium phyſicum vel eſt prædeterminans, vel tantummodò concomitans. Atqui adjutorium *ſine quo* ſtatûs innocentiæ proprium non fuit prædeterminans: alioquin fuiſſet adjutorium *quo*. Non etiam fuit concomitans, ſiquidem concurſus concomitans ſupponit voluntatem jam determinatam & diſpoſitam ad agendum, quod de adjutorio Auguſtiniano dici nequit.

Reſtat igitur ut illud adjutorium fuerit aliquid interiùs alliciens & invitans voluntatem ad perſeverandum in juſtitiâ. Illa autem invitatio interior non fuit ſeipsâ victrix; aliàs vix diſtaſſet à gratiâ Chriſti medicinali, fuiſſetque adjutorium *quo*, non *ſine quo* tantùm. Non fuit etiam motus præveniens & indeliberatus, qui voluntatem impelleret ad hos vel illos actus determinatos, qualis nunc eſt gratia Chriſti excitans. Si enim fuiſſet hujuſmodi, vi propriâ obtinuiſſet perennem perſeverantiam, utpote cùm nulli motus contrarii illius effectui obſiſterent.

Nunc ſi quæras quomodò & ad quid motio illa invitaret, reſpondeo cum prædicto auctore ***Actionis Dei in creaturas*** hominem, quamdiu innocens fuit, jugi quâdam delectatione juſtitiæ affectum fuiſſe, & per omnia quæ cognoſcebat & amabat invitatum ut Deo, tanquam ſummo & unico juſtitiæ fonti, adhæreret. Omnes quippe ejus affectiones, uti talem ſtatum decebat, ſuavitate quâdam ſpirituali condiebantur; eaque ſuavitas ad amorem Dei alliciebat dupliciter: 1°. Quidem quia homo innocens non jejunâ & frigidâ ratiocinatione, ſed intimo quodam ſenſu percipiebat delectationem omnem, quam ſentiebat occaſione rerum creatarum quas intuebatur, vel quibus utebatur, à ſolo Deo omnis beatitudinis auctore in animâ ſuâ produci. 2°. Quia res creatæ, quæ poſt peccatum factæ ſunt in tentationem & in laqueum, tunc Deum creatorem veluti præſentem omniaque gubernantem purgatis oculis mentis ingerebant, monebantque, non confusâ & obſcurâ voce, ut nunc fit, ſed clarâ & diſtinctâ, in ſolo Deo quærendam eſſe ſummam felicitatem.

Hæc ſummi verique boni jugis delectatio continua quædam erat invitatio ad perſeverandum in juſtitiâ. Cùm enim non ametur niſi quod delectat, ubicunque eſt pia delectatio boni, ibi eſt invitatio ad pietatem ſive amorem Dei. Verùm quia propter mentis finitudinem Adamus totum Deum intellectu complecti, & ſub omnibus reſpectibus amare unico actu non poterat, atque aliunde, ſub quolibet reſpectu Deum contemplaretur ac diligeret, æquali ſemper delectationis internæ ſenſu afficiebatur, in ipſius poteſtate poſitum erat cogitationis ſuæ aciem voluntatiſque motum convertere modò in ipſum Deum, modò in ſeipſum,

Digitized by Google

ſeipſum, modò in cæteras res à Deo creatas, affectumque ſuum figere nunc in hanc, nunc in illam Dei perfectionem; nec magis alliciebatur ad conſiderandum & amandum unum reſpectum, quàm alium, eoquòd ſingulis, quamdiu in juſtitiâ ſtetit, æqualiter delectaretur.

Ex his poteſt intelligi quodnam fuerit adjutorium gratiæ in ſtatu innocentiæ. Definiri illud poteſt, ut à prædicto auctore definitur, pia motio moralis & indeterminata, id eſt, intimus quidam & continuus ſanctæ delectationis ſenſus, quo Adamus, ex Dei ac rerum omnium ad Deum quoquo modo pertinentium amore ordinato, jugiter & æqualiter afficiebatur, & quo non ad aliquos determinatos actus, ſed generatim ad quemvis actum ordinatum alliciebatur.

Hujuſmodi ſanctæ delectationi piæque boni ſuavitati apprimè conveniunt caracteres omnes quos S. Auguſtinus adjutorio naturæ innocentis attribuit. 1°. Namque diſtinguitur à gratiâ habituali & ſanctificante. Conſtabat enim in ſenſu quodam actuali, quem Adamus ex omnibus ſuis affectionibus ordinatis percipiebat. 2°. Erat adjutorium *ſine quo*, id eſt, neceſſarium ad perſeverandum: cùm enim non ametur quod non delectat, Adamus perſeverare in juſtitiâ non potuiſſet, niſi eum juſtitia delectaſſet. 3°. Per hanc boni delectationem Adamus facilè poterat perſeverare: ſiquidem omnibus ſuis affectionibus alliciebatur ad bonum, nullis verò ad malum. 4°. Per illam non fiebat ut vellet. Cùm enim ille delectationis ſenſus ex ſingulis affectibus ordinatis æqualiter perciperetur, in ipſius poteſtate erat amorem ſuum modò ad hanc partem, modò ad illam convertere. Poterat proinde ſeipſum amare propter Deum, & rursùs ſe amare, ſecluſo reſpectu ad Deum; poterat amare independentiam in Deo tanquam ipſi ſoli propriam, vel illam amare amore abſoluto, adeòque perverſo. Quamvis enim ad amorem ordinatum, non ad inordinatum, invitaretur, tamen abſtrahendo poterat velle amare ſe abſolutè, ſecluſo ordine ad Deum; nec prius amiſit ſanctæ delectationis ſenſum, quàm peccando incidit in miſeriam. 5°. Ejuſmodi adjutorium omninò conſentit cum æquilibrio inclinationis & poſſibilitatis. Hoc quippe æquilibrium non in eo poſitum eſt quòd voluntas nullis delectationibus ad bonum invitetur, vel oppoſitis delectationibus ad malum excitetur; ſed quòd delectatio boni nec indeliberata ſit, nec ad unum boni reſpectum potiùs quàm ad alium per ſe inclinet voluntatem. 6°. Denique hujuſmodi adjutorium optimè congruit paci ac beatitudini ſtatûs innocentiæ, diſcrimenque gratiæ in duplici naturæ ſtatu mirum in modum illuſtrat, ut ex dicendis patebit.

Dices cum auctore jam laudato *Actionis Dei in creaturas*, quem non pauci docti Theologi ſecuti ſunt: S. Auguſtinus in lib. *de Correptione & gratiâ* expreſſè diſtinguit voluntatem perſeverandi à poſſibilitate perſeverandi, docetque adjutorium *ſine quo* non fuiſſe datum ut homo

vellet, ſed tantùm ut poſſet perſeverare, ſi vellet: ut autem vellet in ejus relictum eſſe arbitrio. „ Tale quippe erat adjutorium, inquit „ cap. 11. num. 29, quod deſereret cùm vellet, & in quo permaneret, „ ſi vellet, non quo fieret ut vellet.“ Et num. 30: „ Poſſet ergo per- „ manere ſi vellet, quia non deerat adjutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet.“

Reſpondeo iſtud argumentum, etſi primâ fronte veritatis ſpeciem præfert, tamen diligentiùs attendenti malè fultum videri. Nuſquam dicit S. Doctor adjutorium *ſine quo* neceſſarium non fuiſſe ut homo vellet perſeverare; dicit tantummodò illud tale non fuiſſe *quo* homo vellet, id eſt, non tribuiſſe volitionem ipſam, ſed tantùm volendi ac perſeverandi poſſibilitatem; neque etiam inde inferri poteſt illud adjutorium datum non fuiſſe, niſi quando homo jam volebat, ſed tantùm illud voluntatem non determinaſſe. Ut autem id magis liqueat, dico 1°. S. Auguſtini verba hoc ſenſu commodè exponi poſſe. 2°. Aliter exponi non poſſe.

1°. Noſtra hæc expoſitio optimè cohæret cum verbis S. Auguſtini. Ad hoc enim ſatis eſt quòd de omni gratiâ voluntatem inclinante duntaxat, nec efficaciter determinante id dici poſſit, quod de adjutorio ſtatûs innocentiæ dicit S. Doctor.

Porrò res ita eſt. Nam de ejuſmodi gratiâ rectè dicitur eam eſſe adjutorium *ſine quo*; per eam poſſe hominem permanere in bono, ſi velit; per eam non fieri ut homo velit; hominem ſine illâ perſeverare non poſſe, etiam ſi velit: aliud eſt enim gratiam eſſe neceſſariam ut homo velit, aut velle poſſit, aliud per eam præſtari ut velit.

2°. S. Doctoris verba exponi aliter nequeunt. Docet quippe hominem integrum perſeverare in juſtitiâ non potuiſſe abſque illo adjutorio. Atqui poſſe perſeverare in juſtitiâ non erat aliud quàm poſſe velle, ſicut reipsâ perſeverare non erat aliud quàm velle. Ergo abſque illo adjutorio non poterat homo velle bonum. 2°. Adjutorium *ſine quo* adjuvabat ipſam volendi poſſibilitatem, ſi præſtò erat homini antequàm homo vellet. Atqui id ex S. Auguſtino certiſſimum eſt. Non enim ait S. Doctor hominem habiturum fuiſſe illud adjutorium, ſi voluiſſet; ſed aſſerit adjutorium illud ab initio creationis homini datum nunquam defuiſſe, quandiu in juſtitiâ ſtetit, ac tale illud fuiſſe in quo permaneret, vel quod deſereret, ſi vellet. Gratiam „ ſanè habuit, inquit ibid. „ num. 31, in quâ ſi PERMANERE vellet, nunquam malus eſſet;.. ſed „ eam tamen per liberum arbitrium DESERERE poſſet.... Quod adjuto- „ rium ſi homo ille per liberum non DESERUISSET arbitrium, ſemper „ bonus eſſet; ſed DESERUIT, & deſertus eſt. Tale quippe erat adjuto- „ rium quod DESERERET cùm vellet, & in quo PERMANERET, ſi „ vellet; non quo fieret ut vellet.“ Hæc verba toties repetita, DESERERE & PERMANERE, indicant adjutorium juge & continuum, ſemper præ- ſens,

ſens, quodque ab initio datum nunquam non homini aderat antequam vellet; non autem adjutorium homini jam volenti datum. Non enim deſeritur, nec in eo permanetur, quod nondum habetur. Et num. 32: „ Poſſet ergo PERMANERE, ſi vellet, quia non DEERAT adjutorium „ per quod poſſet..... ACCEPERAT poſſe, ſi vellet; ſed non habuit „ velle quod poſſet.“ Igitur ſemper aderat homini adjutorium *ſine quo*, nec deſerebat niſi deſerentem ſe. 3°. Si qua bona voluntas hominis eſſe potuiſſet abſque adjutorio poſſibilitatis, maximè illa quâ de divino adjutorio fidere debebat. Atqui hæc ipſa voluntas non erat in homine abſque adjutorio poſſibilitatis, ut expreſſè docet S. Auguſtinus lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 27. „ Sic erat inſtitutus, inquit, ut ſi de adju- „ torio Dei fideret bonus homo, malum angelum vinceret; ſi autem „ creatorem atque adjutorem Deum ſuperbè ſibi placendo deſereret, „ vinceretur; meritum bonum habens in adjutâ divinitùs voluntate „ rectâ, malum verò in deſerente Deum voluntate perversâ: quia & „ ipſum fidere de adjutorio Dei non quidem poſſet ſine adjutorio Dei: „ nec ideò tamen ab his divinæ gratiæ beneficiis ſibi placendo recedere „ non erat in poteſtate.“ Illud verò adjutorium ſtatim comparat cum alimentis, ſine quibus homo vivere non poteſt, quibus tamen non vivit, niſi velit eis uti: quam comparationem pariter adhibet in libro *de Correptione & gratiâ*: quod planè demonſtrat de eodem adjutorii genere utrobique ſermonem inſtitui.

Inſtabis. S. Auguſtinus comparat adjutorium *ſine quo* alimentis & lumini, ſine quibus homo vivere & videre non poteſt, quibus tamen non fit ut velit vivere vel videre. Atqui alimenta & lumen non adjuvant voluntatem ut poſſit velle, ſed tribuunt novas corporis vires & viſum, ſi homo eis uti voluerit. Ergo pariter adjutorium *ſine quo* non adjuvabat volendi poſſibilitatem, ſed volenti dabat ipſam in bono perſeverantiam. 2°. Maſſilienſes hoc modo opponebant doctrinam S. Auguſtini de gratiâ ſtatûs innocentis, dicebantque eam *adjuviſſe* hominem *volentem*, non verò illum adjuviſſe ad volendum, ut teſtatur Hilarius in Epiſtolâ ad S. Auguſtinum, num. 60. „ Illum, aiunt, „ integris viribus voluntatis, juvabat gratia volentem, ſine quâ per- „ ſeverare non poterat.“

Respondeo ad primum comparationes nimis urgendas non eſſe, maximè quando ſpiritualia cum corporalibus comparantur: v. g. SS. Patres frequenter comparant hominem lapſum cum cæco vel cum paralytico, qui videre & ambulare non poſſunt; quamvis homini lapſo & peccatori ſemper inſit potentia phyſica & abſoluta benè agendi, ſi velit, in cæco autem & paralytico nulla ſit potentia phyſica videndi & ambulandi, etiamſi velint. Lumen & alimenta partim conveniunt cum adjutorio ſtatûs innocentiæ, partim ab eo diſcrepant. Diſcrepant quatenùs ad vivendum & ad videndum non ſufficit velle, niſi adſint alimenta quibus

vita ſuſtentetur, & lumen quo oculi illuminentur: contrà verò ad perſeverandum in juſtitiâ originali, ſufficiebat perſeveranter velle, quia perſeverantia nihil aliud erat quàm voluntas in bono perſeverans: neque in eo ſita eſt comparatio à S. Auguſtino inſtituta. Conſentiunt autem multis modis alimenta & lumen cum adjutorio naturæ innocentis: ac primo quidem quia, ſicut alimenta & lux etiam ſanis corporibus & oculis neceſſaria ſunt, atque in hoc à medicamentis differunt, ita pariter adjutorium *ſine quo* neceſſarium fuit homini ſano & integro, cui non opus erat gratiâ medicinali & ſanante. 2°. Quia, ſicut alimenta & lumen, etiamſi præſtò ſint, non conferunt corporis ſuſtentationem nec viſum, ſi deſit voluntas eis utendi, ita etiam adjutorium *ſine quo*, licet homini ſemper præſens, non præſtabat ut in bono perſeveraret, ſed in ejus relinquebat arbitrio velle aut nolle perſeverare. 3°. Quia, licet alimenta & lumen ex ſe non præſtent ut homo eis uti velit, invitant tamen cùm præſtò ſunt ad eis, quando opus eſt, utendum, juxta illud Eccle. XI. 7: *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem* & ea quæ à ſole illuſtrantur. Similiter adjutorium *ſine quo*, prout à nobis expoſitum eſt, quamvis non præſtaret homini ut vellet in bono perſeverare, invitabat tamen moraliter ad perſeverandum in juſtitiâ: atque in his conſiſtit comparatio S. Doctoris.

Equidem alimenta & lumen, quando eis utimur, phyſicè producunt virium ſuſtentationem actualemque viſum, eoque ſenſu dici poſſunt quodammodò adjutorium quibus vivimus & videmus. Similiter etiam adjutorium *ſine quo*, quando aderat voluntas illo utendi & ad Deum tanquam ultimum finem ſeſe convertendi, phyſicè influebat in actum ipſum perſeverandi. Sed non iſtud conſideravit ſuâ in comparatione S. Auguſtinus, ut pote alienum à ſuo propoſito, ac planè inutile ad explicandam gratiæ differentiam in duplici naturæ ſtatu.

Ad ſecundum, dato Malſilienſes, de quibus Hilarius loquitur, probè attigiſſe mentem S. Auguſtini, reſpondeo inſigniter differre iſta duo, ſcilicet gratiam dari homini volenti, & gratiam juvare volentem. Primum ſignificat gratiam non requiri ad volendum bonum, nec dari, niſi poſtquàm homo ex ſeipſo voluerit. Hunc autem S. Auguſtini ſenſum non eſſe jam ſatis ſuperque probavimus. Alterum verò ſignificare poteſt, & reverâ in loco citato ſignificat, gratiam, quamvis homini adſit antequàm velit, non tamen eum juvare niſi eâ uti voluerit. Aliud namque eſt aliquid habere, aliud eo juvari. Avarus habet nummos & alimenta, non tamen illis juvatur, ſi uti noluit: homo in luce poſitus, ſanis oculis, lumen præſtò habet, eo tamen non adjuvatur ſi claudat oculos. Sic adjutorium *ſine quo* ſemper aderat homini innocenti, ſed eum non adjuvabat niſi uti volentem, nec tale erat ut faceret eum velle.

SE-

Digitized by Google

SECUNDA PROPOSITIO.

Homo innocens, præter adjutorium ſine quo, *quod erat gratia illius ſtatûs propria, indigebat ad volendum bonum & ad ſingulos pietatis actus motione Dei phyſicâ & prædeterminante.*

SPONTE ſequitur hæc propoſitio ex dictis in Libro præcedenti, ubi probavimus admittendam eſſe motionem Dei prævium & phyſicam, ad omnes & ſingulos actus voluntatis creatæ, titulo dependentiæ cauſarum ſecundarum à cauſâ primâ. Sed quoniam, quoad ſtatum naturæ innocentis, non parvam difficultatem faceſſunt quæ modò ex S. Auguſtino aſſeruimus, planè opus eſt peculiaribus argumentis eam adſtruere.

Probatur itaque 1°. auctoritate SS. Patrum.

Docent 1°. SS. Patres angelos ſanctos, ut, cadentibus aliis, in veritate ſtarent, opus habuiſſe auxilio per ſe efficaci & motum ipſum voluntatis operante. Si autem ejuſmodi auxilio eguerunt angeli, nullum dubium quin homo quoque innocens eo indiguerit. Deus angelos bonos à malis peculiari auxilio diſcrevit.

S. Auguſtinus, in Pſalmum 32, hunc verſiculum: *Verbo Domini cœli firmati ſunt*, interpretatur de ſanctis angelis, quos, ne ſicut cæteri caderent, divinâ virtute ſolidatos eſſe affirmat.

Et lib. 12 *de Civit. Dei*, cap. 9, cùm dixiſſet malam voluntatem, cùm non ſit niſi *defectio à ſummo bono*, non habere cauſam efficientem, ſed tantùm deficientem, ſtatim inquirit quænam fuerit cauſa efficiens bonæ voluntatis ſanctorum angelorum (ubi manifeſtè agitur de bonâ voluntate actuali, quam opponit malæ voluntati actuali angelorum malorum): reſpondet autem angelorum voluntatem bonam non eſſe Deo coæternam, ſed cauſam aliquam habere, angeliſque concreatam illam fuiſſe, poſito quòd eam in primo ſuæ creationis inſtanti habuerint. „ Si „ autem, inquit, boni angeli fuerunt prius ſine bonâ voluntate, eam„ que in ſeipſis, Deo non operante, fecerunt; ergo meliores à ſeipſis, „ quàm ab illo, facti ſunt. Abſit...... Aut ſi non potuerunt ſeipſos „ facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius aliquid fa„ cit, profectò & bonam voluntatem quâ meliores eſſent, niſi operan„ te adjutorio creatoris, habere non poſſent. Et cùm id egit eorum vo„ luntas bona, ut non ad ſeipſos qui minùs erant, ſed ad illum qui „ ſummè eſt converterentur, eique adhærentes magis eſſent,...... quid

 „ ali-

Digitized by Google

„ aliud oſtenditur, niſi voluntatem quamlibet bonam inopem fuiſſe in
„ ſolo deſiderio remanſuram, niſi ille qui bonam naturam ex nihilo ſui
„ capacem fecerat, ex ſeipſo faceret implendo meliorem, priùs faciens
„ excitando avidiorem? Nam & hoc diſcutiendum eſt, ſi boni angeli
„ ipſi in ſe fecerunt voluntatem bonam, utrùm aliquâ eam, aut nul-
„ lâ voluntate fecerunt. Si nullâ, utique nec fecerunt: ſi aliquâ, utrùm
„ bonâ, an malâ. Si malâ, quomodò potuit eſſe mala voluntas bonæ
„ voluntatis effectrix? Si bona, jam ergo habebant: & iſtam quis fe-
„ cerat, niſi ille qui eos cum bonâ voluntate, hoc eſt, cum amore caſ-
„ to, quo ei adhærerent, creavit, ſimul in eis & condens naturam &
„ largiens gratiam?... Iſti autem qui, cùm boni creati eſſent, tamen ma-
„ li ſunt, ... aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quàm
„ illi qui in eâdem perſtiterunt; aut ſi utique boni æqualiter creati
„ ſunt, iſtis malâ voluntate cadentibus, illi AMPLIUS ADJUTI ad eam
„ beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent,
„ pervenerunt, ſicut jam etiam in libro quem ſequitur iſte tractavimus.“

Hoc in textu apertè docet S. Auguſtinus 1°. Deum eſſe cauſam efficientem bonæ voluntatis angelorum, ſive illam in ipſo creationis inſtanti, ſive poſteà acceperint; idque hâc ratione demonſtrat, quòd alioqui angeli ſeipſos meliores feciſſent quàm Deus fecerat. Hanc autem voluntatem bonam per operationem ſeipſâ efficacem ac phyſicè prædeterminantem productam fuiſſe demonſtrant tum verba, tum argumentatio S. Doctoris. Verba quidem: nam expreſſè dicit Deum operatum fuiſſe bonam illam voluntatem, ejuſque cauſam efficientem fuiſſe. Argumentatio etiam: probat ſiquidem angelos ſibimet dare non potuiſſe voluntatem bonam, niſi aliquâ bonâ voluntate præcedente; quod apertè ſupponit illos opus habuiſſe adjutorio non invitante tantummodò, ſed phyſicè producente motum ipſum voluntatis. Porrò ſi Deus phyſicè produxit primum bonæ voluntatis motum, ſubſequentes pariter phyſicè producit, quandoquidem motus ſequentes non minùs pendent à Deo quàm primus. Docet 2°. ſatis non fuiſſe Deum, creando angelos, ſui deſiderium eis inſpiraſſe, niſi ex ſeipſo impleſſet illud deſiderium meliores eos faciendo. „ Oſtenditur, inquit, voluntatem quamlibet bonam inopem fuiſ-
„ ſe in ſolo deſiderio remanſuram, niſi ille, qui bonam naturam ex ni-
„ hilo ſui capacem fecerat, ex ſeipſo faceret implendo meliorem, priùs
„ faciens excitando avidiorem.“ Unde manifeſtè ſequitur angelos nihil proſùs addere de ſuo potuiſſe iis quæ à Deo acceperant, ac proinde non minùs indiguiſſe operatione divinâ in inſtantibus ſubſequentibus, quàm in ipſo creationis inſtanti. Docet 3°. ſanctos angelos, ut, cæteris cadentibus, in bono perſiſterent, opus habuiſſe ampliori auxilio, quod illis datum eſt, aliis non datum. „ Iſti autem, inquit, qui..... mali ſunt,....... aut mino-
„ rem acceperunt amoris divini gratiam, quàm illi qui in eâdem perſti-
„ terunt, aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis malâ volun-
„ tate

„ tate cadentibus, illi AMPLIUS ADJUTI ad beatitudinis plenitudinem „ pervenerunt.“ Perſpicuum eſt, juxtà S. Doctorem, ſanctos angelos in bono, cæteris cadentibus, permanſuros non fuiſſe, niſi aut majorem amoris divini copiam ab initio accepiſſent, aut in ipſo ſeparationis inſtanti ampliori auxilio fuiſſent adjuti, ne ſimiliter caderent: atqui iſtud *amplius auxilium* aliud eſſe non potuit, quàm operatio divina phyſicè producens in angelis ipſammet perſeverandi voluntatem; ac proinde, præter adjutorium *ſine quo*, quod nec angelis, nec homini ante peccatum unquam defuit, neceſſarium fuit aliud adjutorii genus, quo Deus operaretur ipſum velle.

Reſpondent amplius illud auxilium nihil aliud fuiſſe, quàm æternam beatitudinem & certitudinem ſempiternæ ſuæ felicitatis, quâ ſancti angeli in præmium ſuæ perſeverantiæ ſtatim remunerati ſunt; dicuntque manifeſtum id eſſe ex eo quòd S. Auguſtinus remittat ad librum præcedentem: *ſicut jam etiam*, inquit, *in libro quem ſequitur iſte tractavimus.* Nam, inquiunt, illo in libro, cap. 13, unicè actum fuerat de ſecuritate ſuæ ſempiternæ beatitudinis, quæ ſanctis angelis poſt caſum angelorum apoſtatarum in præmium conceſſa eſt, non verò de adjutorio viæ, quo perſeverantia eis donata fuerit.

Verùm hæc reſponſio conciliari nequaquam poteſt nec cum ſcopo, nec cum verbis S. Auguſtini. Scopus enim quem ſibi proponit in lib. 12, quem laudavimus, planè diverſus eſt ab eo quem lib. 11 ſibi propoſuerat. In libro enim 11 inquiſierat quo pacto mali angeli ante caſum beati eſſe potuerint: aut enim, inquit, ſe caſuros eſſe præſciebant, quod beatitudinem omninò excluſiſſet; aut ſaltem incerti erant utrùm in bonis permanſuri eſſent, quod beatitudinis integritati repugnat. Quæſtione autem varias in partes agitatâ, concluſerat vel angelos non æqualiter beatos creatos fuiſſe, vel, ſi omnes æqualiter beati creati ſunt, illorum beatitudinem perfectam nondum fuiſſe, priuſquàm poſt dæmonum ruinam fidelibus angelis certitudo ſempiternæ ſuæ beatitudinis in perſeverantiæ præmium acceſſerit. Quod poſtremum tanquam certum aſſeruit poſteà in libro *de Correptione & gratiâ.* In libro autem 12, unde deſumpta ſunt quæ ſuprà exſcripſimus, non jam de beatitudine in quâ angeli creati ſunt tractat, ſed de cauſâ bonæ voluntatis angelorum: ac malæ quidem voluntatis eorum qui ceciderunt nullam efficientem cauſam fuiſſe, ſed tantùm deficientem, definit; bonæ autem voluntatis beatorum angelorum cauſam efficientem fuiſſe dicit, Deum eſſe qui eam in ipſis operatus eſt, Deoque tribuendum eſſe quòd ſummum bonum amaverint & in eo permanſerint; atque inde concludit ſanctos angelos vel ab initio majorem amoris divini gratiam accepiſſe, quâ à lapſu ſervarentur, vel, ſi omnes æquali gratiâ, dum crearentur, donati ſunt, illos, iſtis cadentibus, *ampliùs adjutos* fuiſſe, ut ad beatitudinis plenitudinem ac ſecuritatem pervenirent. Hæc concluſio, ut videtur,

videtur, duo complectitur: primum, bonos angelos fuiſſe *ampliùs adjutos*; alterum, ad plenitudinem & certitudinem perpetuæ ſuæ beatitudinis perveniſſe. Quoad hoc alterum duntaxat remittit ad librum præcedentem, ubi de beatitudine angelorum ex inſtituto tractaverat: quoad primum verò, nempe quoad cauſam bonæ voluntatis & perſeverantiæ angelorum, non remittit ad librum ſuperiorem, in quo nihil eâ de re dicitur, ſed concludit Deum, ſicut bonæ voluntatis angelorum cauſa efficiens extitit, ita illorum in bono perſeverantiæ auctorem extitiſſe. Quæ ſanè concluſio inepta foret, ſi amplioris adjutorii nomine intellexiſſet lumen ipſum gloriæ; ſicut homini quærenti quænam cauſa ſit cur Petrus in gloriâ verſetur, non verò Judas, omninò ineptè reſponderetur, quia Petrus habuit lumen gloriæ, Judas autem non habuit.

Verba ipſa S. Auguſtini idem demonſtrant. Diſertè quippe loquitur de adjutorio quod SS. angelis ſubminiſtratum fuit eo ipſo inſtanti quo mali ceciderunt: *iſtis*, inquit, *malâ voluntate cadentibus*. Atqui perfecta beatitudo ſanctis angelis data non fuit illo ipſo inſtanti quo mali ceciderunt, ſed, quemadmodùm ipſemet loquitur lib. 11. cap. 13, *poſt illorum ruinam*. 2°. Loquitur de adjutorio quo boni angeli donati ſunt, ne pariter caderent: at certitudo ſempiternæ ſuæ beatitudinis præmium fuit illorum perſeverantiæ, non cauſa. 3°. Loquitur de ampliori adjutorio quo SS. angeli ad plenitudinem ſecuritatemque beatitudinis pervenerunt. Porrò abſurdum foret dicere beatitudinem eſſe adjutorium quo pervenitur ad beatitudinem, cùm unum & idem non poſſit eſſe ſimul & terminus ad quem pervenitur, & via per quam pervenitur. Beatitudo quidem dicitur à S. Auguſtino lib. *de Correptione & gratiâ*, cap. 12, *adjutorium quo quis continuò fit beatus*; ſed quis dixerit eam eſſe adjutorium quo ad ipſam pervenitur? Nec dicas ſanctos angelos ideò adjutos fuiſſe beatitudine, ut certò ſcirent ſe nunquam eſſe caſuros: non enim ait S. Doctor illos *ampliùs adjutos* perveniſſe ad hujuſmodi certitudinem, ſed perveniſſe ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent.

Porrò illud *amplius adjutorium* non fuiſſe adjutorium *ſine quo*, ſed vi propriâ efficax, conſtat, tum quia angelis qui ceciderunt non fuit datum, cùm e contrario, juxtà S. Auguſtinum, ſi adjutorium *ſine quo* eis defuiſſet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent; tum quia S. Doctor apertè declarat illud amplius adjutorium cauſam certam & abſolutam fuiſſe perſeverantiæ ſanctorum angelorum: quod profectò denotat adjutorium ſeipſo efficax.

S. Fulgentius, fidiſſimus B. Auguſtini diſcipulus & interpres, ſic loquitur in Epiſtolâ 4 ad Probam, cap. 3: „ Omne quod creatum eſt, „ ſicut antequam crearetur non fuit, ſic, antequam acciperet, habere „ non potuit: & ſicut ſubſiſtere non poteſt ſine illius operatione qui fecit,

„ fecit, ſic bonum non poteſt velle ſeu facere, niſi Deus dignetur „ jugiter adjuvare. Ab ipſo namque eſt initium bonæ voluntatis, ab „ ipſo facultas boni operis, ab ipſo perſeverantia bonæ converſationis." Loquitur S. Doctor de quâlibet rationali creaturâ, ſive angelicâ, ſive humanâ, ſive integrâ, ſive corruptâ, generatimque pronuntiat non tantùm boni poſſibilitatem, ſed ipſam quoque voluntatem ipſamque perſeverantiam eſſe à Deo non minùs efficaciter operante, quàm cum nos jugiter conſervat. Negare profectò non poſſunt Auguſtiniani, quibuſcum præcipuè hîc decertamus, iſto loquendi modo adjutorium ſeipſo efficax manifeſtè exprimi.

Adhuc tamen expreſſiùs loquitur idem S. Doctor lib. 2. ad Traſimundum, cap. 2, ubi de Incarnationis myſterio diſſerens, obſervat nullâ aliâ quàm divinâ perſonâ hominem lapſum reparari potuiſſe. „ Nec „ angelico, inquit, poterat (homo lapſus) hoc reparationis munus „ adipiſci ſubſidio." Quid ita, audiamus. „ Angelica quippe natura, „ inquit, tunc homini reparando aliquatenùs eſſet idonea, ſi cadendi „ mobilitate nunquam naturaliter fuiſſet obſtricta: cùm verò ſe juva- „ minis egenam conſubſtantialis ruinæ documento teſtetur, profectò „ cognoſcitur multò minùs ad humanæ poſſe redintegrationis efficaciam „ redundare, quæ propriæ nequit ſtabilitati ſufficere...... Cùm verò „ quædam pars ejus de cœleſti beatitudinis culmine in imam perpetuam- „ que cernitur devoluta miſeriam,... profectò cognoſcitur uniformi „ cunctos opprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi quos vellet à caſu „ pravitatis virtus illa defenderet, quæ ſola naturaliter mutari depra- „ varive non poſſet." Et cap. 3: „ Ipſa igitur etiam homini reparando „ fuit neceſſaria, quia non alia ſtantem angelum à ruinâ potuit cuſto- „ dire, niſi illa quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. „ Una eſt in utroque gratia operata: in hoc, ut ſurgeret; in illo, ne „ caderet: in illo ne vulneraretur, in iſto, ut ſanaretur: ab hoc in- „ firmitatem repulit, hunc infirmari non ſcivit; illius eſca, iſtius „ medicina."

Quid disertius deſiderari poteſt? Audimus non aliam virtutem ſtanti angelo neceſſariam fuiſſe, ut non caderet, quàm homini lapſo ut à caſu reſurgat. Cùm ergo, fatentibus Auguſtinianis, homo lapſus indigeat gratiâ per ſe efficaci ut poſt lapſum reparetur, angelus quoque indiguit auxilio per ſe efficaci ne laberetur. Præterea S. Fulgentius definit beatos angelos per auxilium ſpeciale à malis fuiſſe diſcretos; *niſi quos vellet*, inquit, *à pravitatis caſu virtus illa defenderet*; hujuſque auxilii efficacis indigentiam inde repetit quòd plurimi angeli à bono defecerint: quod manifeſtè ſupponit angelos qui ceciderunt caruiſſe aliquo adjutorio ad perſeverandum neceſſario: non tamen caruerunt adjutorio *ſine quo*, ſeu poſſibilitatis; ergo, præter illud adjutorium, indigebant auxilio voluntatis & actionis, quo reipsà vellent & perſe-

verarent in bono. Iſtud autem ſpeciale auxilium fuiſſe ſeipſo efficax ex eo demonſtratur, quòd alioqui S. Doctor malè concluderet angelos qui ceciderunt illo caruiſſe.

S. Gregorius magnus lib. 15. Moralium, cap. 32, ad inſerutabilia Dei judicia refert quòd ex angelis alii à lapſu ſervati ſunt, alii verò derelicti. „ Omnipotentis Dei judicia ſuper nos, inquit, valdè oc- „ culta ſunt, & injuſta non ſunt. Sed ſi tendamus oculum mentis „ ad ſuperiora, in illis aſpicimus quia de nobis quid conqueri non ha- „ bemus. Omnipotens enim Deus angelorum merita diſcernens, alios „ in æternâ luce ſine lapſu permanere conſtituit, alios ſponte lapſos à „ ſtatu ſuæ celſitudinis in æternæ damnationis ultione proſtravit. „ Nobiſcum igitur injuſtè nihil agit qui & ſubtiliorem nobis naturam „ juſtè judicabit.“ Ibi ſanctiſſimus Pontifex probat à majori ad minus nos conqueri juſtè non poſſe de gratuitâ hominum electorum prædeſtinatione; ſiquidem erga ipſos angelos judicia Dei non minùs occulta ſunt quàm erga homines: ac proinde manifeſtè ſupponit prædeſtinationem angelorum, ſicut & hominum, planè gratuitam eſſe, & ad inſerutabilia Dei judicia pertinere. Quod verò dicit Deum merita angelorum diſcreviſſe, hoc ſenſu intelligendum eſt quòd illorum merita ſecerit, non quòd præſciverit tantummodò, quemadmodùm Apoſtolus 1. Corinth. IV. 7, ait: *Quis te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti?* Porrò nullum foret in angelorum prædeſtinatione myſterium, niſi voluntas ipſa perſeverandi per auxilium ſeipſo efficax aliis data fuiſſet, aliis non data.

Apud Maugain. Tom. I, pag. 247. S. Prudentius Trecenſis idem diſertiſſimè aſſerit in libro de Prædeſtinatione contra Scotum, cap. 4. „ Quantâlibet, inquit, excellentiâ liberi „ arbitrii creatura rationalis munere conditoris eminuerit, ſemper ta- „ men gratiâ vel ſulciente, vel ſolidante, vel recuperante opus habuit: „ quod eſt perſpicuum in tranſgreſſoribus angelis, qui, ſi eam vel „ ſulcientem, vel ſolidantem habuiſſent, nunquam procul dubio tam „ graviter cecidiſſent; quæ, quia divinitùs ſanctis angelis impenſa eſt, „ eâ & certitudinem permanendi, & ſecuritatem nunquam cadendi per- „ cipere meruerunt.“ Ergo, juxtà ſanctum illum Epiſcopum, angeli opus habuerunt alio quàm poſſibilitatis adjutorio, adjutorio, inquam, ex ſe efficaci; aliter enim concludi non poſſet, neque ex caſu dæmonum eos illo caruiſſe, neque ex perſeverantiâ ſanctorum angelorum illud eis ſpecialiter impenſum fuiſſe.

S. Anſelmus lib. *de Caſu diaboli*, cap. 1, dictum iſtud Apoſtoli, quo gratiam ſeipsâ efficacem invictè adſtrui fatentur Auguſtiniani: *Quid habes quod non accepiſti?* angelis perinde ac hominibus convenire affirmat: & cap. 2 docet „ angelum qui ſtetit in veritate.... ideò perſe- „ verantiam habuiſſe, quia accepit, & ideò accepiſſe, quia Deus „ dedit.“

S. Bernardus

Digitized by Google

S. Bernardus ſæpiſſimè inculcat non minùs potenti auxilio gratiæ ſubventum fuiſſe ſanctis angelis ne caderent, quàm ſubvenitur homini lapſo ut ſurgat; adeòque cenſuit non poſſibilitatem tantùm, ſed & actum ipſum perſeverandi divinæ operationi attribui oportere. Sic Serm. 1. *in Circumciſione Domini*, num. 2: „ Idem, inquit, & angeli Ser- „ vator eſt & hominis, ſed hominis ab incarnatione, angeli ab initio „ creaturæ.“ Serm. in feſto Omnium Sanctorum, num. 1: „ Hono- „ randa eſt in eis (angelis) benignitas Dei, non ad pœnitentiam ad- „ ducens, ſed abducens ab omnibus quibus pœnitentia deberetur; „ non eripiens à tentatione, ſed à tentatione conſervans.“ Serm. 22 in Cantica, num. 5: „ Non ait ſimpliciter Apoſtolus: *Qui factus* „ *eſt ſapientia, ſed qui factus eſt nobis ſapientia*; quoniam quod erat „ angelis, factus eſt & nobis.“ Et num. 6: „ At angelis, inquis, „ quomodò redemptio fuerit non video..... Audi breviter: qui erexit „ hominem lapſum, dedit ſtanti angelo ne laberetur, ſic illum de „ captivitate eruens, ſicut nunc à captivitate defendens; & hâc ratione „ fuit æquè utrique redemptio, ſolvens illum, & ſervans iſtum.“ Denique in tractatu *de Diligendo Deo*, cap. 1. num. 4: „ Qui hominibus „ ſubvenit in tali neceſſitate, inquit, ſervavit angelos à tali neceſſitate; „ & qui homines diligendo tales fecit, ne tales remanerent, ipſe „ æquè diligendo dedit & angelis ne tales fierent.“ Quis in hoc perpetuo angelorum & hominum parallelo non agnoſcat ſanctos angelos, juxtà S. Bernardum, non minùs efficaci adjutorio ſervatos fuiſſe à ruinâ, quàm nos poſt ruinam reparamur; ſanctoſque angelos in veritate non ſtetiſſe, niſi virtute adjutorii ſpecialis, quo pariter ſtetiſſent qui mali propriâ voluntate facti ſunt, ſi eis quoque fuiſſet collatum?

Franco lib. 1. *de Gratiâ Dei*: „ Quidquid conditum eſt, inquit, (ac proinde angelus & homo, etiam ante peccatum), „ ut in acceptâ „ conditionis ſuæ dignitate perſiſtat, à Deo habet.“ Et dicit poſteà „ beata ſpirituum agmina nihilominùs, imò multò magis conditori ſuo „ procidere; quod ſunt, quod ſapiunt & quod poſſunt, totum gratiæ „ ejus adſcribere, atque inceſſabili ei voce gratias referre & pro con- „ ditionis ſuæ excellentiâ, & pro beatitudinis perſeverantiâ.“ Ergo angelorum in bono perſeverantia ſpeciale fuit Dei operantis munus. Sub finem verò addit „ gratiæ Dei beatos ſpiritus debitores exiſtere, „ cujus munere, aliis è tanto dignitatis culmine impulſu ſuperbiæ „ ruentibus, ipſi in æternâ beatitudinis ſuæ ſoliditate perſtiterunt.“

S. Thomas, part. 1. quæſt. 62. art. 2. in corp & ad 3um, probat angelum convertere ſe non potuiſſe ad bonum beatificum, motu ſcilicet ſuæ voluntatis, niſi per auxilium gratiæ. „ Quoniam, inquit, nulla „ creatura rationalis poteſt habere motum voluntatis ad illam beatitu- „ dinem, niſi mota à ſupernaturali agente.“ Et 1. 2. quæſt. 109. art. 1: „ Quantùmcunque natura aliqua corporalis vel ſpiritualis po-

Digitized by Google

„ natur perfecta “ (adeòque ipſa natura angelica & humana ante peccatum), „ non poteſt in ſuum actum procedere , niſi moveatur à Deo „ ſecundùm ordinem providentiæ ſuæ.“

Homo innocens opus habuit auxilio per ſe efficaci ad perſeverandum in bono.

Docent 2°. SS. Patres primum hominem opus habuiſſe auxilio per ſe efficaci ad perſeverandum in juſtitiâ.

S. Auguſtinus lib. 12 *de Geneſi ad litteram*, cap. 12. num. 27, aſſerit primum hominem, licet viribus integrum, jugiter opus habuiſſe cuſtodiâ divinâ ut in bono permaneret; idque probat ſcripturæ ſacræ textibus, quibus gratiam ſeipſâ efficacem exprimi fatentur Auguſtiniani. En verba S. Doctoris: „ Ille itaque operetur hominem bonum atque cuſ„ todiat, qui incommutabiliter bonus eſt. Semper ab illo fieri, ſem„ perque perfici debemus, inhærentes ei, & in eâ converſione, quæ ad il„ lum eſt, permanentes...... *Ipſius enim ſumus figmentum*, non tantùm „ ad hoc ut homines ſimus, ſed ad hoc etiam ut boni ſimus. Nam & „ Apoſtolus, cùm fidelibus ab impietate converſis gratiam quâ ſalvi „ facti ſumus commendaret: *Gratia enim*, inquit, *ſalvi facti eſtis per fi„ dem; & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt; non ex operibus, ne „ fortè quis extollatur. Ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto „ Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*: & alibi, cùm dixiſſet: „ *Cum timore & tremore veſtram ſalutem operami„ ni*, ne ſibi putarent tribuendum, tanquam ipſi ſe facerent juſtos & „ bonos, continuò ſubjecit: *Deus enim eſt qui operatur in vobis.*“ Ut quid verò iſta teſtimonia profert, niſi quia homini etiam integro & ſano ſuo modo conveniunt?

Ephes. II. 8.

Philipp. II. 12.

Concilium Arauſicanum II. can. 19, cujus verba deſumpta ſunt ex epiſtolâ 186 SS. Auguſtini & Alypii ad Paulinum, definit hominem lapſum ſalutem quam perdidit, ſine gratiâ reparare non poſſe, eoquòd, dum adhuc viribus integer eſſet, non potuerit ſine gratiâ Dei cuſtodire quam acceperat. Fatentur Auguſtiniani gratiæ ab intrinſeco efficacis neceſſitatem ad ſalutem reparandam ibi intelligi à Patribus Arauſicanis. Atqui hujuſmodi gratiæ neceſſitatem eo argumento adſtruere non potuerunt, niſi ſupponendo auxilium quoque ſeipſo efficax, quanquam non medicinale, homini integro neceſſarium fuiſſe ad perſeverandum in juſtitiâ. Alioquin Semipelagiani reſpondere potuiſſent: eſto, gratia nunc neceſſaria ſit, ſicut homini innocenti neceſſaria fuit ad perſeverandum in juſtitiâ: atqui homini innocenti ſufficiebat gratia poſſibilitatis; ergo & nunc ſufficit.

S. Thomas 1. 2. quæſt. 109. art 2. tractans de gratiæ in duplici ſtatu naturæ differentiâ, ita alteram ab alterâ diſtinguit, ut ſimul doceat in utroque ſtatu requiri motionem Dei phyſicam ad ſingulos actus. „ Natura hominis, inquit, poteſt conſiderari dupliciter: uno modo „ in ſuâ integritate, ſicut fuit in primo homine ante peccatum; alio „ modo ſecundùm quòd eſt corrupta in nobis poſt peccatum primi „ parentis.

Digitized by Google

„ parentis. Secundùm autem utrumque ſtatum natura humana indiget „ auxilio divino ad faciendum vel volendum quodcunque bonum, „ ſicut primo movente.“ En præmotionis phyſicæ in utroque naturæ ſtatu neceſſitas clarè aſſerta. Nunc verò in quo duo illi ſtatus differant audiamus. Addit S. Doctor : „ Virtute gratuitâ ſuperadditâ virtuti „ naturæ indiget homo in ſtatu naturæ integræ quantùm ad unum, „ ſcilicet ad operandum bonum ſupernaturale ; ſed in ſtatu naturæ „ corruptæ quantùm ad duo, ſcilicet ut ſanetur, & ulteriùs ut bo- „ num ſupernaturalis virtutis operetur, quod eſt meritorium.“ Ac denuò inculcans præmotionis phyſicæ neceſſitatem, ſic concludit: „ Ulteriùs autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio divino, ut „ ab ipſo moveatur ad agendum.

Ibid. art. 9. ait hominem lapſum dupliciter indigere auxilio Dei : „ uno modo quantùm ad habituale aliquod donum per quod natura „ corrupta ſanetur, & etiam ſanata elevetur ad operandum opera vitæ „ æternæ meritoria ; alio modo quoad auxilium gratiæ, quo à Deo „ moveatur ad agendum, idque propter duo : primò quidem ratione „ generali, quia nulla res poteſt in quemcunque actum prodire, niſi „ virtute motionis divinæ : ſecundò ratione ſpeciali, propter conditio- „ nem ſtatûs naturæ humanæ “ per peccatum corruptæ. Prima ratio, quæ *generalis* eſt, non minùs concludit pro ſtatu innocentiæ quàm pro ſtatu naturæ corruptæ.

Tandem in Quæſtionibus diſputatis, quæſt. 27. de Veritate, art. 5. ad 3um, hæc habet angelicus Doctor : „ Quantumcunque homo habeat „ habitum gratiæ, ſemper tamen indiget divinâ operatione, quæ in no- „ bis operatur modis prædictis (præveniendo ſcilicet & ſubſequendo) ; „ & hoc propter infirmitatem noſtræ naturæ & multitudinem impedi- „ mentorum, quæ quidem non erant in ſtatu naturæ conditæ. Unde „ magis tunc poterat homo ſtare per ſeipſum, quàm nunc poſſent „ habentes gratiam (habitualem) ; non quidem propter defectum gra- „ tiæ, ſed propter infirmitatem naturæ : quamvis etiam tunc indigerent „ divinâ providentiâ eos dirigente & adjuvante.“ Igitur, juxtà Doctorem angelicum, ſi conſiderentur primi ſtatûs ſanitas & hujus infirmitas, gratia propriè & ſtrictè dicta in duplici illo ſtatu diverſa eſt : ſi verò conſideretur dependentia cujuſlibet creaturæ à Deo, tanquam primâ causâ primoque motore, homo integer, non ſecùs ac homo lapſus, indiget operatione providentiæ divinæ dirigente & adjuvante : quæ quidem operatio quid aliud eſt quàm *motio divina?*

Docent 3°. SS. Patres Adamum, quando peccavit, adjutorio divino deſtitutum fuiſſe, ejuſque lapſum idcircò à Deo permiſſum, ut demonſtraretur voluntatem creatam, tametſi ſanam viribuſque integram, non ſufficere ad perſeverandum in juſtitiâ abſque adjutorio divino perſeverantiam operante. Certè adjutorium *ſine quo* nunquam homini defuit,

Primus homo, quando peccavit, à Deo deſertus, ſibique dimiſſus eſt.

fuit, niſi poſtquàm peccavit. Si enim homini adhuc innocenti defuiſſet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſet, ut ait S. Auguſtinus. Ergo, præter auxilium *ſine quo*, ſeu poſſibilitatis, aliud in ſtatu innocentiæ neceſſarium fuit, illudque ſeipſo efficax: aliàs quippe ex hominis lapſu concludere non potuiſſent SS. Patres eum hujuſmodi auxilio, cùm peccavit, caruiſſe.

S. Auguſtinus Serm. 26, al. 11 de Verbis Apoſtoli, cap. 2, ſic loquitur: „ Primus homo creatus eſt rectus, non ſe fecit rectum. „ Quid ſe autem ipſe fecerit notum eſt. Cadens à manu figuli, fractus eſt. Regebat enim eum ipſe qui fecerat. Voluit deſerere à quo „ factus eſt. Permiſit Deus tanquam dicens: deſerat me & inveniat „ ſe, & miſeriâ ſuâ probet quia nihil poteſt ſine me.“ Et cap. 3: „ Hoc ergo modo oſtendere voluit Deus homini quid valeat liberum „ arbitrium ſine Deo. O malum liberum arbitrium ſine Deo! Experti „ ſumus quid valeat ſine Deo: ideò miſeri facti ſumus, quia ſine „ Deo quid valeat experti ſumus.“ Quomodò autem hæc vera eſſent, ſi primus homo, præter adjutorium poſſibilitatis, nullo alio indigebat, quo voluntas ejus fluxa & mutabilis regeretur & applicaretur ad bonum, & quo caruerit quando peccavit?

Al. 13 de Verbis Apoſtoli. Sermone 156, cap. 4: „ Tunc, quando erat integrâ libertate, „ id „ eſt, in paradiſo oſtendit vires ſuas, oſtendit quantùm poſſent, ſed „ ad ruendum, non ad ſurgendum.“ Et Serm. 174, cap. 2: „ Nunquam potuit ſic oſtendi quantùm valeat voluntas hominis uſurpata „ per ſuperbiam, ad vitandum ſine Dei adjutorio malum, nec potuit „ plus & manifeſtiùs experiri quàm in homine primo.“ Certè nullomodò primi hominis voluntas dici poſſet fuiſſe SINE DEI ADJUTORIO, ſi omni genere auxilii ad perſeverandum neceſſario ſemper fuiſſet inſtructus. (Al. 8 de Verbis Apoſtoli.)

In libro ſeu ſermone *de Cantico novo*, cap. 8: „ Quid valeat liberum „ arbitrium NON ADJUTUM, in ipſo Adam demonſtratum eſt: ad malum „ ſufficit ſibi, ad bonum autem non, NISI ADJUVETUR A DEO.

Lupus Servatus lib. *de Tribus Quæſtionibus*, quæſt. 1. num. 7: „ Habuit Adam liberum voluntatis arbitrium & ad bonum & ad malum, ſed ad bonum divino munere ADJUVANDUM; ad malum autem „ divino judicio DESERENDUM.“

Florus Diaconus Lugdunenſis lib. *de Prædeſtinatione*, cap. 4, in reſolutione tertiæ definitionis Scoti, ſic loquitur: „ Hæc voluntas ho„ minis (in illo cooperante Dei gratiâ) bona & recta permanſit, „ quandiu creatori piè obedivit; ſed quia & ipſa natura humana ab „ incommutabili creatore mutabilis condita eſt,... ſtetit in bono, „ ADJUVANTE DEI GRATIA, & cecidit ad malum occulto Dei judicio, „ eâdem GRATIA DESERTA.“

Ex his teſtimoniis ſic argumentor: Juxtà SS. Patres, Adamus, quando

quandò peccavit, à Deo non adjutus eſt. Atqui non ei defuit adjutorium *ſine quo*, ſeu poſſibilitatis. Ergo indigebat alio adjutorio quo ejus voluntas determinaretur & applicaretur ad perſeverandum, eoque per ſe efficaci; alioquin ex eo quòd peccaverit minimè ſequeretur eum à Deo adjutum non fuiſſe.

Probatur II° judicio Conſultorum in Congregationibus *de Auxiliis.* Cùm enim, in Congregatione habitâ coram Paulo V. 22 novemb. 1605, Jeſuitæ prædeterminationem phyſicam impugnaſſent ex his quæ S. Auguſtinus diſſeruit in lib. *de Correptione & gratiâ*, „ Congregatio re- „ ſolvit die 29 perſiſtendum in ſententiâ præmotionis, non obſtantibus „ ex adverſo productis.... teſtimoniis S. Auguſtini *de Correptione & „ gratiâ*, cap. 12, quo potiùs firmatur concluſio explicata.“

Probatur III°. ſuffragio plurimorum Theologorum ex ordine Auguſtinienſium, qui, tametſi S. Auguſtini Patris ſui doctrinæ addictiſſimi, gratiæ ſeipsâ efficacis neceſſitatem in ſtatu innocentiæ admittere ac tueri non dubitarunt. Horum præcipui fuere Card. Ægidius Columna Archiepiſcopus Bituricenſis, in *Exameron* part. 1. cap. 15, & part. 2, cap. 3 & 31; Thomas de Argentinâ in 2um Sentent. diſt. 4 & 5, art. 3; Gaſpard Caſalius Epiſcopus Leyrienſis lib. 1. *de Quadripartitâ juſtitiâ*, cap. 5, 9, 11 & 32; Leonardus Coquæus in Commentario ad caput 9 libri 12 de Civitate Dei; Fredericus Nicolaus Gavardi in *Theologia exantiquata*, quæſt. 5. de voluntate Dei conſequente, art. 3; Nicolaus Girken tom. 2. Summæ Theologicæ, tract. 10, quæſt. 3. de neceſſitate gratiæ, dubio 1°.

Hâc etiam noſtrâ ætate plurimi inſignes Theologi, quibus religio foret à S. Auguſtini veſtigiis vel tantillùm recedere, eamdem ſententiam velut ipſius principiis valdè conſonam magno ſtudio defendunt.

Probatur IV°. plurimis maximi ponderis rationibus Theologicis.

Virium integritas non excludit neceſſitatem prædeterminationis phyſicæ

Prima ratio. Si homo innocens opus non habuiſſet præmoveri phyſicè ad perſeverandum, maximè quia vires habebat integras. Atqui virium integritas, licet excludat neceſſitatem gratiæ prævenientis, non tamen excludit neceſſitatem prædeterminationis phyſicæ, cujus munus non eſt novas vires voluntati addere, ſed tantummodò motum ipſum voluntatis operari. Et ſanè humani arbitrii libertas imminuta & attenuata non fuit per peccatum reſpectu actuum naturalium, ſed tantùm reſpectu bonorum operum, quibus obſiſtit concupiſcentia & pronitas ad malum. Attamen homo indiget præmotione phyſicâ ad omnes & ſingulos actus naturales, atque ad ipſos actus peccaminoſos poſitivè & materialiter ſpectatos, quemadmodum in Libro præcedenti ex ſcripturâ & traditione, imprimiſque ex S. Auguſtino probavimus. Igitur naturæ integritas minimè impediebat quominùs Adamus indiguerit phyſicè moveri ac determinari à Deo ad perſeverandum in bono.

Si Adamus,

Secunda ratio. Auguſtiniani, poſt S. Auguſtinum lib. 2. de Peccatorum meritis

Digitized by Google

Deo non præmovente, in bono perſeveraſſet, meliorem ſeipſum feciſſet quàm Deus fecerat.

meritis & remiſſione, cap. 18, & in Pſalmum 58, ad illa verba: *Deus meus, miſericordia mea*, optimè probant gratiam ſeipsâ efficacem in præſenti naturæ ſtatu neceſſariam eſſe, eo quòd alioqui homo meliorem ſeipſum faceret quàm à Deo factus eſt. Atqui hoc argumentum non minus validum eſt pro ipſo ſtatu innocentiæ. Si enim angeli ſolam perſeverandi in bono poſſibilitatem à Deo acceperunt, à ſeipſis autem perſeverantiam ipſam ſumpſerunt, meliores profectò ſeipſos fecerunt quàm à Deo facti ſunt: ſiquidem reipsâ perſeverare in bono multò melius eſt quàm ſimpliciter poſſe perſeverare.

Nec dicas perſeverantiâ in bono creaturam non fieri meliorem, ſed conſervare tantummodò juſtitiam à Deo acceptam. Nam, etſi perſeverantia non facit meliorem per augmentum bonitatis, facit certè meliorem per diuturnitatem & conſtantiam bonitatis; melius quippe eſt diu ſtare in juſtitiâ, quàm brevi tantùm tempore.

Potuiſſet in ſeipſo gloriari.

Tertia ratio. Non minùs præcepta fuit humilitas in ſtatu innocentiæ, quàm in ſtatu naturæ lapſæ. Atqui humilitatis virtus eo potiſſimùm fundamento nititur quod ponit Apoſtolus 1 Corinth. IV. 7: *Quis te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Quid gloriaris quaſi non acceperis?* Et rursùs: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Quis verò dicat angelos beatos poſſe meritò gloriari in ſemetipſis, maximè cùm ipſimet procidentes in conſpectu throni inceſſabili voce clament: *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro*, ut legitur Apocal. VII. De angelis pariter atque hominibus loquitur S. Auguſtinus lib. 11. *de Geneſi ad litteram*, cap. 8, ubi ait: „ Qui gloriatur, nonniſi in Domino glo„ rietur, cum cognoſcit non ſuum, ſed illius eſſe, non ſolùm ut ſit, „ verùm etiam ut nonniſi ab illo benè ſibi ſit, à quo habet ut ſit.“ Porrò angeli ſancti jure meritò poſſent in ſemetipſis gloriari, ſi, ſolo poſſibilitatis adjutorio inſtructi, perſeverantiam à ſeipſis per ſolum ſuum liberum arbitrium, Deo non operante, habuiſſent, nec ampliùs adjuti ſeipſos à malis propriâ voluntate diſcreviſſent. Fruſtra reſponderetur eos non ſine adjutorio *ſine quo* ſeſe diſcreviſſe: nam hujuſmodi adjutorium, utpote commune bonis ac malis, non diſcernit bonos à malis, ut aſſerunt Auguſtiniani cùm de gratiâ Chriſti adversùs Molinianos diſputant. Ergo beati angeli non poſſibilitatem tantùm, ſed actum ipſum perſeverandi dono Dei conſecuti ſunt. Quamobrem S. Auguſtinus exponens hæc verba pſalmi 70: *potentiam tuam, Deus, uſque in altiſſima quæ feciſti magnalia*, ſic de illis loquitur: „ Dicam omni homini „ naſcituro: nihil es per te.... Dicam omni generationi ſuperventuræ „ nullas vires meas, nullam juſtitiam meam, ſed potentiam tuam & juſti„ tiam tuam uſque in altiſſima quæ feciſti magnalia.. In altis cœli ſunt, in „ altis Angeli ſunt, Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates: tibi „ debent quòd ſunt; tibi debent quòd ſanctè vivunt; tibi debent quòd

Digitized by Google

„ beatè vivunt.... Ne putes hominem ſolum pertinere ad gratiam „ Dei. Quid erat angelus antequàm fieret? Quid eſt angelus, ſi „ deſerat qui creavit? Ergo potentiam tuam & juſtitiam tuam uſque „ in altiſſima quæ feciſti magnalia.“

Quarta ratio. In quolibet naturæ ſtatu creatura rationalis quælibet in ſolo Deo debet confidere. Sicut enim, teſte Jeremia Propheta, *maledictus eſt homo qui confidit in homine*, ita maledictus eſt angelus qui confidit in angelo. Atqui ſi homo vel angelus, ſolo poſſibilitatis adjutorio inſtructi, voluntatem perſeverandi ex ſeipſis, Deo non operante, habere potuiſſent, jure meritò in ſeipſis confidere potuiſſent. Quid enim æquius quàm à te ipſo expectare, tibique attribuere quod tu ipſe tibi facis, nec aliunde accipis? Attamen adeò licitum non fuit creaturæ innocenti in ſeipſâ confidere, ut hoc primum Adami peccatum fuerit, quòd de ſuis viribus præſumpſerit, eamque ob cauſam juſto Dei judicio derelictus ſibique dimiſſus fuerit. „ Nec arbitrandum eſt, ut ait „ S. Auguſtinus lib. 11 *de Geneſi ad litteram*, cap. 5. num. 7, quòd „ eſſet hominem dejecturus ille tentator, niſi præceſſiſſet in animâ ejus „ quædam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati quàm de „ ſe falsò præſumpſerit diſceret. Veriſſimè quippe dictum eſt: *Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur.* Et hujus fortè homi- „ nis vox eſt in Pſalmo: *Ego dixi in abundantiâ meâ, non movebor in* „ *æternum*: deinde jam expertus quid mali habeat ſuperba præſumptio „ propriæ poteſtatis, & quid boni adjutorium gratiæ Dei: *Domine*, in- „ quit, *in voluntate tuâ præſtitiſti decori meo virtutem: avertiſti faciem* „ *tuam à me, & factus ſum conturbatus.*“ De Eva quoque idem dicit ibid. cap. 30. num. 39. „ Quando, inquit, his verbis crederet mulier „ à bonâ atque utili re divinitùs ſe fuiſſe prohibitos, niſi jam ineſſet „ menti amor ille propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſump- „ tio, quæ per illam tentationem fuerat convincenda & humilianda?“

Potuiſſet in ſeipſo confidere.

Proverb. XVI. 18. Pſalm. XXIX. 7.

Eccleſia quoque Lugdunenſis in libro *De tenenda veritate ſcripturæ*, cap. 4, primi hominis præſumptionem aſſignat ut cauſam ipſius perditionis. „ Primus homo, inquit, quandiu ſcuto bonæ voluntatis Dei, „ id eſt, divinæ gratiæ protectus eſt atque munitus, beatam vitam „ duxit cum Deo; poſtquàm autem de ſuâ virtute præſumendo, & con- „ tra creatorem ſe extollendo, averſus eſt ab illo, ejus indignatione „ iram.... incurrit.“

Quinta ratio. Illud à Deo non petitur, aut certè nonniſi illuſoriè petitur, quod creditur, ipſo non dante, in noſtrâ eſſe poteſtate. Hinc S. Auguſtinus ex publicis Eccleſiæ orationibus gratiæ ſeipſâ efficacis ad quævis officia pietatis neceſſitatem adeò frequenter & invictè demonſtravit adverſus Pelagianos & Semipelagianos. Atqui angelos & primum hominem debuiſſe petere à Deo ut perſeverarent in bono religio clamat, ſumma creaturæ dependentia demonſtrat, & expreſſè aſſerit B. Gelaſius Ro-

Non debuiſſet poſcere à Deo perſeverantiam in bono.

Digitized by Google

Romanus Pontifex in ſcriptis adverſùs Pelagianos, ubi Adami lapſum inde repetit, quòd Deum orare neglexerit. „ Ecce, inquit in Epiſt. „ 7 ad Epiſcopos per Picenum, ſine divino ſuffragio (quod in illa bea„ titudine poſitus nunquam legitur expetiiſſe) non ſolum homini na„ turale bonum prodeſſe non potuit, non ſolùm non effecit beatum, „ ſed cum hoc ſolo confidit " (id eſt, bonis quæ in ſua creatione acceperat, & quæ eo ſenſu dicuntur naturalia), „ atque ad ejus non re„ vertitur largitorem, & beatitudinem potiùs amiſit, & malorum om„ nium ſumpſit exordium...... Nonne hæc eſt illa præſumptio natura„ lis, quæ ad deteſtandæ captivitatis jura deſcendit? " Quid vero poſcere à Deo debuit Adamus &, quia non popoſcit, non habuit, niſi ipſummet perſeverantiæ bonum? Igitur, ut ait S. Thomas part. 1. quæſt. 94 art. 4. ad 5um., „ in tentatione non eſt ei ſubventum ne deciperetur, „ licet tunc maximè indigeret, quia jam præceſſerat peccatum in ani„ ma, & ad divinum auxilium recurſum non habuit."

Nec de illa gratias agere Deo.

Sexta ratio. Gratiarum actio ſupponit illud, pro quo gratiæ Deo referuntur, à Deo donatum eſſe. „ Non enim gratias agimus Deo, ait „ S. Auguſtinus in Epiſtola ad Vitalem, ſed nos agere fingimus, ſi un„ de illi gratias agimus ipſum facere non putamus." Atqui de bonis quibuscunque gratias agere Deo debemus: *in omnibus gratias agite*, inquit Apoſtolus 1 Theſſal. V; impiumque foret contendere ſanctos angelos non majores debere gratias Deo referre quàm malos angelos. Hoc tamen ex adverſariorum doctrina conſequitur, juxta quam Deus nihil ampliùs ſanctis angelis præſtitit ut perſeverarent, quàm eis qui ceciderunt, ſed æqualem utriſque perſeverandi poſſibilitatem, æquale adjutorium, æqualem gratiæ copiam tribuit. Undenam ergo ſancti angeli majores deberent gratias agere Deo? An pro gloria quam perſeverando conſecuti ſunt? Sed, præterquam quòd religio non patitur eos de ſuâ perſeverantiâ nullas gra:es Deo debere, certè gloria quâ nunc fruuntur, non gratuitum Dei munus, ſed meriti, quod ex ſeipſis habuerunt, eſt præmium.

Hæc omnia rationum momenta adverſùs Molinianos validiſſimè contorquent Auguſtiniani, quando de gratiâ hujusce ſtatûs diſputant. At certè vel pro quocunque naturæ ſtatu vim ſuam obtinent, vel pro nullo.

TER.

Digitized by Google

TERTIA PROPOSITIO.

Prædeterminatio phyſica, ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ, multiplici ſenſu dici poteſt gratia; propriè tamen & ſtrictè loquendo, non eſt ea gratia pro quâ contra Pelagianos Eccleſia decertavit.

PRIMA pars probatur teſtimoniis SS. Patrum quos modò produximus. Plerique enim adjutorium illud, quo SS. Angeli firmati ac ſolidati in juſtitiâ ſteterunt, & quod ſi Adamus habuiſſet, non cecidiſſet, gratiam appellare non dubitarunt: & meritò ſanè; gratiæ namque denominationem meretur: 1°. Quia gratuitum fuit Dei munus, nullisque meritis debitum, ſed cauſa efficiens & phyſica meritorum. Cùm enim quidquid boni gratis confertur, gratia dici debeat, quantò potiori jure hujusmodi adjutorium nomen illud ſibi vindicat? 2°. Quia bonæ voluntatis motum in ſanctis angelis operatum eſt, ſicque illos ab eis qui ceciderunt diſcrevit. 3°. Quia virtute hujus adjutorii perſeverantes beati angeli ad gloriam & beatitudinem æternam ſtatim perducti ſunt; conſtat enim illud omne quod ad cæleſtem & perennem beatitudinem provehit, cujuscunque generis ſit, gratiam meritò appellari poſſe.

Altera pars probatur. 1°. Quia S. Auguſtinus, qui hoc in argumento diligentiſſime verſatus eſt, adjutorium illud phyſicum & phyſicè operans aut nunquam, aut certè raró admodùm, gratiæ nomine inſignivit. 2°. Quia S. Thomas, in allatis ſupra illius textibus, adjutorium illud diſtinguit à gratiâ, appellatque aut *motionem divinam*, aut *auxilium Dei moventis*, aut *divinam providentiam dirigentem & adjuvantem*. 3°. Quia gratiæ in duplici ſtatu naturæ differentia, à S. Auguſtino aliisque Patribus expoſita, exigere videtur ut præmotionem phyſicam diſtinguamus à gratiâ propriè ac ſtrictè acceptâ, pro quâ contra Pelagianos dimicatum eſt. Si enim illi SS. Patres operationi divinæ perſeverantiam phyſicè producenti rationem gratiæ propriè dictæ attribuiſſent, vix ac ne vix quidem docuiſſent adjutorium gratiæ in ſtatu innocentiæ fuiſſe adjutorium *ſine quo* & meræ poſſibilitatis, in ſtatu verò naturæ lapſæ eſſe adjutorium *quo* ac per ſe efficax. 4°. Quia rationi valdè congruum videtur ut de præmotione illâ phyſicâ non aliter ſentiamus ac loquamur, quàm Auguſtiniani, Moliniani, aliique concurſûs phyſici & concomitantis aſſertores de illo concurſu ſentiunt ac loquuntur. Porrò illi omnes Theologi concurſum Dei phyſicum, quo Adamus indigebat ad perſeverandum, diſtinguunt à gratiâ ſtatûs innocentiæ propriâ. Ergo nihil

hil vetat quominùs & ipſi præmotionem phyſicam, quâ ſancti angeli in veritate ſteterunt, à gratiâ propriè dictâ diſcernamus. 5°. Denique quia, teſte Eſtio in 2um. diſtinct. 25. §. 7, nonnulli Thomiſtæ ita ſenſerunt. Diſſentit quidem ab illis Eſtius, nec immeritò ſanè, poſito quòd illi Thomiſtæ exiſtimaverint præmotionem phyſicam ad bonum nullomodò dici poſſe gratiam; verùm immeritò, ut opinor, ſi (quod multò probabilius eſt) negaverunt duntaxat eam eſſe gratiam propriè ac ſtrictè dictam. Ita ſenſiſſe videtur doctiſſimus Maſſoulié in *Sancto Thoma ſui interprete.* Exponens enim S. Auguſtini mentem circa diſcrimen gratiæ in duplici naturæ humanæ ſtatu, dicit motionem phyſicam ordinis ſuiſſe naturalis, adjutorium autem *ſine quo* ordinis ſupernaturalis.

Eamdem quoque doctiſſimi Boſſueti ſententiam fuiſſe inde perſpicuum eſt, quòd, quamvis præmotionis phyſicæ in ipſo innocentiæ ſtatu aſſertor acerrimus, nihilominùs doceat in illo ſtatu gratiam adjuviſſe electionem, non autem illam determinaſſe: *la grace*, inquit, *qui aidoit le choix, mais qui ne le determinoit pas.* Quod certè argumentum eſt illum, exemplo S. Auguſtini, cujus mentem profundiſſimè meditatus fuerat, gratiam ſtatûs innocentiæ propriam ſpectaſſe ut planè diſtinctam à motione divinâ phyſicè prædeterminante voluntatem.

Elevations ſur les Myſteres, 4e. Semaine, 3e. Elevation.

Multiplex differentia gratiæ propriè dictæ & præmotionis phyſicæ.

Verùm, ut huic propoſitionis noſtræ parti lux major accedat, obſervandum eſt multiplicem aſſignari poſſe differentiam inter præmotionem phyſicam & gratiam propriè acceptam.

Prima differentia fonſque cæterarum eſt, quòd gratia ſit auxilium interius moraliter movens & inclinans voluntatem ad bonum; præmotio autem phyſica ſit operatio ipſa divina & increata, motum ſeu conſenſum voluntatis phyſicè producens.

Nimirùm omnes creaturæ rationalis actus deliberati conſiderari poſſunt dupliciter, nempe vel phyſicè, vel moraliter. Actus phyſicè conſideratus eſt entitas ipſa realis & phyſica, quam, quoniam ens aliquod eſt, à primo ac ſummo ente, cujus quantulacunque participatio eſt, produci neceſſe eſt. Actus moraliter conſideratus eſt actus quatenus habet habitudinem ſeu ordinationem ad finem quo voluntas impellitur ad agendum: v. g. volo ambulare: hæc volitio eſt actus realis, phyſicus, aliquid poſitivum ac phyſicè exiſtens, adeòque neceſſe eſt ut habeat cauſam effectricem, ſeu ut à Deo primo ente phyſicè producatur. Sed cur volo ambulare? Fortaſſe ad me oblectandum, vel ad agenda negotia, vel ad exercenda quædam pietatis aut caritatis officia. En actus moraliter conſideratus.

Duplex ille actuum deliberatorum reſpectus duplicem quoque illorum cauſam in quovis naturæ ſtatu requirit. In quantùm actus illi ſunt aliquid reale phyſicè exiſtens, cauſam habent efficientem quâ phyſicè producuntur & ponuntur in rerum naturâ. In quantum autem morales ſunt, habent cauſam interiorem moraliter moventem, excitantem & allicientem; hæcque

Digitized by Google

que cauſa moralis, ſeu hic finis ſemper eſt aliquis amor, amorisve illecebra. „ Nemo quippe, ut obſervat S. Auguſtinus, volens aliquid facit, quod non in corde ſuo prius dixerit; quod verbum amore concipitur.“ Hinc illud Caſſii à prophanis tantoperè decantatum: *Cui bono?* Quo ſignificatur homines nihil deliberatè agere, niſi intuitu alicujus boni amati, ſeu veri, ſeu apparentis.

Amor verò, quo voluntas rationalis moraliter movetur ad agendum, vel Dei eſt, vel alicujus creaturæ; nihil quippe medium eſt: id eſt, quidquid voluntas deliberatè proſequitur, vel proſequitur propter ſummum bonum, quod Deus eſt, vel propter bonum aliquod, quod in creaturis adipiſcendum ſibi proponit.

Ut voluntas moveatur amore vel ſuî ipſius, vel aliûs cujusvis creaturæ, absque ullo reſpectu ad Deum tanquam finem ultimum, non indiget Deo adjutore, quia hujusmodi motus, prout in creaturâ ultimò conquieſcit, non eſt aliquid reale ac poſitivum, ſed merus defectus ab eo qui ſummè eſt ad id quod infimum; & ſub illo reſpectu cauſam non habet efficientem, ſed tantùm deficientem. Ut autem propter Deum ſummamque juſtitiam voluntas operetur, opus habet ab ipſo Deo, ab ipſâ ſummâ juſtitiâ allici, illuminari, accendi, moveri. Quemadmodum enim corporis oculus, ut in tenebris jaceat, non indiget illuſtrari à luce, videre autem nequit niſi ab eâ illuſtretur; ita voluntas, ut caducis delectetur eisque inhæreat, divino adjutorio non eget; ad Deum autem converti nequit, niſi Deus ipſe pater luminum vitaque ſpirituum intùs luceat, & , immiſſâ cæleſti delectatione, illam in ſuî amorem alliciat aut rapiat. Hæc verò cæleſtis & ſancta delectatio moraliter impellens ad bonum, gratiæ propriè dictæ adjutorium eſt.

Jam verò cæleſtis illa delectatio, ad Deum & ad omnia quæ Deo placita ſunt voluntatem alliciens, pro diverſâ naturæ humanæ conditione diverſa eſt. Sanam integramque voluntatem motio illa moralis ſic afficiebat, ut in ipſius arbitrio poſitum eſſet in eâ permanere, vel illam deſerere, quia non erat, uti nunc, præveniens & indeliberata, nec impellebat ad actus determinatos, ſive ad determinatos boni reſpectus. At, poſtquàm natura humana per peccatum depravata vehementibus indeliberatisque concupiſcentiæ motibus ad inhærendum rebus creatis abſtrahi cœpit, „ ſubventum eſt, ut ait S. Auguſtinus in libro *de Correptione & gratiâ*, infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur:“ id eſt, huic intrinſeco morbo efficax remedium, pravæque delectationi caſtam victricemque delectationem ac dilectionem Chriſtus oppoſuit, quæ, concupiſcentiâ gradibus ſuperior, facit plus dulceſcere quod Deus præcipit, quàm delectat quod impedit, ut plenius exponetur Libro IV, ubi de gratiæ medicinalis efficaciâ ſermo erit. Quamobrem in ſtatu naturæ integræ gratia propriè dicta non erat delectatio ex ſe victrix, ſed *adjutorium* duntaxat *ſine quo*, vo-

Digitized by Google

voluntatem non impellens ad hunc vel illum actum; adeò ut velle aut nolle perſeverare in ejus libero relinqueretur arbitrio. Nunc verò, cùm naturæ corruptio & infirmitas potentiori auxilio indigeat, gratia Chriſti eſt *adjutorium quo*, ſeu delectatio & dilectio Dei per ſe victrix, voluntatem certò, licet moraliter, determinans ad bonum.

Sed, præter adjutorium illud morale, quo creatura rationalis indiget ad volendum & faciendum bonum moraliter ſpectatum, quodque pro diverſo naturæ ſtatu diverſum eſt, indiget inſuper phyſicè moveri à Deo ad ſingulos ſuos actus phyſicè conſideratos, id eſt, quatenus ſunt aliquid reale ac poſitivum, quod in rerum naturâ abſque phyſicâ operatione primæ & univerſalis cauſæ exiſtere nequit. Quemadmodum enim, juxta Auguſtinianos, pleroſque ſaltem, homo innocens, præter adjutorium *ſine quo*, indigebat in ſingulis actibus concurſu Dei phyſico & ſimultaneo, quem à gratia propriè dicta illius ſtatûs diſtinguunt, ita, juxta Thomiſtas, præter adjutorium *ſine quo*, ſeu motionem moralem, admitti debet in illo ſtatu prædeterminatio phyſica voluntatis ad ſingulos actus; hæcque prædeterminatio confundi non debet cum gratia propriè dicta illius ſtatûs, quia illarum operandi modus omninò diverſus eſt. Gratia operabatur moraliter, invitando ad bonum; prædeterminatio verò actum phyſicè producendo: illa motivum erat propter quod voluntas ſeſe determinabat; hæc cauſa efficiens ipſius volitionis: illa influebat in bonum actum moraliter conſideratum; hæc verò in actum phyſicè ſpectatum. Obſervandum tamen duplex intercedere diſcrimen, idque magni ponderis, inter præmotionem phyſicam ad actus bonos in ſtatu innocentiæ, & eamdem in hoc corruptæ naturæ ſtatu conſideratam. Primum eſt quòd, cum adjutorium *ſine quo*, ſeu gratia ſtatûs innocentiæ propria voluntatem relinqueret in perfecto æquilibrio, nec ad actus determinatos impelleret, præmotio phyſica ad actus bonos poſſet ex æquo cum illa conjungi, aut ab ea ſejungi: contra verò caſta delectatio præveniens hujuſce ſtatûs, quæ propriè gratia eſt, ſi concupiſcentiâ gradibus ſuperior ſit, comitem indivulſam ſemper habeat præmotionem phyſicam, quæ conſenſum voluntatis phyſicè conſideratum operetur. Ratio eſt quòd, cum Deus moveat voluntatem creatam ſecundum ipſius naturam, voluntatiſque natura poſtulet ut, inter duas delectationes duos ve amores poſita, ſemper agat ſecundùm id quod eam magis delectat, ut alibi probavimus, quoties delectatio ſummi boni delectatione concupiſcentiæ fortior eſt, conſequenter Deus conſenſum ipſum voluntatis ſtatim phyſicè operatur; eamque ob cauſam ſcriptura & SS. Patres plerumque loquuntur de gratiâ Chriſti Servatoris tanquam phyſice in nobis operante; quia reverâ, præter moralem influxum ipſi proprium, quo voluntatem efficaciſſimè allicit, adjunctam ſemper habet motionem Dei phyſicè prædeterminantem ad actus bonos.

Alterum diſcrimen eſt quòd motus bonæ voluntatis phyſicè conſideratus

ratus naturæ ſanæ & integræ planè conſentaneus fuerit; nunc verò naturæ corruptæ ac depravatæ quodammodò repugnat. Quamobrem in ſtatu innocentiæ præmotio phyſica ad actum perſeverantiæ non erat ſtrictè loquendo ſupernaturalis; nunc autem, propter naturæ pravitatem, ſupernaturalis multiplici ſenſu dici debet.

Hæc ergo ſit prima differentia inter gratiam ſtatûs innocentiæ & præmotionem phyſicam ad actus bonos, quòd gratia eſſet adjutorium morale, præmotio verò adjutorium phyſicè operans.

Secunda differentia eſt quòd gratia præveniat, ſaltem inſtanti rationis, conſenſum voluntatis; prius eſt enim, ſecundum noſtrum concipiendi modum, excitari ad volendum & agendum, quam velle & agere; præmotio vero ſit ipſemet conſenſus voluntatis, prout à Deo phyſicè producitur, nec illum præcedat niſi ordine cauſalitatis.

Tertia differentia eſt quòd per gratiam prævenientem Deus primùm operetur in nobis ſine nobis, ut ſtupentem ſuſcitet voluntatem; at præmotio phyſica, de quâ hìc agitur, nunquam operatur in nobis ſine nobis, ſed facit nos velle & operari. Dixi, *præmotio de quâ hìc agitur*, quia motus ipſos indeliberatos gratiæ, quibus in bonum inclinamur, Deus phyſicè operatur: verum de hujusmodi motibus non eſt hìc quæſtio.

Quarta differentia eſt, quòd præmotio neceſſaria ſit propter dependentiam eſſentialem cauſarum ſecundarum à cauſâ primâ, nec propter actuum producendorum dignitatem, ſed propter eorum entitatem phyſicam, ideòque ad actus quoslibet tam naturales, quàm ſupernaturales, æqualiter requiratur: gratiæ verò neceſſitas tota fundetur in bonitate morali actuum, ad quam voluntas creata non ſufficit, niſi divino lumine illuſtretur & ſupernâ ſuavitate alliciatur.

Quinta differentia eſt, quòd gratia propriè dicta vires benè agendi voluntati ſubminiſtret, præmotio verò phyſica propriè loquendo nullas vires conferat, ſed voluntatem applicet tantummodò ad agendum. Cum enim voluntatis vires poſitæ ſint in caritate & in promptitudine ad bonum, homo innocens, præter gratiam habitualem in ejus corde diffuſam, per adjutorium *ſine quo* motionemque moralem, plenam, expeditam ſuavemque facilitatem habebat in bono perſeverandi, ſi vellet; nunc verò per gratiam Chriſti, quæ eſt *inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus*, ſanatur voluntatis infirmitas, viresque præbentur efficaciſſimæ ad benè agendum: at verò præmotio phyſica non auget vires voluntatis, ſed pro modo illius virium applicat illam ad ſingulos ſuos actus, eisque tranſeuntibus, ſimul tranſit.

Sexta demum differentia eſt, quòd præmotio phyſica abſolutè operetur, effectumque ſuum totum ſimul producat. Quippe nihil aliud eſt quàm operatio voluntatis Dei omnipotentis, quâ dicit ut cuncta fiant & fiunt: gratia verò interior, ſeu caſta delectatio & dilectio boni non abſolutè operetur. Nam in ſtatu quidem innocentiæ voluntatem relinquebat in perfecto

to æquilibrio, uti jam diximus; hoc autem in ſtatu non rarò accidit ut, obſiſtente cupiditate, non totum obtineat effectum ad quem tendit & voluntatem excitat; nec vincit malum amorem, niſi illo fortior gradibusque ſuperior ſit.

Cùm igitur præmotionem phyſicam inter & gratiam propriè dictam tot inſignes differentiæ occurrant, non immeritò dixi præmotionem phyſicam in ſtatu innocentiæ requiſitam ad perſeverandum, etſi aliquo & multiplici ſenſu gratia dici poſſit, non eſſe tamen gratiam illam pro quâ contra Pelagianos decertatum eſt. De illâ quippe gratiâ cum illis actum eſt quæ ad benè agendum duntaxat requiritur, quæ eſt inſpiratio dilectionis, quæ voluntatem ſanat viresque ſubminiſtrat rectè operandi, quæ voluntatem prævenit, excitat & moraliter inclinat ad actus pietatis, quæ concupiſcentiæ blandimentis opponitur, quæ, hominis culpâ & cupiditatis reſiſtentiâ, ſæpè non conſequitur integrum effectum ad quem ex ſeipſâ tendit. Atqui hi caracteres non conveniunt propriè prædeterminationi phyſicæ, ſed tantùm adjutorio interiori & moraliter moventi. Ergo prædeterminatio phyſica non eſt gratia propriè ac ſtrictè dicta.

Solvuntur objectiones adverſùs ſecundam Propoſitionem.

Objiciunt. S. Auguſtinus in libro *de Correptione & gratiâ* expreſſè docet primum hominem non indiguiſſe adjutorio *quo*, ſeu per ſe efficaci, ad perſeverandum in juſtitiâ originali. Atqui præmotio phyſica eſt adjutorium *quo* ac ſeipſo efficax. Ergo S. Auguſtinus excluſit à ſtatu innocentiæ indigentiam præmotionis phyſicæ.

Nonnulli Thomiſtæ reſpondent non eſſe tanti ponderis iſtâ in quæſtione S. Auguſtini auctoritatem, ut eam neceſſariò ſequi oporteat. Sed abſit ut eis aſſentiamur; maximè cùm illo in libro non dubitanter, ſed aſſeveranter loquatur S. Doctor: *Saluberrimè confitemur*, inquit, *quod rectiſſimè credimus.*

Quamobrem reſpondeo diſtinguendo majorem. S. Auguſtinus dicit Adamum non indiguiſſe adjutorio *quo*, quod fuerit gratia propriè dicta, eique ſimile quo nunc indigemus propter corruptionem & infirmitatem naturæ, concedo: non indiguiſſe adjutorio *quo* merè phyſico, & ab adjutorio gratiæ propriè dictæ planè diverſo; nego majorem. Minorem diſtinguo ſimiliter: Præmotio eſt adjutorium *quo*, ſed merè phyſicum & ab adjutorio gratiæ propriè dictæ planè diverſum, concedo: eſt adjutorium *quo* & gratia propriè dicta, nego minorem.

Hujus objectionis ſanè graviſſimæ ſolutio ex poſitis modò principiis facillima evadit. Scilicet illud ſolum adjutorii genus à ſtatu innocentiæ excluſit S. Doctor, quo nunc propter voluntatis corruptionem & infirmitatem indigemus, quod voluntatem ſanat eique vires efficaciſſimas præbet. Porrò talis non eſt præmotio phyſica, quam in ſtatu quoque innocentiæ admittimus. Non infirmitatis remedium eſt, ſed dependentiæ duntaxat titulo in ſtatu innocentiæ requirebatur; voluntatem,

Digitized by Google

tatem, utpotè ſanam & integram, non ſanabat; nullas ei vires addebat, ſed eam phyſicè duntaxat movebat ad actus illius viribus & ſtatui proportionatos. Non ergo præmotionem phyſicam, ſed delectationem tantummodò ſeipsâ victricem à ſtatu innocentiæ excluſit S. Doctor. Mentem ſuam diſertiſſimè aperit illo ipſo in libro, cap. 11. „ Quid „ ergo, inquit, Adamus non habuit Dei gratiam? Immo verò habuit „ magnam, ſed diſparem. Ille in bonis erat quæ de bonitate ſui con„ ditoris acceperat.... Sancti verò in hâc vitâ, ad quos pertinet libe„ rationis hæc gratia, in malis ſunt, ex quibus clamant ad Deum: „ *Libera nos à malo.* Ille in illis bonis morte Chriſti non eguit; iſtos „ à reatu & hæreditario & proprio illius agni ſanguis abſolvit. Ille non „ opus habebat eo adjutorio quod implorant iſti, cùm dicunt: *Video* „ *legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*;... quoniam in eis „ *caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem.* Atqui „ in tali certamine laborantes & periclitantes, dari ſibi pugnandi vincendi„ que virtutem per Dei gratiam, poſcunt. Ille verò, nullâ tali rixâ de „ ſeipſo adversùs ſeipſum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis „ loco ſuâ ſecum pace fruebatur. Proinde, etſi non interim lætiore „ nunc, veruntamen potentiore gratiâ indigent iſti.“ Et lib. 1. *Op. imperf.* cap. 82, idem argumentum tractans: „ Homo, inquit, quan„ diu ſtetit in bonâ voluntate liberi arbitrii, non opus habebat eâ „ gratiâ quâ levaretur cùm ſurgere ipſe non poſſet. Nunc verò in ſuâ „ ruinâ liber eſt juſtitiæ ſervuſque peccati, nec poteſt ſervus eſſe juſ„ titiæ & liber à dominante peccato, niſi Filius eum liberaverit.“ Et lib. 3. cap. 110: „ Nondum dicebatur: *Non quod volo, ſed quod odi,* „ *illud facio....* Hoc malum in Adam, quandò rectus creatus eſt, non „ erat, quia natura depravata nondum erat. Rectorem habebat quem „ libero reliquit arbitrio, non liberatorem quærebat per quem fieret „ liber à vitio.“ Et iterùm lib. 2, cap. 17: „ Nondum poſitus in „ carne peccati nullum neceſſarium habebat auxilium de ſimilitudine „ carnis peccati.“ Ex his omnibus adeò perſpicuis textibus manifeſtum eſt S. Doctorem non aliud adjutorium *quo* excluſiſſe à ſtatu innocentiæ, quàm illud quod nunc naturæ corruptæ infirmitas exigit, quod morte Chriſti nobis promeritum eſt, quod nos liberat à malo & à dominante peccato, quod adversùs concupiſcentiæ ad malum impellentis aſſultus imploratur, quod nobis pugnandi vincendique virtutem tribuit, quod eſt de ſimilitudine carnis peccati, id eſt, quod, ſicut caro ſeu concupiſcentia ad peccandum impellit, ita vehementiore delectatione juſtitiæ nos inclinat in bonum. Atqui clarum eſt nihil horum propriè dici poſſe de præmotione phyſicâ, quæ generis eſt omninò diverſi. Non ergo præmotionem Dei phyſicam, ſed ſolam Chriſti liberatoris gratiam in victrici cœleſti delectatione poſitam à ſtatu innocentiæ excludit S. Auguſtinus.

S. Auguſtini propoſitum in lib. *de Corrept. & gratiâ.* Cur ibi de præmotione phyſicâ ſilendum duxerit.

Mirum non eſt S. Doctorem ſolius gratiæ medicinalis, quâ ſanatur naturæ corruptæ infirmitas, mentionem feciſſe, præmotionem verò phyſicam rarò admodùm attendiſſe. Cùm enim de ſolâ gratiâ propriè dictâ, in ſanctæ dilectionis inſpiratione poſitâ, atque ad ſolos pietatis actus neceſſariâ contra Pelagianos ac Semipelagianos ageretur, non verò de concurſu Dei phyſico & ad quodlibet creaturarum actus requiſito, illa ſola gratiæ adjutoria in duplici naturæ humanæ ſtatu conſiderare & ſecum invicem comparare debuit. Enimverò cui bono mentionem injeciſſet præmotionis phyſicæ, quæ & generis eſt longè diverſi, & alio prorsùs titulo requiritur; maximè cùm illam commemorando & aſſerendo monachorum Adrumetinorum animos jam offenſos exaſperaſſet potiùs quàm mitigaſſet? Fatentur Auguſtiniani S. Doctorem in illâ diſputatione nihil dixiſſe de concurſu Dei phyſico, quem concomitantem appellant, utpote qui extra quæſtionem eſſet: cur ergo Thomiſtis pariter non liceat reſpondere illum de præmotione phyſicâ ad quæſtionem nihilo plus pertinente ſilere potuiſſe ac debuiſſe?

Aliis quoque rationibus impelli potuit S. Doctor ut in illâ diſputatione de præmotione phyſicâ reticeret. Primò quidem ut Eccleſiæ de gratiæ Chriſti neceſſitate & efficaciâ fidem firmioribus fundamentis adversùs Pelagianos ſuperſtrueret. Cùm enim pertinaces illos hæreticos auctoritatis pondere apertiſque ſcripturæ textibus convinci oporteret, potiusquàm argumentis à ratione petitis, ſcripturæ potiſſimùm oraculis debellandos eos cenſuit. Porrò, quamvis ſcriptura ſacra creaturarum à causâ primâ dependentiam inculcet plurimis in locis, quorum non pauca ſtudiosè collegit S. Auguſtinus, præſertim in lib. *de Gratiâ & libero arbitrio*, cap. 20 & 21, certum tamen eſt gratiæ Chriſti ad ſingulos pietatis actus neceſſitatem ejuſque efficaciam multò frequentiùs, expreſſiùs, enucleatiùs, inſtantiùs in ſacris litteris commendari, atque imprimis repeti ab excellentiâ actuum pietatis, à naturæ corruptione & infirmitate, à concupiſcentiæ tyrannide, carniſque rebellione potentioribus auxiliis domandâ. Meritò igitur, prætermiſſo dependentiæ eſſentialis titulo, quo aliis in libris feliciſſimè & copioſiſſimè uſus eſt, pleraque ſua argumenta depromere maluit ex apertiſſimis ſcripturarum textibus, quæ gratiam Chriſti medicinalem directè adſtruunt.

2°. Eo libentiùs iis in argumentis verſatus eſt, quæ ex naturæ corruptæ infirmitate petuntur, quòd adversùs eos hæreticos decertans, qui peccatum originale non minùs quàm gratiam Chriſti negabant, hoc pacto duplicem de illis triumphum ſimul reportaret; cùm & ex contractâ per peccatum originis naturæ corruptione gratiæ medicinalis ſeque ipſâ efficacis neceſſitas, & rursùs per gratiæ medicinalis neceſſitatem peccati originalis veritas ex æquo demonſtrentur.

3°. Ipſa diſputationis ſuſceptæ ſeries S. Doctorem eò duxit, ut de ſolâ gratiâ propriè ac ſtrictè dictâ eo loci differeret, & præmotionem phyſicam nullatenùs

nullatenùs attingeret. Nonnullos monaſterii Adrumetini fratres offenderant quæ S. Doctor docuerat de gratiâ Chriſti per ſe efficaci, quæ fideles ab infidelibus, bonos à malis, perſeverantes à non perſeverantibus diſcernit. Inde inſerebant corripi non debere eos qui peccant, ſed tantùm pro illis orandum; quippe quibus rectè agendi gratia data non fuerit. Reſpondet S. Auguſtinus peccantes juſtè corripi, illoſque monachos immeritò conqueri, quia, quòd quibuſdam gratia non datur, pœna eſt peccati, ſaltem originalis; quòd autem aliis datur, gratuitum eſt miſericordiæ divinæ donum. Cum verò intelligeret S. Doctor aliam inde moveri poſſe quæſtionem, cur ſcilicet gratia perſeverantiæ data non fuerit primo homini, qui, nullo præcedente peccato, eâ privari non meruerat, hanc quoque quæſtionem ſponte ſuâ naſcentem, quantùm tunc ſufficiebat, enodare aggreſſus eſt. Poterat ſanè reſpondere, quemadmodùm in aliis quibuſdam libris, illud etiam ad divinam providentiam pertinere, ut ea quæ deficere poſſunt interdum permitiat deficere; neque ideò Deum culpandum eſſe, vel auctorem eſſe peccati; quia peccatum nullam habet cauſam efficientem, ſed tantùm deficientem, nempe voluntatem creatam, quæ, cùm à nihilo ſit, ex ſeipsâ deficit. Verùm, quia hæc reſponſio, licet veriſſima, monachorum querelas fortaſſe auxiſſet magis quàm compeſcuiſſet, aliâ methodo cum illis agendum eſſe judicavit, oſtendendo nimirùm gratiam ſtatûs innocentiæ propriam longè diverſam eſſe ab illâ quâ nunc in ſtatu naturæ corruptæ indigemus; illam fuiſſe *adjutorium ſine quo* & poſſibilitatis, nunquam primo homini, antequam peccaſſet, defuiſſe, per illam hominem potuiſſe facillimè perſeverare, ſi voluiſſet, ut autem vellet in ejus libero relictum fuiſſe arbitrio; hanc verò eſſe *adjutorium quo* ſeipſo efficax. Ulteriùs quidem quæri poterat utrùm perſeverandi voluntas ita relicta fuerit in libero primi hominis arbitrio, per excluſionem gratiæ ſeipſâ efficacis, qualis eſt ea quâ nunc indigemus, ut tamen alio titulo & per aliud adjutorii genus non fuerit donum Dei; verùm ab iſtâ quæſtione conſultò abſtinuit Doctor ſapientiſſimus, ne illos, quorum offenſioni mederi volebat, novâ motâ quæſtione magis turbaret.

Hâc methodo ſcriptoribus polemicis uſitatiſſimâ, quâ in controverſiis dirimendis ultra metas propoſitæ quæſtionis non excurritur, ſæpè uſus eſt S. Auguſtinus. Sic in Epiſtolâ 102, al. 149, Paganis objicientibus Chriſtum nimis ſerò in terris apparuiſſe, reſpondet tantummodò „ tunc „ voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctri„ nam ſuam, quando ſciebat & ubi ſciebat eſſe qui in eum fuerant „ credituri: " prudentius judicans, ut ipſemet teſtatur in libro *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 9, abſtinere tunc à quæſtione profundiore, „ utrùm nempe prædicato ſibi evangelio à ſeipſis habituri eſſent „ fidem, an, Deo donante, ſumpturi." Sic in libris *de Geneſi ad litteram* Manichæis ab ipſo quærentibus *an poſſint omnes homines divina*

implere præcepta, reſpondet *omnes homines hoc poſſe*, *ſi velint*; neque tunc putavit diſcutiendum utrùm ex ſeipſis id velint, an præparetur eorum voluntas à Domino, uti obſervat ipſemet lib. 2. *Retractationum*, cap. 10. Sic etiam in libro 2°. *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 17, expendens „ cur non ſit homo in hâc vitâ ſine peccato, cùm „ gratiâ adjuvante divinâ id poſſit," reſpondet „ non eſſe homines „ ſine peccato, quia homines nolunt." Et poſteà: „ Si ex me quæ- „ ratur quare nolunt, imus in longum." Et iterùm: „ Etiam hoc „ ſine præjudicio diligentioris inquiſitionis breviter dicam. Nolunt „ homines facere quod juſtum eſt, vel quia latet an juſtum ſit, vel „ quia non delectat..... Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave „ fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat „ voluntates, quâ ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non „ in Deo." Sic denique ſe geſſit in diſputatione adversùs Pelagianos. Nam de altiſſimo prædeſtinationis reprobationiſque myſterio, quamvis cum materiâ gratiæ arctiſſimè connexo, non priùs diſſeruit, quàm diſputationum ſerie & Maſſilienſium objectionibus illud tractare coactus fuerit; adeò curæ illi fuit, agendo præſertim adversùs hæreticos, illas quæſtiones non movere, quæ animis malè jam affectis offendiculo eſſe potuiſſent. Mirum igitur non eſt quòd hâc ſapientiſſimâ methodo uſus fuerit in libro ad monachos Adrumetinos directo., ſeque intra materiam gratiæ propriè dictæ ita continuerit, ut quæſtionem de concurſu divino ſeu motione phyſicâ nullatenùs attigerit.

4°. Eò magis ita ſeſe gerere debuit illo in libro S. Doctor, quòd hoc unum ipſi propoſitum eſſet, ut exponeret in quo differat gratia ſtatûs innocentiæ à gratiâ quâ nunc indiget natura corrupta; ac proinde de illo ſolo gratiæ adjutorio loqui debuit, quod unicuique ſtatui peculiare eſt, non verò de illo quod cuilibet naturæ ſtatui, & pro quibuſcunque actibus commune eſt. Atqui præmotionis phyſicæ indigentia cuilibet naturæ ſtatui æqualiter communis eſt & pro quocunque actu creaturæ. Ergo de illâ prorsùs ſilere debuit eo in libro S. Doctor.

Inſtant 1°. S. Auguſtinus docet Deum in ſtatu innocentiæ oſtendere voluiſſe quid poſſet liberum arbitrium ſanum & integrum; in iſto autem ſtatu quid poſſit gratiæ ſuæ beneficium. Ergo in ſtatu innocentiæ liberum hominis arbitrium non alio indigebat quàm poſſibilitatis adjutorio.

Diſtinguo antecedens: Deus oſtendere voluit quid poſſet ſanum primi hominis liberum arbitrium, per excluſionem gratiæ delectationiſque victricis, concedo: per excluſionem præmotionis phyſicæ, nego. Inter delectationem ſeipsâ victricem & præmotionem phyſicam hoc intereſt, ut jam dixi, quòd delectatio victrix infirmæ voluntati vires perditas reſtituat, præmotio verò phyſica ſanæ ac robuſtæ primi hominis voluntati nullas vires adderet, ſed eam applicaret tantummodò & phyſicè determinaret

Digitized by Google

determinaret ad actum. Poterat ſanè homo innocens & viribus integer, abſque adjutorio gratiæ per ſe efficacis, quod lapſus non poteſt; ſed itane valebat ut, Deo non movente, vellet & operaretur? Non ita profectò ſenſit S. Auguſtinus: quin imò ex peccato ipſo primi parentis ſæpiſſimè demonſtravit, ut vidimus ſuprà, liberum hominis arbitrium ſanum & viribus integrum, ſi non adjuvetur à Deo, nihil poſſe nec valere, niſi ad ruendum, atque ad malum duntaxat ſibi ſufficere.

Inſtant 2°. S. Auguſtinus perſeverandi voluntatem nonniſi libero primi hominis arbitrio attribuit. Ait quippe Deum fortiſſimo dimiſiſſe facere quod vellet; *tale* illi datum fuiſſe *adjutorium, ſine quo non poſſet perſeverare ſi vellet, non quo fieret ut vellet: ut autem vellet, in ejus relictum eſſe arbitrio*; demum ſanctos angelos, *cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem arbitrium ſtetiſſe*. Ergo &c.

Cur libero arbitrio attribuatur quod ſine præmotione phyſicâ non fit.

Diſtinguo pariter antecedens. S. Auguſtinus perſeverandi voluntatem libero Adami arbitrio attribuit, per excluſionem gratiæ præmoventis, ac certò determinantis ſeu inclinantis ad perſeverandum, concedo: per excluſionem adjutorii applicantis & phyſicè determinantis voluntatem, nego. Homo innocens ſatis virium habebat ad perſeverandum in juſtitia, ſi voluiſſet, nec indigebat gratiâ præveniente, quæ voluntatem ipſius moraliter ac certò determinaret: ſed, quatenus cauſa ſecunda, indigebat influxu ac motione cauſæ primæ, propter dependentiam eſſentialem creaturarum à Deo. Addamus cum Illuſtr. Boſſueto in tractatu *de Libero arbitrio*, cap. 10, idcircò perſeverantiam meritò attribui libero arbitrio angelorum & hominis, quia, ſicut nullâ præveniente & indeliberatâ tentatione excitabantur ad malum, ita nullâ quoque præveniente & indeliberatâ delectatione inclinabantur in bonum. Unde, ſi quæratur cur Adamus peccaverit, vel cur ſancti angeli in bono perſeveraverint, reſponderi non poteſt, ſicuti nunc de homine lapſo reſponderi poſſet, Adamum peccaviſſe, quia concupiſcentiâ abſtractus fuit & illectus; ſed reſpondendum eſt, quia voluit, nullo ſcilicet indeliberato affectu impulſus: reſponderi pariter non poteſt ideò ſanctos angelos in juſtitiâ ſtetiſſe, quia gratiâ præveniente ad perſeverandum illecti ſunt, ſed rectè reſpondetur, quia voluerunt. Illud namque intereſt gratiam prævenientem inter & præmotionem phyſicam, quòd, poſitâ gratiâ præveniente per ſe victrici, voluntas, antequàm conſentiat, habeat in inſtanti ſaltem rationis motivum certum conſentiendi, in quod, tanquam cauſam moralem, conſenſus ſubſequens refundi poteſt: contrà verò, poſitâ ſolâ præmotione phyſicâ, nihil ſit ante actualem motum voluntatis, quo magis inclinetur ad hoc volendum quàm ad nolendum, nec alia ratio afferri queat propter quam hoc velit, niſi quia hoc vult. Comparatione iſtud illuſtrabitur. Si quæras cur avarus grande aliquod lucrum proſequatur, ratio non eſt præciſè, quia vult, ſed quia nummos vehementer amat: ſi autem quæras cur inter multa media illud lucrum acquirendi, quæ ſuppo-

nuntur æqualia, iſtud eligat, ratio non eſt quòd in hoc medium magis inclinetur quàm in alia, ſiquidem omnia illa media ipſi videntur æqualia, ſed tantummodò quia vult iſtud eligere, tametſi illa electio non fiat abſque præmotione phyſicâ. His poſitis, ad ſingula S. Auguſtini dicta reſpondendum eſt.

Ad primum reſpondeo reipſâ Deum homini fortiſſimo dimiſiſſe facere quod vellet, non modò ut oſtenderetur quod natura ſana valeret abſque gratiâ victrici, ſed etiam ut demonſtraretur eam, licet viribus integris præditam, ſine gubernante & operante Deo non ſufficere niſi ad peccandum, ut alibi declarat S. Doctor.

Ad alterum dico adjutorium *ſine quo*, quod gratia fuit ſtatui innocentiæ peculiaris, non determinaſſe nec certò inclinaſſe voluntatem ad perſeverandum, ſed in ejus reliquiſſe arbitrio ut vellet ſeu nollet perſeverare; ac proinde actum perſeverandi, quamvis abſque præmotione phyſica non produceretur, nihilominùs libero hominis arbitrio rectè attribui, quia nullo motu præveniente ad illum impellebatur.

Ad tertium dico ſanctos angelos reipſâ ſtetiſſe in bono per ſuum liberum arbitrium iiſdem prorſùs, ac malorum, auxiliis gratiæ tum habitualis, tum actualis inſtructum, non tamen ſine motione divinâ; quæ, cùm ad quoſlibet creaturarum actus requiratur, & aliundè nec præveniens, nec indeliberata ſit, minimè impedit quominùs actus libero arbitrio ſeſe ultrò & quia vult determinanti attribuantur. Ipſi etiam Thomiſtæ diſcrimen iſtud ponunt inter actus naturales & actus ſupernaturales, quòd hi ſint à gratiâ, illi à libero arbitrio, tametſi ad utroſque prædeterminationem phyſicam requiri contendant. Meritò itaque dicit S. Auguſtinus naturam ſanam & integram ſtare potuiſſe per liberum arbitrium, quia liberi arbitrii vires tunc ſufficiebant abſque gratiâ ullâ præveniente ac determinante; naturam verò corruptam non ſtare per liberum arbitrium, quia vires liberi arbitrii per peccatum perditæ jam non ſufficiunt. Enimverò ſi quæras à Thomiſtis cur è duobus hominibus, quorum tibiæ fractæ fuerint, ſed quorum alter ſanatus fuerit, alter verò non ſanatus, iſte ambulet, ille non ambulet, rectè reſpondebunt iſtum ambulare, quia ſanatus eſt, illum non ambulare, quia ſanatus non eſt, nec poteſt ambulare: ſi autem ab eiſdem quæras quare ex duobus hominibus, quorum tibiæ ſemper fuerunt ſanæ, iſte actu ambulet, ille autem non ambulet, optimè reſpondebunt iſtum ambulare quia ita vult, illum autem non ambulare quia non vult, quamvis iſtum à Deo phyſicè præmoveri ad ambulandum minimè dubitent.

Inſtant 3°. S. Auguſtinus ait merita ſtatûs innocentiæ fuiſſe merita humana, nunc autem eſſe Dei munera, vitamque æternam, quæ nunc eſt donum gratiæ, tunc futuram fuiſſe mercedem meriti. „ Nunc au„ tem, inquit lib. *de Corrept. & gratiâ*, cap. 11. num. 32, „ per pecca„ tum perdito bono merito, in his qui liberantur factum eſt donum

„ gra-

„ gratia, quæ merces meriti futura erat.“ Et cap. 12, num. 37: „ Quæ „ (merita ſua) potuit habere, ſed perdidit, & per quod habere potuit, „ per hoc perdidit, hoc eſt, per liberum arbitrium: propter quod non „ reſtat liberandis, niſi gratia liberantis.“ Et lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 15. num. 31: „ Humana hîc merita conticeſcant, quæ „ perierunt per Adam, & regnet quæ regnat Dei gratia per Jeſum Chriſ- „ tum Dominum noſtrum.“ Atqui hæc dici minimè poſſunt, ſi Deus hominis innocentis merita phyſicè præmovendo operabatur.

Quo ſenſu merita ſtatûs innocentiæ dici poſſunt merita humana.

Nego minorem. Merita noſtra in præſenti etiam naturæ ſtatu dici poſſunt merita humana, & vita æterna ſæpè appellatur in ſcripturis merces & corona juſtitiæ: in ſtatu quoque innocentiæ merita dici poterant dona Dei, & vita æterna gratiæ nomine inſigniri. Non immeritò tamen S. Auguſtinus, duos illos ſtatus opponens, dixit in primo merita fuiſſe humana, & vitam æternam fuiſſe mercedem meriti; in iſto autem merita eſſe dona gratiæ, vitamque ipſam æternam eſſe gratiam Dei: 1°. Quidem, quia præmotio phyſica, cùm ad actus quoſcunque, etiam merè naturales, producendos requiratur, minimè impedit quin merita ipſâ operante acquiſita poſſint dici merita humana, ſicut actus quicunque naturales ſolent dici actus humani: nunc verò, cùm merita ſanctorum Deus operatur, non ſolum ea phyſicè operatur, verùm etiam inſpirando victricem dilectionem juſtitiæ, quæ voluntatem ſanat, convertit, roborat, viresque rectè agendi per peccatum perditas reparat. 2°. Quando homo innocens per pios actus merita ſibi comparabat, operabatur, modo ſuæ inſtitutioni ſuoque ſtatui conſentaneo, ex viribus in ſuâ creatione acceptis, juxta inclinationem originalem ſuæ voluntatis, nullo contrario affectu obſiſtente; adeòque bona ipſius opera ex voluntate rectâ, quaſi ſponte ſuâ & connaturaliter, naſcebantur: nunc verò voluntas humana per peccatum corrupta, viribus per quas olim mereri potuit amiſſis, ſananda, corrigenda, reformanda, ac veluti de novo inſtauranda eſt, ut ad merendum idonea eſſe poſſit. Quamobrem quando benè operatur, non agit ſecundùm præſentem naturæ lapſæ ſtatum, ſed ſecundùm novum hominem, in quem per gratiam transformamur, ut ſimus nova in Chriſto creatura novumque figmentum. 3°. Quamvis homini ſano non deberetur donum efficax perſeverantiæ, non tamen eo indignum ſe præbuerat, niſi quando de ſuis viribus præſumpſit: nunc vero univerſa generis humani maſſa nonniſi damnationem meretur, juſque ad regnum cælorum, quod juſtis per gratiam datur, non merentibus, ſed planè indignis miſericorditer redditur.

Inſtant 4°. Si perſeverantia in juſtitiâ originali fuiſſet donum Dei phyſicè præmoventis, Adamus debuiſſet donum illud ſuppliciter expoſcere. Atqui, ex S. Auguſtino lib. 6 *Op. imperf.* cap. 15, primus homo non tenebatur petere à Deo perſeverantiam. Cùm enim dixiſſet nobis orandum eſſe ne quid mali faciamus, ne ve inferamur in tentationem, hæc

hæc addit: „ Quod ſi eſſet in poteſtate, quomodò fuit antè peccatum, „ priusquàm eſſet natura humana vitiata, non utique poſceretur orando, „ ſed agendo potiùs teneretur. Verùm poſt priſtinam ruinam tam gra- „ vem,...... profectò, niſi Deus adſit, nemo eſt idoneus certare cum „ vitiis.... Ideò in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certa- „ re quàm viribus, quia & ipſas vires, quantas hic habere nos compe- „ tit, ipſe ſubminiſtrat certantibus quem rogamus.“ Inſinuat quoque S. Doctor licitum fuiſſe homini innocenti in ſeipſo gloriari. Sic enim loquitur in lib. *de Correptione & gratia*, cap. 12. num. 37: „ Placuit „ Deo, quò maximè humanæ ſuperbiam præſumptionis extingueret, ut „ non glorietur omnis caro coram ipſo, id eſt, omnis homo. Unde „ autem non glorietur omnis caro coram ipſo, niſi de meritis ſuis? „ Quæ quidem potuit habere, ſed perdidit“ Ergo potuiſſet primus homo de meritis ſuis gloriari; quod certè non potuiſſet, ſi ejus merita fuiſſent Dei phyſicè præmoventis dona.

Reſpondeo negando minorem. Abſit profectò ut ſentiamus S. Auguſtinum exiſtimaſſe primum hominem non debuiſſe petere à Deo perſeverantiam in bonis quæ ab illo acceperat. Ait quidem Adamum poſtulare non debuiſſe vires & robur contra vitium concupiſcentiæ, quia nulla tunc erat mali concupiſcentia; ſed nuſquam dicit Adamum non debuiſſe petere à Deo perſeverantiæ bonum: è contrario plurimis in locis obſervat ideò primum hominem à Deo fuiſſe derelictum, quia, de ſuis viribus præſumendo, orare neglexit. „ In paradiſo, inquit Enarrat. 2. in Pſalmum 29, num. 18, „ non clamabas (eo ſcilicet clamore qui miſerorum proprius eſt, & quo liberantis imploratur adjutorium), „ ſed laudabas: non gemebas, ſed fruebaris: foris poſitus geme & „ clama: propinquat tribulato qui DESERUIT SUPERBIENTEM.“ Sanctus quoque Papa Gelaſius in dictis contra Pelagianam hæreſim expreſſè docet primos parentes ideò cecidiſſe, quia Deum, ut ſtarent, non deprecati ſunt. „ Non orando, inquit, quod utique nunquam feciſſe „ referuntur, nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata permanerent ſuppliciter implorando, incolumes conſtare nequiverunt.

Abſit quoque ut eximius humilitatis prædicator ſenſerit licitum fuiſſe primo homini in ſeipſo gloriari, cùm è contrario multoties inculcet eum, nonniſi de ſe præſumendo, in peccatum incidiſſe. Mens ergo S. Doctoris in loco allato eſt, Adamo licuiſſe de ſanitate ac viribus ſuis gloriari, non in ſeipſo, ſed in Domino, à quo tot bona acceperat; nunc verò nihil nobis ſupereſſe unde gloriari poſſimus.

QUÆSTIO

QUÆSTIO TERTIA.

De differentiis gratiæ ſtatûs naturæ innocentis, & gratiæ reparatricis naturæ lapſæ.

Quæstio hìc non eſt de præmotione phyſicâ in quovis naturæ ſtatu & ad quoſvis creaturarum actus producendos neceſſariâ, ſed tantummodò de adjutorio gratiæ propriè dictæ, ſive in ſtatu naturæ ſanæ & integræ, ſive in ſtatu naturæ corruptæ. Conſtat ex modò dictis adjutorium homini ſano ad perſeverandum datum planè diverſum fuiſſe ab eo quod nunc per Chriſtum nobis datur. Sed operæ pretium eſt illorum differentias ſummatim recenſere, ut unico veluti intuitu deprehendatur quanta fuerit primævi ſtatûs excellentia, & quanta ſit ſubſecutæ infirmitatis gravitas.

Prima differentia eſt quòd gratia ſtatûs innocentiæ peculiaris fuerit gratia Dei creatoris, ea verò quæ nobis nunc datur ſit gratia ſervatoris, meritis & morte Chriſti acquiſita.

Secunda eſt quòd primus homo gratiam in ſuâ perſonâ abſque interventu mediatoris acceperit, eamque, ſi in illâ perſeveraſſet, ejus poſteri à Deo immediatè in ſuâ quiſque perſonâ accepiſſent : nunc verò quidquid gratiæ hominibus confertur, id totum interpellationi Chriſti mediatoris debeatur, atque ab ipſius divinâ perſonâ ac de ejus plenitudine in nos, tanquam illius membra, derivetur. Hanc doctrinam ſcripturæ ſacræ paſſim inculcant. Deus promiſit Abrahæ *in* ejus *ſemine*, *quod eſt Chriſtus*, *benedicendas fore omnes gentes terræ*. *De plenitudine ejus*, inquit S. Præcurſor (Joan. I.), *nos omnes accepimus*. S. Paulus ſuis in Epiſtolis ſæpiſſimè docet Chriſtum *factum eſſe nobis ſapientiam à Deo*, *& juſtitiam*, *& ſanctificationem*; in Chriſto nos electos fuiſſe, Chriſtum eſſe caput corporis Eccleſiæ, & nos ipſius membra, in ipſo nos mortuos, conſepultos, conreſuſcitatos fuiſſe. Idem frequenter docent SS. Patres, Athanaſius Orat. 3. contra Arianos, num. 18 ; S. Auguſtinus lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 7. num. 14, & alii plurimi, quorum teſtimonia videri poſſunt apud Thomaſſinum lib. 6. *de Incarnatione*, cap. 4. 7. 8 & 9. Idem apertiſſimè profeſſi ſunt centum Galliarum Epiſcopi in ſuâ Expoſitione doctrinæ anni 1720, art. 3, ubi ſic loquuntur : „ C'eſt un dogme de foi, que l'homme depuis ſa chûte ne peut ni „ approcher de Dieu, ni obtenir rien que par J. C. C'eſt en lui „ que nous ſommes élus & réconciliés avec Dieu. Ce n'eſt qu'en J. C.

Digitized by Google

„ & par J. C. que nous ſommes ſanctifiés. Nous ne ſommes tous avec „ J. C. qu'un ſeul corps, dont il eſt le chef & dont nous ſommes les „ membres. Ce n'eſt plus qu'en qualité de membres de ce divin chef „ que nous recevons l'eſprit qui nous fait vivre dans la juſtice & „ dans la ſainteté : c'eſt en lui & par lui que nous devenons juſtes de „ la juſtice de Dieu."

Tertia differentia eſt, quòd homo innocens, tametſi nullo præcedente merito adjutorium gratiæ mereretur, eo tamen non eſſet indignus, immo Deus ſapientiæ ac providentiæ ſuæ deberet creaturam rationalem ad imaginem ſuam conditam inſtruere auxilio gratiæ, cujus ope poſſet in juſtitiâ perſeverare, ſi vellet; homo verò lapſus & peccato fœdatus nonniſi damnationem ex ſeipſo mereatur, & gratiâ planè ſit indignus.

Quarta eſt, quòd primo homini, quandiu in juſtitiâ ſtetit, adjutorium gratiæ nunquam defuerit, nec deeſſe potuerit; nunc verò gratiæ adjutorium non omnibus detur, & quibus datur, miſericorditer detur, quibus non datur, juſto judicio non detur. Id expreſſè docet S. Auguſtinus lib. *de Correptione & gratiâ*, cap. 11. „ Quoad adjutorium (*ſine quo*), inquit, „ ſi angelo vel homini, cùm primùm facti ſunt, „ defuiſſet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent. Adjutorium quippe de- „ fuiſſet, ſine quo manere non poſſent; nunc verò quibus deeſt, pœna peccati eſt." Idem quoque docet Richardus Victorinus lib. 1. *de Statu interioris hominis*, cap. 27. „ Gratia, inquit, quam homo ſemel acce- „ pit, ante peccatum juſtè ſubtrahi non potuit, quam etſi præter meri- „ tum acceperat, ſine culpâ tamen amittere non debebat : nunc autem „ omni horâ juſtè poteſt ſubtrahi, quia nunquam poteſt homo ſine „ culpâ inveniri."

Quinta eſt, quòd homo viribus integer multa cum adjutorio gratiæ ſemper ſibi præſente facere potuerit, quæ nunc juſti non poſſunt, atque imprimis abſque ullo peccato vivere. Hanc differentiam aſſignat idem Richardus ibidem, cap. 21. „ Attende, inquit, qualem gratiam accepit, „ & quantùm per illam potuit, & tunc intelliges quid poteſtatis amiſit. „ Sanè abſque dubio & abſque omni contradictione ſufficientem gratiam „ habuit ante peccatum, non ad omne bonum faciendum, ſed ad omne „ debitum ſolvendum, & ad omne malum cavendum. Quis glorietur „ ſe hanc poſſibilitatis integritatem recuperaſſe, vel præſumat ſe in hâc „ vitâ poſſe recuperare?... Gratiam itaque, ſed gratis, recuperare „ poteſt, & in recuperatâ gratiâ quotidie proficere poteſt; veruntamen „ primæ poſſibilitatis integritatem recuperare non poteſt. Et ſi majorem „ gratiam juxtà aliquid recuperare poſſit, integram tamen hâc in vitâ „ habere non poteſt.... Gratiam ſanè integram veraciter tunc haberet, „ ſi ad omne debitum ſolvendum, & ad omne illicitum cavendum „ ſibi ſufficeret; ſed, ſecundùm Salomonis ſententiam, *non eſt juſtus* „ *in terrâ qui faciat bonum, & non peccet.* Integram itaque gratiam recuperare

Digitized by Google

„ recuperare non poteſt, nec ad primæ poſſibilitatis integritatem poſt „ corruptionis ſuæ malum proficere poteſt, eo quòd caput languidum „ ſit, & infirmitas ejus plenam curationem non recipit.“

Sexta differentia eſt, quòd gratiæ indigentia ad multò plura nunc extendatur, quàm ante peccatum, ſcilicet ad ſanandam naturæ infirmitatem, ad depellendam agendorum ignorantiam, ad vincendam concupiſcentiam, ad liberandam voluntatem à ſervitute peccati, ad domandas pravas conſuetudines, earumque reliquias extirpandas &c. „ Homo poſt peccatum, ait S. Thomas part. 1. quæſt. 95. art. 4. ad 1, „ ad plura indiget gratiâ, quàm ante peccatum, ſed non magis, quia „ homo etiam ante peccatum indigebat gratiâ ad vitam æternam conſequendam, quæ eſt principalis neceſſitas gratiæ; ſed homo poſt „ peccatum ſuper hoc indiget gratiâ etiam ad peccati remiſſionem & „ infirmitatis ſuſtentationem.

Septima eſt, quòd in ſtatu innocentiæ homo nullis prævenientibus & indeliberatis gratiæ motibus ad bonum impelleretur, ſed ſuavi quadam & indeterminatâ juſtitiæ delectatione ad permanendum in bono invitaretur: nunc verò, ſicut indeliberatis concupiſcentiæ motibus ad peccandum allicimur, ita prævenientibus gratiæ motibus ad bonum attrahamur.

Octava eſt, quòd gratia in ſtatu innocentiæ, quamvis multò pleniorem & integriorem boni poſſibilitatem tribueret, ſeipsâ tamen efficax non foret, ſed, ſolâ perſeverandi poſſibilitate ſubminiſtratâ, perſeverantiam ipſam in libero relinqueret voluntatis arbitrio: gratia verò ad rectè agendum neceſſaria, quæ nunc per Chriſtum datur, etſi minùs integra, tamen multò potentior ſit, vireſque ſuppeditet non modò ſufficientiſſimas, ſed etiam efficaciſſimas; ita ut per illam non ſolùm poſſimus bonum amplecti & in eo perſeverare, ſi velimus, ſed etiam ad volendum inſuperabiliter determinemur. Uno verbo, illa fuit adjutorium *ſine quo*, lætius quidem, ſed minùs validum, & quoad uſum libero dimiſſum arbitrio; hæc autem eſt adjutorium *quo*, minùs quidem lætum, quia non excludit omnem miſeriam & pugnam, ſed multò potentius, quia virtute ſuâ facit cuncta adverſantia ſuperari, ut copiosè docet S. Auguſtinus in lib. *de Correptione & gratiâ*. Hanc differentiam exprimit S. Fulgentius lib. 3. *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 17. „ Libertas primi hominis majorem habuit pacem, ſed nunc „ libertas fidelium per gratiam majorem accipit caritatem.... Major „ ergo nunc datur gratia, dum per fidem liberum reparatur arbitrium; „ & cùm dono fidei & caritatis infuſo arbitrii noſtri Deus reparat liber„ tatem, ſic in nobis perficit in infirmitate virtutem. Sano enim „ primi hominis arbitrio ſubrepſit ruina per vitium; ut autem in ho„ minibus ſanetur arbitrium, major gratia eſt donata poſt vitium.... „ Et ſi non tantam habet arbitrium, quantam priùs habuit, ſanitatem

Digitized by Google

„ & pacem, majorem tamen accipit ex largitate virtutem, ut voluntas
„ hominis, quæ ſola deceptoris ſuaſione diſceſſerat à Deo, nunc gratiæ
„ ſubnixa præſidio non ſolùm ſuaſionibus, ſed nec tormentis ſeparetur
„ à Chriſto. Ita Chriſtus Deus mirabiliter oſtendit quid humana virtus
„ valeat, quid divina; ut homo qui per propriam virtutem victus
„ eſt ſanus, acceptâ majore gratiâ, non vincatur infirmus. Virtus
„ itaque hominis, quæ minorem habuit gratiam, ſponte victa cecidit;
„ & infirmitas hominis majore adjutorio gratiæ victoriam recipit quam
„ amiſit."

Nona differentia eſt præcedentis ſequela, quòd ſcilicet in ſtatu innocentiæ perſeverantia ita fuerit in poteſtate liberi arbitrii, ut ſive perſeveraret, ſive non, vires ſemper haberet integras ad perſeverandum ſi vellet, atque ope adjutorii *ſine quo* pleno ac perfecto gauderet voluntatis æquilibrio, quamvis, ut jam dictum eſt, actum perſeverandi non produceret abſque motione Dei phyſicâ ad ſingulos creaturarum actus neceſſariâ; nunc verò, amiſſo illo libertatis æquilibrio, per gratiam ſeipſâ efficacem vires recipiamus efficaciſſimas; illi verò quibus gratia non datur, aut minor datur quàm ſit oppoſita cupiditas, quamvis potentiâ phyſicâ & abſolutâ nunquam careant obſervandi mandata, vires tamen non habeant ad rectè agendum requiſitas, indigeantque non ſolùm phyſicè applicari à Deo ad opera pietatis, ſed etiam ſanari à ſuâ infirmitate & corroborari, ut bonum reipſâ operari valeant.

Decima tandem differentia eſt, quòd merita ſtatûs innocentiæ, quamvis ſine motione Dei phyſicâ non producerentur, dici poſſent merita humana, tum quia gratia illius ſtatûs propria in libero hominis arbitrio relinquebat ut vellet vel nollet ea comparare, tum quia primævæ hominis inſtitutioni ac ſanitati erant quodammodò connaturalia; nunc verò peculiari ſenſu Dei munera dicenda ſunt, quia non naturæ infirmæ viribus, ſed adjutorio gratiæ medicinalis ac ſeipſo efficacis acquiruntur.

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

De peccato primi parentis.

Eximias naturæ innocentis dotes univerſo humano generi abſtulit primi hominis peccatum, per quod ingens malorum cohors mundo incubuit. De illo peccato multa diſputant Theologi, quæ, quoniam ad propoſitum noſtrum non pertinent, aut parùm utilia ſunt, prætermittimus. Tria tantùm attingere viſum eſt: primum, quodnam fuerit primum Adami peccatum; alterum, quàm grande illud fuerit; tertium, cur Deus optimus illud permiſerit. Hæc tria totidem quæſtionibus diſcutiemus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quodnam fuerit primum Adami peccatum, & quomodò in illud inciderit.

Certum eſt primos parentes inobedientiâ peccaſſe, comedendo contra vetitum de fructu arboris ſcientiæ boni & mali; ſed omnes ferè conſentiunt viam ad illud peccatum per aliquod aliud, quod in animâ præceſſerit, factam fuiſſe: quodnam verò illud fuerit, non uno modo omnes definiunt.

Calvinus, ſicut hominem lapſum ſolâ fide juſtificari contendit, ita exiſtimavit primum hominis peccatum fuiſſe infidelitatem, quâ Deo mortem comminanti credere noluit. Sed ſtare iſtud nullomodò poteſt. Infidelitatem quippe neceſſariò præcedit aliquis error, vel ſaltem ignorantia: atqui neutrum horum in homine ante peccatum extitit. Quamobrem S. Auguſtinus lib. 11. *de Geneſi ad litteram*, cap. 30. num. 39, hæc ait: „ Quando his verbis crederet mulier à bonâ atque utili re „ divinitùs ſe fuiſſe prohibitos, niſi jam ineſſet menti amor ille propriæ „ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio?" Nec obſtat quòd aliqui Patres Adamum in infidelitatem lapſum eſſe dicant, ut Tertullianus libro 2. *Contra Marcionem*, cap. 2, ubi ejus peccatum

 appellat

appellat *hæreſim*; S. Ambroſius lib. 5, epiſt. 33 ad Marcellinam ſororem ſuam, ubi ait illum *indumenta fidei perdidiſſe*; ſanctus ipſe Auguſtinus in *Enchiridio*, cap. 45; S. Proſper in *Reſponſione ad Excerpta Genuenſium*, dubio 3; S. Leo ſermone 4 in Nativitate Domini; S. Fulgentius lib. *de Incarnatione & gratiâ*, cap. 22: non enim negamus primum hominem aliquâ infidelitate peccaſſe, ſed negamus eam primum illius peccatum fuiſſe.

S. Bonaventura & Scotus arbitrati ſunt primum Adami peccatum fuiſſe inordinatum conjugis ſuæ amorem; verùm, cùm amor proximorum naſcatur ex amore noſtri, neceſſe eſt Adamus ſeipſum priùs inordinatè amaverit quàm conjugem.

Primum hominis peccatum fuit ſuperbia.

Rectiùs docent plerique Theologi primam hominis inordinationem fuiſſe ſuperbiam. Id enim ſcriptura ipſa teſtatur, ſive cùm generatim pronuntiat, Proverb. XVI. 18, *ante ruinam exaltari cor hominis*, ſive cum id ſpeciatim de primo peccato aſſerit. Sic Tobias cap. 4: *In ipſâ* (ſuperbiâ), inquit, *initium ſumpſit omnis perditio*: & Eccleſiaſtes cap. 10: *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare Deo, quoniam ab eo qui fecit illum receſſit cor ejus.* Et ibidem: *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.*

In id etiam conſentiunt SS. Patres.

S. Auguſtinus lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 13. num. 1: „ In occulto, inquit, mali eſſe cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur: non enim ad malum opus perveniretur, niſi præceſſiſſet mala voluntas. Porrò malæ voluntatis initium quod potuit eſſe, niſi ſuperbia? Initium enim omnis peccati ſuperbia eſt. Quid eſt autem ſuperbia, niſi perverſæ celſitudinis appetitus? Perverſa enim celſitudo eſt, deſerto eo, cui debet animus inhærere, principio, ſibi quodammodò fieri & eſſe principium. Hoc fit cùm ſibi nimis placet: ſibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit quàm ipſe ſibi.“

Julianus Pomerius lib. 2 *de Vitâ contemplativâ*, cap. 19: „ Mihi quidem videtur, ait, quòd non ederent de ligno prohibito niſi deſerti, nec deſererentur à Deo, niſi priùs ipſi deſererent Deum, nec deſererent Deum niſi ſuperbirent, & ſimilitudinem Dei damnabiliter appetiſſent...... Non igitur moveret.... aperta concupiſcentia, niſi eos ante corrupiſſet occulta ſuperbia.“

Idem docent S. Baſilius in Homilia *Quòd Deus non ſit auctor malorum*; S. Ambroſius in Lucæ caput 4um; S. Chryſoſtomus Hom. 16 in Geneſim & 11. ad populum Antiochenum, & lib. *de Providentia*; S. Leo Serm. 5 de Nativitate Domini; S. Fulgentius lib. *de Incarnatione & gratiâ*, cap. 22; S. Eucherius lib. 1 in Geneſim; S. Gregorius magnus lib. 4 Moralium, cap. 9, & lib. 34, cap. 17; S. Joannes Damaſcenus lib. 2 *de Fide*, cap. 10; Lupus Servatus lib. *de Tribus Quæſtionibus*, quæſt. 1. num. 9: Florus lib. *de Prædeſtinatione adverſùs Scotum*, cap. 7; S. Bernardus Serm.

Digitized by Google

Serm. 1 de Adventu, & Serm. 66 de Diverſis, num. 5; Rupertus lib. 3 in Geneſim, & lib. 10 in Matthæum; Magiſter Sententiarum lib. 2, diſt. 22, quem ſecuti ſunt plerique Scholaſtici.

Hos inter unum appellabimus S. Thomam ſic loquentem 2. 2. quæſt. 165. art. 2, ad 3um: „ Primum peccatum primi parentis.... non fuit ino- „ bedientia, ſecundum quòd eſt ſpeciale peccatum, ſed ſuperbia, ex „ quâ homo ad inobedientiam proceſſit.“ Et quæſt. 163. art. 1, ad 1um: „ Primum quod inordinatè voluit, fuit propria excellentia, & ideò ino- „ bedientia cauſata fuit ex ſuperbiâ.“

Sanè, cùm Adamus corpus habuerit menti perfectè ſubjectum, non potuit inordinari circa exteriora, quin priùs erga ſeipſum inordinatus fuiſſet. Priùs eſt autem inordinari circa finem, quàm circa media. Itaque prima hominis perverſitas fuit, deſerto Deo, finem ſuum in re aliquâ creatâ conſtituere. Porrò res creatas à ſe diſtinctas homo non diligit, niſi in ordine ad ſeipſum; ac proinde Adamus ſeipſum primò inordinatè amavit, id eſt, propriam excellentiam tanquam ſummum ſuum bonum finemque ultimum appetivit; quod eſt propriè peccatum ſuperbiæ.

Hanc rationem optimè explicat Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. 163. art. 1, in corpore, his verbis: „ Manifeſtum eſt quòd primò invenitur „ deordinatio in motu interiori animæ, quàm in motu exteriori corpo- „ ris..... Inter motus autem interiores prius movetur appetitus in finem, „ quàm in id quod quæritur propter finem: & ideò ibi fuit primum „ peccatum hominis, ubi potuit eſſe primus appetitus inordinati finis. „ Sic autem homo erat in ſtatu innocentiæ inſtitutus, ut nulla eſſet re- „ bellio carnis adverſus ſpiritum. Unde non potuit eſſe prima inordi- „ natio appetitûs humani ex hoc quòd appetiverit aliquid ſenſibile bo- „ num, in quod carnis concupiſcentia tendit præter ordinem rationis. „ Relinquitur ergo quòd prima inordinatio appetitûs humani fuit ex „ hoc, quòd aliquod ſpirituale bonum inordinatè appetiit. Non autem „ inordinatè appetiviſſet, appetendo id ſecundùm menſuram ſuam „ ex divinâ regulâ præſtitutam. Unde relinquitur quòd primum pec- „ catum hominis fuit in hoc, quòd appetiit aliquod ſpirituale bonum „ ſupra ſuam menſuram; quod pertinet ad ſuperbiam. Unde manifeſ- „ tum eſt quòd peccatum primi hominis fuit ſuperbia.“

Verùm in quo poſita fuit illa ſuperbia? Serpens mulieri dixerat: *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.* Non tamen probabile eſt hominem abſolutè ambiviſſe divinitatem divinoſque honores: ſciebat enim id eſſe impoſſibile. Sed, occaſione verborum ſerpentis, ſibi ipſi placuit, in ſeipſo delectatus eſt, independentiam appetivit, plenitudinemque ſcientiæ, non in Deo, ut oportebat, ſed abſolutè dilexit, ſibique expetivit. Hoc autem quid eſt, niſi ſibi ipſi velle eſſe Deus? Hinc Deus hominem ſtultè elatum quodammodò ſubſannans: *Ecce*, inquit, *Adam quaſi unus ex*

Digitized by Google

ex nobis factus eſt. Plures hujus ſuperbiæ effectus deſcribunt SS. Patres; complacentiam in ſeipſo, præſumptionem, independentiæ appetitum &c. Verum omnes illi ſurculi ab inordinato ſuî ipſius amore tanquam à radice pullularunt.

Quo pacto Adamus in peccatum lapſus eſt.

Non æquè facile eſt explicare quomodò in perverſum illum ſuî amorem primus homo inciderit. Conſtat quippe nullis eum motibus innatis aut indeliberatis allectum fuiſſe ad hujusmodi amorem: alioquin Deus ipſe tentationis auctor fuiſſet. Conſtat pariter illum nullo errore, nullâ ignorantiâ, antequàm peccaſſet, offuſcatum fuiſſe. „ Non enim „ poterat eſſe, ait S. Thomas part. 1. quæſt. 94. art. 4, in corp., „ quòd, innocentiâ manente, intellectus hominis alicui falſo acquieſce- „ ret quaſi vero.“ Cenſet egregius auctor *Actionis Dei in creaturas, ſeu Præmotionis phyſicæ*, Sect. V, Adami peccatum abſtractione & inadvertentiâ inchoatum fuiſſe; deinde amore ſuî abſoluto, & ſecluſâ relatione ad Deum, conſummatum. Cùm enim per adjutorium *ſine quo*, ſeu motionem moralem & indeterminatam, de quâ ſuperiùs diximus, continuò invitaretur ad diligendum Deum, ſive in ſeipſo, ſive in rebus ab ipſo creatis conſideratum, peccare non potuit niſi abſtrahendo ac divellendo amoris rivulum, quo diligebat ſeipſum, à fonte amoris divini, à quo fluere & in quem refluere omnes ejus affectiones oportebat, ſuamque cogitationem & ſuum affectum à divinâ bonitate avertendo, & ad ſeipſum perverſè convertendo.

Dupliciter namque contingit ut quis ſe amet abſque actuali reſpectu ad Deum; vel ita ut, quamvis deſit actualis advertentia ad Deum, voluntas tamen feratur in Deum virtualiter, eumque actu diligeret ſi de illo actu cogitaret; vel ita ut ſeipſum amet abſolutè propter ſeipſum, velitque ſeipſo frui. Hoc altero modo, qui ſummè inordinatus eſt, primus homo ſeipſum dilexit, ut ait idem auctor, eòque devenit per diſtractionem voluntariam. Cùm enim ſeipſum primò amaſſet abſque actuali ad Deum advertentiâ, ſenſiſſetque ſe illo amore ſuî delectari, ſecluſit deinde penitùs relationem ad Deum, voluitque ſeipſo propriâque excellentiâ tanquam ſuo bono frui & eſſe beatum.

Hæc doctiſſimi Theologi expoſitio optimè concordat cum iis omnibus quæ de ſtatu innocentiæ hactenùs dicta ſunt. Id ſaltem certum eſt Adamum non peccaſſe primùm per amorem alicujus mali, ſed per amorem perverſum alicujus boni, id eſt, per amorem non ordinatum in Deum. Ut enim ait S. Auguſtinus lib. 14. *de Civitate Dei*, cap. 11. num. 1: „ Mala voluntas prima, quoniam omnia mala opera præceſſit „ in homine, defectus potiùs fuit quidam ab opere Dei ad ſua opera, „ quàm opus ullum; & ideò mala opera, quia ſecundùm ſe, non ſe- „ cundum Deum.“ Præclarè id explicat S. Thomas, part. 1. quæſt. 63. art. 1. ad 4um. „ Peccatum mortale, inquit, in actu liberi arbitrii „ contingit eſſe dupliciter: uno modo ex hoc quòd aliquod malum „ eligitur,

„ eligitur, ſicut homo peccat eligendo adulterium, quod ſecundùm ſe „ eſt malum; & tale peccatum ſemper procedit ex aliquâ ignorantiâ & „ errore: alioquin id quod eſt malum non eligeretur ut bonum. Errat „ quidem adulter in particulari, eligens hanc delectationem inordinati „ actûs quaſi aliquod bonum ad nunc agendum, propter inclinationem „ paſſionis vel habitûs, etiamſi in univerſali non erret, ſed veram „ de hoc ſententiam teneat. Hoc autem modo peccatum in angelis eſſe non potuit, quia nec in angelis ſunt paſſiones, quibus ratio aut intellectus ligetur, nec iterum primum peccatum præcedere potuit habitus „ ad peccatum inclinans.“ Idem dici debet de homine innocente, in quo nec pravi habitus, nec paſſiones erant ad malum inclinantes. „ Alio „ modo, pergit S. Thomas, contingit peccare per liberum arbitrium, „ eligendo aliquid quod ſecundùm ſe eſt bonum, ſed non cum ordine „ debitæ menſuræ aut regulæ; ita quòd defectus inducens peccatum „ ſit ſolùm ex parte electionis, quæ non habet debitum ordinem niſi „ ex parte rei electæ: & hujuſmodi peccatum non præexigit ignorantiam, ſed abſentiam ſolùm conſiderationis eorum quæ conſiderari „ debent. Et hoc modo angelus peccavit, convertendo ſe per liberum „ arbitrium ad proprium bonum abſque ordine ad regulam divinæ vo„ luntatis.“ Idem quoque de homine dicendum eſt.

Inde concludi debet peccatum primi hominis non fuiſſe aliquid poſitivum, ſed merum defectum, adeòque non habuiſſe cauſam niſi deficientem, voluntatem nimirùm ipſius hominis, quæ è nihilo creata ex ſe vergit in nihilum, niſi fulciatur & ſuſtentetur à creatore. „ Nec „ tamen ſic defecit homo, ait S. Auguſtinus lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 13. num. 1, „ ut omninò nihil eſſet, ſed ut inclinatus ad ſeipſum „ minus eſſet quàm erat, cùm ei qui ſummè eſt adhærebat. Relicto „ itaque Deo, eſſe in ſemetipſo, hoc eſt, ſibi placere, non jam nihil „ eſſe eſt, ſed nihilo propinquare.“ Et num. 2: „ Hinc & delectavit „ quod dictum eſt: *Eritis ſicut dii*: quod melius eſſe poſſent ſummo „ veroque principio cohærendo per obedientiam, non ſuum ſibi exiſ„ tendo principium per ſuperbiam. Dii enim creati, non ſuâ veritate, „ ſed Dei veri participatione ſunt dii. Plus autem appetendo minùs „ eſt, qui, dum ſibi ſufficere diligit, ab illo qui ei verè ſufficit, de„ ficit.

Quod autem vulgò dicitur, *omnem peccantem ignorare*, intelligendum eſt non de ignorantiâ quæ peccatum neceſſariò præcedat, ejuſque cauſa ſit, ſed de ignorantiâ quæ peccatum comitetur, & ejus pars quædam ſit. Cùm enim voluntas nihil eligat, niſi quod intellectus judicio practico pronuntiat hic & nunc eſſe eligendum, quando Adamus ſibi inordinatè placuit, hoc ipſo judicium illud practicum tulit: bonum mihi eſt meipſo frui. Sed hoc judicium, utpote voluntarium, atque

à voluntate ipsâ aut elicitum aut imperatum, non cauſa pravæ complacentiæ, ſed quædam illius pars extitit.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quàm grande fuerit Adami peccatum.

Si cujuſlibet, certè multò magis primi peccati **gravitas non humanâ** æſtimatione, ſed divino judicio penſanda eſt. S. Chryſoſtomus in Epiſtolâ ad Olympiadem illud appellat *grande peccatum, quod omne genus humanum in commune damnavit.* S. Auguſtinus, lib. 3. *Op. imperf.* cap. 65, dicit primum hominem *tantâ impietate peccaſſe, quantam nos metiri & æſtimare non poſſumus.* Ibid. lib. 1. cap. 105, illud peccatum appellat *ineffabiliter grande*: lib. 6. cap. 23, gravius illud fuiſſe aſſerit quàm ſcelera Caïn & Sodomitarum; & cap. 12 & 13, *omni malæ conſuetudinis violentiâ fuiſſe majus & pejus.*

Illa porro gravitas nullâ aliâ re meliùs æſtimari poteſt, quàm vindictâ divinâ, quæ peccatum ſubſecuta in univerſum genus humanum diffunditur; quàm totius hominis quoad animam & corpus depravatione; quàm innumeris miſeriis, quibus in illius unius pœnam damnati omnes fuimus. Quam horrendum enim fuiſſe oportuit peccatum illud, quod unum omnes homines inquinavit, iræque filios effecit, & quod Deus ſummè bonus tam ſeverâ, tam generali, tam diuturnâ pœnâ mulctavit? „ Talis damnatio ſubſecuta eſt, ut ait S. Auguſtinus lib. 14. *de Civitate Dei*, cap. 15, „ ut homo, qui cuſtodiendo mandatum futurus „ fuerat etiam carne ſpiritalis, fieret etiam mente carnalis, & qui ſuâ „ ſuperbiâ ſibi placuerat, Dei juſtitiâ ſibi donaretur; nec ſic ut in ſuâ „ eſſet omnimodis poteſtate, ſed à ſe ipſe quoque diſſentiens ſub illo cui „ peccando conſenſit, pro libertate quam concupivit, duram miſeram„ que ageret ſervitutem, mortuus ſpiritu volens, & corpore moriturus „ invitus: deſertor æternæ vitæ, etiam æternâ, niſi gratia liberaret, „ morte damnatus.“ Malorum quibus premimur enumerationi quæ ſcientia, quæ lingua ſufficeret? Abſit tamen à Deo optimo, cujus *ſuperexaltat miſericordia judicium*, ut hominum genus ultra peccati meritum puniat.

Undenam repetatur gravi- Miramur forſitan tantam reperiri poſſe criminis gravitatem eâ in tranſgreſſione, quæ leviter conſiderantibus levioris momenti videri poteſt. Verùm

Verùm audiamus quibus ex capitibus S. Auguſtinus illam penſitaverit.

tas peccati primorum parentum.

Primum eſt, quòd primus homo, ignorantiæ ac concupiſcentiæ penitus expers, ſummam habuerit implendi mandati facilitatem, viribuſque ad rectè agendum ſufficientiſſimis fuerit inſtructus. „ Quiſquis „ hujuſmodi damnationem vel nimiam, vel injuſtam putat, inquit „ S. Doctor ibidem, metiri profectò neſcit quanta fuerit iniquitas in „ peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas. Sicut enim Abrahæ „ non immeritò magna obedientia prædicatur, quia ut occideret filium „ res difficillima eſt imperata, ita in paradiſo tantò major inobedientia „ fuit, quantò id quod præceptum eſt nullius difficultatis fuit: & „ ſicut obedientia ſecundi hominis eò prædicabilior, quò factus eſt „ obediens uſque ad mortem, ita inobedientia primi hominis eò de- „ teſtabilior, quò factus eſt inobediens uſque ad mortem. Ubi enim „ magna eſt inobedientiæ pœna propoſita, & res à creatore facilis im- „ perata, quiſnam ſatis explicet quantum malum ſit non obedire in re „ facili & tantæ poteſtatis imperio, & tanto terrenti ſupplicio?"

Secundum eſt excellentia illius ſtatûs, à quo excidere tantò màjor ruina fuit, quantò eminentior fuit. „ Illius natura, ait idem S. Doctor lib. 6. *Op. imperf.* cap 22, „ quantò magis ſublimiter ſtabat, tantò „ magis graviter concidit. Natura illa talis fuit, ut nec mori poſſet, „ ſi peccare noluiſſet: natura illa talis fuit, ut in ſe diſcordiam carnis „ & ſpiritûs non haberet: natura illa talis fuit ut contra vitia ſua nulla „ certaret; non quòd eis cedebat, ſed quòd in eâ nulla erant. Tunc „ ergo debes peccata poſterorum ejus peccato ejus æquare, ſi talem, „ tunc verò & majora ea dicere, ſi meliorem naturam potueris invenire. „ Natura quippe rationalis, quantò eſt ipſa ſuperior, tantò ruina ejus „ pejor; & peccatum ejus quantò incredibilius, tantò eſt damna- „ bilius."

Tertium eſt ingratitudo ſumma erga Deum creatorem. Quantò namque præclarioribus dotibus homo recens creatus à ſuo conditore donatus fuerat, tantò illi impenſius obſequium plenioremque famulatum debuit. Siquidem, ut ait S. Auguſtinus ibidem, „ ideò angelus irreparabiliter „ cecidit, quoniam cui plus datur, plus exigitur ab eo. Tantò itaque „ plus debebat obedientiæ voluntariæ, quantò plus habebat in bonitate „ naturæ. Unde ſic punitus eſt non faciendo quod debuit, ut nec „ velle jam poſſit, æternis etiam cruciatibus deſtinatus." Clarum eſt idem de primo homine judicium ferri oportere, qui, ut ait Propheta regius Pſalmo 8, minutus paulò minùs ab angelis, gloriâ & honore coronatus & conſtitutus ſuper opera manuum Dei, ei ſoli ſervire debuit qui cætera omnia ſubjecerat ſub pedibus ejus.

Quartum eſt immenſitas & perennitas boni quod Adamus, ut creatis rebus adhæreret, ſponte deſeruit. „ Quantò magis namque homo frue-

Digitized by Google

„ batur Deo , tantò majori impietate dereliquit Deum , & factus eſt „ malo dignus æterno, qui hoc in ſe peremit bonum , quod poſſet eſſe „ æternum : “ Verba ſunt S. Auguſtini lib. 21. *de Civitate Dei*, cap. 12.

Quintum eſt quòd in illo uno peccato plura contineantur, quæ idem S. Doctor enumerat in *Enchiridio*, cap. 45. num. 13. „ Superbia eſt „ illic , inquit, quia homo in ſuâ potiùs eſſe, quàm in Dei poteſtate „ dilexit ; & ſacrilegium , quia Deo non credidit ; & homicidium, „ quia ſe præcipitavit in mortem ; & fornicatio ſpiritualis , quia inte- „ gritas mentis humanæ ſerpentinâ ſuaſione corrupta eſt ; & furtum, „ quia cibus prohibitus uſurpatus eſt ; & avaritia, quia plus, quàm „ illi ſufficere debuit , appetivit ; & ſi quid aliud in hoc uno admiſſo „ diligenti conſideratione inveniri poteſt.“

Sextum (quod etiam peccati gravitatem inſigniter auget) eſt , quòd plenâ & integrâ voluntate homo in malum conſenſerit. Peccatum namque tantò majus eſt, quantò voluntas in illud vehementiùs fertur. Porro Adamus , deſerto Deo , ſibi ipſi plenâ voluntate adhæſit , ſeque frui voluit. Cùm enim in perfecto æquilibrio poſitus nullis indeliberatis motibus impediretur aut retardaretur ab eo quod volebat, ut nunc contingit propter pugnam carnis & ſpiritûs, totus , ut ita dicam , peccavit , totus in malum cecidit , cadendoque confractus eſt, amiſſo penitùs amore Dei ; unde fit ut voluntas corrupta aſſurgere ad Deum diligendum jam non valeat , *ſemperque ſequatur bonum privatum*, *niſi ſanetur per gratiam* , ut ait S. Thomas.

QUÆSTIO TERTIA.

Cur Deus hominem tentari & cadere permiſerit.

NONNULLI exiſtimarunt Deum non fuiſſe permiſſurum ut homo à diabolo exteriùs tentaretur , niſi priùs fuiſſet ſuperbiâ elatus , atque ita ſenſiſſe S. Auguſtinum lib. 11. *de Geneſi ad litteram*, cap. 30, Julianum Pomerium lib. 2. *de Vitâ contemplativâ*, cap. 19, & S. Bernardum, Serm. 66. *de Diverſis* , num. 3. At plerique Theologi non immeritò aliter ſentiunt, dicuntque Patres memoratos non de ipsâ tentatione , ſed de conſenſu tentationi dato intelligi oportere.

Enimverò , quamvis *impugnatio*, *cui cum difficultate reſiſtitur*, *pœnalis* ſit , peccatumque aliquod ſupponat quod præceſſerit , aliter de illâ judicandum

Digitized by Google

judicandum eſt, cui abſque ullâ difficultate reſiſti poteſt. Porro „ homo „ in ſtatu innocentiæ poterat abſque omni difficultate tentationi reſiſtere, „ ac proinde impugnatio tentatoris ei pœnalis non fuit.“ Ita ratiocinatur S. Thomas 2. 2. quæſt. 165. art. 1. ad 3um.

Suprema ratio, propter quam Deus hominem permiſit à diabolo tentari, eſt ipſe ordo divinæ providentiæ, cui placuit creaturas inferiores ſuperioribus ſubeſſe, adeòque humanam naturam angelicæ; unde fit ut homines & à bonis angelis adjuvari, & à malis tentari poſſint; ita tamen ut mali angeli hominibus nocere nullatenùs valeant, niſi ſuâ ſponte peccato conſentientibus. Aliunde poterat homo, etiam à diabolo non tentatus, peccare, quemadmodùm ipſi mali angeli, nullo exterius ſuggerente, peccaverunt; poterat ſimiliter, etſi tentatus, facillimè reſiſtere tentatori, ſi voluiſſet: quod ſi feciſſet, quis Deum reprehenderet quòd hominem tentari permiſerit?

Verùm peccati ipſius permiſſio multò difficilior explicatu eſt. Eſto, inquiunt, Deus ſiverit hominem à diabolo tentari: ſed quare illum cadere & peccare permiſit? Iſta quæſtio plurimis hæreticis lapis offenſionis & petra ſcandali facta eſt; ſanctos Patres diu exercuit illius profunditatem religioſè expaveſcentes, ſolutionem piè quærentes & cautè ſcrutantes. „ Altitudinem quidem conſilii hujus penetrare non poſſum,“ inquiebat S. Auguſtinus lib. 11. *de Geneſi ad litteram*, cap. 4. num. 6, „ & longè ſupra vires meas hoc eſſe confiteor. Eſt ergo aliqua cauſa „ fortaſſis occulta, quæ melioribus ſanctioribuſque reſervatur, illius „ gratiâ potiùs quàm eorum meritis.“

Interim pro certo & inconcuſſo tenendum eſt Deum reipsâ voluiſſe permittere peccatum primi hominis, quandoquidem, Deo non permittente, nunquam accidiſſet: certum pariter eſt, quæcunque permittendi illius peccati cauſa fuerit, permiſſionem illam eſſe planè irreprehenſibilem, utpote ab illo decretam qui ſummè juſtus ſummaque juſtitia eſt; ac proinde, etiamſi illius cauſa nos penitùs lateret, nonniſi impiè culpari poſſe quod ignoramus, ſed, exemplo Apoſtoli, ſanctâ cum veneratione exclamandum eſſe: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?*

Non minùs certum eſt & indubitatum omnipotenti Deo facillimum fuiſſe impedire, ſi voluiſſet, ne Adamus peccaret. „ Quis enim, ut ait S. Auguſtinus lib. 14. *de Civitate Dei*, cap. 27, „ audeat credere „ vel dicere, ut neque angelus, neque homo caderet, in Dei poteſtate „ non fuiſſe? Sed hoc eorum poteſtati maluit non auferre.“ Hoc quidem S. Doctoris dictum improbavit Rupertus lib. 13. in Matthæum; ſed ipſe potiùs graviter culpandus eſt, quòd illud negando divinam omnipotentiam manifeſtè offenderit.

Obſervandum eſt inſuper rationes omnes quæ proferri poſſunt, propter

quas Deus permiſerit admitti peccatum, divinæ voluntati ſubordinari; nec cauſas eſſe cur Deus voluit peccatum permittere. Voluntas quippe divina, cùm ſit ſuprema rerum omnium cauſa, nullam ſuprà ſe cauſam agnoſcit, neque peccato vel peccati permiſſione indiget, ut quæ vult bona operetur. Vult namque, ut loquitur S. Thomas, *hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult hoc.* Vult permittere peccatum, vultque illâ permiſſione plurima bona procurare; ſed non ideò vult permittere peccatum, quia vult illa bona procurare. Unde dicit Eſtius in 2um diſt. 23. §. 1, „ omnes hujuſmodi rationes tandem reſolvendas eſſe in liber- „ rimam voluntatem & beneplacitum Dei, tanquam ſupremi domini „ ſuarum actionum."

Certum quoque eſt Deum permittendo hominem, quem in juſtitiâ ſtare juſſerat, in peccatum cadere, non ideò intentione ſuâ fruſtratum fuiſſe. „ Cùm enim Deus dicitur aliquid facere propter finem, ait „ idem Eſtius, non ipſius Dei, nec actionis ejus, quatenùs in Deo „ eſt, cauſa finalis intelligenda eſt, ſed operis, id eſt, creaturæ, „ cui Deus finem, ut perfectionem & bonum ejus ad quod tendit, „ præſtituit: quem tamen finem ipſa creatura, quia defectibilis eſt, „ non ſemper aſſequitur. Itaque, homine peccante, non Deus ſine ſuo „ fruſtratus eſt, ſed ipſe homo à fine ad quem conditus erat aberravit."

Demum notandum eſt ex permiſſione peccati minimè conſequi Deum velle peccatum. Peccatum enim, cùm ſit merus defectus meraque privatio rectitudinis debitæ, terminus divinæ voluntatis nequaquam eſſe poteſt. Et ſanè quomodò Deus id vellet, quod ſummè odit & ſempiterno ſupplicio puniturus eſt? Si autem quæras utrùm ſaltem dici poſſit Deum velle ut peccatum ſit, quamvis enim, inquies, malum ſit mera defectio, tamen malum exiſtere videtur, & eſſe aliquid reale ac poſitivum; reſpondebo iſtum loquendi modum non omninò reprobari à S. Auguſtino in *Enchiridio*, cap. 96, num. 24. Sic enim loquitur: „ Quamvis ea quæ mala ſunt, in quantùm mala ſunt, bona non ſint, „ tamen, ut non ſolùm bona, ſed etiam ſint & mala, bonum eſt. „ Nam niſi eſſet hoc bonum ut eſſent & mala, nullomodò eſſe ſineren- „ tur ab omnipotenti bono, cui procul dubio quàm facile quod vult „ facere, tam facile eſt quod non vult eſſe non ſinere." Sed eamdem planè rejicit angelicus Doctor part. 1. quæſt. 19. art. 9. ad 1um, eoquòd, ſi bonum eſſet peccata eſſe, maximè quia ad bonum ordinantur. Sed, inquit, „ malum non ordinatur ad bonum per ſe, ſed per accidens. „ Præter intentionem enim peccantis eſt quòd ex hoc ſequatur aliquod „ bonum. Et ideò non poteſt dici quòd talis ordo ad bonum impor- „ tetur, per hoc quod dicitur quòd malum eſſe vel fieri ſit bonum, „ quia nihil judicatur ſecundùm illud quod competit ei per accidens, ſed ſecundùm illud quod competit ei per ſe.

Et ibidem ad 3um: „ Licet mala fieri & mala non fieri non opponun- „ tur

Digitized by Google

„ tur contradictoriè, cùm utrumque ſit affirmativum; Deus enim neque „ vult mala fieri, neque vult mala non fieri, ſed vult permittere mala „ fieri, & hoc eſt bonum."

Duæ illæ auctoritates, etſi primâ fronte videantur oppoſitæ, conciliari tamen facilè poſſunt, conſiderando mala vel ex parte hominis peccantis, vel ex parte Dei permittentis. Ex parte hominis peccantis malum eſt eſſe peccatum, nec per ſe ordinatur ad aliquod bonum. Sed ex parte Dei permittentis bonum eſt, quatenùs divinâ permiſſione fit ordinaturque ad bonum. Quamobrem multò rectius dicitur Deum velle permittere ut peccatum ſit, quàm velle ut ſit peccatum.

Cur verò Deus permittat eſſe peccatum, arcanum eſt quod non ultra reſerare aggrediar, quàm à Patribus reſeratum eſt. Porro docent 1°. divinæ providentiæ ordini conſentaneum fuiſſe, ut hominem, quem liberi arbitrii ac defectibilem conſiderat, ſibi ipſi dimitteret & deficere ſineret, maximè cùm illum viribus integris atque ad ſtandum ſufficientiſſimis donaſſet. „ Quantum Deus donat ſapere vel ſinit dicere, inquit S. Auguſtinus lib. 11 *de Geneſi ad litteram*, cap. 4. num. 6, „ non mihi „ videtur magnæ laudis futurum fuiſſe hominem, ſi proptereà poſſet „ benè vivere, quia nemo malè vivere ſuaderet; cùm & in naturâ poſſe, „ & in poteſtate haberet velle non conſentire ſuadenti, adjuvante tamen „ illo qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Cur itaque „ tentari non ſineret quem conſenſurum eſſe præſciebat, cùm id facturus „ eſſet propriâ voluntate per culpam, & ordinandus eſſet illius æqui- „ tate per pœnam ?" Addit S. Thomas, part. 1. quæſt. 48. art. 2. ad 3, „ providentiæ non eſſe naturam deſtruere, ſed ſalvare..... Ipſam autem „ naturam rerum id habere, ut quæ deficere poſſunt interdum deficiant." Unde concludit divinæ providentiæ conſentaneum eſſe permittere peccatum.

Docent 2°. Deum non fuiſſe permiſſurum peccatum, niſi adeò bonus ac potens eſſet ut malo ipſo benè utatur. Hanc rationem affert S. Auguſtinus in *Enchiridio*, cap. 11. num. 3; & Tract. 7 in Joannem, num. 10, obſervat in hoc infinitè diſtare ſummam Dei bonitatem ab hominis malitiâ, quòd hominis malitia vel infirmitas bonis Dei malè utatur, divina verò bonitas malis hominis optimè utatur. Quanta verò bona ex peccatorum, atque imprimis ex primi peccati permiſſione, Deo ſic providente, conſecuta ſint, pleniſſimè ac certiſſimè non cognoſcemus niſi in patriâ; aliquantulum tamen hâc etiam in vitâ pro fidei modulo cognoſcitur.

Imprimis permiſſio peccati occaſio fuit incarnationis Verbi, quo in myſterio mirum in modum elucent ſumma Dei bonitas, ſapientia, omnipotentia, miſericordia & juſtitia; per quod etiam majora ac potentiora gratiæ dona nobis acquiſita ſunt, adeò ut, ubi abundavit iniquitas, ſuperabundet

Digitized by Google

ſuperabundet gratia. Unde canit Eccleſia ſabbato ſancto : *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem!*

2°. Permiſſio primi peccati, quod totam Adami progeniem ſuo in capite corrupit, multò copioſiùs manifeſtat tum ſummam Dei miſericordiam quos vult gratis liberantem, tum divinæ juſtitiæ ſeveritatem cæteros in maſſâ perditionis juſto judicio relinquentem, & pro meritis in æternum punientem. *Quòd ſi Deus*, inquit Apoſtolus Rom. IX, *volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multâ patientiâ vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam.* Inde diſcimus divinorum judiciorum abyſſum religioſè venerari, iram juſtiſſimam expaveſcere, ad divinam miſericordiam confugere, illamque humillimis precibus implorare, in ſolis Chriſti redemptoris meritis totam ſpem noſtram collocare, & cum metu ac tremore ſalutem noſtram operari.

3°. Ex permiſſione peccati ſalubriter inſtruimur & erudimur. Inde etenim perſpicimus quantùm natura humana peccato corrupta ac debilitata ad rectè agendum impotens & infirma ſit, quandoquidem, cum ſana eſſet & valida, deſerto adjutore Deo, ab eoque deſerta, in tantam miſeriam ſeipſam præcipitem dedit. „ Sic enim, ut ait S. Auguſtinus lib. 11. *de Geneſi ad litteram*, cap. 8. num. 10, „ qui gloriatur, non „ niſi in Domino glorietur, cùm cognoſcit non ſuum, ſed illius eſſe „ non ſolùm ut ſit, verùm etiam ut non niſi ab illo benè ſibi ſit, à „ quo habet ut ſit." 2°. Diſcimus quàm gratuitum ſit gratiæ liberantis auxilium, quo à lapſu relevamur & in bono confirmamur. Nam ſi Deus, non injuſto certè judicio, hominem innocentem reliquit in manu conſilii ſui, eique de viribus ſuis præſumenti perſeverantiam non tribuit, quis non intelligat penes ipſum eſſe Adami poſteros peccato involutos juſtiſſimo judicio gratiâ ſuâ non prævenire, nec convertere, aut etiam converſis perſeverantiæ donum non conferre? 3°. Miſeriarum innumerarum, quas juſtè patimur, experimento docemur „ quàm non bene „ ſe habeat facta natura, ſi à faciente receſſerit, " ut ait S. Auguſtinus ibid. cap. 5. num. 7. „ Hinc etiam maximè commendatur quale ſit „ bonum Dei, quando nulli ab eo recedenti bene eſt." 4°. Pœnæ quibus ipſi parvuli hàc in vitâ obnoxii ſunt, æternaque damnatio, quæ ipſos, ſi non regenerati hinc exeant, in alterâ manet, nobis demonſtrant peccatum eſſe malorum omnium peſſimum, quandoquidem Deus optimus, qui ſemper punit citra condignum, ſolum ipſum originale peccatum adeò graviter plectit. 5°. Detegimus quàm laudanda & adoranda ſit divina potentia & bonitas, rectè utens ipſis malis voluntatibus illaſque juſtè ordinans.

Poterat ſanè Deus aliis modis nos erudire, ſi voluiſſet : ſed maluit experimento malorum nos propriæ imbecillitatis admonere, atque ex tenebris

Digitized by Google

tenebris lucem, ex malo bonum, è peccato juſtitiam educere, ſicut è nihilo res omnes produxit. Multi quidem eruditionem illam non recipiunt, vel in vanum recipiunt; ſed hoc ipſum per gratiam Chriſti prodeſt humilibus, qui inde certiùs norunt quàm lethale & profundum ſit ſuperbiæ vulnus, cui ſanando tot ac tanta remedia non ſufficiunt. „ Sic „ namque, ait S. Auguſtinus ibidem, cap. 5. num. 7, „ qui omninò „ malum deſertionis ſuæ majore ſuperbiæ ſtupore non ſentiunt, aliis, „ qui hæc diſcernere noverunt, miſeriores prorsus apparent; ut, ſi no- „ lunt recipere medicinam talia devitandi, valeant ad exemplum quo „ poſſint talia devitari."

Quartum bonum ex peccati permiſſione conſequens eſt probatio & purgatio electorum. Cum enim Deus plurimos juſto, quamvis occulto, judicio in maſſâ damnationis relinquat, qui mali remanent non parum inſerviunt ad probandos, ad erudiendos, ad exercendos, ad purgandos & in humilitate continendos electos, ſive apertè ſæviendo, ſive occultè inſidiando, ſive aliis modis exercendo illorum *patientiam ſempiterno quondam præmio coronandam*, ut ait Lupus Servatus in lib. *de Tribus Quæſtionibus*, quæſt. 1. num. 12. „ Non enim eſſet, inquit S. Thomas part. 1. quæſt. 22. art. 2, ad 2, „ patientia martyrum, ſi non eſſet per- „ ſecutio tyrannorum.

Quintum bonum eſt pulchritudo, varietas & decor univerſi, quod diverſis bonitatis gradibus diſcriminatur. Majora quippe bona minorum oppoſitione magis eminent, ſerieſque ſæculorum, *quaſi pulcherrimum carmen, ex quibuſdam anthitetis honeſtatur.* Hoc docet auctor ſacer Eccleſiaſtici, cap. 33. *Contra malum bonum eſt*, inquit, *& contra mortem vita, & contra virum juſtum peccator: & ſic intuere in omnia opera Altiſſimi, duo & duo, & unum contra unum.* Idem explicat S. Thomas in 2um, diſt. 23. quæſt. 1. art. 1. „ Bonum univerſi, inquit, excedit „ bonum particulare cujuſque creaturæ..... Si autem aliqua natura à „ ſuo ſtatu in altiorem tranſlata per providentiam mutetur, quanquam „ aliquod bonum illi naturæ accreſceret, tamen bonitati univerſi ali- „ quid detraheretur, dum non omnes gradus bonitatis implerentur, „ illo gradu ex quo illa natura tranſlata erat vacuo remanente. Dico „ ergo quòd, ſi peccatum omnino impediretur, per hoc multi gradus „ bonitatis tollerentur. Tolleretur enim natura illa quæ poteſt peccare „ & non peccare, quæ quidem bonum eſt; tolleretur etiam hoc quod „ eſt de peccato poſſe reſurgere, & multa hujuſmodi, quibus ſublatis, „ bonitati univerſi multùm detraheretur."

Neque dicas ordinem univerſi turbari potiùs per peccatum, quàm procurari. Quamvis enim peccatum ex ſe ordini contrarium ſit, non ita illius permiſſio. Nam peccator, qui malè agendo recedit ab ordine divinæ juſtitiæ, in alium ordinem per divinam providentiam reducitur, ſive ultro pœnitendo, ſive invitus pœnas luendo; ita ut ne ullo quidem

Digitized by Google

momento ſinatur eſſe inordinatio peccati abſque ordinis inſtauratione. „ Summo enim Deo cuncta bene adminiſtrante quæ fecit, ut ait S. Auguſtinus lib. 83 *Quæſtionum*, quæſt. 27, „ nihil inordinatum in uni-„ verſo, nihilque injuſtum eſt, ſive ſcientibus, ſive neſcientibus nobis. „ Sed in parte offenditur anima peccatrix: tamen quia pro meritis ibi „ eſt, ubi talem eſſe decet, & ea patitur, quæ talem pati æquum eſt, „ univerſum regnum Dei nullâ ſuâ fœditate deformat. Quamobrem, „ quoniam omnia non novimus quæ de nobis bene agit ordo divinus, „ in ſolâ bonâ voluntate ſecundùm legem agimus, in cæteris autem „ ſecundùm legem agimur, cùm lex ipſa incommutabilis maneat, & „ omnia mutabilia pulcherrimâ gubernatione moderetur. Gloria igitur „ in altiſſimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis." Sublimem iſtam doctrinam illuſtrat alibi tum ſimilitudine pictoris, qui non ſolùm ſpecioſis ſplendidiſque coloribus, ſed etiam aliis & obſcurioribus ſapienter uti novit, tum exemplo legum humanarum, quibus, dum facinoroſi ad metalla damnantur, pœna ſcelerum in civitatum ornamenta convertitur. „ Sic ergo, inquit Serm. 125. num. 5, novit „ Deus ubi te ponat. Noli putare quia turbas conſilium Dei, ſi per-„ verſus eſſe volueris. Qui te creare noverat, ordinare te non „ novit?.... Quid dictum eſt de Judâ ab Apoſtolo? *Abiit in locum* „ *ſuum*.... In eo quòd fecit quod voluit, peccatum ejus deprehenditur: „ in eo quòd paſſus eſt quod noluit, ordo Dei laudatur."

Ineptè igitur Deus permittens admitti peccatum compararetur cum patre vel tutore, qui peccata filiorum vel pupillorum, cùm impedire poſſit, non impedit. Non eâdem menſurâ metienda eſt juſtitia divina, quæ ſuprema regula eſt, mentis noſtræ captum infinitè ſuperans, cum juſtitiâ humanâ. Aliter judicandum eſt de proviſore particulari cui partes aliquæ commiſſæ ſunt, aliter de proviſore generali qui univerſa adminiſtrat. „ Proviſor particularis, inquit Doctor angelicus part. 1. quæſt. 22. art. 2. ad 2, „ excludit defectum ab eo quod ejus curæ „ ſubditur, quantùm poteſt: ſed proviſor univerſalis permittit aliquem „ defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum to-„ tius. Unde corruptiones & defectus in rebus naturalibus dicuntur „ eſſe contra naturam particularem, ſed tamen ſunt de intentione na-„ turæ univerſalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, „ vel etiam totius univerſi. Nam corruptio unius eſt generatio alterius. „ Cùm igitur Deus ſit univerſalis proviſor totius entis, ad ipſius pro-„ videntiam pertinet ut permittat quoſdam defectus eſſe in aliquibus „ particularibus rebus, ne impediatur bonum universè perfectum.

Præterea, quare homo aliis hominibus prælatus ſubditorum vitia impedire tenetur quantùm poteſt? Certè quia nec lapſos erigere, nec eorum peccata in bonum ordinare poteſt: quo fit ut, peccata non impediendo, cenſeatur ea vel approbare, vel negligere, vel parvi pendere.

At

At ſuprema Dei bonitas, ſapientia & potentia novit quomodò rectiſſimè utatur malis, ordinemque juſtitiæ integrum atque illibatum ſervat. Demum etiamſi demonſtrari non poſſet à priori, ut aiunt, Deum, permittendo peccatum, participem peccati nullatenùs fieri, id ſaltem demonſtratur à poſteriori hoc invicto argumento: Deus permiſit malos angelos & hominem peccare. Atqui Deus ſeipſum ſuaque attributa eſſentialia negare non poteſt. Ergo poteſt Deus permittere peccatum, illæsâ ſuâ ſanctitate & juſtitiâ. His finibus contineatur infirma & tenuis ratio, donec per fidem paulatim proficiens fulgorem divinæ lucis firmâ mentis acie contemplari mereatur.

Ex permiſſione peccati peccator non excuſatur.

Stultè ergò & imperitiſſimè impii excuſare conantur vel Adami peccatum, vel ſua, ſub eo prætextu quòd divina bonitas ex malis ipſis bona eliciat. Inſanam hanc blaſphemiam armis non carnalibus, ſed potentibus Dei retundit apoſtolus Paulus Rom. III. Cùm enim ſibi objeciſſet in perſonâ impiorum: *Si iniquitas noſtra juſtitiam Dei commendat, nunquid iniquus eſt Deus qui infert iram?* ſtatim reſpondet: *Abſit: alioquin quomodò Deus judicabit hunc mundum?* probans nimirùm ab actu ad poſſe peccatores juſtè puniri, quamvis illorum malitiam Deus convertat in laudem juſtitiæ ſuæ; ſiquidem reipsâ judicabuntur ac punientur. Iterum ſibi opponit ibidem v. 7: *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius, quid adhuc & tanquam peccator judicor; & non (ſicut blaſphemamur, & aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona?* Atque apoſtolico mucrone humanæ arrogantiæ ſupercilium reprimens: *quorum*, inquit, *damnatio juſta eſt*: id eſt: qui ſic diſputant ut Dei juſtitiam accuſent, ſeque ipſos abſolvunt, juſtiſſima illos damnatio manet.

Et ſanè, nedum peccata excuſari vel peccatores abſolvi idcircò poſſint, quia divina virtus è malis ipſis educit bona, ſequitur è contrario peccatores culpandos ac puniendos eſſe, ut in eorum pœnâ eluceat pulchritudo juſtitiæ ultricis, quam præcipientem contempſerunt. Quòd homo peccat, malum eſt, adeòque pœnâ dignum; quòd inde bona eveniant, ſoli Deo tribuendum eſt, atque ideò ſummoperè laudandum. Peccata plangenda ſunt, quia mala ſunt; de bonis quæ, Deo providente, ex illis eveniunt, gaudendum eſt, quia bona ſunt: nec propter bonum Dei approbandum eſt malum hominis; nec propter malum hominis culpandum eſt bonum Dei.

Quæſtionem hanc concludemus iſtis B. Auguſtini verbis lib. 11 *de Geneſi ad litteram*, cap. 11, num. 15: „ Magna opera Domini, exquiſita „ in omnes voluntates ejus. Prævidet bonos futuros, & creat: prævidet „ malos futuros, & creat: ſeipſum ad fruendum præbens bonis, multa „ munerum ſuorum largiens & malis: miſericorditer ignoſcens, juſtè „ ulciſcens; itemque miſericorditer ulciſcens, & juſtè ignoſcens: nihil „ metuens de cujuſquam malitiâ, nihil indigens de cujuſquam juſtitiâ:

 „ nihil

„ nihil ſibi conſulens de operibus bonorum , & bonis conſulens etiam
„ de pœnis malorum. Cur ergo non permitteret tentari hominem illâ
„ tentatione probandum , convincendum , puniendum , cùm ſuperba
„ concupiſcentia propriæ poteſtatis quod conceperat pareret , ſuoque
„ fœtu confunderetur, juſtoque ſupplicio à ſuperbiæ atque inobedientiæ
„ malo poſteros deterreret, quibus ea conſcribenda & annuntianda pa-
„ rabantur?"

DISSERTATIO

Digitized by Google

DISSERTATIO SECUNDA

De ſtatu naturæ lapſæ.

EXIMIAS naturæ innocentis dotes exquiſitamque felicitatem brevi excepit lugenda malorum congeries, funeſta appendix peccati. Ac primò quidem primi parentis peccatum in univerſam ejus progeniem per generationem unà cum naturâ ipſâ tranſit, eamque ab utero peccatricem facit. 2°. Unà cum peccato tranſit ignorantia Dei & eorum quæ ad ſalutem pertinent, magnaque diſcendi difficultas. 3°. Accedit turpiſſimum concupiſcentiæ vulnus, quæ omnes animæ & corporis facultates inficit, & in omnia vitiorum genera, niſi medicinalis gratia Chriſti ſubveniat, illectos abſtractoſque præcipitat. 4°. Denique corpus cruciant miſeriæ innumeræ jugumque graviſſimum, à die exitûs de ventre matris uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.

De his ſingulis ſeorſim tractandum eſt; ac 1°. de peccati Adami propagatione, ſeu de peccato originali. 2°. De ignorantiâ. 3°. De concupiſcentiâ. 4°. Quærendum eſt cur, dimiſſo per baptiſmum peccato originali, ipſius pœnalitates per totam hanc vitam in nobis remaneant.

CAPUT PRIMUM.

De peccati primi parentis ad omnes ejus poſteros propagatione, ſive de peccato originali.

HÆSI aliquandiu incertus utrùm quæſtionem iſtam tractarem, an potius omitterem. Unâ ex parte metuebam ne ſuſcepti à me operis moles in immenſum creſceret, eorum acceſſione quæ ad alios Theologicos tractatus pertinere videntur, & quorum notitia à ſcholarum magiſtris accipi poteſt. Ex alterâ verò parte ut labori non parcerem multa me & gravia momenta impellebant. Movebat imprimis quæſtionis hujus cum gratiâ Chriſti medicinali arctiſſima connexio; deinde ipſamet ſacra hujus myſterii altitudo, quod quidem humanæ rationi

Digitized by Google

adeò impervium eſt, ut qui ſubmiſſâ fide, ſpretiſque ſuperbis mundanæ ſapientiæ argumentationibus, illud ſemel, uti oportet, crediderint, nihil poſteà quod illos offendat in evangelicâ apoſtolicâque circa gratiam & prædeſtinationem doctrinâ deprehendere poſſint; quod tamen aliunde in Chriſtianâ religione adeò certum & inconcuſſum eſt, ut ſine apertâ pernicie in dubium revocari nequeat. Movebat inſuper quòd error huic catholico dogmati contrarius præcipuus Pelagianiſmi cardo fuerit, quòdque etiamnum, tametſi omnes qui ſe Catholicos dici volunt in hujus dogmatis confeſſionem voce tenùs conſentiant, plurimi tamen ſubſtantiam illius planè evertant, fundamenta quibus innititur convellere nitantur, præcipuaque illius confectaria palàm rejiciant. Movebat denique quòd in hujuſce quæſtionis tractatione mirum in modum eluxerit ſumma S. Auguſtini eruditio, atque in profligandâ Pelagianâ hæreſi ſagacitas.

His præſertim momentis adductus de profundo iſto myſterio diſſerere aggrediar, quantùm materiæ gravitas & difficultas poſtulant; ita tamen ut ad alia properans, quantùm potero, brevitati ſtudeam.

Circa hoc religionis caput quinque ſunt expendenda: primum, an reipsâ exiſtat peccatum originale: alterum, quomodò anima recens creata illo peccato inquinari poſſit: tertium, quâ viâ à parentibus in prolem tranſeat: quartum, in quo hujus peccati fœditas conſiſtat: quintum, quid fiat de parvulis qui ante uſum rationis abſque ſacramento regenerationis ex hâc vitâ decedunt.

QUÆSTIO PRIMA.

De exiſtentiâ peccati originalis.

PECCATUM originale dicitur illud quod naſcendo contrahimus, cujuſque rei ſumus, non per actum noſtræ voluntatis proprium, ſed propter primorum parentum tranſgreſſionem, cujus labes ſimul cum naturâ in totam eorum ſobolem viâ generationis transfunditur. Hoc peccatum opponitur peccatis actualibus, quæ adulti actu proprio ſuæ voluntatis committunt, vocaturque originale, tum quia ineſt ſingulis nobis ab ipſo ortu, tum quia derivatur à primo parente qui fuit origo totius humani generis.

Circa hoc fidei dogma plurimi erraverunt.

1º. Nonnulli hæretici primis Eccleſiæ ſæculis, errore Pythagoræo imbuti,

imbuti, docuerunt omnes hujuſce vitæ miſerias nobis infligi in pœnam peccatorum in priori vitâ, quam fingebant, ab animabus noſtris admiſſorum, priuſquàm in corpora tanquam in carceres detruderentur, non verò in pœnam peccati originalis, quod non agnoſcebant. Illos commemorat ac refellit S. Auguſtinus lib. 1 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 22. num. 31.

2°. Carpocratiani, teſte S. Clemente Alexandrino lib. 3. *Stromatum*, negabant homini in præſenti naturæ ſtatu aliquid vitioſi ineſſe, eoque peccatum originale tollebant.

3°. Manichæi contendebant homines non originis vitio, ſed commixtione malæ ſubſtantiæ, ſeu mali principii, malos & peccatores procreari.

4°. Theodorus Mopſueſtiæ Epiſcopus traducem peccati originalis ex profeſſo impugnavit. Vide quæ de illo diximus Lib. I, initio Hiſtoriæ Pelagianorum.

5°. Rufinus quidam presbyter, non ille Aquileienſis S. Hyeronimi ex amiciſſimo infenſiſſimus adverſarius, eamdem hæreſim Romæ docuit, eâque Cæleſtium imbuit, ut ibidem retulimus.

6°. Pelagius, Cæleſtius, Julianus Eclanenſis, illorumque diſcipuli huic dogmati bellum acerrimum indixerunt, occaſionemque præbuerunt illud copioſiùs exponendi & operoſiùs defendendi. Initio quidem ſuæ hæreſeos dicebant quæſtionem iſtam ad fidem non pertinere. Hinc in Concilio Carthaginenſi anni 412, in quo primùm illorum error damnatus eſt, ſic loquebatur Cæleſtius, teſte S. Auguſtino in lib. *de Peccato originali*, cap. 23, num. 26: *Jam de peccati traduce dixi, quia intra Catholicam conſtitutos plures audivi deſtruere, necnon & alios adſtruere, licet quæſtionis res ſit iſta, non hæreſis*. Et in libello quem idem Cæleſtius Zozymo Romano Pontifici obtulit, mentem ſuam his exponebat verbis, apud S. Auguſtinum ibidem: „ Si quæ verò præter fidem quæſtiones „ natæ ſunt, non ego quaſi auctor alicujus dogmatis definitâ hoc aucto- „ ritate ſtatui, ſed ea quæ de Prophetarum & Apoſtolorum fonte ſuſ- „ cepi, veſtri Apoſtolatûs offerimus probanda eſſe judicio.“ Verùm paulò poſt totis ingenii nervis contra fidem originalis peccati debacchati ſunt.

7°. Abaëlardus, teſte Guillelmo Abbate S. Theodorici in epiſtolâ ad Gaufridum Carnotenſem & S. Bernardum (inter S. Bernardi epiſtolas 391), num. 3°, docuit *quòd ab Adam non trahimus originalis peccati maculam, ſed pœnam.*

8°. Zuinglius in Profeſſione fidei Franciſco I°. oblata, in variis tractatibus adversùs Anabaptiſtas, & in Declaratione de peccato originali aſſeruit nullum peccatum per baptiſmum remitti, peccatumque originale nonniſi metaphoricè dici peccatum; veriùs illud appellari infortunium, vitium, morbum, quàm peccatum; per illud homines naſci proclives

Digitized by Google

proclives ad malum, non peccatores; demum peccatum illud, qualecunque ſupponatur, per meritum mortis Chriſti omnibus infantibus, etiam infidelium filiis, abſque baptiſmo dimitti. Videri poſſunt Bellarminus lib. 4 *de Amiſſione gratiæ & ſtatu peccati*, cap. 2, & Boſſuetus lib. 2 *Variationum*, cap. 21.

9°. Anabaptiſtæ non ſolùm negant parvulos trahere peccatum originale, ſed etiam negant eos eſſe baptizandos.

10°. Sociniani pariter hoc dogma cum cæteris omnibus religionis Chriſtianæ myſteriis de medio penitùs ſuſtulerunt.

Inter Scholaſticos, quamvis omnes peccati originalis nomen recipiant, non pauci tamen rem ipſam planè evacuant.

1°. Nonnulli docuere peccatum originale non eſſe unicuique proprium & inhærens, ſed eſſe ipſummet primi parentis peccatum actuale, quod noſtrum idcircò dicitur, quòd in Adamo contineremur, non verò quòd in nos propriè tranſmittatur. Ita quidam veteres Scholaſtici, de quibus loquitur Magiſter Sententiarum lib. 2, diſtinct. 30, Ambroſius Catharinus in opuſculo de lapſu hominis & peccato originali, & Albertus Pighius in primâ controverſiâ de peccato originali.

2°. Alii cum Abaëlardo ſenſerunt peccatum originale non eſſe culpam, ſed pœnæ duntaxat reatum, nec peccatum appellari, niſi metaphoricè. Guillelmus de Rubione in 2um, diſtinct. 32. quæſt. 2. art. 2, cruciatus parvulorum in alterâ vitâ ſic impugnabat: „ Ille qui eſt ita innocens „ alio peccante, ſicut non peccante, non eſt affligendus, nec magis poteſt „ juſtè affligi poſt peccatum alterius, quàm ſi ille nunquam peccaſſet. „ Sed propter peccatum primorum parentum eorum filii, qui nunquam „ peccaverunt, non ſunt magis culpabiles, quàm ſi non peccaſſent ipſi „ eorum parentes, imò ſunt æquè innocentes poſt ipſorum peccatum, „ ſicut fuiſſent ſi nunquam peccaſſent. Licet enim ſint modò rei, &c.“

3°. Theologi qui ſtant pro poſſibilitate ſtatûs naturæ puræ vulgò afferunt tales nunc naſci infantes, quales naſcerentur in ſtatu naturæ puræ, nihilque eis ineſſe quod ex ſe peccatum ſit; atque adeò illos poſt hanc vitam nullâ pœnâ affici, ſed privari tantummodò viſione Dei, nullumque ex illâ privatione doloris ſenſum percipere. Ita ſentire, quid aliud eſt quàm peccatum originale voce conſiteri, reipsâ tamen non admittere?

Omnes illos dogmatis catholici adverſarios duabus Propoſitionibus impugnabimus. In primâ probabimus peccatum primi parentis in omnes ejus poſteros reipsâ tranſire: in alterâ peccatum originale eſſe veri nominis peccatum, unicuique proprium & inhærens: Appendicem addemus de beatâ Mariâ Virgine Deiparâ; utrùm nempe in primo inſtanti, quo concepta, à labe noxæ originalis immunis fuerit.

PRIMA

Digitized by Google

PRIMA PROPOSITIO.

Peccatum Adami ad omnes ejus poſteros per generationem tranſit, ſeu omnes homines, qui viâ ordinariâ naſcuntur, peccati maculam ac reatum naſcendo contrahunt.

Probatio prima ex Scripturis.

SCRIPTURÆ ſacræ oracula docent 1°. omnes homines naſci peccato obſtrictos, atque iræ divinæ ſubjectos. Atqui hujusmodi peccatum aliud eſſe non poteſt quàm originale. Ergo &c. Minorem concedebant Pelagiani. Reſtat itaque ut majorem ſcripturæ teſtimoniis adſtruamus.

Ex ſcripturis, omnes homines naſcuntur peccato obſtricti.

Job XIV. 4, ſecundum 70: *Quis enim mundus erit à ſorde? Sed nullus, etiamſi unius diei fuerit vita ejus ſuper terram.* Vulgata verò ſic habet juxta hebraïcum fontem: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu, qui ſolus es?* Utraque verſio æqualiter probat omnes homines ab ipſo ortu peccatores eſſe. Infans quippe *de immundo conceptus ſemine* qualis eſſe poteſt, niſi immundus, idcòque mundandus? Si autem, ut fert 70 Interpretum verſio, *nec unius diei* parvulus *mundus eſt à ſorde* peccati, cùm conſtet hujusmodi puerulum peccare non poſſe actualiter, quid ſupereſt niſi ut ipſâ ſuâ origine immundus ſit?

In Pſalmo L. 7: *Ecce*, inquit David, *in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Certè ex legitimo conjugio David conceptus eſt. „ Quid eſt ergo, ait S. Auguſtinus, quòd dicit ſe „ in iniquitate conceptum, niſi quia trahitur iniquitas ex Adam?“ Nec obſtat quòd *iniquitates* & *peccata* plurali numero efferantur: nam non infrequenter ſcripturæ plurali numero utuntur loco ſingulari, & aliunde peccatum originale meritò dici poteſt *peccata*, quia virtute multiplex eſt & radix omnium peccatorum. Notandum tamen eſt, juxta veritatem hebraïcam, vertendum eſſe numero ſingulari: *Ecce in iniquitate conceptus ſum: & in peccato concepit me mater mea.*

Pſalmo LVII. 4: *Alienati ſunt peccatores à vulvâ: erraverunt ab utero.* Hæc certè verba intelligi nequeunt de peccatis actualibus, quorum capaces non ſunt infantes *à vulvâ, ab utero* naſcentes. Ergo nonniſi de peccato originali intelligenda ſunt.

Epheſiorum II. 3, S. Paulus ait: *Eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri.* Profectò *filii iræ*, ſeu vindictæ, non ſunt niſi peccatores. Ergo om-

omnes homines peccatores ſunt *naturâ*, ſeu naturaliter, hoc eſt, vel ab ipſâ nativitate, vel à vitio naturæ humanæ in ſuo fonte depravatæ. Reſpondebant Pelagiani legendum non eſſe *naturâ*, ſed *prorſùs*. Verùm illud effugium præcluſit S. Auguſtinus lib II *Op. imperf.* cap. 228. „Fortè, inquit, hoc emendare audebitis in codicibus veſtris: non enim „vultis acquieſcere quòd, niſi hæc, quantò verior, tantò antiquior fi„des eſſet, hoc omnes latini codices non haberent."

Joannis III. 6. Chriſtus exponens Nicodemo quare oporteat nos *renaſci ex aquâ & Spiritu ſancto*, ſic loquitur: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Porro in ſcripturis *caro*, quoties opponitur ſpiritui, ſumitur pro vitio, adeò ut caro eſſe, ſeu in carne eſſe, idem ſit ac peccatorem eſſe & pravis deſideriis mancipari, ut conſtat ex his Apoſtoli verbis, Rom. VIII. 5 & ſeq. *Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritûs ſentiunt. Nam prudentia carnis mors eſt, prudentia autem ſpiritûs vita & pax. Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt. Qui autem in carne ſunt Deo placere non poſſunt.* Ergo, Chriſto docente, infantes, quia ex *carne* naſcuntur, *caro* ſunt, in carne ſunt, inimici Dei ſunt, carne ſcilicet, ſeu peccato, in ipſis regnante.

Romanorum VIII. 3, S. Paulus dicit *Deum miſiſſe Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnaſſe peccatum in carne.* Ex quo textu S. Auguſtinus lib. 5 *contra Julianum*, cap. 15, num. 52, & S. Fulgentius lib. *de Incarnatione & gratiâ*, cap. 15, ſic argumentantur: Naſcimur peccato obnoxii, ſi caro quam naſcendo trahimus ſit caro peccati: atqui caro quam naſcendo trahimus eſt caro peccati, ſiquidem caro Chriſti, quia noſtræ quoad ſubſtantiam ſimilis eſt, dicitur habere ſimilitudinem carnis peccati. Nihil ſimile eſt ei quod non eſt, ait S. Auguſtinus: ſi ergo datur in Chriſto caro ſimilis carni peccati, datur in hominibus & caro peccati.

Adami peccatum in omnes homines tranſit. Textus Apoſtoli, Rom. V, à pravis Pelagianorum interpretationibus vindicatur.

Alterum argumentum ſuppeditat ſcriptura ſacra, dum teſtatur peccatum Adami non ipſi ſoli nocuiſſe, ſed in omnes homines qui ab illo originem ducunt ſimul cum naturâ ipſâ pertranſire. Expreſſiſſima ſunt eam in rem S. Pauli verba, Rom. V. 12 & ſeq. *Sicut per unum hominem*, inquit, *peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.... Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri. Sed non ſicut delictum, ita & donum: ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei & donum in gratiâ unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit. Et non ſicut per unum peccatum, ita & donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abun-*

Digitized by Google

abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes in vitâ regnabunt per unum Jeſum Chriſtum. Igitur, ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.

Hoc in loco diſertè declarat Apoſtolus 1°. Adamum omnibus ſuis poſteris cauſam eſſe peccati propriè dictam. Quid enim aliud ſignificant iſtæ locutiones, peccatum *per unum hominem* intraſſe in mundum, *omnes* homines *in* illo *peccaviſſe*, illius *unius delicto multos mortuos* eſſe, *ex illo uno delicto judicium* fieri in *condemnationem*, *unius delicto mortem* in omnes *regnaſſe per unum*, *per unius* delictum & *inobedientiam* omnes homines *conſtitutos eſſe peccatores* &c? 2°. Peccatum Adæ in omnes pertranſiiſſe, ne parvulis quidem, qui illum imitari non poſſunt, exceptis. 3°. *Mortem*, ac proinde peccatum, quod, 1 Corinth XV, *ſtimulum mortis* appellat, *regnaſſe ab Adam usque ad Moyſen*, *etiam in eos qui* actu ſuo proprio non peccaverunt. Duo namque ſenſus eſſe poſſunt horum verborum: *regnavit mors... etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*. Vel enim iſtæ voces, *in ſimilitudinem* &c, referuntur ad *regnavit mors*, tuncque ſenſus eſt *mortem*, ſimulque peccatum, *regnaſſe in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*, *etiam in eos qui non peccaverunt*, actu ſcilicet proprio ſuæ voluntatis: quæ interpretatio magis placuit S. Auguſtino in Epiſt. 157, al 89, ad Hilarium, cap. 3, num. 19: vel referuntur ad hæc verba immediatè præcedentia, *qui non peccaverunt*; tuncque ſenſus eſt, ut idem S. Doctor exponit ibidem, *mortem*, adeòque peccatum, *regnaviſſe etiam in eos* qui, nondum ratione utentes, peccare non potuerunt *in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*, actu nimirùm proprio ſuæ voluntatis. Utrovis modo exponas, peccatum originale aſſeritur: ſiquidem in utraque expoſitione ipſi parvuli, quamvis actual s prævaricationis incapaces, nihilominus peccato & morti obnoxii declarantur. 4°. Apoſtolus comparationem inſtituit Chriſtum inter & Adamum, quem à contrario appellat *formam futuri*, ſeu ſecundi Adam. Atqui Chriſtus eſt cauſa efficax juſtitiæ, eamque per regenerationem ſpiritualem nobis infundit. Ergo pariter, ut comparatio valeat, Adamus nobis eſt cauſa peccati, peccatumque per carnalem generationem in omnes qui ab illo originem trahunt diffundit.

Contendebant Pelagiani Apoſtolum nihil aliud voluiſſe, niſi Adamum peccandi exemplum omnibus hominibus dediſſe, illumque imitari quicunque peccant; ſi enim de peccati in omnes per generationem tranſitu loqui voluiſſet, expreſſam generationis mentionem fieri, aut ſaltem utrumque parentem commemorari debuiſſe, ſiquidem nemo naſcitur niſi è duobus. Verum contortam illam interpretationem contriverunt SS. Patres, atque imprimis S. Auguſtinus.

1°. Quidem quia, ſi Apoſtolo propoſitum fuiſſet primum peccandi

 exem-

exemplum commemorare, non certè Adamum, ſed diabolum potiùs, quem ipſe Adam imitatus eſt, aut certè Evam, quæ ante virum peccavit, in medium proferre debuit, eique non Chriſtum opponere, ſed Abelem, qui fuit hominum juſtorum antiquiſſimus. Reverâ, Sapientiæ II. 25, ubi de peccati imitatione agitur, non Adamus, ſed diabolus memoratur. *Invidiâ diaboli*, ait Sapiens, *mors intravit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui ſunt ex parte ejus.* Ita S. Auguſtinus Epiſt. 157, al. 89, ad Hilarium, num. 21; lib. 1 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 13; lib. *de Naturâ & gratiâ*, cap. 9, num 10; lib. 2. *Op. imperf.* cap. 48, & Serm. 294, cap. 15: „ Si primum peccatorem requiris, inquit, „ diabolum vide. Sed humani generis maſſam „ volens oſtendere Apoſtolus de origine venenatam, ideò eum poſuit „ de quo nati ſumus, non eum quem imitati ſumus.“

Al. Serm. 14 de Verbis Apoſtoli.

2°. Falſum eſt peccatum Adami ad omnes viâ imitationis tranſire. Nam propriè loquendo non imitamur eos quos ignoramus, de quibus nihil unquam audivimus, vel à quibus non impellimur ad malè agendum. Porro plerique homines qui peccaverunt, vel peccant, Adamum ejuſque peccatum omnino ignorant. Ergo propriè loquendo illum imitari nullomodò dici poſſunt. Quin & ipſe Caïn, qui patris ſui transgreſſionem profectò non ignoravit, eum tamen imitatus nonniſi valdè impropriè dici poſſet, quandoquidem longè alterius generis facinus commiſit, uti rectè obſervant S. Auguſtinus lib. 6 *contra Julianum*, cap. 24. num. 75, & auctor *Hypognoſticon* lib. 2, cap. 4. Nec dicas peccatores omnes, ſcripturâ teſte, diabolum imitari, quem tamen non omnes cognoſcunt. Nam alia prorſùs diaboli & Adami ratio eſt. Diabolum *imitari* meritò dicuntur *qui ſunt ex parte ejus*, quia, quamvis eum non cognoſcunt, ejus tamen ſuggeſtione & impulſu peccant; quod certè de Adamo dici nequit.

3°. Iſta Apoſtoli verba, *in quo omnes peccaverunt*, non imitationem, ſed communionem & propagationem peccati ſignificant. Ut enim ait S. Auguſtinus Serm. 194, cap. 15: „ Legatur mihi alicubi: omnes „ in diabolo peccaverunt. Aliud eſt, illo præcedente & ſeducente, „ peccare, aliud in illo peccare: quia ſecundùm propaginem carnis in „ illo eramus omnes antequàm nati eſſemus; tanquam in parente, tanquam in radice ibi eramus: ſic venenata eſt illa arbor in qua eramus.“

4°. S. Paulus Adamum opponit Chriſto, atque Adamum cauſam eſſe peccati omnibus hominibus, ſicut Chriſtus cauſa eſt juſtitiæ omnibus qui in ipſo regenerantur. Atqui Chriſtus non ſolo exemplo, ſed vero & interiori influxu juſtitiam nobis communicat. Ut enim fideles adultos omittam, qui Chriſti in quem credunt veſtigia ſequi ambiunt, certè infantes, quando baptizantur, non imitatione, ſed occultâ gratiæ infuſione Chriſto inſeruntur & juſtificantur. Præterea *Chriſtum propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ejus, propter remiſſionem præ-*

Digitized by Google

præcedentium deliſtorum, ut dicitur Rom. III. 25. Ergo, à pari, Adamus non exemplo tantùm, ſed occultâ tabificatione naturæ humanæ poſteros ſuos peccati contagione infecit; atque ideò, ut concludit S. Auguſtinus lib. 2 *Op. imperf.* cap. 190: „ Non imitationem imitationi, ſed „ generationem generationi oppoſuiſſe Apoſtolum ipſa Chriſti forma de- „ monſtrat, qui homini primo homo ſecundus opponitur. Si ergo non „ pertinent ad juſtitiam Chriſti qui renaſcuntur, non pertinent ad pec- „ catum Adami qui naſcuntur, & non eſt Chriſtus forma à contrario. „ Sed quia forma eſt procul dubio, ſicut renati ad juſtitiam Chriſti „ tranſeunt etiam parvuli, quanquam operari juſtitiam non valentes; „ ita cum tranſitu peccati ex Adam nati ſunt, ſive naſcuntur, quam- „ vis nec peccatum adhuc valeant operari.“

5°. Si eo tantùm ſenſu per Adamum intravit peccatum in mundum, quòd peccantes Adamum imitentur, non unum duntaxat peculiare peccatum, ſed omnia prorſùs peccata per illum intraſſe dicere debuiſſet Apoſtolus. Porrò unum duntaxat peccatum commemorat, illudque cæteris omnibus opponit: *judicium quidem*, inquit, *ex uno* (delicto) *in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.* Ergo non omnia quæ committuntur peccata, ſed unum duntaxat ab Adamo trahitur; ac proinde non imitatione, ſed propagatione peccatum ab Adamo tranſit ad poſteros. Ita ratiocinatur S. Auguſtinus lib. 1. *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 12, num. 15.

6°. Eodem modo peccatum dicitur per unum hominem intraſſe in mundum, & in omnes homines pertranſiſſe, quomodò mors corporis; ſiquidem Apoſtolus utrumque ſimul conjungit. Atqui moriendi neceſſitas ipſâ generatione contrahitur, in quantum propagatur corpus morti obnoxium. Ergo pariter peccatum generatione contrahitur, in quantum natura propagatur corrupta & peccatrix.

Demum, ut obſervat S. Auguſtinus lib. 3 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 4. num. 9: „ Quæ ibi dicuntur (in Epiſtola ad Romanos) „ etiamſi ſubobſcurum pariunt rerum ipſarum neceſſitate ſer- „ monem, non tamen poterunt alium ſenſum habere, niſi per quem factum „ eſt ut antiquitùs Eccleſia univerſa retineret fideles parvulos origina- „ lis peccati remiſſionem per Chriſti baptiſmum conſecutos.“

Ad id verò quod Julianus objiciebat, S. Paulum, ſi traducem peccati ſignificare voluiſſet, generationis mentionem expreſſam facere, & utrumque parentem commemorare debuiſſe, invictè reſpondebat S. Doctor generationem ſatis manifeſtè exprimi, cùm dicitur peccatum intraſſe in mundum *per unum hominem, in quo omnes peccaverunt*, neque opus fuiſſe ut ambo parentes commemorarentur, eoquòd, juxtà communem loquendi morem in ſcripturis uſitatiſſimum, ſoli patri generatio vulgò attribuitur. Sic Matthæi cap. 1, ubi Chriſti genealogia texitur, ſoli patres nominantur, & ſi quando matrum mentio fit, non in recto,

ſed in obliquo appellantur: v. g. *Juda* dicitur *genuiſſe Phares & Zaram de Thamar*, non autem dicuntur Juda & Thamar genuiſſe. Sic etiam Hebr. XI. 11, legitur: *Ab uno* (Abrahamo) *orti ſunt, & hoc emortuo, tanquam ſidera cœli in multitudinem.* Contra vero ſi de peccati exemplo loqui intendiſſet Apoſtolus, vel utrumque parentem, vel præcipuè mulierem notare debuerat, à quâ, ut ait Eccleſiaſticus XXV. 33, *initium factum eſt peccati.* Verum, uti obſervat S. Auguſtinus lib. 2 *Op. imperf.* cap. 56, „ ſicut à muliere initium peccati fuit, ſic initium generationis à viro eſt. Prior enim vir ſeminat, ut fœmina pariat. „ Ideo per unum hominem peccatum intravit in mundum, quia per „ ſemen generationis intravit, quod à viro excipiens concepit fœmina; „ quo more naſci noluit, qui ſolus ſine peccato eſt natus de fœmina.“ Idem inculcat ibidem, cap. 59, & lib. 3 cap. 84, 86 & ſeq. Cæterum, ſi mulierem non commemorat Apoſtolus, eam diſertè deſignat Eccleſiaſticus mox laudatus, tanquam peccati mortiſque cauſam, inquiens: *A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur.*

Contendebant 2°. Pelagiani voces iſtas Apoſtoli, *in omnes homines*, non univerſaliter & in rigore intelligendas eſſe de omnibus omnino hominibus, ſed tantum de omnibus qui peccant; idque probare nitebantur 1°. quia eodem modo peccatum dicitur in omnes pertranſiſſe, quo juſtitia Chriſti *in omnes homines* tranſit *in juſtificationem vitæ;* juſtitia autem Chriſti non in omnes generatim homines, ſed tantum in omnes juſtos pertranſit. 2°. Quia qui primùm dicuntur *omnes*, paulò poſt iidem dicuntur tantummodò *multi*, ubi nimirum legitur: *per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi:* ſi autem *multi*, inquiebant, non ergo omnes. 3°. Quia ibidem dicitur, *multò magis gratia Dei & donum in plures abundaſſe*, quod demonſtrat gratiam Chriſti in aliquos abundare, in quos peccatum Adami non tranſit, videlicet in parvulos. 4°. Quia donum Chriſti majus eſſe dicitur quam Adami peccatum: ac proinde cùm donum Chriſti non in omnes generatim homines tranſeat, nec Adami peccatum.

Verùm hæc infirma præſidia facilè ſubruit Doctor acutiſſimus.

Ad primum quidem reſpondet vocem illam, *omnes*, generatim & abſque ullâ exceptione ſumi in utroque Apoſtolicæ propoſitionis membro, ſed exponendam eſſe pro ſubjectâ materiâ, & per accommodam, ut aiunt, diſtributionem. Reverâ enim in omnes omninò homines, qui ex Adamo generantur, peccatum ipſius, & in omnes omninò homines qui in Chriſto renaſcuntur juſtitia ipſius tranſit, cum eo tantum diſcrimine, quòd nemo hominum ſit, ſolo Chriſto excepto, qui ex Adamo non naſcatur, adeòque nemo prorsùs hominum, ſolo excepto Chriſto, peccati, quod ex Adamo trahitur, expers naſcatur; contra verò non omnes generatim homines renaſcantur in Chriſto, adeòque non omnes homines juſtitiæ participes fiant, tametſi omnes omnino, qui

qui in illo renaſcuntur, ipſius juſtitiæ participes fiant. „ Sic ergo, ait S. Auguſtinus lib. 1 *de Naturâ & gratiâ*, cap. 41, num. 48, „ in „ eo quod dictum eſt, *per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificatio-* „ *nem vitæ*, nullus prætermiſſus eſt; non quia omnes in eum credunt „ & baptiſmo ejus abluuntur, ſed quia nemo juſtificatur, niſi in eum „ credat & ejus baptiſmo abluatur. Itaque *omnes* dictum, ne aliquo „ alio modo præter ipſum quiſquam ſalvus fieri poſſe credatur. Sicut „ enim, uno litterarum magiſtro in civitate conſtituto, rectiſſimè di- „ cimus: omnes hic iſte litteras docet; non quia omnes cives litteras „ diſcunt, ſed quia nemo diſcit quem ille non docuerit: ſic nemo juſti- „ ficatur, niſi quem juſtificaverit Chriſtus.“

Ad 2[um] dicebat, lib. 2 *Op. imperf.* cap. 148, illos, quos *omnes homines* dixerat Apoſtolus, idcircò poſteà ab eodem dictos eſſe *multos*, quia reipsâ multi ſunt, cùm è contrario interdum dicuntur *omnes* qui non *multi*, ſed pauci ſunt: ſic, exempli causâ, in fornace Babylonicâ pueri omnes illæſi fuerunt, ſed illi omnes tres tantummodò fuerunt, adeòque pauci.

Ad tertium reponebat ibidem, cap. 142, 148, 205 & 209, Apoſtolum nequaquam dixiſſe gratiam Dei abundaſſe in magis multos, ſed *magis* abundaſſe *in multos*. In græco enim textu, qui primigenius eſt, non legitur εις πλειονας, *in plures*, ſed ſimpliciter εις πολλους, *in multos*. In latinâ etiam linguâ, ut omnes norunt, vox *plures* non ſolùm comparatè accipitur pro *magis multis*, ſed ſæpiſſimè ſumitur abſolutè pro *multis*. Et ſanè ipſimet Pelagiani negare non poterant plures eſſe peccatores quàm juſtos, ac proinde iſtam textûs Apoſtolici interpretationem admittere cogebantur.

Ad quartum facilis eſt reſponſio. Reipsâ quippe donum Chriſti longè majus eſt quàm nocumentum per Adam allatum; majus, inquam, non extenſivè, ut loquuntur, quaſi plures homines ad ſalutem per Chriſtum perveniant, quàm qui per Adam pereunt, ſed intenſivè, in quantùm 1°. Adamus nonniſi unum peccatum proli ſuæ communicat, Chriſtus verò non illud ſolum peccatum, ſed cætera omnia illi ſuperaddita dimittit; quod ſignificatur his Apoſtoli verbis: *Non ſicut delictum, ita & donum. Nam judicium quidem ex uno* (delicto) *in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.* 2°. In quantum gratia Chriſti, quâ unum in ipſo corpus efficimur, non ſolùm peccata delet & condonat, ſed etiam multò ſublimior ac potentior eſt, quàm illa quam in Adamo perdidimus; idque innuit idem Apoſtolus addens: *Multò magis gratia Dei...... abundavit..... Multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vitâ regnabunt per unum Jeſum Chriſtum.*

Tertium è ſcripturis argumentum hoc eſt: Non pro ſolis adultis Chriſtus incarnatus & mortuus eſt, ſed etiam pro parvulis, ſiquidem parvuli quoque baptizantur *in morte ipſius*, ut docet Apoſtolus Rom. VI.

Chriſtus omnium hominum redemptor, etiam

parvulorum, nonniſi pro peccatoribus incarnatus ac mortuus eſt.

VI. 3. Atqui nonniſi pro peccatoribus ſerviſque diaboli Chriſtus incarnatus ac mortuus eſt. Ergo ipſi quoque parvuli peccato obſtricti ſunt: quonam verò, niſi originali?

Major propoſitio à Pelagianis ipſis admittebatur, nec à quoquam negari poteſt, qui attenderit Chriſtum obtuliſſe ſemetipſum pro omnibus hominum generibus, per omnes tranſiiſſe ætates, ut neminem à ſuâ gratiâ excludi demonſtraret, præcepiſſe ut ſinerentur infantes ad ipſum accedere, eiſque baptiſmum præparaſſe, quo recens nati feliciùs in ipſo renaſcantur.

Chriſtum verò nonniſi pro peccatoribus incarnatum & mortuum eſſe probatur innumeris ſcripturæ teſtimoniis: aliqua tantùm commemorabo.

Lucæ V. 31, Chriſtus ipſe dicit Phariſæis: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus: non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Ergo pro ſolis peccatoribus ac malè habentibus venit cœleſtis medicus. Nec dicas infantes non poſſe vocari ad pœnitentiam, utpote pœnitendi incapaces. Eo quippe modo vocantur ad pœnitentiam, quo ad fidem vocantur; & verè dicuntur & fiunt pœnitentes per Eccleſiæ pœnitentiam, & per habitum juſtitiæ ſibi infuſum, ſicut verè dicuntur & fiunt fideles per fidem Eccleſiæ, habitumque fidei quem in baptiſmo recipiunt.

Lucæ XIX. 9, Chriſtus ait: *Venit filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat.* Omnes ergo homines atque ipſi etiam parvuli perierunt.

S. Petrus Epiſt. III. 8: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis.*

S. Paulus Rom. V. 6: *Chriſtus pro impiis mortuus eſt*; & IV. 5: *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.*

1. Corinth. XV. 3: *Tradidi vobis imprimis quod & accepi, quia Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm ſcripturas.*

1. Ad Timotheum I. 15: *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere*: & II. 5: *Unus enim mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Erant ergo omnes ſub ſervitute peccati, diaboloque mancipati.

S. Joannes 1 Epiſt. III. 8: *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.*

Non aliam mortis Meſſiæ cauſam celebrat Iſaïas Propheta cap. 53. *Ipſe autem*, ait, *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.*

Hinc Apoſtolus, 2 Corinth. X. 19, dicit: *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Totus* enim *mundus*, ut ait S. Joannes, *in maligno poſitus eſt*, & *omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concu-*

cupiſcentia oculorum, *& ſuperbia vitæ; quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.* Quis autem negat infantes, quando baptizantur, eligi de mundo? Ergo per Chriſtum reconciliantur Deo.

Nomen ipſum *Jeſus*, quod ſervatorem ſignificat, oſtendit Chriſtum ideò in mundum veniſſe, ut homines à peccati ſervitute eximat. *Vocabis nomen ejus Jeſum*, ait Angelus Gabriel, Lucæ I, *ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum* (in quo utique comprehenduntur & parvuli baptizati) *a peccatis eorum.*

Illa ſcripturarum teſtimonia refert & explicat S. Auguſtinus lib. 1 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 18. num. 23, cap. 19. num. 24 & 25; lib. 2 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 33. num. 56 & ultimo; lib. 1 *contra Julianum*, cap. 7. num. 31, & lib. 2. cap. 2; lib. 3 *Op. imperf.* cap. 149, & Serm. 174. cap. 6 & 7.

Demum S. Paulus, 2 Corinth. V. 14, ſic loquitur: *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt; & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* Hoc verò ſacro textu omnes Pelagianorum cavillationes fruſtrabat S. Auguſtinus lib. 6 *contra Julianum*, cap. 4, num. 8. „ Quos igitur, inquiebat, hoc loco intelligis mortuos? Numquid „ eos qui de corpore exierunt? Quis ita deſipiat ut hoc ſapiat? Eo mo„ do itaque intelligimus mortuos, pro quibus omnibus mortuus eſt „ Chriſtus, quomodò alibi dicit: *Et vos, cùm mortui eſſetis in delic„ tis & præputio carnis veſtræ, vivificavit cum illo.* Ac per hoc *unus*, „ inquit, *pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt*; oſtendens „ fieri non potuiſſe ut moreretur, niſi pro mortuis. Ex hoc enim „ probavit omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt unus. „ Impingo, inculco, infercio recuſanti: accipe, ſalubre eſt, nolo mo„ riaris. *Unus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt.* Vi„ de quoniam conſequens eſſe voluit ut intelligantur omnes mortui, „ ſi pro omnibus mortuus eſt..... Si nullum trahunt peccatum parvu„ li, non ſunt mortui: ſi non ſunt mortui, non eſt mortuus pro eis, „ qui non eſt mortuus niſi pro mortuis..... Nullomodò igitur negare „ permitteris eos trahere originale peccatum. Nam mortui unde, ſi „ non inde? aut propter quam mortem parvulorum mortuus eſt, qui „ non eſt mortuus niſi pro mortuis? Eumque tu mortuum pro par„ vulis confiteris.“

Tot ſacrorum oraculorum tanta vis eſt, ut nonnulli Pelagianorum non invenientes quâ viâ illam effugerent, victrici tamen veritati cedere nolentes (quò non impellit malæ cauſæ ſemel ſuſceptæ ſtudium?), eò devoluti fuerint, ut infantibus in utero matrum concluſis libertatis uſum peccataque actualia & propria attribuerent, ut teſtatur S. Auguſtinus lib. 1. *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 17. num. 22, & epiſt. 186 ad Paulinum ſcripta anno 417.

Probatio II°. *ex Traditione.*

Quàm conſtanti traditione peccati originalis veritatem tenuerit Eccleſia, inde manifeſtum eſt, quòd, ubi primum Pelagianus error erupit, fidelium omnium animos ſuâ novitate commoverit. Indubitanter affirmabat S. Auguſtinus neminem vel catholicum, vel etiam hæreticum tale aliquid ante Pelagium docuiſſe. „ Ego quidem, inquit lib. 3 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 6. num. 12, „ quamvis longè pauciora (Veterum ſcripta, quàm Hieronymus) legerim, non memini aliud „ me audiviſſe à Chriſtianis, qui utrumque accipiunt Teſtamentum, „ non ſolùm in catholicâ Eccleſiâ, verùm etiam in quâlibet hæreſi „ vel ſchismate conſtitutis; non memini me aliud legiſſe apud eos quos „ de his rebus aliquid ſcribentes legere potui, qui ſcripturas canonicas ſequerentur, vel ſequi ſe crederent, credique voluiſſent. Unde nobis negotium repentè emerſerit neſcio."

Teſtimonia SS. Patrum qui Pelagianam hæreſim præceſſerunt.

Verùm ut perpetuum Eccleſiæ circa hoc fidei caput documentum majori in luce collocetur, operæ pretium eſt nonnulla hic inſerere dicta SS. Patrum qui Pelagianam hæreſim præceſſerunt, nam de illorum qui poſteà ſcripſerunt doctrinâ nullum dubium eſſe poteſt.

S. Juſtinus martyr.

Al. Edit. Commel. anni 1593 pag 246.

Secundo ſæculo S. Juſtinus martyr in Dialogo cum Tryphone, num. 88, ait Chriſtum baptizatum fuiſſe, „ non quòd his rebus indigeret, „ ſed pro humani generis cauſâ, quod ab Adamo in mortem & ſerpentis fraudem inciderat; ut interim, inquit, propriam cujusque malè „ agentis culpam ſileam." Quibus in verbis peccatum originale perſpicuè aſſeritur, atque à peccatis actualibus diſtinguitur.

S. Irenæus Epiſcopus & martyr.

Eodem ſæculo S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis & martyr, lib. 4 *adverſùs Hæreſes*, cap. 2. num. 7, al. cap. 5, dicit lege veteri per ſerpentem æneum monſtratum eſſe „ non aliter ſalvari homines ab antiquâ ſerpentis plagâ, niſi credant in eum qui ſecundùm ſimilitudinem „ carnis peccati in ligno martyrii exaltatus à terrâ omnia traxit ad ſe, „ & vivificavit mortuos." Et lib. 5, cap. 19. num. 1: „ Quemadmodùm, inquit, adſtrictum eſt morti genus humanum per virginem, ſolvatur per virginem.... Adhuc enim protoplaſti peccato per correptionem primogeniti emendationem accipiente, ſerpentis prudentiâ devictâ per ſimplicitatem columbæ, vinculis illis reſoluti ſumus, per „ quæ alligati eramus morti." Hæc duo teſtimonia Pelagianis objecit S. Auguſtinus lib. 1 *contra Julianum*, cap. 3. num. 5.

Ibidem, cap 16. num. 21, S. Irenæus dicit: „ In primo quidem Adam offendimus, non facientes ejus (Dei) præceptum: in ſecundo „ autem Adam reconciliati ſumus, obedientes usque ad mortem facti. „ Neque enim alteri cuiquam eramus debitores, ſed illi cujus præceptum transgreſſi fueramus ab initio." Et cap. 17. num. 3: „ Delevit chirographum, debita noſtra, & affixit illud cruci, ut, quemad- „ mo-

„ modùm per lignum facti ſumus debitores Deo, per lignum accipia-„ mus noſtri debiti remiſſionem.“ Idem iterum inculcat cap. 21.

S. Clemens Alexandrinus.

Textus quidam illius exponitur.

Edit. Paris. anno 1641, pag. 468 & 469.

S. Clemens Alexandrinus lib. 1 *Pædagogi*, cap. 6, inter effectus baptiſmi, quo parvuli ipſi indigent, recenſet peccatorum remiſſionem.

Objicitur tamen textus difficilis è lib. 3 *Stromatum*, ubi respondens Baſilidi & Encratitis, qui nuptias & generationem damnabant, ex eo quòd infantes ab ipſo ortu peccato obligentur, ſic loquitur: „ Dicant „ ergo nobis ubi fornicatus eſt infans natus, vel quomodò ſub Adæ „ cecidit execrationem, qui nihil operatus eſt? Reſtat ergo eis, ut „ videtur, conſequenter ut dicant malam eſſe generationem, non ſolùm „ eam quæ eſt corporis, ſed etiam eam quæ eſt animæ, propter quam „ eſt & corpus. Et quando David dicit: *in peccatis conceptus ſum, & „ in iniquitatibus concepit me mater mea*, dicit prophcticè quidem ma-„ trem Evam: ſed viventium Eva mater fuit: & ſi in peccatis concep-„ tus eſt, ſed non ipſe in peccato, neque etiam ipſe peccatum.“

Solutio hujus difficultatis petenda eſt à ſcopo quem ibi S. Clemens ſibi proponit. Refellendos habet hæreticos, qui teſtimoniis ſacræ ſcripturæ, quibus adſtruitur peccatum originale, abutebantur ad damnandas nuptias. Illud argumentum ut eis auferret, demonſtrandum ſuſcipit non ideò infantes naſci peccato obnoxios, quòd nuptiæ malæ ſint, ut illi volebant, neque ſequi malam eſſe generationem ex eo quòd infantes in peccato concipiantur: quæ duo certè veriſſima ſunt & dogmati peccati originalis nullatenùs adverſantur. Primò quidem veriſſimum eſt non ideò parvulos naſci peccato obligatos, quòd concubitus parentum malus ſit: nam, ut ratiocinatur S. Doctor, ſi propterea quòd parentes gignendo peccarent, infans in culpâ eſſet, maximè quia illorum peccati ſocius ac particeps foret. Atqui infans qui gignitur nullomodò particeps eſt hujuſmodi peccati, quandoquidem cujuslibet operationis incapax eſt. Non ergo idcircò peccator naſcitur, quòd parentum concubitus ſit malus. Hic manifeſtè ſenſus eſt horum verborum: *Dicant nobis ubi fornicatus eſt infans natus, aut quomodò cecidit ſub Adæ execrationem* (cooperando ſcilicet peccato gignentium), *qui nihil operatus eſt?* Aliam quidem ob cauſam infans naſcitur ſub Adæ damnatione, ſed illam cauſam hic non attendit S. Clemens, hæreticorum nuptias damnantium confutationi unicè intentus. 2°. Non minùs verum eſt nuptias non ideò malas & culpandas eſſe, quòd infans in peccato naſcatur. Nam, uti obſervat S. Doctor, ſi corporis generatio mala eſſet eoquòd infans peccator naſcatur, animæ quoque generatio eſſet mala, ſiquidem anima imprimis ſordibus peccati inquinatur. Atqui Encratitæ fatebantur animæ generationem malam non eſſe, quamvis infans in peccato naſcatur. Ergo nec corporis generatio idcirco mala & damnanda eſt. Id profectò ſibi volunt iſta verba: *Reſtat ut dicant malam eſſe generationem, non ſolùm corporis, ſed etiam animæ.* Ad ver-

verſiculum autem Pſalmi L, quem illi hæretici objiciebant: *in peccatis concepit me mater mea*, reſpondet Evam quidem matris nomine ibi à Davide ſignificatam fuiſſe, ſed peccatum Evæ non in eo poſitum fuisſe, quòd conceperit ac pepererit, cum è contrario eo titulo dicatur honoris cauſa *mater viventium*, infantemque, etſi conceptum in peccato, non tamen per matris peccatum conceptum fuiſſe, neque peccatum matris eſſe, ſed filium. Nihil ergo eſt in toto illo S. Clementis loco quod originalis peccati fidei adverſetur: immo ex illa ipſa Encratitarum objectione colligi certò poteſt fidem illam tunc in Eccleſiâ indubitatam & vulgatisſimam fuiſſe. Neque id negat Clemens Alexandrinus; ſed negat tantùm inde inferri poſſe damnandas eſſe nuptias. Immo fidem Eccleſiæ manifeſtè confirmat, ſive cùm probat corporis generationem propter peccatum originale non eſſe malam, quia inde ſequeretur animæ quoque generationem malam eſſe, quod apertè ſupponit animam parvulorum peccato obſtringi; ſive cùm Pſalmi verſiculum: *in peccatis concepit me mater mea*, non de matre ipſâ Davidis, ſed de Evâ intelligit. Quodnam enim hujus interpretationis fundamentum eſſe poteſt, niſi quod ab Evâ *initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur?*

Origenes. Tertio ſæculo Origenes, Homiliâ 8 in Leviticum, exponens cur mulieres in lege Moſaïcâ poſt puerperium immundæ eſſent, dicit legalis illius immunditiæ cauſam fuiſſe quòd filios pariendo propagarent originale vitium, eamdemque ob cauſam plurimos juſtos diem nativitatis ſuæ, non ut feſtivum, ſed ut maledictum habuiſſe; ſtatimque addit: „ Quod ſi placet audire quid etiam alii ſancti de iſtâ nativitate ſenſerint, audi David dicentem: *in iniquitatibus*, inquit, *conceptus ſum*, „ *& in peccatis concepit me mater mea*; oſtendens quòd quæcunque anima in carne naſcitur, iniquitatis & peccati ſorde polluitur, & propterea dictum eſſe illud quod jam ſuperiùs memoravimus, *quia nemo mundus à ſorde, nec ſi unius diei ſit vita ejus*. Addi his etiam iſtud poteſt, ut requiratur quid cauſæ ſit, cùm baptiſma Eccleſiæ in remiſſionem peccatorum detur, ſecundùm Eccleſiæ obſervantiam etiam parvulis baptiſmum dari; cùm utique, ſi nihil eſſet in parvulis, quod ad indulgentiam deberet & remiſſionem pertinere, gratia baptiſmi ſuperflua videretur.“

Homilia 12 in caput 21 Levitici: „ Omnis, inquit, qui ingreditur hunc mundum, in quâdam contaminatione fieri dicitur. Propter quod & ſcriptura dicit: *nemo mundus à ſorde, nec ſi unius diei fuerit vita ejus*. Hoc ipſo ergo quòd in vulvâ matris eſt poſitus, & quòd materiam corporis ab origine paterni ſeminis ſumit, in patre & matre contaminatus dici poteſt.“ Addit eam ob cauſam præceptum fuiſſe in veteri lege ut pueruli quadrageſimo die redimerentur, ſicque concludit: „ Omnis ergo homo in patre & in matre pol-

„ lutus eſt: ſolus verò Dominus Jeſus in hâc generatione mundus in-
„ greſſus eſt."

Homilia 14 in Lucam: „ Quia per baptiſmi ſacramentum nativita-
„ tis ſordes deponuntur, proptereà baptizantur & parvuli."

In caput 5 Epiſtolæ ad Romanos, ad hæc verba: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum* &c, quærit cur Apoſtolus dicat peccatum intraſſe per hominem, & non potiùs per mulierem, quæ prior peccavit, aut per ſerpentem qui peccatum ſuggeſſit, ſicque reſpondet:
„ Vide in his Apoſtolum naturæ ordinem tenuiſſe, & ideò, quoniam
„ de peccato loquebatur, ex quo mors in omnes homines pertranſie-
„ rat, ſucceſſionem poſteritatis humanæ, quæ huic morti ſuccubnit
„ ex peccato venienti, non mulieri adſcripſit, ſed viro: non enim ex
„ muliere poſteritas nominatur, ſed ex viro."

In caput 6um ejusdem Epiſtolæ, exponens hæc verba: *ut deſtruatur corpus peccati* &c, ait: „ Corpus peccati eſt corpus noſtrum, quia nec
„ Adam ſcribitur..... genuiſſe, niſi poſt peccatum. Denique & in le-
„ ge pro illo qui natus fuerat jubetur offerri hoſtia, par turturum &
„ duo pulli columbini, ex quibus unus pro peccato & alius in holo-
„ cautomata. Pro quo peccato offertur hic pullus unus? Numquid nu-
„ per editus parvulus peccare potuit? Et tunc habet peccatum, pro
„ quo hoſtia jubetur offerri, à quo mundus negatur quis eſſe, etſi unius
„ diei ſit vita ejus .... Pro hoc & Eccleſia ab Apoſtolis traditionem
„ ſuſcepit etiam parvulis dare baptiſmum. Sciebant enim illi, quibus
„ myſteriorum ſecreta commiſſa ſunt divinorum, quia eſſent in omni-
„ bus geminæ ſordes peccati, quæ per aquam & ſpiritum ablui debe-
„ rent, propter quas etiam corpus ipſum peccati nominatur, non, ut
„ putant aliqui eorum qui animarum transmigrationem in varia corpora
„ introducunt, pro his quæ in alio corpore poſita anima deliquerit,
„ ſed pro ipſo quod in corpore peccati, & corpore mortis atque hu-
„ militatis effecta eſt." Ita Origenes, cujus plura teſtimonia ideò retulimus, quòd in aliquibus Pelagio præluſiſſe plurimis viſus fuerit.

Tertullianus lib. *de Animâ*, cap. 40: „ Omnis anima, inquit, eò Tertullianus.
„ usque in Adam cenſetur, donec in Chriſto recenſeatur. Tamdiu im-
„ munda, quamdiu recenſeatur: peccatrix autem, quia immunda, re-
„ cipiens ignominiam ex carnis ſocietate." Et in libro *de Teſtimonio animæ*, cap. 3: „ Per malitiæ angelum homo à primordio circumven-
„ tus, ut præceptum Dei excederet, & proptereà in mortem datus,
„ exinde totum genus de ſuo ſemine infectum ſuæ etiam damnationis
„ traducem fecit." Et in libro *de Cultu feminarum*, cap. 1, monet religioſam feminam ſordidum potiùs, quàm cultiorem veſtitum decere, memorem nimirum illius feminæ per quam peccato obligati ſumus.
„ Ipſam ſe, inquit, circumferens Evam lugentem & pœnitentem, quo
„ pleniùs id quod de Eva trahit, ignominiam dico primi peccati

Digitized by Google

„ & invidiam perditionis humanæ , omnis ſatisfactionis habitu ex-
„ piaret.“

Objicitur tamen eumdem Tertullianum lib. *de Baptiſmo*, cap. 18, ſuadere differre baptiſmum parvulorum , coquòd, cum ſint innocentes, lavacro non egeant. „ Cunctatio baptiſmi, inquit, utilior eſt, præ- „ cipuè tamen circa parvulos. Quid enim neceſſe eſt ſponſores etiam „ periculo ingeri?.... Ait quidem Dominus: *nolite illos prohibere ad* „ *me venire.* Veniant ergo dum adoleſcunt, veniant dum diſcunt, „ dum quò veniant docentur: fiant Chriſtiani cùm Chriſtum noſſe po- „ tuerint. Quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?“ Fatemur equidem Tertullianum optaſſe ut (extra caſum neceſſitatis) parvuli non baptizentur antequàm doctrinæ capaces ſint, quod certè Eccleſia non approbavit, præcipuè propter inopinatos caſus quibus infantilis ætas præ cæteris eſt obnoxia ; ſed non idcircò cenſuit illos peccato carere. Illorum ætatem innocentem appellat, non abſolutè, ſed comparatè ad ætates provectiores, ut conſtat tum ex locis mox allatis, tum ex hoc ipſo, ubi clarè ſupponit infantes ipſos in baptiſmo conſequi remiſſionem peccatorum: *Quid feſtinat*, inquit, *innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* Mens ergo illius eſt, cùm utiliter differatur baptiſmus adultorum , qui multis ſæpè criminibus maculati ſunt, multò magis differendum eſſe, ſi mortis periculum abſit, baptiſmum infantium, qui in illorum comparatione multò innocentiores ſunt.

S. Cyprianus cum Epiſcoporum ſynodo.

S. Cyprianus, unà cum Concilio 66 Epiſcoporum, in Epiſtolâ ad Fidum, qui parvulos ante octavum à nativitate diem baptizari non debere arbitrabatur, opinionem illam omnino rejicit. „ Longè aliud, „ inquiunt, in Concilio noſtro omnibus viſum eſt. In hoc enim, quod „ tu putabas eſſe faciendum, nemo conſenſit, ſed univerſi potiùs ju- „ dicavimus nulli hominum nato miſericordiam Dei & gratiam dene- „ gandam. Nam, cùm Dominus in Evangelio ſuo dicat: *Filius homi-* „ *nis non venit animas perdere, ſed ſalvare*, quantùm in nobis eſt, ſi „ fieri poteſt, nulla anima perdenda eſt..... Porro autem ſi etiam gra- „ viſſimis delictoribus & in Deum multùm ante peccantibus, cùm poſ- „ teà crediderint, remiſſa peccatorum datur, & à baptiſmo atque à gra- „ tiâ nemo prohibetur, quantò magis prohiberi non debet infans, qui „ recens natus nihil peccavit, niſi quòd ſecundùm Adam carnaliter „ natus contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit? Qui „ ad remiſſam peccatorum accipiendam hoc ipſo faciliùs accedit, quòd „ illi remittuntur non propria, ſed aliena peccata.“ Veritas peccati originalis à patribus hujus concilii ſupponitur tanquam certa & indubitata, de quâ Fidus ipſe non ambigebat, licet de tempore quo parvuli baptizandi ſunt ambigeret. Præclarum iſtud teſtimonium non omiſit S. Auguſtinus lib. 3 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 5. num. 10, & lib. 4 *Contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 8, num. 23 & 24.

Quarto

Quarto ſæculo Reticius Auguſtodunenſis Epiſcopus, quem S. Auguſtinus lib. 1 *contra Julianum* appellat virum *magnæ in Eccleſia auctoritatis*, ſic loquitur apud S. Auguſtinum, ibidem: „ Hanc igitur principalem eſſe in Eccleſiâ indulgentiam neminem præterit, in quâ antiqui „ criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ noſtræ facinora priſca „ delemus, ubi & veterem hominem cum ingenitis ſceleribus exuimus." Reticius Epiſcopus.

Olympius Epiſcopus Hiſpanus, quem S. Auguſtinus appellat ibidem, num. 8, Epiſcopum *magnæ in Eccleſiâ & in Chriſto gloriæ*, in Sermone quodam ibi laudato ſic habet: „ Si fides unquam in terris incor- „ rupta manſiſſet, ac veſtigia defixa tenuiſſet, quæ ſignata deſeruit, „ nunquam protoplaſti mortiferâ transgreſſione vitium ſparſiſſet in ger- „ mine, ut peccatum cum homine naſceretur." Olympius Epiſcopus.

S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus in Pſalmum 118, exponens hæc verba: *vivet anima mea & laudabit te*, ſic loquitur: „ Vivere ſe in hâc „ vitâ non reputat, quippe qui dixerat: *Ecce in iniquitatibus concep-* „ *tus ſum, & in delictis peperit me mater mea:* ſcit ſub peccati origine „ & ſub peccati lege ſenatum." Laudatur quoque à S. Auguſtino, lib. 1 *contra Julianum*, cap. 3, num. 9; & lib. I *Operis Imperf.* cap. 52. S. Hilarius.

S. Athanaſius Oratione in hæc Chriſti verba: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, paulò poſt initium: „ Poſtquàm, inquit, peccaret „ & lapſus fuerat homo, ejuſque lapſu perturbatis omnibus, mors in- „ valuiſſet ab Adam usque ad Chriſtum, terraque execrationi data eſ- „ ſet, infernus apertus, paradiſus clauſus, cælum infenſum, & tan- „ dem, corrupto & interempto homine, inſiluiſſet diabolus contra nos „ &c." Et in Oratione 2ª contra Arianos: „ Sicuti, prævaricante A- „ damo, in omnes homines peccatum dimanavit, ita quòque, Domino „ prævalente & ſerpentem evertente, in nos iſtiusmodi vigor transma- „ nebit." S. Athanaſius. Tom. 1. pag. 150.

S. Optatus Milevitanus Epiſcopus lib. 4 *Adverſùs Parmenianum*: „ Ne- „ minem fugit, inquit, quòd omnis homo qui naſcitur, quamvis de „ parentibus Chriſtianis naſcatur, ſine ſpiritu mundi eſſe non poſſit, „ quem neceſſe ſit ante ſalutare lavacrum ab homine excludi & ſepa- „ rari." Hoc exorciſmus operatur, per quem ſpiritus immundus expellitur & in loca deſerta fugatur. S. Optatus. Pag. 92.

Objicitur tamen eumdem Optatum lib. 7 reſpondendo Donatiſtis, qui à Catholicorum communione ſub hoc falſo prætextu abhorrebant, quòd Catholici eorum filii eſſent qui ſacros codices perſecutoribus tradiderant, docere crimen traditorum, qualecunque ſit, illorum filiis nocere non poſſe. „ Quæ res, inquit, jam ab antiquis ſæculis in ip- „ ſis natalibus mundi comprobata eſt: nam non pertinuit ad Seth fi- „ lium Adæ patris peccatum." Verùm ſeptimus ille liber eruditis videtur non eſſe S. Optati, tum propter ſtyli diſcrepantiam, tum quia S. Hieronymus ſex tantùm numerat Optati libros, & ipſe etiam Optatus, lib.

lib. 1 indicans quid in ſingulis tractaturus eſſet, de hoc ſeptimo penitùs tacet; tum denique quia in hoc ſeptimo libro crimen Traditorum extenuatur, quod tamen verus Optatus graviſſimum eſſe aſſerit. Quidquid ſit, allata verba commodè intelligi poſſunt de cæteris Adami & aliorum parentum peccatis, quæ ad eorum filios minimè tranſeunt: vel ſenſus eſt peccata parentum non nocere filiis piè & ſanctè viventibus: ſiquidem peccatum Adæ non obſuit quominùs Seth ejus filius Deo acceptus fuerit; immeritò proinde Donatiſtas communionem Catholicorum fugere, coquòd, ut fingebant, Catholici filii Traditorum eſſent, cùm non rarò eveniat ut parentes mali fuerint, & filii juſti ac ſancti ſint.

S Baſilius. Tom. 2. pag. 3. S. Baſilius in homilia 1ª. de Jejunio, quam laudat S. Auguſtinus lib. 1 *contra Julianum*, cap. 5, num. 18: „ Si à ligno, inquit num. 3, „ jejunaſſet Eva, nequaquam hoc nunc jejunio opus haberemus. Neque enim qui valent egent medico, ſed qui malè habent. In morbum incidimus per peccatum, ſanemur per pœnitentiam.“ Et num. 4: „ Quoniam non jejunavimus, exulamus à paradiſo: jejunemus ergo, „ ut ad eum poſtliminio redeamus.“

S. Gregorius Nazianzenus. S. Gregorius Nazianzenus, cujus opera adeò præclara viſa fuiſſe memorat S. Auguſtinus ibid. num. 55, ut in latinam linguam ſuo tempore tranſlata eſſent, ſic loquitur in Oratione in Natalem Chriſti, paulò poſt initium: „ Sicut in Adam omnes mortui ſumus, ita & in Chriſto „ omnes vivificemur...... Neceſſe eſt enim nos perpeti utilem hanc & „ neceſſariam viciſſitudinem, ut, ſicut ex bonis ad triſtia devoluti ſumus, ita ex triſtibus ad meliora reparemur;..... ut quos fructus ligni „ vetiti condemnavit, Chriſti crux gratiâ largiore juſtificet.“ Et in alio ſermone, quem laudat S. Auguſtinus loco citato: „ Perſuadeat tibi de hoc quoque ſermo Chriſti dicentis neminem poſſe intrare in „ regnum cœlorum, niſi renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto. Per „ hunc primæ nativitatis maculæ purgantur, per quas in iniquitatibus „ concipimur, & in delictis genuerunt nos matres noſtræ.“

S. Ambroſius. S. Ambroſius lib. 7 in Lucam, num. 234, ad Lucæ caput XV. 24: „ Fuit Adam, inquit, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes perierunt.“ In Pſalmum 48, v. 8: „ Alia eſt iniquitas „ noſtra, alia calcanei noſtri, in quo Adam dente ſerpentis eſt vulneratus, & obnoxiam hæreditatem ſucceſſionis humanæ ſuo vulnere dereliquit, ut omnes iſto vulnere claudicemus.“ In libro *de Fide reſurrectionis*;] „ Lapſus ſum, inquit, in Adam, de paradiſo ejectus in „ Adam, mortuus in Adam, quem non revocat, niſi me invenerit, „ ut in Adam culpæ obnoxium, morti debitum, ita in Chriſto juſtificatum.“ In libro 1° *de Pœnitentiâ*, cap. 3, num. 13: „ Omnes „ ſub peccato naſcimur, quorum ipſe ortus in vitio eſt; ſicut habes „ lectum, dicente David: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea.* Ideo Pauli caro corpus mortis erat, ſi-

„ cut

„ cut ipſe ait: *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Chriſti autem
„ caro damnavit peccatum quod naſcendo non ſenſit, quod morien-
„ do crucifixit, ut in carne noſtrâ eſſet juſtificatio per gratiam, ubi
„ erat ante colluvio per culpam." Alium quoque textum refert S. Au-
guſtinus lib. *de Peccato originali*, cap. 41, num. 27, & lib. 4 *contra*
duas Epiſtolas Pelagianorum, cap. 11, num. 29, ex opere S Ambroſii
in Iſaïam, quod nunc non extat, ubi ſic loquebatur magnus ille Medio-
lanenſis Antiſtes: „ Omnis homo mendax, & nemo ſine peccato, niſi
„ unus Deus. Servatum eſt igitur ut ex viro & muliere, id eſt, per il-
„ lam corporum commixtionem nemo videatur expers eſſe delicti: qui
„ autem expers eſt delicti (Chriſtus ſcilicet), expers eſt etiam ejuſ-
„ modi conceptionis."

Rufinus.

Rufinus Presbyter Aquileienſis eruditiſſimus, Comment. in Pſalmum
L, ſic loquitur: „ Ego conceptus contraxi mecum iniquitatem origina-
„ lis delicti. Numquid de adulterio David natus erat de Jeſſe viro juſ-
„ to & conjuge ejus? Quid eſt ergo quod ſe dicit in iniquitatibus con-
„ ceptum eſſe, niſi quia trahitur iniquitas ex Adam? Nemo naſcitur
„ niſi trahens culpam & culpæ pœnam."

S. Hieronymus.

S. Hieronymus, qui primum in occidentali, deinde in orientali Ec-
cleſia diutiſſimè vixit, vir in litteris ſacris exercitatiſſimus, quem, lec-
tis omnibus aut ferè omnibus libris, qui ante ipſius tempora de doc-
trinâ Chriſtianâ ſcripti fuerant, veterum ſententiam apprimè cognoviſ-
ſe obſervat S. Auguſtinus lib. 1 *contra Julianum*, cap. 7, num. 34; S.
Hieronymus, inquam, Commentario in Jonam, cap. 3, ante notam
Pelagii hæreſim conſcripto, loquens de jejunio Ninivitarum: „ Major
„ ætas, inquit, incipit, & uſque ad minorem pervenit. Nullus enim
„ abſque peccato, nec ſi unius diei quidem fuerit. Si enim ſtellæ mun-
„ dæ non ſunt in conſpectu Dei, quantò magis vermis & putredo, &
„ ii qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxii?" In libris autem
adverſus Pelagianos originalis peccati fidem demonſtravit ex baptiſmo
parvulorum *in remiſſionem peccatorum*, & in fine Dialogi tertii Pelagium
ſub Critobuli nomine inducit de ipſo ſic conquerentem: „ Cogis me ut ad
„ invidioſum illud veniam, & dicam tibi: *Quid enim peccaverunt?* ut ſta-
„ tim in me populorum lapides conjicias, & quem viribus non potes,
„ voluntate interficias?" Quibus ex verbis perſpicuum eſt dogma pec-
cati originalis non doctis tantummodò, ſed imperitis quoque & ple-
beculæ notiſſimum fuiſſe; ſiquidem Pelagiani populorum metu errorem
ſuum occultare cogebantur.

S. Chryſoſtomus.

S. Joannes Chryſoſtomus in Epiſtolâ ad Olympiam à S. Auguſtino ci-
tatâ lib. 1 *contra Julianum*, cap. 6, num. 24: „ Quando, inquit,
„ Adam peccavit illud grande peccatum, & omne genus hominum in
„ commune damnavit, de mœrore pœnas luebat."

Et Homiliâ 10 in Epiſt. ad Rom. „ *Per unum hominem*, inquit, *pec-*

„ *catum intravit in mundum.....* Palam eſt non peccatum illud, quod eſt „ legis (per Moyſen datæ) transgreſſio, ſed illud Adami peccatum in„ obedientiæ ipſummet fuiſſe quod omnia perdidit. Et quænam hujus „ rei probatio eſt? Quòd ante legem omnes morerentur. *Regnavit enim* „ *mors*, inquit, *ab Adam usque ad Moyſen, etiam in eos qui non pec„ caverunt.* Quomodò regnavit? *In ſimilitudinem prævaricationis Adæ,* „ *qui eſt forma futuri.* Ideò enim typus eſt Chriſti Adam. Quomodò „ inquies, typus? Quia, ſicut ille ex ſe ortis, licet non comederint „ de ligno, cauſa fuit mortis per cibum illis inductæ, ita & Chriſtus „ ſuis, licet non juſtè egerint, juſtitiæ conciliator fuit, quam per cru„ cem nobis omnibus largitus eſt, ... ut, cùm tibi dixerit Judæus: „ Quomodò, uno Chriſto rectè operante, orbis ſalutem eſt adeptus? „ poſſis ipſi dicere: Quomodò, uno inobediente Adam, orbis eondem„ natus eſt? Quanquam non par ſit peccatum gratiæ, nec par ſit mors „ vitæ, nec diabolus Deo, ſed immenſum ſit discrimen..... *Si enim* „ *unius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei & donum in* „ *gratiâ unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.* Id eſt, ſi pec„ catum tantum valuit, atque unius hominis peccatum; gratia, imò „ Dei gratia, nec modò Patris, ſed & Filii, quomodò non longè ſupe„ rabit? Hoc enim multò magis rationi conſonum. Alterum enim pro „ altero pœnas dare non æquum videtur; alterum verò propter alterum „ ſervari, id certè magis decorum & conſentaneum. Si ergo illud, „ multò magis hoc factum eſt..... *Judicium quidem ex uno in condemna„ tionem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.* Ecquid hoc „ ſibi vult? Quòd peccatum mortem & damnationem inducere potuerit; „ gratia verò non illud modò peccatum abſtulerit, ſed alia quoque om„ nia quæ poſt illud admiſſa ſunt..... Undenam hoc liquet? Quia poſt „ innumera illa peccata, quæ poſt illud in paradiſo admiſſum ſubſecuta „ ſunt, in juſtificationem res deducta eſt: ubi autem eſt juſtitia, ibi „ vita & infinita bona neceſſariò conſequuntur."

In hoc præclaro commentario Chryſoſtomus 1°. apertiſſimè docet Adami peccatum in omnes ejus poſteros tranſire. 2°. Probat peccatum illud reipsâ in omnes tranſire, ex eo quòd mors, quæ pœna peccati eſt, in omnes graſſetur: unde liquet peccatum ab ipſo propriè ſumi pro ipſo delicto. 3°. Adamum Chriſto opponit, aitque Adamum ad omnes ex ipſo genitos peccatum & mortem transfundere, ſicut Chriſtus in omnes in ipſo renascentes juſtitiam & vitam infundit. 4°. Probat Chriſtum eſſe cauſam realem juſtitiæ, eo quòd Adamus verè cauſa peccati nobis extiterit.

Solvuntur duæ ex S. Chryſoſtomo objectiones

Non tamen diſſimulandum eſt quod ibidem ſequitur. S. Doctor num. 2 & 3 exponens hæc verba: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi* &c, innuere videtur homines per Adamum non niſi impropriè peccatores conſtitui, quatenus ſupplicio & morti fiunt ob-

obnoxii. „ Sic enim loquitur: Videtur quidem dictum illud non parvam inferre quæſtionem..... Quænam igitur illa quæſtio eſt? Nempe dicere per inobedientiam unius multos effici peccatores. Quòd enim, illo peccante & mortali facto, qui ex illo orti ſunt tales efficiantur, id à veriſimili non abhorret; quòd autem ex inobedientiâ illius alter peccator fiat, id quam conſequentiam habuerit? invenietur quippe ille non pœnas debere, niſi ex ſe peccator fuerit. Quid igitur hîc ſignificat illud: *peccatores?* Mihi quidem videtur ſupplicio obnoxios & ad mortem damnatos. Quòd igitur, Adamo mortuo, omnes ſimus mortales effecti, id clarè & pluribus oſtendit. Quod quæritur autem eſt cur ita factum ſit, ſed nondum illud adjicit, neque enim id ad rem præſentem pertinet..... Quòd ſi quis veſtrum quærat, hoc dicemus, nos à morte hujusmodi ac condemnatione non modò nihil læſos fuiſſe, ſi advigilemus, ſed etiam lucratos eſſe, cùm mortales effecti ſumus &c.“

Illud ſanè paulò crudiùs dictum eſt. Verùm, cùm in præcedentibus S. Chryſoſtomus peccatum originale adeò perſpicuè aſſeruerit, hæc ſequentia ſic certè intelligenda ſunt, ut S. Doctor ſibimetipſi in eâdem homiliâ non apertè contradicat. Et certè hoc ipſo in loco declarat mortem corporis ab Adami peccato fluxiſſe. Atqui pœnam eis inferre, qui peccati expertes ſint, injuſtum eſſe Deoque indignum ipſe fatetur: ſiquidem paulò ante probaverat Adami peccatum in totum hominum genus tranſire, ex eo quòd mors, quæ pœna peccati eſt, in omnes graſſetur. Et poſteà num. 4: „ Quænam igitur, inquit, mortis radix eſt? Peccatum. Propterea ait (Apoſtolus): *Ut ſicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam:* .....: oſtendens peccatum quidem quaſi regem fuiſſe, mortem verò quaſi militem ſub ipſo ſtantem & ab ipſo armatum.“ Cur igitur, inquies, dicit S. Doctor *peccatores* idem eſſe ac ſupplicio obnoxios & mortis reos? Reſpondeo illum ita locutum eſſe, non ut excluderet peccatum originale, quod toties in hâc ipsâ homiliâ aſſeruerat, &, quo ſublato, injuſtum foret, ipſo etiam fatente, homines ſupplicio & morte addici; ſed ut excluderet peccata actualia, ipſumque ſub ſupplicii nomine non pœnam tantùm peccati, ſed peccatum ipſum originale comprehendiſſe. Hanc fuiſſe ipſius mentem inde liquet, quòd manifeſtè ſupponat mortem ſine peccato non fluere ab Adamo, quemadmodùm vita à Chriſto non fluit absque juſtitiâ. Sic enim num. 3. explicat ſcopum Apoſtoli: „ Quod quæritur autem eſt cur ita factum ſit (ut ſcilicet, Adamo peccante & mortuo, omnes ſimus mortales effecti), ſed nondum illud adjicit, neque enim id ad rem præſentem pertinet. Nam contra Judæum decertatur, qui dubitat ac deridet illam per unum hominem juſtitiam. Ideo, poſtquam oſtendit ſupplicium ab uno in omnes derivatum, cur id factum ſit non addit, neque enim ſuperfluè loquitur;

„ tur; ſed circa neceſſaria tantùm inſtat." At certè ad perſuadendum Judæis homines per unum Jeſum Chriſtum juſtitiam conſequi, ſatis non erat oſtendere omnes homines per Adamum mortales eſſe effectos, ſiquidem juſtitiæ non mors corporis, ſed peccatum opponitur; ſed oſtendere oportuit peccatum ſimul cum morte ab Adamo trahi, ex quo conſequens eſſet juſtitiam ſimul cum vitâ per Chriſtum comparari.

Inſtabis. S. Chryſoſtomus ait Apoſtolum non expoſuiſſe quam ob cauſam in omnes homines mors ab Adamo tranſierit; ſtatimque cauſam illam indicare ſibi proponens, non recurrit ad originale peccatum, ſed ait Deum ideo permiſiſſe ut ſupplicium & mors in omnes manarent, quia exinde multa ſpiritualia commoda reportari poſſunt.

Reſpondeo S. Doctorem ſupplicii mortiſque nomine non mortem corporis duntaxat intellexiſſe, ſed totam illam malorum congeriem quæ ex peccato Adami in nos derivatur, comprehenſo imprimis, ut dictum eſt, peccato ipſo originali, atque exponere voluiſſe non cauſam meritoriam mortis, quam in totâ paſſim illâ homiliâ peccatum eſſe declaraverat, ſed quam ob cauſam Deus permiſerit, ut, Adamo peccante, peccatum ejus peccatique appendices ad omnes ejus poſteros tranſeant; quam quæſtionem reipsâ non attigit Apoſtolus. Eam verò ſic tractat S. Doctor, ut, pro more ſuo, ſermonem ſtatim ad inſtituendos mores convertens, profundiores cauſas ſilentio prætererit.

Opponebant Pelagiani alium S. Chryſoſtomi textum ex Homiliâ ad Neophytos, ubi, commemoratis plurimis baptiſmi effectibus, hæc addit: „ Vides quot ſint baptiſmi largitates, & nonnulli deputant cæle„ ſtem gratiam in peccatorum tantùm remiſſione conſiſtere. Nos au„ tem honores computavimus decem, hâc de cauſâ infantes etiam bap„ tizamus, cum non ſint coinquinati peccato, ut eis detur vel addatur „ ſanctitas, juſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, ut ejus „ membra ſint."

Reſpondebat S. Auguſtinus lib. *1 contra Julianum*, cap. 6, num. 22 & 23, ſi manifeſtum eſſet S. Chryſoſtomum negaſſe peccatum originale, ejus ſententiam unanimi cæterorum Patrum totiuſque Eccleſiæ auctoritati præferri procul dubio non oportere; ſed nullatenus exiſtimandum eſſe tantum virum à collegarum ſuorum ſocietate hâc in parte ſejungi. „ Abſit, inquit, abſit hoc malum de tanto viro credere aut dicere. Ab„ ſit, inquam, ut Conſtantinopolitanus Joannes de baptiſmo parvulorum, „ eorumque à paterno chirographo liberatione per Chriſtum, tot ac tan„ tis Coepiſcopis, maximèque Romano Innocentio, Carthaginenſi Cy„ priano, Cappadoci Baſilio, Nazianzeno, Gregorio, Gallo Hilario, „ Mediolanenſi Ambroſio reſiſtat. Alia ſunt in quibus inter ſe aliquan„ do etiam doctiſſimi atque optimi regulæ catholicæ defenſores, ſalvâ „ fidei compage, non conſonant, & alius alio de unâ re melius aliquid „ dicit & verius: hoc autem, unde nunc agimus, ad ipſa fidei pertinet

„ fun-

„ fundamenta ..... Hoc ſenſit, hoc credidit, hoc didicit, hoc docuit „ & Joannes."

Addebat textum ab hæreicis prolatum de peccatis actualibus intelligi debere, non de originali & congenito. „ Peccata dixit parvulos non „ habere, inquit, ſed propria: unde illos innocentes meritò nuncupa- „ mus, ſecundum id quod ait Apoſtolus, *nondum natos nihil egiſſe boni,* „ *ſive mali;* non ſecundum quod ait: *Per unius inobedientiam peccatores* „ *conſtituti ſunt multi* ...... Comparans ergo eos Joannes majoribus, „ quorum propria peccata dimittuntur in baptiſmo, dicit illos *non ha-* „ *bere peccata*, non, ſicut verba ejus ipſe poſuiſti, *non coinquinatos eſſe* „ *peccato*, dum vis utique intelligi non eos peccato primi hominis in- „ quinatos. Verum hoc tibi non tribuerim, ſed interpreti..... Ego „ verba ipſa græca, quæ à Joanne dicta ſunt, ponam: διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπ- „ τίζομεν, καὶ τοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα; quod eſt latinè: *ideò & infantes bap-* „ *tizamus, quamvis peccata non habentes.* Vides certè non ab eo dic- „ tum eſſe parvulos non coinquinatos eſſe peccato, ſive peccatis, ſed non „ *habere peccata:* intellige propria, & nulla contentio eſt. At, inquies, „ quare non ipſe addidit *propria?* Cur putamus, niſi quia diſputans in „ Eccleſiâ catholicâ non ſe aliter intelligi arbitrabatur; tali quæſtione „ nullus pulſabatur; vobis nondum litigantibus, ſecuriùs loquebatur". Hanc reipsâ mentem Joannis Chryſoſtomi fuiſſe confirmat ibidem, num. 27, hiſce verbis ejuſdem homiliæ, quibus originale peccatum ab actualibus & propriis aperte diſtinguitur: „ Venit ſemel Chriſtus, invenit noſ- „ trum chirographum paternum quod ſcripſit Adam. Ille initium in- „ duxit debiti: nos pœnas auximus poſterioribus peccatis."

Ad tantam illam tam venerabilium teſtium nubem attendens clariſſimus fidei vindex Auguſtinus, confidenter aiebat lib. 4. Operis imperf. cap. 136: „ Catholica potius fides peccatum eſſe originale non dubi- „ tat; quam fidem non pueruli, ſed graves atque conſtantes viri docti „ in Eccleſiâ docentes Eccleſiam uſque ad diem obitûs ſui defenderunt." Et cap. 112 Julianum alloquens: „ Planè, inquit, hoc onere ita pre- „ meris, ut non ſolùm opprimaris, verùm etiam conteraris, & fias pul- „ vis quem projicit ventus à facie terræ. Neque enim illi tot ac tanti, „ ac tam ſancti clarique Antiſtites Dei, Eccleſiæ catholicæ filii diſcen- „ do, patres docendo, de peccato primi hominis eique obnoxiâ ſuc- „ ceſſione mortalium ita locuti ſunt, ut alii ab aliis diſcreparent, aut eo- „ rum quiſquam à ſemetipſo, ſed ita prorſus, ut eorum conſenſione at- „ que conſtantiâ, nec aliter eſſe de hâc re ſanctam ſcripturam intelligen- „ dam, nec aliam putandam catholicam fidem, quiſquis eos non hære- „ tico animo legit dubitare non poſſit."

S. Auguſtinus.

Perpetua hujus dogmatis à tempore ipſo Apoſtolorum in Eccleſiâ traditio aliâ quoque breviore, nec minus certâ, viâ demonſtrari poteſt, argumento nimirum à præſcriptione petito. Conſtat nempe, quo tempore Pe-

Argumentum à præſcriptione petitum.

Pelagiana hæreſis exorta eſt, Chriſtianos omnes, ſive doctos, ſive indoctos, hoc dogma unanimi conſenſu tenuiſſe: id indicat metus ipſe Pelagianorum, apud S. Hieronymum, Dialogo 3°, ne, ſi doctrinam ſuam in publicum efferrent, populorum lapidibus obruerentur. Conſtat alios antiquiores hæreticos, Novatianos, Arianos, Apollinariſtas, Donatiſtas in eamdem fidem conſenſiſſe. Undenam verò tam unanimis conſenſus, niſi quia dogma peccati originalis à Chriſto & ab Apoſtolis apertè traditum fuerat? Dicent-ne illud in Eccleſiæ doctrinam clanculùm irrepſiſſe? At quomodò hujuſmodi portentum contingere potuiſſet felicibus illis & Apoſtolorum ævo vicinioribus temporibus, tot egregiis Epiſcopis pro ſacri depoſiti cuſtodiâ ſollicitè vigilantibus, & contra quemlibet vel tenuiſſimum novitatis flatum excubias perpetuò agentibus? Hæc tanta in re tanti momenti doctrinæ immutatio vel ſubitò facta fuiſſet, vel paulatim & diuturno temporis lapſu; ac rurſùs vel univerſis ſimul in novitatem conſpirantibus, vel aliquibus ſaltem pro avitâ fide reclamantibus. Porro ſupponere hujuſmodi mutationem in omnibus ſimul Eccleſiæ partibus à ſe mutuò longè diſſitis, atque in ipſis etiam hæreticorum Eccleſiæ infenſorum ſectis ſubitò & quaſi unâ die, nemine advertente, aut ſaltem reclamante, contigiſſe, perabſurdum foret, præſertim in dogmate capitali & maximè populari. Si qua ergo mutatio accidiſſet, non niſi ſenſim & longo temporis tractu fieri potuit, novitate ſcilicet vel paulatim in omnium animos irrepente abſque ullo certamine, vel reclamantium conatus ſuperante. Atqui primò talis mutatio circa hujuſmodi fidei articulum fieri non potuit abſque graviſſimis contradictionum contentionumque diſſidiis, tùm quia ſanctiſſimos totius orbis Epiſcopos, Presbyteros, ipſaſque plebes, quibus catholica fides adeò cordi erat, ut pro illâ jacturam bonorum ſuorum, exilia, carceres, tormenta, mortem denique conſtanter tolerarent, tam ſacrilegæ innovationis inſimulare non modò impium, ſed etiam inſanum foret; tùm quia de præcipuo religionis fundamento hîc agitur, cui incarnatio Verbi, totumque redemptionis humanæ opus innititur; tùm denique quia originalis peccati dogma non ſolùm rationem humanam adeò ſuperat, ut citra divinam revelationem in mentem cujuſquam veniſſe vix ac ne vix quidem potuerit, verùm etiam ingenitæ nobis ſuperbiæ tantoperè adverſatur, ut à quolibet denovo excogitatum omnium undique offenſionem procul dubio excitaſſet. Enimverò ſi Pelagius, quamvis doctrinam ſuam clanculùm diſſeminare ſtuduerit, eamque doctrinam quæ humanis ſenſibus multò accommodatior eſt, effugere non potuit quin univerſæ occidentalis orientaliſque Eccleſiæ conſenſu ſtatim anathemate percelleretur, quomodò, quæſo, peccati originalis dogma, ut ſupponitur, anteà inauditum, duriſſimum, fidei ubique receptæ contrarium, abſque ullâ animorum pugnâ omnibus perſuaderi, & in univerſâ Eccleſiâ recipi potuiſſet? 2°. Neque etiam dici poteſt prætenſa illa mutatio, multis contra obni-

obnitentibus, facta. Si enim ita eſſet, plurima illius reclamationis veſtigia apud SS. Patres ſcriptoreſque Eccleſiaſticos ſupereſſent, nonnulla ſaltem Pelagiani detexiſſent, Catholicisque objeciſſent. Atqui nulla prorſus invenerunt, nulla Catholicis oſtenderunt. Igitur evidens eſt nullam doctrinæ immutationem circa peccatum originale in Eccleſiâ contigiſſe; ac proinde iſtud fidei dogma ab ipſo Chriſto & ab Apoſtolis Eccleſiæ concreditum eſt.

Probatio tertia ex definitionibus Conciliorum & ſummorum Pontificum.

Statim atque emerſit contra peccatum originale Pelagiana hæreſis, unanimi totius Eccleſiæ judicio tanquam aperta pernicies damnata fuit. Ac primò quidem à concilio Carthaginenſi anni 412, ut teſtatur S. Auguſtinus in lib. de *Geſtis Pelagii*, cap. 3. & 4. 2°. In ſynodo Dioſpolitana anni 415, ubi Pelagius, ne ipſe anathematizaretur, anathematizare coactus eſt iſtud Cæleſtii capitulum ipſi objectum: *Peccatum Adæ ipſum ſolum læſiſſe, & non genus humanum, infanteſque natos in eo ſtatu eſſe in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Id refert idem S. Doctor ibidem, cap. 11. num. 24; lib. 1. *contra Julianum*, cap. 5. num. 19, & cap. 7. num. 32; & Epiſtola 186, al 106, ad Paulinum, cap. 9. num. 33. 3°. In conciliis Carthaginenſi & Milevitano anni 416, ut conſtat ex illorum ſynodicis ad Innocentium Rom. Pontificem Epiſtolis, quæ ſunt inter Auguſtinianas 175 en 176. 4°. Ab eodem Innocentio in Reſcriptis ad illa duo concilia, inter Auguſtini Epiſtolas 181 & 182. 5°. In plenario totius Africæ concilio Carthagine celebrato anno 418, cujus canon 2us ſic ſe habet: „Placuit ut quicunque parvulos recentes ab „ uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remiſſionem quidem „ peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, unde ſit conſequens ut „ in eis forma baptiſmatis, *in remiſſionem peccatorum*, non vera, ſed „ falſa exiſtimetur; anathema ſit: quoniam non aliter intelligendum „ eſt quod ait Apoſtolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit,* „ *in quo omnes peccaverunt*, niſi quemadmodùm Eccleſia catholica ubique diffuſa ſemper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam „ parvuli, qui nihil peccatorum in ſeipſis adhuc committere potuerunt, „ ideò in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt.“ 6°. A Zozymo Romano Pontifice, cujus judicium in omnes orbis catholici partes transmiſſum univerſorum Epiſcoporum ſubſcriptione firmatum eſt. Hujus judicii, quod jam non extat, fragmentum refert S. Auguſtinus Epiſt: 190, al. 157, ad Optatum, num. 23, ſic conceptum: „ Ipſius (Chriſti) „ morte mortis ab Adam omnibus nobis introductæ, atque transmiſſæ „ uni-

Probatio 3a. ex Conciliis & SS. Pontificibus.

„ univerſæ animæ, illud propagine contractum chirographum rumpitur, „ in quo nullus omninò natorum, antequam per baptiſmum liberetur, „ non tenetur obnoxius.“ 7°. In concilio ſecundæ Ciliciæ anni 423, quod memorat Marius Mercator in præfatione ad Symbolum Theodori Mopſueſteni. 8°. In concilio Conſtantinopolitano ſub Attico, cujus meminit S. Proſper in carmine *de Ingratis*. 9°. A concilio œcumenico Epheſino anni 431, in cujus Actione V^a. Patres ſic loquuntur: “Ana- „ thematizamus. .... & eos qui Cæleſtii vel Pelagii placita ſequuntur, „ quorum dogmata nunquam ſuſcepimus.“ Et in Epiſtolâ ſynodicâ ad S. Cæleſtinum: „ Perlectis, inquiunt, in ſancta Synodo commentariis „ actorum in depoſitione impiorum Pelagianorum & Cæleſtianorum, „ Cæleſtii, Pelagii, Juliani &c, & eadem cum illis ſentientium, quæ à „ pietate tuâ de ipſis decreta & conſtituta ſunt, judicavimus & nos ea „ ſolida firmaque permanere debere, & idem tecum omnes ſtatuimus, „ eos pro depoſitis habentes &c.“ 10°. In concilio Arauſicano II anni 529, cujus canon 2us talis eſt: „ Si quis ſoli Adæ prævaricationem „ ſuam, non & ejus propagini, aſſerit nocuiſſe, aut certè mortem tan- „ tum corporis, quæ pœna peccati eſt, non autem & peccatum, quod „ mors eſt animæ, per unum hominem in omne genus hominum tran- „ ſiiſſe teſtatur, injuſtitiam Deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti:“ *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*, &c. 11°. Denique à concilio Tridentino, quod Seſſ. V. omnes illas damnationes renovavit ac confirmavit. Sic loquuntur concilii Patres: „ Cum ſerpens ille antiquus, „ humani generis perpetuus hoſtis, inter plurima mala, quibus Eccleſia „ Dei his noſtris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali „ ejuſque remedio non ſolùm nova, ſed etiam vetera diſſidia excitave- „ rit, ſacro-ſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus ..... „ ſacrarum ſcripturarum & ſanctorum patrum, ac probatiſſimorum con- „ ciliorum teſtimonia, & ipſius Eccleſiæ judicium & conſenſum ſecuta, „ hæc de ipſo peccato originali ſtatuit, fatetur ac declarat.“ Sequuntur deinde canones, quorum ſecundus hic eſt: „ Si quis Adæ prævarica- „ tionem ſibi ſoli, & non ejus propagini, aſſerit nocuiſſe, ... aut „ mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum tranſfu- „ diſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, anathema ſit.“ Quartus verò idem eſt ac canon ſecundus concilii Carthaginenſis anni 418 modò citatus.

Probatio 4^a. ex rationibus Theologicis petita.

Probatio 4^a. ex rationibus Theologicis.

Ratio ipſa, fidei innixa, plura ſubminiſtrat peccati originalis argumenta.

Primum inde petitur, quòd peccati originalis exiſtentia veluti fundamentum ſit totius Chriſtianæ religionis, quo ſublato, totam religionem col-

collabi neceſſe ſit. Cur etenim unigenitus Filius Dei homo factus eſt, niſi quia totum genus humanum in primo parente perierat? Tolle morbum, jam non medico opus eſt. Meritò itaque S. Auguſtinus iſtud dogma ſæpiſſimè appellat *fidei noſtræ fundamentum.*

Alterum deſumitur à baptiſmi tùm neceſſitate, tùm formâ, tùm effectibus, tùm cæremoniis:

Ac 1°. quidem baptiſmi neceſſitas peccati originalis veritatem demonſtrat. Declarat Chriſtus, Joan. III, *niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poſſe intrare in regnum cælorum.* Hæc verba generalia ſunt, atque ipſos infantes etiam comprehendunt; ideòque fides & praxis Eccleſiæ ſemper tenuit parvulos recens natos baptiſmo indigere, idque fateri cogebantur ipſimet Pelagiani. „ Cur verò naſcatur denuo (parvulus), ait S. Auguſtinus lib. 1 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 30. num. 58, „ niſi renovandus? Unde renovandus, niſi à „ vetuſtate? Quâ vetuſtate, niſi in quâ vetus homo noſter ſimul cru- „ cifixus eſt?" Reſpondebant Pelagiani ideò infantes indigere baptiſmo, ut in Chriſto ſanctificentur. Ergo, reponebat S. Doctor ibidem, cap. 28. num. 55, ſi non baptizentur, à Chriſto alieni remanent; adeòque contra Chriſtum ſunt, Chriſto ipſo dicente, Matth. XII. 30: *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Quomodò autem contra Chriſtum, ſi nullum habent peccatum?

Quâ etiam juſtitiâ infantes, ſi peccato carent, excluduntur à regno Dei, niſi baptiſmo abluti fuerint? Reſpondebant iterum Pelagiani baptizandos illos eſſe, non ut à peccato purgentur, ſed ut in meliorem ſtatum transferantur, eoſque, ſi non baptizentur, excludi quidem à regno cœlorum, ſed quamdam & æternam vitam ſibi congruentem conſequi. Verum duplex illud commentum planè evertit S. Doctor. Primum quidem, eoquòd, ſcripturâ docente, infantes, cùm baptizantur, non ab innocentiâ naturali ad juſtitiam ſupernaturalem, ſed à poteſtate tenebrarum in libertatem filiorum Dei transferantur, juxta illud Coloſſ. cap. 3: *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ.* „ Hinc parvulos, ſi poteſtis, excipite, inquit lib. 1 *Op. imperf.* cap. 182, & audete dicere eos in regnum qui- „ dem Chriſti regeneratione transferri, ſed de tenebrarum poteſtate non „ erui." Alterum verò, eoquòd Chriſtus vitam æternam quamlibet eis abnegat, qui carnem ſuam non manducaverint & ſanguinem non biberint. „ Negatâ autem vitâ æternâ, inquit Epiſtolâ 186, al. 106, ad Pau- „ linum, cap. 8, quid, niſi mors æterna, remanebit?" Et poſtea: „ Qui- „ bus poſſunt perſuadere contendant Deum juſtum, apud quem non „ eſt iniquitas, parvulos à peccatis propriis innocentes, ſi nec illo ex „ Adam obligati & obſtricti ſunt, morte perpetuâ damnaturum. Quod „ ſi abſurdiſſimum eſt & à juſtitiâ Dei penitus alienum,..... profectò „ reſtat ut, quia ipſi non egerunt aliquid boni vel mali, ideò mortis

„ eorum

„ eorum juſta ſit pœna, quia in illo moriuntur in quo omnes pecca-
„ verunt.“ Idem commentum refellebat his Evangelii verbis, ubi Chriſtus ait, Marci XVI: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur;* & S. Præcurſor Joannes (Joan. III, 36): *Qui credit in Filium, habet vitam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Unde manifeſtè ſequitur, quoniam infantes non baptizati non credunt in Filium Dei, illos *condemnari*, & *iram Dei manere ſuper illos:* quam verò ob cauſam, niſi propter originale peccatum? Videri poteſt Epiſtola 193 ad Mercatorem, cap. 2.

2°. *Formam baptiſmi* hìc intelligimus eo ſenſu quo ſumitur canone 2°. concilii Carthaginenſis, & canone 4. Seſſionis V concilii Tridentini, quo nempe, juxta Symbolum Nicænum, *credimus & confitemur unum baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Hæc remiſſio ipſo ſacramenti ritu adumbratur, quo, dum corporis ſordes abluuntur, animæ ſordes interiùs ablui ſignificatur. Hinc baptiſmus dicitur etiam *mundatio*, *purgatio*, *liberatio*, *redemptio.* Cùm igitur nonniſi *unum* ſit *baptiſma*, tam pro parvulis, quàm pro adultis, manifeſtum eſt parvulos quoque baptizari *in remiſſionem peccatorum*, ac proinde non eſſe peccati expertes. Hoc argumento Julianum vehementer premebat S. Auguſtinus lib. 3 contra ipſum, cap. 3, num. 8. „ Non dicitis, inquiebat, parvulos non debe-
„ re baptizari, ſed pro magnitudine ſapientiæ veſtræ res mirabiles di-
„ citis. In ſacramento Salvatoris baptizantur, ſed non ſalvantur; redi-
„ muntur, ſed non liberantur; lavantur, ſed non abluuntur; exorci-
„ zantur & exſufflantur, ſed à poteſtate diaboli non eruuntur. Hæc
„ ſunt ſententiarum portenta veſtrarum, hæc inopinata myſteria dog-
„ matum novorum, hæc paradoxa Pelagianorum hæreticorum, mirabi-
„ liora certè quàm Stoicorum Philoſophorum. Ut enim hæc dicatis ti-
„ metis audire: Si ſalvantur, quid in eis ægrotabat? Si liberantur,
„ quid in eis ſervitutis vinculo tenebatur? Si abluuntur, quid in eis
„ latebat immundum? Si eruuntur, quo merito erant ſub poteſtate dia-
„ boli, qui propriâ iniquitate non erant rei, niſi quia trahunt, quod
„ negatis, originale peccatum?“

Fruſtra reponebant illi hæretici eo ſenſu infantes dici poſſe baptizari *in remiſſionem peccatorum*, quòd baptizentur eo baptiſmate quod valet ad remittenda peccata: ſiquidem ex hâc ipſâ reſponſione magnum ſequebatur abſurdum, aliam videlicet eſſe formam baptiſmi pro parvulis, quàm pro adultis, ſive potiùs, ut arguunt Patres Carthaginenſes & Tridentini, falſam eſſe in parvulis formam baptiſmi.

3°. Baptiſmus, peccatorum remiſſionem largiendo, Chriſto pro nobis mortuo nos intimè conjungit, tanquam membra capiti. *Quicunque enim baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus: conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem*, ut ait Apoſtolus Rom.
VI,

VI, 3 & 4. Ex hoc autem textu ſic concludebat S. Auguſtinus lib. 6 *contra Julianum*, cap. 3. num. 7: „ Dicendo, *quicunque*, non utique „ parvulos fecit exceptos. Quid eſt autem *in morte Chriſti baptizari*, „ niſi peccato mori?.... Si ergo in Chriſto parvuli baptizantur, in mor- „ te ejus baptizantur. Si in morte ejus baptizantur, mortis ejus ſimi- „ litudini complantati peccato utique moriuntur. *Quòd enim mortuus* „ *eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quòd autem vivit, vivit Deo.* Et quid eſt „ *complantari ſimilitudini mortis ejus*, niſi quod ſequitur: *Exiſtimate vos* „ *mortuos eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu?* Mors ejus „ peccatum noſtrum ſignificavit, quo utique ipſa mors accidit: cui mor- „ ti mortuus, id eſt, ut mortalis non eſſet ulteriùs, peccato dicitur „ mortuus. Quod ergo ipſe ſignificavit in ſimilitudine carnis peccati, „ hoc per ejus gratiam nos agimus in carne peccati: ut, quomodò ille „ moriendo ſimilitudini peccati peccato mortuus prædicatur, ita qui- „ cunque in illo fuerit baptizatus, eidem rei, cujus illa ſimilitudo fue- „ rat, moriatur, & quomodò ex illius verâ carne vera mors fuit, „ ſic fiat in veris peccatis vera remiſſio."

4°. Cæremoniæ quæ præcedunt & ſequuntur ipſum baptiſmum idem demonſtrant. Infantes quippe, non ſecus ac adulti, antiquiſſimo & ab Apoſtolis ipſis derivato ritu, antequàm lavacro ſancto abluantur, exorcizantur & exſufflantur; quod certè in creatoris injuriam fieret, niſi per peccatum ſub diaboli eſſent poteſtate. Audiamus iterùm S. Doctorem iſto argumento Pelagianos opprimentem. Sic loquitur in Epiſt. 194, al. 105, ad Sixtum, cap. 10, num. 46: „Secundùm iſtam ſuam calliditatem non inveniunt quid ad hoc reſpondeant, quòd exorcizan- „ tur & exſufflantur infantes. Hoc enim procul dubio fallaciter fit, ſi „ diabolus eis non dominatur." Lib. 2 *Operis imperf.* cap. 181: „ Et in- „ fantes, cùm baptizantur, eruuntur de poteſtate tenebrarum: alioquin „ cum magnâ injuriâ Dei, ſicut jam ſupra diximus & ſæpe dicendum „ eſt, exorcizatur & exſufflatur imago Dei, ſi non ibi ille exorcizatur „ & exſufflatur princeps mundi, qui mittitur foras, ut ſit illic habita- „ tio Spiritûs ſancti." Et lib. 3, cap. 199: „ Tu, inquit, qui eam (na- „ turam) negas à diabolo poſſideri, accuſas univerſam Catholicam Ec- „ cleſiam magno crimine majeſtatis. Non enim legibus hujus mundi alio „ nomine tenetur reus quiſquis imaginem, quamvis non vivam, tamen „ Imperatoris exſufflat."

Tertium argumentum ſubminiſtrant innumeræ totius humani generis miſeriæ tam corporales, quàm ſpirituales, quibus à primâ infantiâ ad obitum usque premimur; iniquè profectò, ſi nullum eſſet originale peccatum, quod eo modo Deus punire decreverit; ita ut qui hoc myſterium idcirco admittere renuunt, quòd comprehendi nequeat, aliud myſterium admittere cogantur non minùs inexplicabile, nimirùm ſub Deo bono, juſto & omnipotente infantes ipſos, nullo, ut ſupponitur, peccato obli-

 ga-

gatos, tot pœnis malisque affici. Argumentum iſtud copioſiſſimè tractavit S. Auguſtinus, cujus præcipua teſtimonia videbimus, ubi de ſtatu naturæ puræ agetur. Pauca tantùm hîc leviter perſtringo. Intellectus tetrâ obſcuratur caligine, non tantùm circa res ſuperfluas, ſed etiam circa Deum ipſum & ea quæ ad ſalutem beatitudinemque pertinent: voluntas ſecum ipſa luctatur, contrariiſque deſideriis in oppoſita rapitur: *ſenſus & cogitatio humani cordis*, ut ait ſcriptura, *in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ: caro concupiſcit adverſùs ſpiritum, ut non quæ volumus illa faciamus.* Unde iſtud naturæ rationalis monſtrum? Unde inteſtina illa diſcordia? Unde tanta miſeria, ſi nullum eſt originale peccatum? Quid mentem Dei capacem tam denſis tenebris immerſit, gravavit, obruit, niſi poteſtas tenebrarum? Quid voluntatem ad fruendum vero ſummoque bono creatam tot terrenis turpibusque affectibus mancipavit, niſi peccati pravitas? Quid memorem corporis ægritudines, morbos, dolores, famem, mortem, illudque *grave jugum filiis Adam* impoſitum *à die exitûs de ventre matris eorum, usque in diem ſepulturæ in matrem omnium?* Certè non eſt injuſtus Deus, ut tot calamitatibus innocentes cruciet, aut cruciari permittat; nec impotens, ut eas ab illis arcere nequeat. „ Propter quid ergo affliguntur parvuli, „ ait S. Auguſtinus lib. 2 *Op. imperf.* cap. 8, ſi nullum habent omninò peccatum? An omnipotens & juſtus Deus injuſtas pœnas à tot „ innocentibus prohibere nòn valuit?“ Et lib. 3, cap. 57: „ Hoc magnum peccatum indicat humani generis tanta miſeria, quæ à primis „ ploratibus vagientium usque ad expirantium noviſſimos halitus omnibus nota eſt, ita ut qui eam negant, majorem partem ſibi vindicent humanæ miſeriæ tam horribili & incredibili cœcitate.“ Idem obſervant S. Fulgentius lib. *de Incarnatione & gratiâ*, cap. 14, & S. Bernardus Serm. in feria 4ª hebdomadæ ſanctæ, num. 6.

SECUNDA PROPOSITIO.

Peccatum originale eſt unicuique proprium & inhærens; ac juſtè imputatur à Deo tanquam peccatum propriè dictum.

PROPOSITIO duas habet partes: unam contra illos Scholaſticos qui docuerunt peccatum originale nihil aliud eſſe, quàm ipſum actuale peccatum Adami jam dudum præteritum, quod nobis imputatur, etſi nobis propriè non inhæreat; alteram contra nonnullos Theologos qui opinati

nati ſunt peccato originali infantes non fieri verè culpabiles, eisque imputari non poſſe tanquam veri nominis peccatum,

Prima pars probatur 1°. auctoritate ſanctorum Patrum.

S. Auguſtinus lib. 3 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 7. num. 14: „ Nec ſic, inquit, dicuntur iſta peccata aliena, tanquam omninò ad parvulos non pertineant: ſiquidem in Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus naturâ, illâ inſitâ vi quâ illos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt; ſed dicuntur aliena, quia nondùm ipſi agebant vitas proprias; ſed quidquid erat in futurâ propagine vita unius hominis continebat.“ Idem docet lib. *de Correptione & gratiâ*, cap. 6. num. 9, lib. 1 *Op. imperf.* cap. 57, lib. 2. cap. 163, & lib. 3. cap. 25.

S. Fulgentius lib. *de Incarnatione & gratiâ*, cap. 14: „ Quâ juſtitiâ, inquit, ſubjicitur parvulus ſtipendio peccati, ſi nulla eſt in eo peccati pollutio?“ Et cap. 12: „ Niſi præceſſiſſet in peccato mors animæ, nunquam corporis mors in ſupplicio ſequeretur.“ Ideò igitur, juxta S. Fulgentium, reatus peccati ſingulis hominibus imputatur, quia ſingulis ineſt vera peccati pollutio.

S. Anſelmus lib. *de Conceptu Virginis & originali peccato*, cap. 26, al. 25: „ Non portant, inquit, infantes peccatum Adæ, ſed ſuum. Nam aliud fuit peccatum Adæ, aliud peccatum infantium. Illud enim fuit cauſa, iſtud effectus..... Quapropter, cùm damnatur infans pro originali peccato Adæ, damnatur non pro peccato Adæ, ſed pro ſuo: nam ſi non haberet ſuum peccatum, non damnaretur. Ita ergo non portat iniquitatem Adæ, ſed ſuam, quamvis ideò dicatur portare, quia iniquitas illius peccati iſtius cauſa fuit.“

S. Bernardus, Serm. 1°. in Dominicam 1ᵃᵐ poſt octavam Epiphaniæ, num. 3, ſic loquitur: Aliena eſt culpa, quia in Adam omnes neſcientes peccavimus: noſtra, quia, licet in alio, nos tamen peccavimus, & nobis juſto Dei judicio imputabatur, licet occulto.“

Probatur 2°. ex concilio Tridentino, quod ſeſſ. V de peccato originali ſic decernit can. 2: „ Si quis dixerit.... inquinatum illum (Adam) per inobedientiæ peccatum mortem & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod eſt mors animæ, anathema ſit.“ Et can. 3: „ Hoc Adæ peccatum, quod origine unum eſt, & propagatione, non imitatione, transfuſum omnibus, ineſt unicuique proprium.“ His canonibus conſtat *peccatum* ipſum, prout à pœnis peccati diſtinguitur, & mors eſt animæ, in omnes & ſingulos Adæ poſteros per propagationem transfundi, & ineſſe unicuique proprium. Rurſus can. 5° definit per baptiſmum *tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet*; idque confirmat ex eo quòd *in renatis nihil oderit Deus*. Ex his autem verbis maniſeſtè ſequitur: 1°. in non renatis aliquid eſſe quod Deus oderit,

peccatum videlicet, quod ſolum Deus odio habet. 2°. Peccatum illud *veram & propriam habere peccati rationem*, ſeu eſſe verum ac propriè dictum peccatum.

Probatur 3°. rationibus Theologicis.

Prima eſt, quòd contraria opinio penitus evertat fidem peccati originalis. Si enim non peccatum ipſum, ſed ſolus peccati reatus naſcentibus ineſt, falſum eſt peccatum Adami in omnes homines tranſire; omneſque per unius inobedientiam peccatores eſſe conſtitutos; uno verbo, nullum eſt peccatum in parvulis, adeòque funditùs ruit dogma peccati originalis, pro quo tantoperè decertavit Eccleſia.

2ª. Injuſtum eſt cuiquam imputari peccatum quod nullatenùs ſuum ſit. Cùm ergo, juxta adverſarios, peccatum Adæ à juſto judice parvulis imputetur, ſequitur illud peccatum reipſâ in illos tranſire, eiſque verè ac propriè ineſſe. Et certè parvuli pœnam peccati in ſemetipſis circumferunt: ergo verè peccatores ſunt ac peccato inquinati, alioquin injuſtè pœnam luerent peccati, cùm dicat Spiritus ſanctus, Sapientiæ cap. 12, *ipſum quoque qui non debet puniri condemnare, exterum æſtimas à virtute tuâ.* Hinc concilium Arauſicanum II can. 2 definit, „ ſi quis „ mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati eſt, non autem & pec- „ catum, quod mors eſt animæ, per unum hominem tranſiiſſe teſta- „ tur, (eum) injuſtitiam Deo daturum eſſe.“

3ª. Nemo peccator eſt, nec reputari poteſt peccator propter peccatum alienum jam olim præteritum, ac dudum remiſſum. Atqui actualis Adami inobedientia infantibus naſcentibus omnino aliena eſt, jam dudum præteriit, atque ipſi Adamo condonata ac remiſſa fuit. Ergo infantes naſci non poſſunt rei illius peccati, niſi ad ipſos verè tranſeat, illiſque propriè inhæreat.

4ª. Fides docet infantibus per baptiſmum conferri remiſſionem peccati: cujus autem peccati, ſi nullum habent ipſis ab origine inhærens? Cur etiam ab Eccleſiâ exorcizantur & exſufflantur, ſi, nullo peccato ipſis inhærente, ſub poteſtate principis tenebrarum tenentur? Nonne manifeſtum eſt adverſarios in eadem abſurda recidere, quæ Pelagianis objiciebat S. Auguſtinus; „ nempe parvulos in ſacramento Salvatoris bap- „ tizari, ſed non ſalvari; redimi, ſed non liberari: lavari, ſed non „ ablui: exorcizari & exſufflari, ſed à poteſtate diaboli non erui.“ Nam in eorum opinione parvulis non remittitur peccatum proprium & inhærens, ſiquidem nullum habere ſupponuntur: non etiam remittitur actuale peccatum Adami, ut pote jam olim dimiſſum, & aliunde parvulis omninò extrinſecum. Igitur illa in opinione nulla fit in parvulis qui baptizantur remiſſio peccati, ſed tantùm mera non imputatio peccati; quod directè opponitur canoni 5 Seſſionis quintæ concilii Tridentini.

5ª. Inde naſcitur aliud argumentum non minùs efficax. Apoſtolus Chriſtum

Chriſtum Adamo oppoſuit, aitque eodem modo peccatum & mortem per Adamum in omnes homines tranſire, quo juſtitia & vita per Christum in nos tranſeunt. Atqui juſtitia Chriſti ita nobis communicatur, ut unicuique propria ſit & inhærens; non autem imputatur tantummodò, ſicuti adverſus Lutherum & Calvinum ab Eccleſiâ definitum eſt. Ergo pariter peccatum Adami ſic tranſit in prolem, ut in ſingulis verum, proprium & intrinſecum peccatum ſit.

6°. Denique, cùm dicit Apoſtolus, *per unum hominem peccatum intraſſe in mundum, & per peccatum mortem*, apertè indicat peccatum non minùs propriè in omnes tranſire, quàm mortem, mortemque ipſam non tranſire, niſi quia tranſit & peccatum. Cùm ergo mors unicuique propria ſit, de peccato quoque idem dicendum eſt.

Altera pars noſtræ propoſitionis probatur 1°. omnibus argumentis tum in primâ propoſitione, tum modò allatis. Si enim parvuli peccato obſtringuntur, hocque peccatum ipſis proprium eſt & inhærens, quoadusque per baptismum deleatur, profectò manifeſtum eſt eos verè culpabiles eſſe ac pœnâ dignos. Nihil opponunt Scholaſtici, quos hîc refellendos habemus, quod olim Pelagiani non objecerint ad deſtruendam fidem peccati originalis. Superbos illorum hæreticorum conatus vicit fidei ſimplicitas conſtansque Eccleſiæ traditio. Lugendum ſanè eſt viros, qui ſe Catholicos dicunt, errorem jamdudum anathemate damnatum denuò ſuſcitare, armaque jam olim contrita reſarcire. Si enim peccatum quod infantes naſcendo contrahunt, non eos culpabiles reddit, nec pœnâ dignos, quis non videat eos nomine tenus peccatores dici, reipſâ autem absque peccato eſſe?

2°. Peccatum originale in ſacris litteris & à SS. Patribus appellatur *iniquitas*, *crimen*, *delictum*, *culpa*, *pollutio*, *immunditia:* quæ certè nomina peccatum ſignificant propriè dictum, quod eos, qui illo tenentur, verè culpabiles facit.

3°. Sola culpa propriè dicta iram Dei promeretur. Atqui peccatum originale iram Dei promeretur; ſiquidem propter illud dicimur ab Apoſtolo *naturaliter filii iræ;* & in Evangelio declaratur *iram Dei manere ſuper eos* qui in Chriſtum non crediderint, nec baptizati fuerint. Ergo peccatum originale vera culpa eſt.

4°. Peccatum illud verè culpabiles ac pœnâ dignos efficit, quod reipſâ à Deo juſto punitur. Atqui peccatum originale in ipſis parvulis à Deo punitur, tam in hâc vitâ, quàm in futurâ. In hâc quidem, ut probant tot infantium miſeriæ, quas non paterentur ſi nullum eſſet originale peccatum. In alterâ quoque; ſiquidem propter hoc peccatum, ſi dimiſſum non fuerit, excluduntur à regno cœlorum & à viſione Dei, quod certè maximam pœnam eſſe obſervat S. Auguſtinus lib. 5 *contra Julianum*, cap. 1, privanturque inſuper qualcunque beatitudine, ſempiternisque pœnis afficiuntur, qualescunque illæ ſint, de quo diſputabitur poſteà.

poſteà. Ergo peccatum originale homines culpabiles reddit pœnâque dignos.

5°. Pſalmo 31 David *beatum* eum prædicat, *cui non imputavit Dominus peccatum.* Porro iſta beatitudo ad infantes non baptizatos nullatenùs pertinet. Ergo peccatum originale ipſis imputatur, nec profectò injuſtè.

6°. Idem expreſſè docet S. Auguſtinus plurimis in locis quæ referre ſuperfluum foret. Unum duntaxat commemoro, quo utraque propoſitionis noſtræ pars aſſeritur. Objiciebant Pelagiani fieri non poſſe ut Deus, qui peccata propria remittit, imputet aliena. Sic autem reſpondet S. Doctor lib. 3 *de Peccatorun meritis & remiſſione*, cap. 8, num. 15: „ Remittit, ſed ſpiritu regeneratis, non carne generatis: imputat verò „ non jam aliena, ſed propria. Aliena quippe erunt, quando hi qui „ ea propagata portarent nondum erant; nunc verò carnali generatione „ jam eorum ſunt, quibus nondum ſpiritali regeneratione dimiſſa ſunt."

Denique idem cum ſanctis omnibus Patribus ſentiunt Hugo Victorinus in Sententiis, tract. 3, cap. 11 & 12; Magiſter Sententiarum lib. 2, diſt. 32, litt. D; Albertus magnus Summæ part. 3, tract. 107, membro 1°; S. Thomas in 2um, diſt. 30, quæſt. 2; S. Bonaventura in 2um, diſt. 30, quæſt. 2, & diſt. 32, quæſt. 1; Eſtius in 2um, diſtinct. 32, § 9, & quotquot ſunt alii celebriores è Scholâ Doctores.

Solvuntur objectiones Pelagianorum.

Objiciebant 1°. legem illam à Deo latam Deuteron. XXIV, 26: *Non morientur patres pro filiis, & filii non morientur pro patribus: unusquisque in peccato ſuo morietur;* ſicque ex illâ argumentabantur: Deus non facit quod ipſe vetat. Atqui Deus vetat ne filii puniantur pro peccatis patrum ſuorum: ergo Deus non imputat filiis peccata patrum, ac proinde nec Adami peccatum.

De lege non occidendi filios propter peccata patrum.

Reſpondeo cum S. Auguſtino lib. 3 *Op. imperf.* cap. 22 & 23, 1°. longe alias eſſe juſtitiam divinam & juſtitiam humanam, „ nec eſſe le„ gis ſuæ prævaricatorem Deum, quando aliud facit ut Deus, & aliud „ imperat homini ut homini." Exempli causâ, Deus vetat, Proverb. XXVII. 2, ne homo laudet ſeipſum; num ideò Deus reprehenditur ſeipſum laudans? Vetat ne injuriarum nobis illatarum ultionem expetamus: nùm ideò injuſtus eſt, cùm ſeipſum ulciſcitur? *Mihi vindicta*, inquit, ſeu, *mea eſt ultio, & ego retribuam.* Igitur, ut S. Doctor optimè concludit lib. 3 *contra Julianum*, cap. 24: „ Quantò excelſior, tan„ tò inſcrutabilior eſt divina, quàm humana, juſtitia, tantòque ab illâ „ diſtantior. Quis enim homo juſtus ſinit perpetrari ſcelus, quod ha„ bet in poteſtate non ſinere? Et tamen hæc ſinit Deus incomparabi„ liter juſtis omnibus juſtior, & cujus poteſtas eſt incomparabiliter „ om-

Digitized by Google

„ omnibus poteſtatibus major. Hæc cogita, & noli judicem Deum ju-
„ dicibus hominibus comparare, quem non dubitandum eſt eſſe juſtum,
„ etiam cùm illud facit quod videtur hominibus injuſtum, & quod ho-
„ mo ſi faceret, injuſtus eſſet."

2°. Nego conſequentiam. Nam 1°. quando Deus vetat ne filii pro patrum, aut patres pro filiorum peccatis morti tradantur, loquitur de filiis ſeparatim à patribus vitam agentibus, cauſamque propriam habentibus. Porrò conſtat peccatum patris non pertinere ad filium ſeorſim à patre exiſtentem, adeòque hoc in caſu filium pro peccato patris nonniſi injuſtè puniri. Verùm non eadem ratio eſt filiorum qui nondùm ſeparatim vivunt, ſed in parentibus, ac præſertim in primo omnium parente, conſiderantur. Sicut enim omnes ſeminali ratione in Adamo fuimus, ita in illo omnes peccavimus, & ab eo naturam trahimus corruptam & peccato pollutam: quo fit ut infantes, propter originale peccatum pœnas luendo, non pro paterno & alieno, ſed pro ſuo peccato puniantur; nec portant iniquitatem patris, ſed ſuam. Vide S. Auguſtinum lib. 3 *Op. imperf.* cap. 12, 20 & 21. 2°. Etiamſi in textu Deuteronomii ageretur de filiis tunc nondum natis, quando patres peccaverunt, atque inſuper ſupponeretur cæterorum patrum, ſicuti Adami, peccata tranſire ad filios, nihilominùs juſtiſſimè Deus vetaſſet ne filii pro parentum peccatis ab hominibus morte damnarentur: ad homines quippe non pertinet omnia peccata punire, ſed illa tantùm quæ bono publico nocent; cùm è contrario ad Deum, qui ſumma juſtitia eſt, pertineat nullum peccatum, niſi dimiſſum fuerit, impunitum relinquere. Certè, ut ait S. Auguſtinus ibidem cap. 33: „ Peccatum tam
„ magnum ut verteret in naturam, quod per unum hominem intravit in
„ mundum, ſine quo nullus homo naſcitur, quomodò poſſet vindica-
„ ri ab hominibus, ſiquidem in omnes ita cum morte pertranſiit, ut
„ ei pœna ſua ſit comes uſque ad interitum ſempiternum, niſi ubi di-
„ vina gratia generationem regeneratione ſanaverit? Hoc ergo ad Dei
„ judicium, non ad hominum pertinet, ſicut alia multa de quibus
„ judicare homines non poſſunt." Et cap. 37: „ Quoniam peccatum
„ hominis punit homo, peccatum autem originis nonniſi Deus, ideò
„ Deus, cum ſe dicit peccata patrum reddere in filios, præcipit tamen
„ homini ne pro peccatis patrum] damnet & filios. Diſcerne divina
„ & humana judicia, & invenies inter ſe duo iſta non eſſe contraria."

3°. Adeò certum eſt ex lege Deuteronomii concludi non poſſe Deum non punire in filiis peccata patrum, ut litteræ ſacræ multis in locis declarent Deum ſæpiſſimè judicio ſanè juſtiſſimo, quamvis occulto, punire peccata patrum in filiis. Sic Numerorum XIV. 18: *Qui viſitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Deuteron. V. 4: *Reddens iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam & quartam generationem his qui oderunt me.* Jeremiæ XXXII. 18; *Reddis iniqui-*

Digitized by Google

tatem patrum in ſinum filiorum poſt eos. Reverâ tempore diluvii non patres tantùm, ſed ipſos etiam infantes Deus perdidit, quos ſervare *ſi voluiſſet, utique potuiſſet omnipotens*, ut ait S. Auguſtinus ibidem, cap. 12. Joſue Chananæos, quorum civitates expugnaverat, Deo jubente ita interfecit, ut infantibus non pepercerit. Chamo peccante, in filium ejus Chanaan maledictio prolata eſt. Roboam filius Salomonis propter peccata patris ſui diminutione regni punitus eſt. Pœna peccatorum Achab regis Iſraël in ejus poſteris completa eſt &c.

Joſue VI. 21. & X. 40.

Acutè obſervat S. Auguſtinus ibidem, cap. 19 & 28, Deum non dixiſſe reddere ſe peccata filiorum in patres, aut fratrum in fratres, aut amicorum & civium in amicos & concives, quamvis non rarò patres filiorum, fratres fratrum, amici amicorum, cives concivium peccata imitentur; ſed tantummodò peccata patrum in filios, ut oſtenderet non propter imitationem, ſed propter originem ductam à peccatoribus filios puniri; ideòque in memoratis ſcripturæ ſacræ textibus expreſſam fieri generationis mentionem: *reddam*, inquit, *in tertiam & quartam generationem.*

Inſtabant. Ezechielis XVIII Deus declarat ſe peccata patrum non imputare filiis. *Quid eſt*, inquit, *quòd inter vos parabolam vertitis in proverbium iſtud in terrâ Iſraël, dicentes: patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt? Vivo ego, dicit Deus, ſi erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Iſraël. Ecce omnes animæ meæ ſunt; ut anima patris, ita anima filii mea eſt: anima quæ peccaverit, ipſa morietur..... Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii. Juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii erit ſuper eum.* Inde ſic argumentabatur Julianus apud S. Auguſtinum, lib. 6 contra ipſum, cap. 25. num. 82, & lib. 3 *Op. imperf.* cap. 38. Admiſſo peccato originali, non ſola quæ peccavit anima moritur, ſed filius portat iniquitatem patris. Atqui Deus cum jurejurando teſtatur ſolam, quæ peccaverit, animam morituram eſſe, filiumque non portaturum iniquitatem patris. Ergo admitti non debet peccatum originale.

Diſtinguo minorem: Deus declarat filium non portaturum iniquitatem patris, id eſt, pœnam quam pater meretur, filius autem non meretur, concedo: id eſt, iniquitatem patris non inhæſuram eſſe filio, ſubdiſtinguo: Deus declarat peccata actualia cæterorum patrum non inhæſura eſſe illorum filiis, concedo: declarat iniquitatem primi parentis inhæſuram non eſſe illius poſteris, iterùm ſubdiſtinguo: non inhæſuram illis ejus poſteris quibus per gratiam novi Teſtamenti iniquitas illa dimiſſa fuerit, concedo, id eſt, non tranſituram ad ejus filios, ſeu poſteros, nego minorem.

Triplex afferri ſolet hujus ſacri textûs interpretatio. Prima eſt, filium non portaturum eſſe pœnam patri ſuo debitam, niſi & ipſe peccator ſit, punirique mereatur. Frequenter enim in libris ſacris *peccatum*, ſeu

Digitized by Google

ſeu *Iniquitas*, ſumitur pro pœnâ peccato debitâ. Israëlitæ murmurabant quòd, cùm ipſi innocentes eſſent, propter peccata patrum ſuorum mala paterentur. Injuſtam illam querimoniam Deus per Prophetam corripit, teſtaturque animam, quæ ſit peccati expers, propter peccata parentum à ſe non puniri. Iſta interpretatio minimè adverſatur, imò favet potiùs fidei peccati originalis. Si enim ea tantùm anima moritur quæ peccavit, ergo infantes absque peccato non ſunt, quandoquidem moriuntur; & quando mala patiuntur, non portant propriè iniquitatem Adami, id eſt, pœnam Adamo debitam, ſed pœnam propriæ ſuæ iniquitati debitam. Cùm ergo anima infantis non habeat peccata actualia, reſtat ut propter originale peccatum moriatur.

Altera interpretatio eſt peccata actualia cæterorum parentum non pertinere ad filios, qui ſeparatam à parentibus vitam agunt quo tempore parentes peccant, quique illos non imitantur. De hujusmodi filiis hic agi tota capitis ſeries indicat: v. g. quod dicitur: *Ut anima patris, ita anima filii mea eſt:* & v. 14: *Quòd ſi* (pater impius) *genuerit filium, qui videns omnia peccata patris ſui, quæ fecit, timuerit, & non fecerit ſimile eis,.... hic non morietùr in iniquitate patris ſui, ſed vitâ vivet.... Et dicitis: quare non portavit filius iniquitatem patris ſui? Videlicet quia filius judicium & juſtitiam operatus eſt.* Perſpicuum eſt non de Adamo primo parente, nec de filiis adhuc in lumbis patrum ſuorum exiſtentibus, quando patres peccaverunt, ſermonem ibi eſſe, ſed de cæteris patribus, & de filiis jam natis, & propriam ſeparatamque à vitâ parentum vitam agentibus.

Tertia interpretatio, reliquis, ut mihi quidem videtur, præferenda, eſt, promitti hoc in loco gratiam novi teſtamenti, quâ futurum erat, ut, remiſſo peccato originali, fideles in Chriſto regenerati *ultra* non portent iniquitatem patris ſui, ſed propter ſola peccata ſua actualia damnationi ſubjaceant. Plurimis momentis nititur hæc interpretatio. Primum eſt, quòd ibi agatur de filio jam nato, qui proinde in Chriſto renaſci potuerit. Nam, ut obſervat S. Auguſtinus lib. 6 *contra Julianum*, cap. 25: „ De quibus dicitur: *anima patris mea eſt, & anima filii mea* „ *eſt*, ſeparatim procul dubio vitas ſuas agunt. Si autem filius adhuc „ eſſet in lumbis patris ſui,... non poſſet tum id dici,.... quando una „ utique anima erat.“ Secunda ratio eſt, quòd ibi ſermo fiat de filio juſto ac vivente vitâ ſpirituali: *juſtitia juſti ſuper eum erit: vitâ vivet.* Porrò nemo juſtus eſt, vivitque vitâ ſpirituali, niſi credat in Chriſtum, & in illo regeneratus fuerit: *juſtus enim ex fide vivit.* Tertia eſt, quòd aliquid futurum ibi promittatur. *Vivo ego, dicit Dominus, ſi erit ultrà vobis parabola hæc in proverbium in Israël.* „ Quibus verbis oſten„ dit, ut notat S. Auguſtinus lib. 3 *Op. imperf.* cap. 39 & 41, ſolere „ dici illud proverbium: *Patres manducaverunt uvam acerbam* &c; nec „ arguit quia dicebatur, ſed promittit ubi non dicatur:“ ſcilicet in

Digitized by Google

Iſraël apud veros Iſraëlitas, regeneratos ac promiſſionis filios. *Non enim omnes qui ex Iſraël ſunt*, inquit Apoſtolus Rom. IX. 6, *ii ſunt Iſraëlitæ; neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii; ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen: hoc eſt, non qui filii carnis, hi filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis, deputantur in ſemine.* Quarta ratio eſt, quòd apud Jeremiam occurrat locus iſti ſimillimus, quo novum teſtamentum manifeſtè prænuntiatur. *In diebus illis*, ait Jeremias XXXI. 29 & ſeq., *non dicent ultra: patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt; ſed unusquisque in iniquitate ſuâ morietur. Omnis homo qui comederit uvam acerbam, obſtupeſcent dentes ejus. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam Domui Iſraël & Domui Juda fœdus novum, non ſecundùm fœdus quod pepigi* &c. Cùm ergo utriusque Prophetæ eadem penè verba ſint, & Jeremias apertè prænuntiet teſtamentum novum, optimè concluditur textum quoque Ezechielis eodem modo eſſe intelligendum. „ Ad vetus teſtamentum, inquit S. Auguſtinus ibidem, cap. 84, „ generatio pertinet; ad hoc autem regeneratio. Unde ibi peccata pa- „ trum redduntur in filios; hic autem, generationis vinculo per rege- „ nerationem ſoluto, non dicitur: *Patres manducaverunt uvam acerbam*, „ *& dentes filiorum obſtupuerunt*; ſed, ejus qui manducaverit uvam „ acerbam, obſtupeſcunt dentes; quia non in patris" (quod dimiſſum eſt) „ ſed in ſuo peccato, ſi commiſerit, quisque morietur."

Objiciebant 2°. Pelagiani: Judicandi ſumus à Deo ſecundùm illud ſolummodò quod actu proprio fecerimus, juxta illud 2 Corinth. V. 10: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquisque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Atqui infantes nihil mali proprio actu geſſerunt. Ergo nullam cauſam habent propter quam damnari queant.

Primò retorqueo argumentum cum S. Auguſtino lib. 1 *contra Julianum*, cap. 10. num. 29: Infantes baptizati nihil boni actu proprio geſſerunt; ergo nullam habent juſtitiam, propter quam regnum cœlorum conſequantur. Fatebantur tamen Pelagiani parvulos baptizatos juſtos eſſe, & introire in regnum cœlorum: ergo pariter, quamvis infantes non baptizati nihil mali geſſerint actu proprio ſuæ voluntatis, nihilominùs peccatores eſſe poſſunt & damnatione digni. Itaque respondeo 2°. peccatum ipſum originale computari inter propria corporis, licet actu proprio infantium inductum non fuerit; quemadmodùm juſtitia baptismalis infanti baptizato propria eſt, licet actu proprio non credenti. Et certè, ſi omnes homines, nullo excepto, manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, neceſſe eſt ut omnes, nullo excepto, cauſam habeant bonam, vel malam, ratione cujus judicandi ſint, *nihilque medium intelligi voluit* Apoſtolus, ut ait ibidem S. Auguſtinus. Atqui, Pelagianis ipſis fatentibus, parvuli in Chriſto non renati non habent cauſam bonam,

nam, propter quam remunerentur. Ergo malam habent cauſam: undenam autem, niſi ex originali peccato?

Objiciebant 3°. id quod legitur Sapientiæ VIII. 19 & 20: *Sortitus ſum animam bonam, & cùm eſſem magis bonus, veni in corpus incoinquinatum;* idque dicebant ſtare non poſſe cum doctrinâ peccati originalis.

Reſpondeo Sapientem ibi non loqui de bonitate gratiæ vel morum, ſed de quâdam bonitate indolis, quæ magnâ ex parte naſcitur ex corporis complexione, magiſque habilem reddit ad nonnulla externa virtutum officia. Hujuſmodi autem bonitas naturalis nullatenùs excludit peccatum originale, ſed tantùm vehementem proclivitatem ad turpia, inhoneſta & flagitioſa. Dicit autem ſe *ſortitum eſſe* animam bonam, quia hujuſmodi dotes naturales, abſque ullo accipientium merito, & quaſi ſorte, gratuitò à Deo dantur eis quibus vult. Quod verò addit ſe veniſſe ad corpus incoinquinatum, vel intelligendum de felici corporis temperaturâ, vel potiùs ſenſus eſt, ſe, *cùm eſſet magis bonus*, id eſt, cùm frequenti virtutum exercitio proficeret, corporis caſtimoniam adeptum eſſe.

Objiciebant 4°. plurima rationum momenta petita tùm ex parte Dei, tùm ex parte ipſiuſmet peccati, tùm ex parte parentum, à quibus trahi dicitur peccatum originale.

Ac primò quidem ex parte Dei opponebant injuſtum eſſe, & bonitati divinæ penitùs oppoſitum, quemquam peccato alieno obnoxium teneri.

Injuſtum non eſt peccatum primi parentis ad ejus poſteros, Deo ita permittente, tranſire.

Reſpondeo 1° rationis humanæ, in rebus etiam obviis ſæpiſſimè caligantis & errantis, non eſſe de juſtitiâ divinâ judicare; ſed è contrario rationis noſtræ infirmitatem per fidem dirigendam eſſe; ita ut concludamus nec injuſtum eſſe, nec bonitati divinæ repugnare omnes homines peccato primi parentis obnoxios teneri; ſiquidem, Deo ipſo docente, per unum hominem peccatum in omnes pertranſiit, *in quo omnes peccaverunt.* Quidquid enim fit à ſummâ juſtitiâ, injuſtum eſſe nequit, etiamſi comprehendi non poſſit quomodò ſit juſtum.

2°. Diſtinguo propoſitionem. Injuſtum eſt quemquam peccato alieno, & nullatenus proprio, obnoxium teneri: concedo. Injuſtum eſt quemquam peccato alieno obnoxium teneri, ſi peccatum illud ita ſit alienum, ut ejus cui imputatur proprium fiat; nego. Porrò, juxta fidem catholicam, ideò tantùm primi hominis peccatum omnibus hominibus imputatur, quia peccatum illud ad omnes reipſâ tranſit, ineſtque ſingulis naſcentibus. Et ſanè, ſi ab ipſis etiam Pelagianis laudatur benignitas Dei, eoquòd plurimos infantes exteriùs nolentes ac repugnantes, nulloque naturali nexu ad Chriſtum pertinentes, juſtitiæ Chriſti verè participes per baptiſmum efficiat, quis jure conquereretur de juſtitiâ Dei, eoquòd naſcentes homines à primo parente, ad quem naturaliter pertinent, peccatum trahere permittat? Nedum proptereà juſtitia divina culpari queat, imò aliter defendi nequit. Si enim infantes nullum pec-

peccatum naſcendo contrahunt, ergo injuſtè excluduntur à regno Dei, injuſtè hâc in vitâ tot miſeriis, ac morte ipſâ, quæ *peccati ſtipendium eſt*, affliguntur. Ita ferè S. Auguſtinus lib. 6 *contra Julianum*, cap. 10. num. 28; lib. 1 *Oper. Imperf.* cap. 48, & lib. 5, cap. 64.

Inſtabant. Infans qui naſcitur eſt opus Dei: opus autem Dei non poteſt eſſe niſi bonum: ergo infans qui naſcitur bonus eſt & peccati omninò expers. Si autem peccato obſtrictus ſupponatur, jam non Dei, qui ſummè bonus eſt, ſed mali principii opus erit, duoque principia cum Manichæis admittere oportebit.

Diſtinguo majorem. Infans qui naſcitur eſt opus Dei, quantùm ad naturæ bonum, concedo: quantùm ad originis vitium, nego. „ Simul utrumque propagatur, ut ait S. Auguſtinus lib. *de Peccato originali*, cap. 33, „ & natura, & naturæ vitium; quorum unum eſt bonum, al„ terum malum: illud de conditoris largitate ſumitur, hoc de originis „ damnatione attrahitur: illi eſt cauſa bona voluntas Dei ſummi, huic „ mala voluntas hominis primi: illud indicat Deum naturæ inſtituto„ rem, hoc indicat Deum inobedientiæ punitorem: denique idem ipſe „ Chriſtus propter illud creandum factor eſt hominis, propter hoc ſa„ nandum factus eſt homo.“ Et lib. 2 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 21. num. 36: „ Natura humana, quæ naſcitur vel de conjugio, „ vel de adulterio, Dei opus eſt: quæ ſi mala eſſet, non eſſet generan„ da; ſi malum non haberet, non eſſet regeneranda.... Natura huma„ na, ſi malum eſſet, ſalvanda non eſſet: ſi ei mali nihil ineſſet, ſal„ vanda non eſſet.“ Igitur neque propter originis vitium negandum eſt bonum opus Dei; neque propter bonum opus Dei negandum eſt originis vitium.

Et certè non magis repugnat opus Dei naſci cum vitio, quàm naſci de adulterio. Atqui infans qui de adulterio naſcitur, opus Dei eſt, quamvis Deus non ſit auctor nec approbator adulterii per quod naſcitur. Ergo pariter, quamvis cum vitio infans naſcatur, nihilominùs Dei opus eſt, non quatenùs vitium, ſed quatenùs bonam naturam habet. Aliâ ſimilitudine iſtud illuſtrari poteſt. Homo qui naſcitur cum vitio, non minùs opus eſt Dei producentis, quàm homo perverſus opus eſt Dei conſervantis, ſeu continuatâ creatione producentis; & quemadmodùm Deus, hominem perverſum conſervando, non eſt cauſa ejus perverſitatis, ita producendo hominem peccato originali depravatum, nullatenùs cauſa eſt peccati. Hæc ſimilitudo eò plus roboris habet, quòd propriè loquendo hominis, juxta inſtitutas à Deo naturæ leges, generatio non tam ſit operis novi productio, quàm naturæ dudùm creatæ conſervatio & adminiſtratio.

Igitur doctrina peccati originalis infinitè diſcrepat ab impietate Manichæorum. Illi hæretici contendebant naturam humanam non priùs juſtam creatam fuiſſe, & poſteà per liberum hominis arbitrium peccato vi-

vitiatam; ſed eam ex commixtione duarum ſubſtantiarum æternarum, quarum una bona, altera mala ſit, à principe tenebrarum concretam fuiſſe contendebant. E contrario fides catholica docet humanam naturam ab uno & bono Deo creatam rectam liberrimâ primi hominis prævaricatione depravatam fuiſſe, ac Chriſto medico & liberatore indigere. Manichæi dicebant peccatum eſſe ſubſtantiam malam & æternam: fides catholica è contrario docet peccatum non eſſe ſubſtantiam, ſed boni defectum ex libero hominis arbitrio deficiente ortum. Nibil ergo catholicæ doctrinæ cum impietate Michæorum commune eſt: Pelagiana verò hæreſis, dum à Manichæis remotiſſimam ſe videri vult, illorum cauſam non parum adjuvabat, docendo naturæ peccato corruptæ productionem Deo attribui non poſſe, quin peccatum quoque, quod naturæ ineſt, ei attribuatur. Vide S. Auguſtinum lib. 2 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 3 num. 9, & lib. 1 *Operis imperf.* cap. 63.

Inſtabant 2°. Salrem in doctrinâ Catholicorum peccatum, quod eſt opus diaboli, tranſit per naturam, quæ eſt opus Dei: iſtud autem ſentire impium eſt.

Nego minorem. Nam ipſe Apoſtolus diſertè declarat *peccatum per unum hominem*, adeòque per opus Dei, *intraſſe in mundum*, & niſi, ita eſſet, vincerent Manichæi, obtinerentque hominem non eſſe opus Dei. Quamobrem S. Auguſtinus lib. 5 *Op. imperf.* cap. 43: „ Manichæi, in-„ quit, eſt illa concluſio, veniens illi, Juliane, de adjutorio tuo. Sed „ Apoſtolus pro veritate decertans & homines dicit eſſe opus Dei, ut „ proſternat Manichæum, & per opus Dei, hoc eſt, per hominem tran-„ ſiiſſe opus diaboli, ut cum illo proſternat & teipſum." Certè non magis repugnat peccatum tranſire per opus Dei, quàm manere in opere Dei, illudque corrumpere. Atqui, fatentibus ipſis Pelagianis, peccatum manet in dæmonibus & in hominibus perverſis, qui ſunt opera Dei, illosque corrumpit: ergo per naturam, quæ opus eſt Dei, peccatum tranſire nihil vetat.

Inſtabant 3°. Omne quod naturale eſt auctorem habet Deum naturarum omnium conditorem & conſervatorem. Atqui peccatum originale, ſi datur, eſt naturale: ergo Deum haberet auctorem; quod dictu impium eſt.

Diſtinguo majorem. Omne quod naturale eſt, tanquam pars vel perfectio naturæ, Deum habet auctorem, concedo: omne quod naturale eſt, tanquam vitium naturæ à primâ inſtitutionis ſuæ rectitudine collapſæ, Deum habet auctorem, nego. Porro peccatum originale non eſt pars nec perfectio naturæ, nec ad primam illius inſtitutionem pertinet; ſed vitium eſt quod naturæ bonæ per malum liberi arbitrii uſum voluntariè accidit, quodque cauſam non habet niſi deficientem, nec magis attribui poteſt Deo, quàm fatuitas quâcum nonnulli homines naſcuntur. „ Nos igitur, ut aiebat S. Auguſtinus lib. 3 *Op. imperf.*

cap.

cap. 156 & 160, „ fundamentum Manichæi evertimus, qui natura-
„ lem fatuitatem idcircò dicimus, quia naſcuntur homines fatui ex
„ accidente, ſcilicet vitio, ex quo hujuſmodi origo meritò traheretur;
„ non quia prava eſt primitùs humana inſtituta natura, ſicut deſipit
„ Manichæus, ac per hoc etiam, quod conſequenter adjungit, *eamdem fa-*
„ *tuam eſſe naturam*; nos propter vitium cum quo natus eſt fatuus ho-
„ mo, non propter quod in illo eſt opificium conditoris boni, verum
„ eſſe concedimus. Natus eſt enim fatuus, accidente vitio; homo au-
„ tem creatus eſt, operante Deo. Deinde quod addit: *fatuæ autem rei*
„ *auctorem non eſſe ſapientem*, ut *res* ipſa homo intelligatur, non eſſe
„ conſequens dicimus. Ejus quippe hominis qui fatuus natus eſt Deum
„ dicimus, quamvis non dicamus ipſius fatuitatis, auctorem: quæ fa-
„ tuitas non eſt natura atque ſubſtantia, quæ non naſcitur, niſi crean-
„ te Deo, ſed ejuſdem naturæ vitium, quod accidit ſinente Deo. Ita
„ deſtruimus & Manichæos malos ruinæ ſuæ ſtructores, & Pelagianos
„ Manichæorum fatuos adjutores."

Inſtabant 4°. Eorum quæ neceſſaria ſunt ſolus Deus auctor eſt. Atqui peccatum originale, ſi datur, neceſſarium eſt. Ergo Deus eſſet illius auctor.

Primò diſtinguo majorem. Eorum quæ neceſſaria ſunt, ſimulque poſitiva & realia, Deus auctor eſt, concedo: eorum quæ neceſſaria quidem, ſed meræ privationes ſunt: nego. Certè cuilibet rei creatæ neceſſariò ineſt finitudo & imperfectio: hujus tamen finitudinis cauſa non eſt Deus, ſed conditio ipſa creaturæ, quæ ex ſe de nihilo ſemper participat.

2°. Aliter diſtinguo minorem. Peccatum originale eſt neceſſarium hypotheticè & conſequenter, concedo: abſolutè & antecedenter; nego. Natura humana recta primitùs creata eſt; neceſſitasque contrahendi peccatum originale non oritur ab inſtitutione naturæ, ſed à naturæ per liberrimum primi hominis peccatum depravatione derivatur.

Inſtabant 5°. Quando Deus infantem producit, vel animam creat bonam & innocentem, vel malam & peccatricem. Atqui dici non poteſt Deus creare animam malam & peccatricem. Ergo Deus illam creat bonam & innocentem, ac proinde peccati expertem.

Reſpondent Hugo Victorinus, Tract. 3. cap. 10 & 11, & Magiſter Sentent. lib. 2. diſt. 32. litt. E, G, H, animam à Deo creari innocentem, mundam & immaculatam. Sed iſtud expoſitione indiget. Non enim anima, prius munda & innocens exiſtens, poſteà fit immunda. Non alio igitur ſenſu dici poteſt creari munda, niſi quòd illius immunditia non ſit à Deo illam creante. Quamobrem meliùs reſpondetur Deum nec creare animam innocentem, quia anima quam creat non eſt innocens, nec immundam, quia ejus immunditia non eſt à Deo; ſed creare animam phyſicè bonam, quæ ex ſocietate corporis inqui-

nati

nati & ex naturæ vitio fit in ipſo inſtanti mala & peccatrix, ut poſteà declarabitur.

Inſtabant 6°. Nemo ſapiens liquorem pretioſum infundit in vas corruptum, ex quo ſcit liquorem ipſum corruptum iri. Atqui anima rationalis quovis liquore pretioſior eſt, & Deus ſapientibus quibuscunque ſapientior. Ergo, poſito quòd anima ex corporis ſocietate polluatur, repugnat Deum illam in corpus corruptum immittere.

Admittendo animas de novo creari ad informanda ſingula humana corpora, & per illa peccato inquinari (de quo dicemus poſteà), respondeo cum S. Thoma, 1. 2. quæſt. 83. art. 1. ad 5um, „ bonum commune „ præferri bono ſingulari. Unde, inquit, Deus ſecundùm ſuam ſa- „ pientiam non prætermittit univerſalem ordinem rerum, qui eſt ut „ tali corpori anima infundatur, ut vitetur ſingularis infectio ipſius „ animæ, præſertim cùm natura animæ hoc habeat, ut eſſe non incipiat „ niſi in corpore. Melius eſt autem ei ſic eſſe ſecundùm naturam, quàm „ nullomodò eſſe; præſertim cùm poſſit per gratiam damnationem eva- „ dere.“ Alia ſcilicet ratio eſt proviſoris univerſalis, qui rerum univerſitatem adminiſtrat; alia proviſoris particularis, qui à rebus ſibi peculiariter commiſſis vitium quodlibet prohibere tenetur, quantùm poteſt. Addamus contra primævam naturæ inſtitutionem eſſe, quòd anima rationalis corpori corrupto inſeratur. Ab initio non fuit ſic; & ſi primus homo in acceptâ ſanctitate perſeveraſſet, ut facillimè poterat, ſano & incontaminato corpori ſancta & innocens anima infereretur. Quòd aliter nunc eveniat, non Deus, ſed ipſe homo in cauſâ eſt. Demùm, etſi difficile eſt concipere quâ ſapientiâ Deus optimus animam à ſe recens creatam per carnis ſocietatem peccato inquinari ſinat, firmisſimâ tamen fide credendum eſt quod teſtatur ſcripturæ ſacræ veraciſſima auctoritas, *peccatum in hunc mundum intraſſe per unum hominem, in quo omnes peccaverunt:* præſertim cùm non multò facilius ſit concipere quâ ſapientiâ Deus peccata actualia committi permittat, quæ profectò mpedire poſſet, ſi vellet.

Iinſtabant 7°. Si homo naſcendo peccatum contraheret, ſequeretur nativitatem & vitam, quæ ſunt munera Dei, homini nociva eſſe: quod abſurdum eſt.

Nego propoſitionem; non enim munus Dei, ſed ſolum hominis vitium homini nocivum eſt. Hæc reſponſio eſt S. Auguſtini, lib. 4 *contra Julianum*, cap. 1. num. 5. „ Munus Dei, inquit, nulli nocet, „ quo quisque eſt & vivit: ſed concupiſcentiæ malum non poteſt eſſe ni- „ ſi in eo qui eſt & vivit. Quapropter poteſt eſſe malum in mune- „ re Dei ſanandum alio munere Dei. Poteſt igitur in homine, qui „ munere Dei eſt & vivit, malum eſſe generatione contractum, rege- „ neratione ſanandum. Nam utique nullus infans cum dæmone naſ- „ ceretur, ſi non naſceretur; nec ideò mali hujus ipſa eſt cauſa, quia „ naſ-

„ naſcitur. Naſcitur ergo munere Dei; cum dæmone autem judicio „ Dei, occulto ſanè, ſed nunquid injuſto?"

Ex parte ipſius peccati originalis opponebant Pelagiani de ratione peccati eſſe, ut ſit voluntarium ac liberum. Atqui, inquiebant, peccatum originale non eſt voluntarium, nec liberum; ſiquidem infantes, à quibus contrahi dicitur, nullum habent uſum rationis. Repugnat ergo hujusmodi peccatum.

An & quomodò peccatum originale voluntarium ſit.

Diſtinguo majorem. De ratione peccati eſt ut ſit voluntarium, vel actu, vel habitu, concedo: ut ſit voluntarium actu, ſubdiſtinguo: de ratione peccati eſt ut ſit, vel fuerit voluntarium actu in perſonâ, à quâ commiſſum fuit, id eſt, ut absque aliquo voluntatis actu admitti non potuerit; concedo: ut ſit voluntarium actu in eis à quibus contrahitur, id eſt, ut absque actu proprio ipſorum voluntatis contrahi non poſſit; nego.

Certum eſt peccatum, generatim loquendo, absque pravâ voluntatis diſpoſitione eſſe non poſſe, utpote quòd ſit ipſiusmet voluntatis vitium & inordinatio. Certum eſt proinde peccatum actuale eſſe non poſſe absque actu pravo ac libero, nec peccatum habituale absque pravo habitu voluntatis. Hoc poſito, dico peccatum originale eſſe voluntarium eo modo qui hujusmodi peccato congruit. Peccatum Adami, quod fons eſt peccati originalis, commiſſum fuit actu proprio ac libero ipſius voluntatis, quia in ipſo fuit peccatum actuale; ſed in ejus poſteris eſt habituale tantummodò, adeòque ſufficit quòd ſit voluntarium habitu, nec requiritur ut ſit actu voluntarium, ſeu volitum. Si Adami peccatum ad ejus poſteros non tranſiret, nullatenùs poſſet eis imputari, quia nec actu, nec habitu ad illos pertineret. Rurſùs, ſi (per impoſſibile) voluntas infantium habitualiter averſa eſſet à Deo, & ad creaturas converſa, absque ullo pravo actu voluntatis, qui in primis parentibus præceſſiſſet, hujusmodi prava affectio ipſis juſtè imputari non poſſet, quia in illâ hypotheſi ad ipſam naturæ inſtitutionem pertinere cenſeretur. Quoniam verò habitualis inordinationis, quæ ineſt voluntati naſcentium, cauſa præceſſit in actuali inobedientiâ primi omnium hominum parentis, idcirco verum in naſcentibus peccatum eſt, ac juſtè illis imputatur, tanquam ſufficienter voluntarium in ſuâ cauſâ, „ quia, ut ait S. Auguſtinus lib. 1 Retractat. cap. „ 13, ex primi hominis malâ voluntate contractum, factum eſt quo„ dammodò hæreditarium."

Quomodò autem peccatum, quod in primo parente actuale fuit, habitualiter ineſſe poſſit illius poſteris, egregiè explicat S. doctor exemplo cæterorum peccatorum, quæ, licet actu tranſierint, habitu tamen & reatu remanent, quoadusque per gratiam Chriſti remittantur. "Peccatum, „ inquit lib. 4 *Oper. Imperf.* cap. 96, quod eſſe ſine voluntate non po„ teſt, manere ſine voluntate poteſt. Itaque etiam peccatum Adæ,

„ quo-

„ quoniam ipſum eſt quod originaliter manet in poſteris ejus, niſi qui„ bus in Chriſto remittitur, profectò cùm dicitur & in ipſis ſine vo„ luntate non eſſe, ad illius voluntatem refertur, quà factum eſt ut „ eſſet, quod manendo & in poſteris eſſet....... Quis eſt enim qui pecca„ tum, quod ſine voluntate non fecit, manere etiam velit? Et tamen „ manet, nolente peccatore, peccatum quod à voluntate commiſſum eſt. „ Manet ergo donec remittatur; & ſi nunquam remittatur, manebit in „ æternum: neque enim mendaciter in Evangelio dictum eſt: *Reus* „ *erit æterni delicti.*“ Juxta hæc S. Doctoris verba eo ferè modo peccatum originale ineſt infantibus abſque actu proprio ipſorum voluntatis, quo peccata actualia, quæ commiſimus, remanent in nobis habitu & reatu, abſque ullo novo actu voluntatis, poſtquàm actus ipſe præteriit.

Inſtabant. Omne peccatum eſt prævaricatio, juxtà illud Pſalmi 118: *Prævaricatores reputavi omnes peccatores terræ.* Atqui in infantibus nulla poteſt eſſe prævaricatio: ſiquidem nondum ſunt legis accipiendæ capaces; *ubi autem non eſt lex, nec prævaricatio*, ut ait Apoſtolus. Ergo &c.

Reſpondeo cum S. Auguſtino, lib. 16 *de Civitate Dei*, cap. 27, infantes in primo parente mandatum Dei prævaricatos eſſe, hujuſque prævaricationis maculam eis habitu inhærere, donec in Chriſto regenerentur; atque eodem ſenſu prævaricatores eſſe, quo peccatores ſunt. „ Non „ præcipitur homini, ait idem S. Doctor lib. 2 *Op. Imperf.* cap. 77, „ quomodò naſcatur; ſed præceptum eſt quomodò ille viveret, præ„ ceptumque violavit, à quo parente peccatum originale deducitur..... „ Ac per hoc non quidem præcipitur homini quomodò naſcatur, mun„ dus tamen non eſt à ſorde peccati nec infans cujus eſt unius diei vita „ ſuper terram“.

Inſtabant iterum. Non magis Adami peccatum nocere poteſt parvulis actu proprio non peccantibus, quàm juſtitia Chriſti prodeſt eis qui in ipſum non credunt: plus enim valet Chriſtus ad juſtificationem, quàm Adamus ad condemnationem. Atqui juſtitia Chriſti non prodeſt in ipſum non credentibus. Ergo nec peccatum Adami nocet parvulis actu proprio non peccantibus.

Huic argumento ſic reſpondet S. Auguſtinus Serm. 294. cap. 17 & 18: Al. 14 de Verbis Apoſtoli.
„ Dic mihi, obſecro te, parvulis baptizatis Chriſtus aliquid, an nihil „ prodeſt? Neceſſe eſt ut dicat prodeſſe: premitur mole matris Eccle„ ſiæ..... Si prodeſt baptizatis, quæro quibus proſit, credentibus, an „ non credentibus? ..... Si dixerint, non credentibus, ubi eſt ergo „ quod calumniabaris, quia Chriſtus non credentibus prodeſſe non po„ teſt? ...... Sed abſit ut ego dicam non credentes infantes. Jam ſupe„ riùs diſputavi: credit in altero qui peccavit in altero: dicitur, cre„ dit, & valet, & inter fideles baptizatos computatur. Hoc habet aucto„ ritas matris Eccleſiæ: hoc fundatus veritatis obtinet canon: contra

„ hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum quisquis arietat, ipſe „ confringitur. Ergò prodeſt Chriſtus aliquid infantibus baptizatis.... „ Unde credunt? Quomodò credunt? Fide parentum. Si fide parentum „ purgantur, peccato parentum polluti ſunt..... Tu das fidem non reſ„ pondenti, & ego peccatum nihil agenti.“ Idem reſpondet lib. 3 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 2, & lib. 1 *Op. imperf.* cap. 56. Ibidem ſic rurſùs ratiocinatur: Si Chriſtus idcircò prodeſt parvulis baptizatis, quia in ipſum credunt, igitur parvuli non baptizati non credunt. Si autem non credunt, procul dubio condemnabuntur, & ira Dei manet ſuper illos, ſcripturâ ipſâ dicente (Marc. XVI. 16): *Qui non crediderit condemnabitur*, & (Joann. III. 30): *Qui non credit Filio non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*, hoc autem quâ juſtitiâ fit, ſi peccato non polluuntur?

Inſtabat 3°. Julianus apud S. Auguſtinum lib. 2 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 27, num. 47: *Non peccat iſte qui naſcitur: non peccat ille qui genuit; non peccat iſte qui condidit: per quas rimas, inter tot præſidia innocentiæ, peccatum fingis ingreſſum?*

Eleganter reponebat ibidem S. Doctor: “ Quid quærit latentem ri„ mam, cùm habeat apertiſſimam januam? *Per unum hominem*, ait „ Apoſtolus: *per unius delictum*, ait Apoſtolus: *per inobedientiam unius* „ *hominis*, ait Apoſtolus.“ Ideo ſcilicet peccatum ineſt naſcentibus, quia naturam contrahunt immundam, & in ſuâ radice vitiatam. „ Non „ mirum autem, nec injuſtum eſt, ait S. Doctor lib. 3 *contra Julia-* „ *num*, cap 12. num. 24, quòd radix profert damnata damnatos, niſi cu„ jus manus non defuit creantis, non deſit & miſericordia liberantis.“

Denique ex parte parentum gignentium opponebant Pelagiani admitti non poſſe peccatum originale, quin hoc ipſo damnentur nuptiæ, per quas peccatum illud ſimul cum naturâ propagatur; qui error eſt Manichæorum.

Reſpondeo cum S. Auguſtino ex peccato originali nullatenus conſequi malas eſſe nuptias, quia non per nuptiarum bonum, ſed per concupiſcentiæ malum peccatum propagatur. „ Clarum eſt, inquit lib. *de Pec-* „ *cato originali*, cap. 37, non eſſe nuptiis imputandum, quod etſi non „ eſſet, nuptiæ tamen eſſent, quarum bonum non aufertur iſto malo, „ ſed ab eis hoc malum in uſum vertitur bonum. Verùm, quia jam „ iſtâ conditione mortalium nunc ſimul aguntur concubitus & libido, „ eo fit ut, cùm libido reprehenditur, etiam concubitus nuptialis licitus „ & honeſtus reprehendi putetur ab iis qui noſunt diſcernere iſta, „ vel neſciunt, nec attendunt illud eſſe nuptiarum bonum, quo glorian„ tur nuptiæ, prolem, pudicitiam, ſacramentum; illud autem non eſſe „ nuptiarum, ſed carnalis concupiſcentiæ malum, de quo erubeſcunt & „ nuptiæ...... Hinc eſt quòd infantes etiam, qui peccare non poſſunt, „ non tamen ſine peccati contagione naſcuntur, non ex hoc quod licet,

„ ſed

„ ſed ex eo quod dedecet. Nam ex hoc quod licet natura naſcitur: ex „ illo quod dedecet, vitium.“ Eumdem vide lib. 1 de *Nuptiis & concupiſcentia*, cap. 26, num. 42.

Inſtabant. Nulla ratio eſt cur ex Adamo naſcantur peccatores, & ex parentibus juſtis non naſcantur juſti. Cùm ergo ex parentibus juſtis non naſcantur juſti, neque ex Adamo naſcuntur peccatores.

Cur ex parentibus juſtis non juſti, ſed peccatores naſcantur.

Reſpondeo aliam Adami rationem eſſe, aliam poſteriorum parentum. Ille totius humani generis germen & radix fuit; hi tanquam rami ſunt è radice pullulantes. Hinc ab illo omnium hominum conditio religata pendebat; ab his nequaquam pendet. Illo in juſtitiâ perſeverante, juſtitia, quæ tunc fuiſſet quodam ſenſu naturalis, ad omnes ejus poſteros ſimul cum naturâ ipſâ tranſiſſet. Quid ergo iniquum eſt ſi, illo peccante, *vitium pro naturâ inolevit*, ut loquitur S. Auguſtinus, Tract. 44 in Joannem, num. 1? Poſteriorum parentum longè diverſa eſt conditio. Quòd peccatores naſcuntur, naturale eſt; quòd Chriſti gratiâ juſtificantur, ſupernaturale eſt, & extra præſentem naturæ corruptæ ſtatum. Igitur conſequens eſt ut filiis, quos ex naturæ officio generant, naturæ vitium communicent; non autem juſtitiam, quæ à preſenti naturæ ſtatu aliena eſt.

Inſtabant iterum. Parentes transmittere filiis non poſſunt peccatum quod ipſi non habent. Atqui ſaltem parentes in Chriſto regenerati non habent peccatum originale, quod eis remiſſum eſt. Non poſſunt ergo illud filiis transmittere.

Diſtinguo majorem. Parentes non poſſunt transmittere filiis peccatum, quod ipſi non habent neque actu, neque reatu, concedo; quod non habent reatu, ſed adhuc habent actu, nego. „Peccatum originale, ait S. Thomas 1. 2. quæſt. 8. art. 3, „per baptiſmum aufertur reatu, in „ quantùm anima recuperat gratiam quantùm ad mentem; remanet ta- „ men peccatum originale actu quantùm ad fomitem, qui eſt inordina- „ tio partium inferiorum animæ & ipſius corporis, ſecundùm quod ho- „ mo generat, & non ſecundùm mentem; & propter hoc baptizati tra- „ ducunt peccatum originale: non enim parentes generant in quantùm „ ſunt renovati per batiſmum, ſed in quantùm retinent adhuc aliquid „ de vetuſtate peccati.“ Eadem eſt quoad ſubſtantiam S. Auguſtini reſponſio lib. 3 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 8. num. 16; lib. 1. *de Peccato originali*, cap. 40; lib. 1 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 18. num. 20, & cap. 19. num. 21; lib. 6 *contra Julianum*, cap. 7. num. 18; lib. 3 *Op. imperf.* cap. 51, & Epiſt. 194 ad Sixtum, num. 44. Eam autem confirmat his Chriſti verbis, Luc. XX. 34: *Filii hujus ſæculi nubunt & traduntur ad nuptias*, id eſt, generant quatenùs ad hoc ſæculum, non quatenùs per regenerationis gratiam ad futurum ſæculum pertinent. Idem quoque ſignificat quod ait Chriſtus, Joannis III: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt: non*

Digitized by Google

mireris quia dixi tibi: oportet vos naſci denuò. Quomodò autem id fieri poſſit, variis exemplis explicat, v. g. oleæ, ex cujus ſemine non olea, ſed oleaſter naſcitur; grani mundati & purgati, ex quo frumentum non oritur niſi paleæ admixtum; hominis circumciſi, qui nonniſi incircumciſum gignit. Vide. lib. 1 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 19. num. 21, & Serm. 294. cap. 16. Idem inſuper confirmat ipſorummet Pelagianorum ſuffragio, qui fateri cogebantur ex parentibus Chriſtianis filios naſci non Chriſtianos. „ Quid reſpondebitis, inquit. lib. 3. de *Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 9. num. 17, „ quare de Chriſtianis non Chriſtianus naſ- „ catur, niſi quia non facit generatio, ſed regeneratio Chriſtianos? Hanc „ igitur vobis reddite rationem, quia ſimiliter à peccatis nemo naſcen- „ do, ſed omnes renaſcendo mundantur: ac per hoc de hominibus ideò „ mundatis, quoniam renatis, homo qui naſcitur renaſcatur, ut etiam „ ipſe mundetur."

Al. Serm. 14 de Verbis Apoſtoli.

Verùm, etiam ſi illa explicatio à nonnullis difficilè intelligeretur, non ideò non cedendum eſt ſcripturarum divinæ auctoritati. Ut enim obſervat idem S. Doctor lib. 6 *contra Julianum*, cap. 5. num. 14: „ *Delicta* „ *quis intelligit?* Numquid ideò peccata non ſunt? Ita & originale de- „ lictum, quod in parente regenerato remittitur, & tamen tranſit in „ prolem, & manet, niſi & ipſa regeneretur, quis intelligit? Numquid „ ideò non eſt delictum? *Unus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mor-* „ *tui ſunt.*"

Inſtabant 3°. Si parentes regenerati, quia carne generant, peccatum in prolem tranſmittunt, non ergo per baptiſmum planè mundati & innovati ſunt.

Diſtinguo ſequelam. Non ſunt planè mundati ab omnibus malis & morbis, concedo; ab omni quod veram peccati rationem habet, nego ſequelam. „ Gratia, inquit S. Auguſtinus ibidem, cap. 13. num. 40, „ perfectè hominem novum facit; quandoquidem & ad corporis immor- „ talitatem plenamque felicitatem perducit. Nunc autem perfectè inno- „ vat hominem, quantùm ad liberationem attinet ab omnibus peccatis, „ ſed non quantùm ad liberationem ab omnibus malis, & ab omni cor- „ ruptione mortalitatis, quâ nunc corpus aggravat animam." Propter hanc corporis corruptionem parentes, etſi mente renovati, corpus corruptum proli communicant, quia, ut jam dixi, non per mentem, quæ innovata eſt, ſed per corpus generant, quod adhuc *mortuum eſt propter peccatum*, quamvis *ſpiritus vivat propter juſtitiam.*

An aliorum parentum peccata tranſeant ad filios.

Objiciebant denique Pelagiani. Si peccatum Adami ad ejus poſteros tranſiret, poſteriorum quoque parentum peccata tranſirent ad filios. Hoc autem dici nequit. Ergo nec illud.

Nego majorem. Ut autem huic objectioni planè ſatisfiat, obſervandum eſt nonnullos exiſtimaſſe aliorum quoque parentum peccata, ſaltem aliquando, tranſire ad filios; tum quia de illis idem judicium feren-

rendum eſſe arbitrabantur ac de primo parente, tum propter aliquos Scripturæ & SS. Patrum textus, quibus id doceri videtur. Loca ſcripturæ ſunt ea, in quibus Deus dicitur *reddere, ſeu viſitare peccata patrum in filios uſque in tertiam & quartam generationem*, ut Exodi XX. 5, & XXXIV. 7, & Jeremiæ XXXII. 18; quibus addi poſſunt iſta Pſalmi 108: *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conſpectu Domini, & peccatum matris ejus non deleatur*; Threnorum V. 7: *Patres noſtri peccaverunt, & non ſunt; & nos iniquitates eorum portavimus*; Sapientiæ XII. 10 & 11, ubi de Chananæis hæc leguntur: *Nequam eſt natio illorum, & naturalis malitia ipſorum: ſemen enim erant maledictum ab initio*; Matth. XXIII. 32 & 35: *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum, ... ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.*

Ex SS. Patribus commemorant imprimis S. Auguſtinum, cujus hæc dicta proferunt, *Enchiridion* cap. 46, num. 13: „ Parentum quoque „ peccatis parvulos obligari, non ſolùm primorum hominum, ſed etiam „ ſuorum de quibus nati ſunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe „ divina ſententia: *Reddam peccata patrum in filios*, tenet eos utique „ antequàm per regenerationem ad teſtamentum novum incipiant perti- „ nere.“ Et cap. 48: „ Sed de peccatis aliorum parentum, quibus ab „ ipſo Adam ad patrem ſuum progenitoribus ſuis quisque ſuccedit, non „ immeritò diſceptari poteſt, utrùm omnium malis actibus, ac multiplica- „ tis peccatis originalibus, qui naſcitur implicetur, ut tantò pejùs, quantò „ poſteriùs quisque naſcatur; an propterea Deus in tertiam & quar- „ tam generationem de peccatis parentum eorum poſteris comminetur, „ quia iram ſuam quantùm ad progeneratorum culpas non extendit ul- „ teriùs, moderatione miſerationis ſuæ, ne illi quibus regenerationis „ gratia non confertur, nimiâ ſarcinâ in ipſâ ſuâ æternâ damnatione „ premerentur, ſi cogerentur ab initio generis humani omnium præce- „ dentium ſuorum originaliter peccata contrahere, & pœnas pro eis „ debitas pendere; an aliud aliquid de re tantâ, ſcripturis diligentius „ perſcrutatis atque tractatis, valeat vel non valeat reperiri, temerè „ affirmare non audeo.“

Et lib. 4 *Oper. imperf.* cap. 129, exponens textum libri Sapientiæ ſupra allatum: *ſemen erat maledictum ab initio:* „ Satis apparet, inquit, „ & clarum eſt quomodò illa natio nequiſſima dicta ſit, ejusque mali- „ tia *naturalis;* quomodò etiam appellata ſit *ſemen maledictum ab ini-* „ *tio*. Si enim, ut tu putas, propter æmulationem, id eſt, imitatio- „ nem, dictum fuiſſet, quâ imitati ſunt majorem ſuum Cham, quem „ ſui peccati merito maledixit pater ejus Noë, profectò Deus, quando „ in iſtam nationem vindictam juſtiſſimam protulit, juberet ejus parvu- „ lis

„ lis parci, quos dicere non potes ſuorum majorum imitatione meruiſſe ſupplicium. Cùm ergo eis non ſolum non juſſit præberi miſericordiam, ſed ut parem vindictam cum parentibus ſumerent ipſe inſuper juſſit, qui utique aliquid injuſtum jubere non potuit, ſatis evidenter lucet quòd non propter exaggerationem, neque propter imitationem, ſed propter generationem dicta eſt eorum malitia *naturalis*, & ipſi *ſemen maledictum ab initio*. Nam contra errorem veſtrum in hoc ipſo ſemine, de quo agitur, prophetica vigilavit auctoritas, ut Noë juſtus peccantem Cham filium in ejus malediceret filio, id eſt, Chanaan; ut hinc intelligeremus vinctos eſſe filios meritis patrum, niſi hoc vinculum, generatione tractum, regeneratione ſolvatur." Et ibidem, cap. 133: „ Aliud eſt illius unius hominis ſemen, quod ſunt omnes homines; aliud diverſa diverſarum gentium ſemina, quæ illud non interrumpunt, quia ex illo cuncta deſcendunt. Neque agunt ſuâ varietate, ut illud peccatum primi hominis, quo mutari meruit humana natura, quibuslibet longè poſt natis ſit poſteris ejus innoxium, ſed ut magis minùs ve ſit noxium. Sicut enim quidam parentes aggravant peccatum originale, ita quidam relevant."

Addi poſſunt alia loca, in quibus S. Doctor, ad confirmandam fidem peccati originalis, oſtendit juxta ſcripturas peccatis parentum filios obligari, Deumque vindicare peccata patrum in filiis, ut videre eſt lib. 1 *Operis imperf.* cap. 57, & lib. 3. cap. 57 & 66; & lib. 6 *contra Julianum*, cap. 25. num. 82.

Commemorant etiam S. Proſperum, qui in Sententiâ 306 adoptat iſta S. Auguſtini verba modò allata: *Sicut quidam parentes aggravant peccatum originale, ita quidam relevant:* & in Pſalmum 105 ad hæc verba verſûs 6: *peccavimus cum patribus noſtris*, hæc habet: „ Dupliciter intelligi poteſt quòd peccaverint poſteri cum patribus ſuis tantò antiquioribus, ſive quia in lumbis patrum erant, quando illi in Ægypto fuerunt, quia & Levi cum Abraham decimatus eſt; ſive quia imitatores fuerunt per ſimilitudinem contumaciæ, & cum illis peccaverunt quos ſuis moribus retulerunt."

Verùm omnes vulgò Theologi aliter ſentiunt. Ut autem Scripturæ ſacræ & SS. Patrum textus probè intelligantur, dico 1°. peccata poſteriorum parentum ad filios non tranſire. Id certum eſt 1°. quia Apoſtolus docet *unum* tantummodò & *unius hominis* peccatum in omnes tranſire, cùm è contrario gratia Chriſti non illud tantùm, ſed multa delicta condonet. *Judicium*, inquit Rom. V, *ex uno (delicto) in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem..... Unius delicto mors regnavit per unum..... Per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.* Ipſa etiam comparatio Chriſtum inter & Adamum ab Apoſtolo inſtituta exigit, ut, quemadmodùm ſolus Chriſtus juſtitiam, ita & ſolus Adam peccatum diffundat.

2°.

Digitized by Google

2°. Idem docent SS. Patres. S. Cyprianus cum ſynodo 66 Epiſcoporum, in Epiſtola 59 ad Fidum, ait „ infantem recens natum nihil peccaviſſe, niſi quòd ſecundùm Adam carnalis natus, contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit.“ Quæ verba adoptantur à S. Hieronymo ſub finem Dialogi 3 adverſùs Pelagianos, & à S. Auguſtino lib. 1 *contra Julianum*, cap. 8; & lib. 1 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 8. Al. lib. 5. Ep. 8.

Idipſum disertè aſſerit S. Auguſtinus Epiſt. 157, al. 89, ad Hilarium, cap. 3, num. 11. „ Carnalis generatio, inquit, delicto illi uni & damnationi ejus obnoxia eſt.“ Lib. 1 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap 15. num. 20: „ Generante carne, illud tantummodò trahitur, quod eſt originale, peccatum; regenerante autem ſpiritu, non ſolum originalis, ſed etiam voluntariorum fit remiſſio peccatorum.“ Et lib. 6 *Operis imperf.* cap. 21, Juliano objicienti peccatum Adæ non magis tranſire debere in prolem, quàm peccata parentum poſteriorum, ſic reſpondet: „ Abſit ut..... valeant aliquid argumentationes tuæ, in quibus peccato illi magno.... peccata conſequentium temporum comparas, & putas, ſi ſcelere primi hominis natura generis humani mutata eſt, etiam nunc parentum ſcelera naturam debuiſſe mutare filiorum.... Sicut ergo pœnæ humanarum miſeriarum, quas communiter perferunt filii Adam,.... ideò ſunt omnium, quia parentes communes ſunt omnium, de quorum prævaricatione iſta venerunt, ita ipſorum duorum prævaricatio tam magnum peccatum debet intelligi, ut poſſet omnium ex viro & muliere naſcentium in deterius mutare naturam, & communi reatu tanquàm hæreditarii debiti obligare chirographum. Quiſquis ergo dicit talem conditionem quorumlibet delictorum quæ nunc committuntur eſſe debuiſſe, qualis fuit conditio delicti illius, quod in illius vitæ tantâ felicitate & tantâ non peccandi facilitate commiſſum eſt &c... Deſine de peccatis præſentis ſæculi velle præſcribere, ne illud magnum peccatum habeat ſuam vim & ſuum meritum ſingulare.“ Addit tamen (quod minimè diſſimulandum eſt): „ Quanquam & in hâc vitâ omnipotens & juſtus ille, qui dicit: *Reddam peccata patrum in filios*, parentum reatu etiam poſteros irretiri ſatis evidenter oſtendit, & quamvis mitiore nexu, tamen hæreditarios debitores fieri, niſi eos.... non veſtrum argumentum, ſed novum teſtamentum, nec generationis natura, ſed gratia regenerationis abſolvat.“ Verum hæc poſtrema verba, unà cum aliis S. Doctoris ſupra allatis, modò exponentur.

Demum in Breviculo Collationis cum Donatiſtis, Collat. tertiæ diei, cap. 9. num. 17: „ Donatiſtæ, inquit, in ſuis litteris poſuerunt teſtimonia Prophetarum, quibus oſtenderent ad peccata parentum etiam filios pertinere; cùm hoc utique nunquam rectè intellectum ſit, niſi Deus filiis qui parentum iniquitates imitarentur &c.“

S. Anſelmus lib. *de Conceptu Virginis & originali peccato*, cap. 24, al.

Digitized by Google

al. 23, ſic loquitur: „ Parentum proximorum peccata ad originale pec„ catum non æſtimo pertinere.“

His adde SS. Patres, quoties de peccato originali ſermonem faciunt, nonniſi de Adamo, ſeu primis parentibus loqui.

Accedunt inſuper nonnulla rationum momenta.

Primum ſic exponit S. Anſelmus ibidem: „ Si Adam nequiviſſet ad „ eos quos generaturus erat juſtitiam ſuam perducere, nequaquam poſ„ ſet iis ſuam injuſtitiam transmittere.“ Cum ergo parentes per Chriſtum juſtificati juſtitiam ſuam in filios transfundere nequeant, pariter nec parentes iniqui peccata ſua in prolem transfundunt.

Alterum eſt S. Thomæ, 1. 2. quæſt. 81. art. 2. in corp. „ Homo, „ inquit, generat ſibi idem in ſpecie, non autem ſecundùm individuum, „ ſicut perſonales actus, & quæ ad eos pertinent, non traducuntur à „ parentibus in filios.“ Cùm ergo ſolus Adam juſtitiam pro toto humano genere, cujus ſtirps erat, acceperit, ſolus quoque eam pro toto humano genere amiſit; ſubſequentium verò hominum ſicut juſtitia, ita & peccata perſonalia ſunt, nec trajiciuntur in prolem.

Tertium ſubminiſtrat experientia. Sæpe namque evenit ut ex flagitioſis parentibus filii naſcantur indolis longè diverſæ. Non ergo peccata & vitia patrum in filios tranſeunt.

Quartum petitur ab incommodis opinionis oppoſitæ: illâ enim admiſſâ, ſequeretur naſcentes tantò pluribus peccatis obrui, quantò major fuit generationum à mundi initio ſibi ſuccedentium ſeries. Quis verò abſque aliquo expreſſo ſcripturæ ſacræ oraculo (quod certè nullum eſt) id affirmare audeat? Si dicas peccata patrum non ſemper, nec generali & conſtanti lege, tranſire in filios, nec ultra paucas generationes extendi, quæram quænam hujus rei ſit cauſa? Nulla profectò proferri poterit à rerum naturâ petita: naturæ quippe leges conſtantes ſunt atque uniformes. Non alia ergò aſſignari poterit, niſi libera Dei voluntas. Hoc autem poſito, non video quo pacto peccata illa naſcentium à ſuis patribus derivata in Deum ipſum non refunderentur, quandoquidem ideò tantùm ac præciſè naſcerentur peccatis patrum ſuorum obſtricti, quia Deo ſic placitum foret.

Dico 2°. filios nonnunquam plecti pœnis temporalibus propter peccata patrum ſuorum, idque injuſte non fieri, eoquòd alioquin pœnas debent pro peccato ſaltem originali, ſine quo propter patrum ſuorum peccata juſtè puniri nullomodò poſſent; cæterùm certò definiri non poſſe quo pondere & quâ menſurâ peccata patrum in filiis interdùm puniantur.

Deum reverâ punire aliquando peccata patrum in filiis manifeſtè probant loca illa ſcripturæ, in quibus Deus declarat *reddere ſe peccata patrum in filios.* Cùm enim ea loca de peccatorum ipſorum in filios propagatione intelligi nequeant, ut modò dictum eſt, reſtat ut de pœnis peccatis debitis intelligantur.

Pœnæ

Pœnæ illæ temporales ſunt aliquando mors filiorum, aliquando morbi, aliave mala ipſis illata, aliquando privatio ipſa auxiliorum gratiæ, ex quâ contingit filios imitari peccata patrum ſuorum, fierique ſuppliciis æternis dignos. Nam hanc etiam pœnam, omnium ſanè maximam, Deum nonnunquam filiis irrogare declarat S. Anſelmus lib. *de Conceptu Virginis & peccato originali*, cap. 25, al. 24. „ Si parentum peccata, inquit, „ aliquando nocent animabus filiorum, hoc modo potiùs fieri exiſtimo, „ non quòd ex illis Deus imputet, aut quòd eos in aliqua delicta prop- „ ter parentes inducat, ſed quoniam ſicut ſæpe meritis parentum filios „ juſtorum à peccatis eruit, ita filios injuſtorum eorum meritis in ſuis „ aliquando derelinquit. Quoniam enim nemo liber eſt à peccato niſi „ Deo liberante, cùm non liberat, dicitur inducere, & cùm non emol- „ lit, indurare. Namque ſatis videtur ſuſceptibilius, quòd Deus ani- „ mam peccatricem, cui nihil præter pœnam debet, propter parentum „ peccata in ſuis dimittat peccatis, ut pro ipſis puniatur, quàm quòd „ eam alienis oneret, ut pro eis torqueatur.“

Dixi filios ita puniri propter peccata patrum ſuorum, ut ſimul propter ſua peccata, ac ſaltem propter originale, pœnas ſuſtineant. Nam à juſtitiâ Dei omninò alienum eſt filios inſontes pro paternis ſceleribus flagellare. Igitur, ut S. Auguſtinus obſervat, Quæſt. 8 in Joſue, minimè injuſtus eſt Deus, quando propter patris crimina filium morte immaturâ è vivis tollit, ſiquidem & filius aliunde propter originale peccatum ipſi inhærens morti obnoxius eſt, & penes Deum ſumma poteſtas eſt dies ejus, etiam citra patris crimina, breviare.

Obſervandum eſt hujuſmodi vindictam non in eos tantùm filios à Deo exerceri, qui in lumbis patrum erant quando patres peccaverunt, ſed etiam in eos qui tunc propriam & ſeparatam à patribus vitam agebant. Id conſtat tum pluribus aliis, tum præſertim exemplis Chanaan, qui, peccante Cham patre ſuo, à Noë maledictus eſt, Roboami qui regnum in decem tribus amiſit propter peccata Salomonis, Joram qui interfectus eſt propter ſanguinem Naboth, ipſo vivente, ab Achab patre ſuo effuſum. Hinc autem confirmatur ſenſum ſcripturæ non eſſe, peccata ipſa patrum tranſire ad filios, ſed tantùm nonnunquam à filiis repeti pœnam temporalem, quam patrum crimina meruerunt.

Cur verò juſtitia divina hoc modo reddat peccata patrum in filios, vel etiam aliena peccata in aliis vindicet, præclarè explicat S. Thomas 2. 2. quæſt. 108. art. 4. ad 1. „ Primò quidem, inquit, quia unus „ homo temporaliter eſt res alterius, & ita in pœnam ejus etiam ipſe „ punitur: ſicut filii ſecundùm corpus ſunt res quædam patris, & ſer- „ vi quædam res dominorum.“ Eamdem cauſam memorat S. Auguſtinus lib. 1 *contra Adverſarium Legis & Prophetarum*, cap. 16, num. 30, ſic loquens: „ Mortibus corporum legimus alios etiam mortuos, non prop- „ ter ſua, ſed aliena peccata: ubi magis eſt in dolore cordis plaga vi-

 ven-

„ ventium, quàm in reſolutione carnis plaga morientium." Sic filius, quem David ex adulterio ſusceperat, intempeſtivâ morte ſublatus eſt, ut hoc modo David ipſe puniretur. Sed ad S. Thomam redeamus. Sic ille proſequitur: „ Alio modo in quantum peccatum unius derivatur in alte-„ rum, vel per imitationem, ſicut filii imitantur peccata parentum, „ & ſervi peccata dominorum, ut audaciùs peccent: vel per modum me-„ riti, ſicut peccata ſubditorum merentur peccatorem prælatum, ſecun-„ dùm illud Job, 34: *qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata* „ *populi.* Unde & pro peccato David populum numerantis populus Israël „ punitus eſt, ut habetur 2 Regum, cap. ultimo; ſive etiam per aliquem „ conſenſum, vel diſſimulationem, ſicut etiam boni interdùm puniun-„ tur temporaliter cum malis, quia eorum peccata non redarguerunt, ut S. „ Auguſtinus dicit in lib. 1 *de Civitate Dei.* 3° Ad commendandum uni-„ tatem humanæ ſocietatis, ex quâ unus debet pro alio ſollicitus eſſe, ne „ peccet, & ad deteſtationem peccati, dum pœna unius redundat in om-„ nes, quaſi omnes eſſent unum corpus, ut Auguſtinus dicit de pecca-„ to Achan. Quod autem Dominus dicit: *viſitans peccata patrum in fi-„ lios in tertiam & quartam generationem*, magis videtur ad miſericor-„ diam, quàm ad ſeveritatem pertinere, dùm non ſtatim vindictam ad-„ hibet, ſed expectat in poſterum, ut vel ſaltem poſteri corrigantur: „ ſed, creſcente malitiâ poſterorum, quaſi neceſſe eſt ultionem inferri."

Aliam inſuper cauſam indicat S. Chryſoſtomus, hom. 74, al. 75, in Matth. num. 2: „ Non, inquit, quòd alieni peccati quis ſupplicia luat; „ ſed quòd ii qui, poſt alios multos in peccata lapſos & caſtigatos, non „ meliores effecti eadem, quæ illi, perpetrant, eadem ipſa ſupplicia ju-„ re luant."

Dixi etiam certò definiri non poſſe quâ menſurâ Deus aliquando puniat filios propter peccata patrum. Id expreſſè obſervat S. Auguſtinus lib. 3 *Op. imperf.* cap. 57. „ Sed quis modus, ait, & quæ ſit divinæ „ ratio & menſura juſtitiæ de aliorum patrum peccatis, ut reddantur in „ filios, indagare quis poteſt?" Et cap. 66: „ Homo autem neſcit, & „ ſecundùm ſuam cognitionem debet ferre judicium."

Dico 3° filios nunquam puniri pœnis æternis propter parentum peccata, niſi quatenùs pravos illorum mores imitati ſunt. Id conſtat ex ſcripturæ textibus allatis, ubi Deus dicitur reddere peccata patrum in filios, qui eum oderunt, Exod. XX. 5: „ Ex eo enim quod addidit, *qui* „ *me oderunt*," ut notat S. Auguſtinus lib. *contra Adimantum*, cap. 7, „ intelligitur eos puniri parentum peccatis, qui in eâdem perverſitate „ parentum perſeverare voluerunt..... Nam non pertinere patris pecca-„ ta ad filium juſtè viventem, Propheta Ezechiel apertiſſimè oſtendit." Et lib. 1 *Contra Adverſarium Legis & Prophetarum*, cap. 16, num. 30: „ Animarum morte alius pro alio plectitur nemo." Idem docet Quæſt. 8 in Joſue, & Enarrat. in Pſalmum 108, num. 15. Eadem quoque eſt

duc-

doctrina S. Thomæ, 2. 2. quæſt. 108. art. 4. ad 1um. „ Unus homo, in-„ quit, pœnâ ſpirituali nunquam punitur pro peccato alterius: quia pœ-„ na ſpiritualis pertinet ad animam, ſecundùm quam quilibet eſt liber „ ſui "

Ex his facilè ſolvuntur quæcunque pro contrariâ opinione ſuperiùs allata ſunt. Loca namque ſcripturæ manifeſtè intelligenda ſunt, vel de filiis patrum ſuorum pravos mores imitantibus, quales fuerunt Judæi, qui, Chriſtum & Apoſtolos occidendo, impleverunt menſuram patrum ſuorum, à quibus occiſi fuerant Prophetæ; vel de pœnis merè temporalibus, quas Deus majores vel minores infligendi jus alioquin habet propter originale peccatum; vel de privatione auxiliorum gratiæ, quæ ob ſolum originale peccatum juſtè negari poſſunt: hoc certè ſenſu Chananæi dicuntur *ſemen maledictum ab initio.* Quòd verò illis in locis non agatur de propagatione peccatorum à patribus in filios, inde apparet quod ibi ſermo fiat, non de filiis in lumbis patrum exiſtentibus, ſed de filiis propriam vitam jam agentibus, quando patres peccaverunt.

Quæ ex Auguſtino objiciuntur nihilo plus difficultatis habent. Nam in Enchiridio, non definiendo, ſed inquirendo duntaxat ac dubitando, loquitur. Ex libro autem 4° *Op. imperf.* inferri tantummodò poteſt pœnas temporales Chananæis illatas fuiſſe propter Chami peccatum, non verò peccatum illud in eos tranſiiſſe. Ut enim peccatum illud in eos tranſiiſſet, debuiſſet Chanaan in lumbis Chami adhuc eſſe quando Cham pater ejus peccavit. Certum autem eſt, & ipſe S. Auguſtinus agnoſcit, Chanaan tunc non fuiſſe in lumbis patris ſui, ſed propriam ac ſeparatam vitam egiſſe. Quid ergo S. Doctor? Id tantùm ſibi vult Deum ratam habuiſſe maledictionem Noë, vindictamque in Chananæos exercuiſſe, partim ſinendo illos propriâ ac liberâ voluntate flagitia flagitiis addere, partim præcipiendo Iſraëlitis ut eos internecioni darent.

Cur ergo, inquies, S. Auguſtinus loca illa ſcripturæ Pelagianis objicit, ut probet peccatum primi hominis in ejus poſteros tranſire poſſe? Reſponſio in promptu eſt: nempe textus illos rectè Pelagianis objici, ſive quia inde probatur filios pœnis affligi poſſe propter parentum peccata, quod illi hæretici negabant; ſive quia iniquum eſſet filios pœnis afficere propter patrum ſuorum peccata, niſi & ipſi aliundè propter propria peccata, aut ſaltem propter originale, pœnas deberent.

Sententiæ S. Proſperi à S. Auguſtino deſumptæ ſenſus eſt, malos patres *aggravare peccatum originale*, in quantum peccatis ſuis merentur ut ipſorum filii non regenerentur, aut etiam obſtant eorum baptiſmo, aut mortem aliave mala in eos pravis ſuis moribus acceſſunt; non verò quòd peccata ſua in eos tranſmittant: è contrario autem parentes juſtos nonnunquam relevare peccatum originis, quia pietate & precibus ſuis obtinent filiis ſuis lavacrum ſalutare aliaque bona ſpiritualia, quæ illis propter originale peccatum juſtè negari poſſent. In Pſalmum autem 108

duas expoſitiones disjunctim proponit S. Proſper, nec definit utri ſit adhærendum.

Non ſolis actibus, ſed habitibus quoque bonis, vel malis, laudabiles, vel culpabiles ſumus.

Opponunt nonnulli adverſùs ſecundam Propoſitionem. Solis actibus laudabiles vel culpabiles ſumus. Peccatum originale non eſt actus: ergo peccatum originale non facit culpabiles.

Nego majorem: non enim propter actus tantummodò, ſed etiam propter habitus bonos vel pravos præmio vel ſupplicio quemque dignum fieri conſtat. 1°. Quia habitus virtutum vel vitiorum non alterius ſunt generis, quàm actus qui ex illis procedunt: qualis namque eſt arbor, talis eſt fructus ejus. Cùm ergo actus faciant homines laudabiles aut culpabiles, idem quoque de habitibus dicendum eſt. 2°. Parvuli per baptismum regenerati propter ſolum habitum gratiæ ac virtutum, absque ullo ſuo actu ipſis infuſum, vitâ æternâ digni ſunt. Ergo, antequàm baptizarentur, pœnâ erant digni propter originale peccatum ſibi habitu inhærens. 3°. In adultis dormientibus eſt profectò aliquid laude dignum, ſi juſti ſint, vel vituperio, ſi mali. Nulli tamen ſunt in dormientibus actus liberi, ſive boni, ſive mali, ſed habitus duntaxat. Ergo ratione habituum eſt homo præmio vel pœnâ dignus. 4°. Scriptura ſacra diſertè pronuntiat pravos habitus à Deo puniri. Sic, Corinth. VI, *neque avari, neque ebrioſi, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*: habitus quoque bonos remunerandos eſſe: ſic, Matth. V: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum..... Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt* &c. 5°. Plurimi ſancti meritum continentiæ, martyrii, patientiæ, aliarumque virtutum apud Deum habent, quamvis illarum actus, occaſione deficiente, nunquam exercuerint. 6°. Demùm eadem argumenta à Pelagianis olim objecta ſunt ad expugnandam fidem peccati originalis, & à ſanctis patribus validiſſimè repulſa.

Nec obſtat quòd peccatum originale naſcentibus inſit absque ullo ipſorum actu proprio. Nam ſatis eſt quòd in primo homine peccante omnes, miro quidem, ſed vero modo fuerint & peccaverint. Aliunde, teſte Apoſtolo, Rom. I, *non ſolùm qui mala faciunt digni ſunt morte, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Porro parvuli peccato Adami etſi actu non conſentiunt, conſentiunt tamen habitu, quemadmodùm, quando baptizantur, juſtitiæ Chriſti ſolo habitu conſentiunt.

Inſtant. Peccatum quod neceſſarium eſt non poteſt juſtè imputari: atqui peccatum originale eſt neceſſarium, ſeu neceſſariò contrahitur: ergo non poteſt à Deo juſtè imputari.

Reſpondeo idem, à Pelagianis dudum objectatum, à nobis SS. Patrum auctoritate ſupra refutatum fuiſſe, dolendumque eſſe viros, qui ſe Catholicos dicunt, eisdem nunc armis militare. Quantò rectiùs ſic argumentarentur: Ex ſcripturis & ex traditione conſtat peccatum originale à Deo imputari. Ergo peccatum, quamvis aliquo ſenſu neceſſarium, poteſt juſtè imputari. Sed doctiſſimum Eſtium audiamus huic objectioni res-

Digitized by Google

reſpondentem, in 2um, diſt. 32. §. 9: „ Ad id, inquit, quod è diverſo
„ objici poteſt, nullum neceſſarium atque inevitabile malum jure cui-
„ quam imputari, reſpondetur, quod ita neceſſarium eſt, ut ſit invo-
„ luntarium, neceſſitate ſcilicet violentiæ & coactionis, non rectè cui-
„ quam imputari, ſi non ſuâ voluntate in eam neceſſitatem incurrerit:
„ quod autem neceſſarium eſt ſimul & voluntarium, neceſſarium qui-
„ dem, quia vitari non poteſt, voluntarium autem juxta modum ſupra
„ dictum, eo ipſo, quia voluntarium eſt, jure imputatur ei cui ineſt,
„ atque in eo punitur.

A P P E N D I X.

De Conceptione B. Virginis Deiparæ. An fuerit à peccati originalis labe immunis.

HÆC quæſtio, SS. Patribus planè incognita, ab aliquot ſæculis celeberrima evaſit. Partem affirmativam acriter tuentur Scotiſtæ, quos Scholaſticorum turba ſecuta eſt: negativam verò tenent Schola S. Thomæ, aliique plures non contemnendi Theologi.

Quid hâc de re ſcriptura doceat.

Scriptura ſacra nihil hac de re peculiariter definit, ſed tantummodò generatim docet peccatum unius hominis *in omnes pertranſiiſſe*, *Deumque concluſiſſe omnia ſub peccato*, *ut omnium miſereatur*, nullâ prorſus exceptione factâ, niſi ſolius Chriſti Domini omnium Servatoris. S. Paulus, 2 Corinth. V, generatim concludit ex eo quòd *unus pro omnibus mortuus eſt*, *omnes ergo mortuos eſſe;* eoque ſatis manifeſtè innuit illos omnes, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, per peccatum mortuos fuiſſe. Cùm igitur nullum dubium ſit quin Chriſtus pro matre quoque ſuâ mortuus ſit, inde meritò concludendum videtur ipſam quoque Virginem Dei genitricem peccato mortuam fuiſſe, adeòque contraxiſſe peccatum originale.

SS. Patres multis modis docent B. Virginem non fuiſſe in ſuâ conceptione immunem à maculâ peccati originalis.

Quanquam SS. Patres quæſtionem iſtam nunquam ex inſtituto tractaverunt, perſuaſum tamen habuiſſe videntur B. Virginem Mariam, ſicut & cæteros omnes homines, conceptam fuiſſe in peccato originali. Id conſtat ex plurimis eorum dictis.

Ac 1°. quidem, quoties docent peccatum primi hominis in omnes tranſiviſſe, nuſquàm ab illâ noxâ Virginem Deiparam eximunt, ut patet ex illorum teſtimoniis ſupra allatis, ubi peccati originalis exiſtentiam aſſeruimus.

Do-

Docent 2°. Chriſtum ſolum illius peccati expertem fuiſſe. Sic, inter alios plurimos, Origenes, Hom. 12 in Leviticum, S. Leo Serm. 5. in Nativitate Domini, S. Gregorius magnus lib. 11 Moralium, Beda in caput 1um. Lucæ, ad hæc verba: *Quod naſcetur ex te ſanctum* &c.

Docent 3°. ideo Chriſtum expertem fuiſſe peccati, quia non viâ ordinariâ, per concubitum ſcilicet viri ac feminæ, ſed operante Spiritu ſancto, de virgine conceptus & natus eſt; cæteroſque omnes, quia ſolitâ viâ generantur, non niſi in peccato concipi & naſci. Illorum textus referemus poſteà, ubi probabimus peccatum originale propagari per libidinem, quæ in actu conjugali ſemper intervenit. Porrò certum eſt, omneſque conſentiunt, B. Virginem Mariam non de virgine, nec operante Spiritu ſancto, ſed viâ communi conceptam fuiſſe.

4°. Nonnulli SS. Patres expreſſe docent ſanctam Chriſti matrem reipſâ contraxiſſe peccatum originis, nec, niſi poſt ſuam conceptionem, ab illo fuiſſe mundatam.

S. Auguſtinus pluribus in locis id pro certo tradit. In lib. 10 *de Geneſi ad litteram*, cap. 18. num. 32, ſic loquitur: „ Corpus Chriſti, „ quamvis ex carne feminæ aſſumptum eſt, quæ de illâ carnis propagine „ concepta fuerat, tamen, quia non ſic in eâ conceptum eſt, quomodò „ fuerat illa concepta, nec ipſe erat caro peccati, ſed ſimilitudo carnis „ peccati.“ Et cap. 20. num. 25, exponens quam ob cauſam Chriſtus in Abrahamo decimatus non fuerit, hæc dicit: „ Cum ſit in ſemine & „ viſibilis corpulentia, & inviſibilis ratio, utrumque cucurrit ex Abra- „ ham, vel etiam ex ipſo Adam uſque ad corpus Mariæ, quia & ip- „ ſum eo modo conceptum & exortum eſt. Chriſtus autem viſibilem car- „ nis ſubſtantiam de carne Virginis ſumpſit; ratio verò conceptionis „ ejus non à corpore virili, ſed longè aliter ac deſuper venit.“

Lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 24. num. 38: „ Solus „ Chriſtus, inquit, ... peccatum nullum habuit unquam, nec ſump- „ ſit carnem peccati, quamvis de maternâ carne peccati. Quod enim „ carnis inde ſuſcipit, aut ſuſcipiendum mundavit, aut ſuſcipiendo „ mundavit.“

Lib. 5 *contra Julianum*, cap. 15. num. 52: „ Hinc apparet illam con- „ cupiſcentiam, per quam Chriſtus concipi noluit, feciſſe in genere hu- „ mano propaginem mali, quia Mariæ corpus, quamvis inde venerit, „ tamen eam non trajecit in corpus quod non inde concepit.“ In his omnibus locis S. Doctor affirmare non dubitat S. Virginis carnem fuiſſe carnem peccati, peccatumque ſuâ in conceptione contraxiſſe, quia, ſicut cæteri omnes, viâ communi, nec abſque libidinis interventu concepta eſt.

Hinc, cùm Julianus, lib. 4 *Operis imperf.* cap. 122, contenderet ipſum eſſe Joviniano hæretico pejorem, atque inter alia diceret: *Ille* (Jovinianus) *virginitatem Mariæ partûs conditione diſſolvit, tu ipſam Ma-*

riam

Digitized by Google

riam diabolo naſcendi conditione tranſcribis, ſic illi reſpondet S. Doctor: „ Non tranſcribimus Mariam diabolo conditione naſcendi, ſed ideò quia „ ipſa conditio ſolvitur gratiâ renaſcendi.“ Quibus verbis fatetur Mariam diabolo ſubditam fuiſſe conditione naſcendi, ideòque non fuiſſe poſteà ſubditam, quia illa conditio ſoluta eſt per gratiam renaſcendi. Porro renaſci non potuit niſi jam concepta.

Euſebius Emiſſenus, ſeu alius auctor Homiliarum quæ nomen ejus præferunt, Serm. 2 de Nativitate Domini: „ A peccati originalis nexu, „ inquit, nullus immunis extitit, nec ipſa Genitrix Redemptoris.“ Biblioth. PP. Colon. tom. 5 part. 1 pag. 545. col. 2.

S. Fulgentius, lib. *de Incarnatione & gratiâ*, cap. 6, ſic loquitur: „ Hæc eſt gratia, quâ factum eſt ut Deus, qui venit peccata tollere, „ quia peccatum in eo non eſt, homo conciperetur, atque naſceretur in „ ſimilitudinem carnis peccati de carne peccati. Caro enim Mariæ, „ quæ in iniquitatibus fuerat humanâ ſolemnitate concepta, caro fuit „ utique peccati, quæ Filium Dei genuit in ſimilitudinem carnis peccati.“

S. Prudentius Trecenſis, lib. *de Prædeſtinatione contra Scotum Erigenam*, cap. 5: „ Beata Dei Genitrix ſemper virgo, cum conſuetudine „ generandi atque naſcendi generata & nata traxerit ex parentibus ori„ ginale peccatum, quomodò abſque eodem traduce generare filium po„ tuiſſet, niſi hoc in eo ſingulariter Dei gratia in ipſo conceptionis articu„ lo faceret, ut eſſet ſolus inter mortuos liber?“ Mauguin. tom. 1. pag. 28.

S. Anſelmus lib. 2° *Cur Deus homo*, cap. 16, Boſonem, quocum diſputat, ſic loquentem inducit: „ Licet ipſa ejuſdem hominis (Chriſti) „ conceptio ſit munda & abſque carnalis delectationis peccato, virgo „ tamen ipſa, unde aſſumptus eſt, eſt in iniquitatibus concepta, & in „ peccatis concepit eam mater ejus, & cum originali peccato nata eſt, „ quoniam & ipſa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt.“ Id autem nedum reprehendat S. Anſelmus, immo ſilentio ſuo comprobat, ideoque in fine ejuſdem capitis ait B. Virginem poſt conceptionem ſuam à labe originali purgatam fuiſſe. „ Virgo illa, inquit, ... fuit de il„ lis qui ante nativitatem ejus per eum mundati ſunt à peccato, & in „ ipſâ ejus munditiâ de illâ aſſumptus eſt.“

S. Bernardus quæſtionem latius pertractat in Epiſtolâ 174 ad Canonicos Lugdunenſes, à quibus feſtum Conceptionis B. Mariæ recens introducta fuerat. „ Ego, inquit num. 2, quod ab Eccleſia accepi ſecurus teneo & trado. „ Et num. 6: “ Quid enim, ſi alius quiſquam, propter honorem illius, eamdem prærogativam parentibus ejus tribuendam eſſe voluerit, nùm ideò admitti oportebit? Et num. 7: „ Quomodò, ait, „ aut ſanctitas ſine Spiritu ſanctificante, aut ſancto Spiritui ſocietas cum „ peccato fuit? Aut certè quomodò peccatum non fuit ubi libido non „ defuit? Niſi fortè quis dicat de Spiritu ſancto eam, & non de viro, „ conceptam fuiſſe: ſed id hactenus inauditum..... Si ergo ante con„ cep-

„ ceptum ſui ſanctificari minimè potuit, quoniam non erat, nec in ip-
„ ſo quidem conceptu, propter peccatum quod inerat, reſtat ut poſt
„ conceptum, in utero jam exiſtens, ſanctificationem accepiſſe credatur,
„ quæ, excluſo peccato, ſanctam fecerit nativitatem, non tamen & con-
„ ceptionem." Num. 8 addit, excepto Chriſto, qui ſolus abſque pec-
cati maculâ, Spiritu ſancto operante, conceptus eſt, cæteros omnes ho-
mines cum Davide dicere debere: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum* &c. Denique num. 9 Lugdunenſes Canonicos ſic alloquitur: „ Ante
„ quidem apud aliquos ERROREM compereram, ſed diſſimulabam, par-
„ cens devotioni quæ de ſimplici corde & amore Virginis veniebat.
„ Verùm apud ſapientes, atque in famoſâ nobilique Eccleſiâ, & cujus
„ ſpecialiter filius ſum, SUPERSTITIONE deprehenſâ, neſcio an ſine
„ gravi offenſâ etiam omnium veſtrûm diſſimulare potuerim." Ex his
patet opinionem conceptionis immaculatæ B. Virginis etiam ſæculo duo-
decimo novam, inauditam, temerariam, ſuperſtitioſam & erroneam vi-
ſam fuiſſe, iiſque titulis exploſam fuiſſe à S. Bernardo, quem veneratio-
ne pioque in Dei matrem cultu nemo unquam ſuperavit.

Reſpondent Scotiſtæ SS. Patres illis textibus nihil aliud ſignificare voluiſſe, quàm B. Virginem, etſi peccatum originale non contraxit quoad actum, contraxiſſe tamen quoad debitum, id eſt, contrahere debuiſſe, niſi ſingulari privilegio ab illo fuiſſet præſervata. Verùm hæc interpre-tatio vim manifeſtam infert, imò apertè repugnat SS. Patrum teſtimoniis, quibus expreſſè aſſeritur S. Virginem non modò contrahere debuiſſe, ſed reipſâ contraxiſſe peccatum originis, ejusque carnem, antequàm munda-ta fuerit, carnem fuiſſe peccati.

Idem ſenſe-runt plurimi veteres Scho-laſtici.

Quamvis opinio conceptionis immaculatæ poſt ſæculum duodecimum pau-latim invaluerit in ſcholis, duce præſertim Scoto, non pauci tamen Theolo-gi, iique non ignobiles, illi obſtiterunt. Nonnullos commemorabo.

Hugo Victorinus in Summâ Sententiarum, tract. 18. cap. 16: „ Caro
„ Chriſti, inquit, priùs fuit in Mariâ originali obligata peccato, ſi-
„ cut Auguſtinus ait."

Magiſtri Sententiarum hæc verba ſunt lib. 3, diſt. 3. quæſt. 1: „ Sa-
„ nè credi oportet, juxta Sanctorum atteſtationis convenientiam, ip-
„ ſam (carnem Filii Dei, antequàm conciperetur) priùs fuiſſe peccato
„ obnoxiam (in Mariâ), ſicut reliqua Virginis caro."

Innocentius II, in Sermone de Aſſumptione B. Mariæ habito anno 1134: „ Virgo glorioſa, inquit, fuit quidem in culpâ producta, ſed Fi-
„ lium ſine culpâ produxit."

Petrus Comeſtor anno 1145, in Sermone de B. Virgine, expreſſè ne-gat conceptionem illius peccati expertem fuiſſe.

Innocentius III anno 1204, & Honorius III anno 1216, in Sermonibus de Purificatione & Aſſumptione B. Virginis, dicunt eam *in utero matris ab originali peccato mundatam fuiſſe*, ac porinde non in ipſâ conceptione.

Alexan-

Digitized by Google

Alexander Alenſis, Summæ part. 3, art. 12, multis argumentis probat B. Mariam conceptam fuiſſe in peccato.

Albertus magnus, in 3um, diſt. 3, ſic loquitur: „ Dicere B. Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali, eſt hæreſis condemnata à S. Bernardo & ab omnibus Magiſtris Pariſiis."

Gabriel Biel, in 3um, diſt. 3. quæſt. 1. art. 2, antiquiorum Theologorum ſuffragiis innixus, eamdem opinionem reprobat.

S. Bonaventura S. Virgini devotiſſimus eamdem quoque rejicit, in 3um, diſt. 3. quæſt. 1. art. 2: „ Dicendum eſt, ait, quòd B. Virgo concepta fuit „ in peccato originali, & quòd ejus ſanctificatio ſubſecuta eſt originalis peccati contractionem. Hic autem dicendi modus eſt communior, rationabilior & ſecurior: communior, quia id ferè omnes docent, nullus „ autem invenitur dixiſſe, de iis patribus quos vidimus aut audivimus „ auribus noſtris, B. Virginem fuiſſe à peccato originali immunem in „ suâ conceptione."

S. Thomas, cujus ſingularem in Virginem Deiparam devotionem nemo neſcit, idem quoque tuetur in 3um Sentent., diſt 31. art. 1 & 2, & in Summâ, parte 3. quæſt. 14. art. 3. Eam ob cauſam S. Ignatius, teſte Maffæo Jeſuita in ejus Vitâ, cap. 9, opinionem oppoſitam expungi juſſit è Theſibus à quodam Fr. Martino Olivario Romæ propugnandis; ne videlicet illo exemplo ſodales ſui aſſueſcerent angelici Doctoris auctoritatem in aliis etiam articulis parvi pendere.

Innocentius V anno 1260, in 3um, diſt. 3. quæſt. 1. art. 1, ait B. Mariam non fuiſſe ſanctificatam *ante animationem*, nec *in ipſâ animatione;.... ſed piè credendum quòd citò poſt animationem à peccato fuerit per gratiam mundata.*

Clemens VI anno 1334 idem docet in Sermone in Dominicam primam Adventûs.

Ægidius Romanus Archiepiſcopus Bituricenſis, in Quodlibeto 6: „ Beata virgo, inquit, fuit concepta in peccato originali; & dicere eam „ non fuiſſe ita conceptam, eſt contradicere ſacræ ſcripturæ & dictis „ ſanctorum, & dicere quòd non fuit concepta ex libidine, nec ex concubitu parentum, vel quòd non fuerit membrum Chriſti."

Idem aſſerunt Guido in 3um, Quodlib. 3; S. Antoninus in 1 parte Summæ, titulo *de peccato originali;* Hugo Ferrarienſis in caput *Firmiſſimè*, de conſecratione; S. Raymundus de Pennaforti, initio Summæ, tit. *de Feriis;* Durandus Epiſcopus Mimatenſis, in Ration. cap. *de Purificatione;* Joannes Beleth Doctor Pariſienſis in tractatu *de Divinis Officiis;* Præpoſitivus in Summâ, cap. *de Sanctificatione Virginis.*

Joannes de Polliaco, Quodlib. 3, quæſt. 3: „ Videtur mihi, inquit, „ quòd non poſſit ab aliquo pro opinione teneri, ſed potiùs pro hæreſi reputari, quòd B. Virgo non contraxerit peccatum originale, vel „ quòd fuerit à peccato originali præſervata."

Digitized by Google

Joannes à Turre Crematâ Cardinalis, Comment. in caput *Firmiſſime*, de conſecratione, teſtatur librum ſe ſcripſiſſe contra opinionem conceptionis immaculatæ B. Virginis, concilio Baſileenſi offerendum, in quo centum teſtimonia SS. Patrum ac Theologorum contra illam opinionem collegerat; ſed adverſantium factiones obſtitiſſe ne liber ſynodo offerretur.

Argumenta SS Patrum ac Theologorum contra opinionem conceptionis immaculatæ.

Theologos recentiores omitto.

Non levibus momentis SS. Patres ac Theologi memorati doctrinam ſuam aſtruunt.

Primò, inquiunt, in rebus ad religionem pertinentibus illud admitti non debet, cujus nullum veſtigium nec in ſcripturâ, nec in traditione reperitur; multò minùs illud quod generalibus ſcripturæ ſacræ oraculis, ſanctorumque patrum dictis adverſatur; Deoque ipſo declarante peccatum primi hominis in omnes homines pertranſire, nemini licitum eſſe quemquam eorum, qui viâ ordinariâ concipiuntur, excipere. Nam, ut ait S. Thomas de alia quæſtione loquens, part. 3. quæſt. 1. art. 3. in corp.: „ Ea quæ ex „ ſola Dei voluntate proveniunt, ſupra omne debitum creaturæ, nobis „ innoteſcere non poſſunt, niſi quatenùs in ſacra ſcriptura traduntur, „ per quam divina voluntas nobis innoteſcit." Porro privilegium, quod B. Mariæ conceſſum fuiſſe à nonnullis dicitur, à ſolâ Dei voluntate pendet, ſupra omne debitum creaturæ, nec ullum ejus veſtigium vel in ſcripturâ vel in totâ retrò Eccleſiæ traditione extat; imò contrarium reperitur. Ergo nullatenus eſt admittendum.

Dicunt 2° neminem à peccato originali immunem concipi, niſi abſque libidinis interventu concipiatur, Chriſto ipſo dicente: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.... Oportet vos naſci denuò.* Atqui B. Virgo non ſine libidinis interventu concepta eſt; ſiquidem actus conjugalis, per quem generata & concepta fuit, nunquam abſque libidine exercetur. Ergo, concludunt, ejus conceptio non fuit immunis à peccato originali.

3°. Inquiunt, ſi B. Virgo non contraxiſſet peccatum originale, Chriſto ſervatore, redemptore, liberatore nequaquam indiguiſſet; ſiquidem non venit Chriſtus, niſi ut *ſalvum faceret quod perierat*; ideòque vocatum eſt nomen ejus *Jeſus*, ſeu *Salvator*, quòd *ſalvum faciat populum ſuum à peccatis eorum.* Porro Chriſto ipſi injurioſum eſt dicere ſanctiſſimam illius matrem ipſo ſervatore, redemptore ac liberatore opus non habuiſſe, maximè cùm ipſamet in ſuo Cantico exclamet *exultaſſe ſpiritum ſuum in Deo ſalutari ſuo.* Ita ratiocinantur S. Thomas, part. 3. quæſt. 27. art. 2. in corp.; & S. Bonaventura in 3um, diſt. 3. quæſt. 1. art. 2. Reſpondent quidem Scotiſtæ B. Virginem ad Chriſti redemptionem nihilominus pertinuiſſe, eoquòd nonniſi Chriſti meritis à peccato præſervata fuerit. Sed non advertunt, ut reponunt Thomiſtæ, aliud eſſe ægrotum ſanare captivumque redimere, aliud verò à morbo & captivitate præſervare.

4°.

4°. Addunt contrariâ opinione plurimùm obſcurari ſingularem Chriſti prærogativam, qui ſolus inter filios hominum abſque peccato fuit, quia non ex concubitu, ſed operatione S. Spiritûs conceptus eſt. Ita S. Thomas ibidem.

5°. Denique, ſi B. Virgo in ſuâ conceptione peccati expers fuit, mortis quoque & cæterarum hujus vitæ miſeriarum debitum non contraxit, Apoſtolo dicente *peccatum* eſſe *ſtimulum*, per quem mors introducitur, *mortem* que *ſtipendium* eſſe *peccati*. Atqui ſolius Chriſti proprium eſt quòd abſque ullo ſuo merito mortem ſuſtinuerit, & quæ non debebat exſolverit. Ita S Bonaventura ibidem.

Contrariæ opinionis origo & progreſſus.

Immaculatæ conceptionis opinio nonniſi ſæculo duodecimo apud Latinos nata eſt, *paucorum ſimplicitate imperitorum*, uti obſervat S. Bernardus, Epiſt. 174, num. 9. Aliquanto poſt à Canonicis Lugdunenſibus approbata fuit, ſi tamen ex iſtâ opinione inducti ſunt ad inſtituendum feſtum Conceptionis B. Mariæ. Id enim in incerto relinquit S. Bernardus. „ Quænam jam erit, inquit, feſtivæ ratio Conceptionis? Quo „ pacto, inquam, aut ſacer aſſeritur conceptus, qui de Spiritu ſancto „ non eſt, aut feſtus habebitur, qui minimè ſanctus eſt? “ Quidquid ſit de mente Canonicorum Lugdunenſium, nova illa opinio non ulteriùs tunc progreſſa fuiſſe videtur.

Verum ſæculo decimo quarto eam denuò inſtauravit Scotus, qui idcirco inter præcipuos illius auctores computatur: timidè tamen & dubitanter, ut pote novam ac peregrinam, illam primùm propoſuit. Nam in 3um, diſt. 3, fatetur Doctores communiter ſentire B. Virginem, ſicut & cæteros omnes homines, conceptam fuiſſe in peccato; ſed continuò tres propoſitiones ſtatuit. In 1ª. docet Deum facere potuiſſe ut B. Virgo conciperetur abſque peccato originali: in alterâ Deum facere potuiſſe ut unico tantùm inſtanti in peccato manſerit: in 3ª. Deum facere potuiſſe ut aliquanto tempore manſerit peccato obſtricta, & in ultimo illius temporis inſtanti mundata fuerit. Sic verò concludit: *Quid horum trium ſit factum Deus novit.* Et poſteà: „ Si auctoritati Eccleſiæ, vel ſcripturæ non repugnat, videtur probabile quod excellentius eſt attribuere „ Mariæ.“

A parvis illis initiis orta opinio, ſub ſpecie pietatis ac reverentiæ in matrem Domini, brevi temporis ſpatio adeò crevit, ut plurimorum mentes occupaverit; deinde palam prædicari cœperit atque etiam veluti fidei dogma à nonnullis venditari; tum antiquæ doctrinæ aſſertores, tanquam ſanctiſſimæ Virginis matris ejuſque cultûs inimici, apud vulgus imperitum impunè traducti ſunt; demum illa opinio, quæ veluti hoſpes & peregrina in Scholis vix primùm tolerata fuerat, audacior in dies facta, priſcam doctrinam à concionibus, à pulpitis, à Theologicis diſputationibus penitùs eliminare aggreſſa eſt.

Facultas ipſa Pariſienſis, quæ, teſte Alberto magno, naſcentem opinio-

nionem velut hæreſim communi Magiſtrorum conſenſu rejecerat, eamdem paulò poſt, à nonnullis præoccupata, tam acriter amplexa eſt, ut anno 1387, die 6ª. Julii, quatuordecim propoſitiones Joannis de Monteſon ordinis fratrum Prædicatorum damnaverit, quarum quatuor aſſerebant opinionem immaculatæ conceptionis S. Mariæ fidei & ſcripturæ contrariam eſſe. Huic damnationi tota conſenſit Univerſitas Pariſienſis. Petrus quoque de Ordeimonte Pariſienſis Epiſcopus ſententiam tulit adverſùs Fr. de Monteſon, eumque ſub excomunicationis pœnâ dictas propoſitiones retractare juſſit. Ab hoc Judicio ad Clementem VII appellavit Fr. de Monteſon. Sed cùm cerneret ad ſuî damnationem res tendere, contra fidem à ſe datam, Avenione clam receſſit, atque ad Urbani VI obedientiam transvolavit. Interim à Clemente VII damnatus & excommunicatus eſt. Facultas verò Pariſienſis Fr. Prædicatores, qui Monteſono faverant, decreto obſtrinxit, ut, quæ contra conceptionem immaculatam inter concionandum dixerant, publicè retractarent. Inter eos qui palinodiam cecinerunt, eminuit Guillelmus de Valon Epiſcopus Ebroicenſis, Regique à confeſſionibus, cujus retractatio facta fuit coram ipſo Rege, præſentibus deputatis Univerſitatis & Cancellario Eccleſiæ Pariſienſis, die 21 Februarii anni 1388.

Aliam concluſionem anno ſequenti tulit eadem Facultas, quâ è ſuo gremio rejiciebat omnes qui jurare nollent conſentire ſe damnationi errorum Monteſoni, vetabatque inſuper ne quiſquam deinceps, niſi eodem juramento præſtito, in ſacrum Ordinem admitteretur. Renuentes Fr. Prædicatores ad S. Pontificem appellaverunt, eamque ob cauſam à Facultate excluſi manſerunt usque ad annum 1403, quo eâ tandem conditione redintegrati ſunt, ut ab interjectâ appellatione deſiſterent.

Demùm anno 1496 eadem Facultas aliud emiſit decretum, quo ſe ipſam, eosque omnes qui ei aggregari vellent, juramento conſtrinxit ad tenendam conceptionem immaculatam, oppoſitamque doctrinam falſam, impiam & erroneam declaravit. Vi hujusce decreti etiamnum ab omnibus, qui Baccalaureatûs gradum adepturi ſunt, exigitur juramentum ſub hâc verborum formulâ: *Juras te ſervaturum decretum ſacræ Facultatis Pariſienſis ſuper conceptione B. Mariæ virginis, videlicet quòd fuerit immaculata?* Et reſpondetur: *Juro.*

Quo jure peculiaris Facultas antiquam in Eccleſia doctrinam, quam ipſamet centum anteà annis, uno Magiſtrorum ſuorum conſenſu, tanquam ad fidem pertinentem tenuerat, repentinâ animorum mutatione damnaverit, retractari juſſerit, Religioſum Ordinem celeberrimum ac doctiſſimum multis annis exagitaverit, eoquòd illam abjicere detrectaret, omnes ſuos alumnos & Doctores juramento obſtrinxerit ad tenendam opinionem recens invectam, æquis lectoribus dijudicandum relinquo. Hoc certè exemplo, ſicut aliis benè multis, demonſtratur quantas turbas, quantas factiones in celeberrimis etiam ordinibus excitare valeat ſtudium par-

Digitized by Google

partium. Cæterùm multis valdè mirum videri deberet hujuſmodi decretum, poſt tot annos qui exinde ſubſecuti ſunt, non ſolùm non eſſe abrogatum, ſed etiam hucuſque haud ſegniter obſervari, niſi experientiâ compertum eſſet eos qui Magiſtri dicuntur, præſertim ſi in corpus aliquod coaleſcant, ab illis quæ ſemel decreverint raro diſcedere, majorum que ſuorum inſtituta pro aris ac focis tueri.

Longè antequàm poſtremum illud decretum à Facultate Pariſienſi emiſſum eſſet, anno ſcilicet 1439, Epiſcopi Baſileæ congregati, ſeſſione 36, definierant opinionem conceptionis immaculatæ conſonam eſſe fidei ac pro certâ tenendam. En ipſorum verba: „ Nos, diligenter inſpectis „ auctoritatibus & rationibus, ... doctrinam illam aſſerentem glorio- „ ſam Virginem Mariam, præveniente & operante divini numinis gratiâ „ ſingulari, nunquam actualiter ſubjacuiſſe peccato originali, ſed immu- „ nem ſemper fuiſſe ab omni originali & actuali culpâ, tanquàm piam, „ & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei catholicæ, rectæ rationi & ſa- „ cræ ſcripturæ, approbandam fore, & tenendam, & amplectendam de- „ finimus & declaramus, nullique de cætero licitum eſſe contrarium „ prædicare ſeu docere." Circa iſtud decretum obſervandum eſt 1°. concilium Baſileenſe, quod in primis ſeſſionibus legitimum & œcumenicum veneramur, in poſterioribus poſt diſceſſum plurimorum Epiſcoporum habitis, omnium judicio, non fuiſſe niſi cœtum ſchiſmaticum, qui præſumptione ſuâ meruerit potiùs divino judicio ſibi ipſi dimitti, quàm ſpeciali Spiritûs ſancti aſſiſtentiâ dirigi. 2°. Teſtatur Cardinalis à Turrecrematâ, in caput *Firmiſſime*, decretum illud artibus & factione nonnullorum emiſſum fuiſſe, qui etiam obſtiterunt ne liber eâ de re ab ipſo compoſitus in ſynodo legeretur. 3°. Conſtat illud idem decretum nequaquam ab Eccleſia receptum fuiſſe, ſed pro nullo habitum.

Cùm interim graviſſimis Theologorum diſſenſionibus pax Eccleſiæ non modicum turbaretur, Sixtus IV, ad compeſcendos illos motus, Conſtitutionem dedit anno 1483, quæ refertur lib. 3 *Extravagantium communium*, tit. *de Reliquiis & veneratione ſanctorum*, cap. *Grave nimis*. Per illam diſtrictè prohibet ſub pœnâ excommunicationis, ne quiſquam aſſertores alterutriuſque opinionis, vel hæreſis, vel peccati mortalis accuſet, cùm, inquit, *nondum hæc quæſtio à Romanâ Eccleſiâ & Apoſtolicâ Sede ſit deciſa.*

Conſtitutionem illam confirmavit concilium Tridentinum, ſeſſ. V. in fine decretorum *de Peccato originali*, ubi ſic loquitur: „ Declarat tamen hæc ipſa ſancta ſynodus non eſſe ſuæ intentionis comprehendere „ in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immacula- „ tam Virginem Mariam Dei genitricem; ſed obſervandas eſſe Conſtitu- „ tiones Sixti Papæ IV, ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, „ quas innovat." Ex quibus liquet id unum ſancto concilio propoſi-

tum

rum fuiſſe, ut quæſtionem illam, tanto animorum æſtu agitatam, indecifam relinqueret.

Pius V, in Conſtitutione *Super ſpeculam Domini*, eos vehementer reprehendit, „ qui, cùm de hoc argumento ſermo inciderit, tam pertinaciter pro alterutrâ parte contendunt, ac ſi de illis dogmatibus eſſet, „ quæ corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem, neceſſarium eſt; cùm Romana Eccleſia de eâ re uſque ad id tempus nihil definiverit." Conſequenter utramque ſententiam in Theologicis diſputionibus tueri permittit.

Sed libertatem illam revocavit Paulus V anno 1616, vetuitque ne in lectionibus ac theſibus Theologicis opinio conceptionis immaculatæ impugnaretur. Ultra etiam progreſſus Gregorius XV, vetuit anno 1622 ne in privatis quoque ſermonibus & colloquiis eadem opinio rejiceretur.

Demùm, exortis iterum in Hiſpaniâ acerrimis diſputationibus, tum circà conceptionem ipſam B. Mariæ, tum circa illius feſtum, Alexander VII, Bullâ datâ die 13 Decembris 1661, deceſſorum ſuorum decreta innovans, confirmans & amplians, vetuit ne quiſquam in ſermonibus, ſive publicis, ſive privatis, quoquo modo vellicaret, aut in dubium revocaret opinionem immaculatæ conceptionis, vel ea quæ ad cultum ejuſdem conceptionis à S. Romanâ Sede inſtituta aut approbata ſunt. Hanc tamen, deceſſorum ſuorum exemplo, cautionem adhibuit, ne quiſquam eos, „ qui contrariam opinionem tenent, videlicet glorioſam Virginem „ Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen aut „ lethale peccatum incurrere aſſerat; cùm, inquit, à Romanâ Eccleſiâ „ & Apoſtolicâ Sede nondum fuerit hoc deciſum, prout nos nunc minimè „ decidere volumus aut intendimus.

Ex dictis facilè intelligitur hujusce quæſtionis quatuor veluti epochas diſtingui poſſe. In primâ, per duodecim priora Eccleſiæ ſæcula conceptionis immaculatæ opinio fuit penitùs inaudita, & Patres omnes, qui de B. Virginis conceptu ſermonem fecerunt, pro certo tenuerunt eam quoque, ut cæteros omnes, in peccato fuiſſe conceptam. In ſecundâ, à XII ſæculo uſque ad XIV nata eſt opinio conceptionis immaculatæ, S. Bernardo doctiſſimisque Theologis fortiter illi obſiſtentibus. Id unum ſcilicet novæ illius opinionis patroni poſtulabant, ut ſibi liceret eam velut probabilem amplecti. In tertiâ, XIV & XV ſæculis, nova opinio pari ferè greſſu cum antiquâ inceſſit, licet eam ſuperare interdum conaretur: cæterùm utraque ſententia in ſcholis liberè defendebatur. In quartâ denique nova opinio ita convaluit, ut priſcam ſilere juſſerit.

Ex his pariter intelligitur quæſtionem hactenùs indeciſam manſiſſe, ſummosque Pontifices, in illis etiam decretis quæ opinioni conceptionis immaculatæ plurimùm favere videntur, non modò illam non definiſſe, ſed

ſed etiam expreſſè declaraſſe nihil à Romanâ Eccleſiâ & ab Apoſtolicâ Sede eâ de re fuiſſe deciſum; ita ut cuique liceat in ſuo ſenſu abundare, modò ſcandalum abſit, animorumque offenſio.

Jam verò hujus opinionis argumenta præcipua hæc ſunt: 1°. SS. Patres ſæpè docere B. Virginem peccati expertem fuiſſe, præſertimque S. Auguſtinum lib. *de Naturâ & gratiâ*, cap. 361, ubi ſic loquitur: „ Exceptâ S. Virgine Mariâ, de quâ, propter honorem Domini, nullam „ prorſus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæſtionem." 2°. Valde pium ac religioſum eſſe ita ſentire de Virgine ſanctiſſimâ, quam Deus tanto honore cumulavit, ut eam in Filii ſui matrem elegerit. 3°. Ipſius Chriſti dignitatem, Deique Patris gloriam videri id expoſcere, ut, quæ Filium Dei unigenitum conceptura & paritura erat, nullo temporis inſtanti peccati ac diaboli ſervituti ſubjecta fuerit. 4°. Eccleſiam ſatis apertè declaraſſe ſe in illam opinionem propendere, ex quo feſtum Conceptionis B. Mariæ approbavit, & ubique celebrari juſſit. 5°. Addunt Virginem ipſam ſanctiſſimam nonnullis revelaſſe conceptionem ſuam fuiſſe immaculatam. Præcipua hujus opinionis argumenta.

Iſtis argumentis reſpondent antiquæ doctrinæ defenſores. Quid contrà reſpondeatur.

Ad primum quidem SS. Patres, quoties B. Dei Genitricem à peccatis eximunt, nonniſi de peccatis actualibus loqui; eamque S. Auguſtini mentem fuiſſe inde conſtare, quòd in citato textu Pelagianos refelleret, qui docebant aliquos juſtos hâc in vitâ eſſe ſine peccato. Aſſerit è contrario S. Doctor de nullo juſto, ſolâ exceptâ Dei Genitrice, id dici poſſe. „ Exceptâ, inquit, ſanctâ Virgine Mariâ, de quâ, propter honorem „ Domini, nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, haberi volo quæſ- „ tionem. ..... Si omnes illos ſanctos & ſanctas, cùm hîc viverent, „ interrogare poſſemus, utrùm eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſu- „ ros putamus? ..... Nonne unâ voce clamaſſent: *Si dixerimus quo-* „ *niam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis* „ *non eſt?*" Luce clarius eſt de ſolis ibi agi peccatis actualibus. A maculâ autem originali S. Doctorem beatam Virginem non excepiſſe, demonſtrant, inquiunt, plurima diſertiſſima ipſius teſtimonia, quorum nonnulla ſupra protulimus.

Ad ſecundum dicunt glorioſam Virginem, quam Deus omnipotens tot excellentibus prærogativis ſublimavit, noſtris humanis opinionibus non creſcere, nec extolli; noſtrum eſſe dotes ſingulares præ cæteris quibuscunque creaturis ei divinitùs conceſſas fideliter agnoſcere, religiosè venerari, ac tueri pro viribus, potiùs quàm vera ac indubitata ipſius privilegia incertorum admixtione obnubilare; id ſolum eſſe verè ac ſalubriter pium, quod verum & à patribus acceptum; Virgini matri gratum non eſſe cultum, qui divinæ revelationi & perpetuæ Eccleſiæ traditioni conſentaneus non ſit; ſinceram pietatem in Deum ipſum, in ſanctis ſuis mirabilem, directè ac primariò ferri, nec ſolidam eſſe, niſi ſummæ veritati ſir-

firmiter inhæreat, quæ jubet certa pro certis, incerta pro incertis, ignorata pro ignoratis haberi. Et certè, inquiunt, ſi Deus vellet conceptionem B. Mariæ velut immaculatam à fidelibus teneri, numquid nos in incerto fluctuare, humaniſque conjecturis ac ratiociniis paſci ſineret, ac non potiùs id apertè revelaſſet? Cum igitur nihil eâ de re Eccleſiæ revelatum ſit, neque in Scripturis, neque in Patrum traditione, quid rectius, quid ſubmiſſius, quid religioſius, magiſque pium, quàm ultra revelata non progredi, id que ſcire nolle, quod divina ſapientia ignotum eſſe voluerit? Addunt, quemadmodùm in B. Mariæ privilegiis prædicandis peccari poteſt per defectum, ita & per exceſſum quoque peccari poſſe; terminos nempe transgrediendo, quos ſcriptura & traditio conſtituerunt; ſolumque Deum eſſe in cujus laudibus & cultu nihil nimium eſſe queat, quia major eſt omni laude, & omni cultu præſtantior. Iſta confirmant ſuffragiis tum S. Chryſoſtomi, qui, in Homiliâ 60 ad populum Antiochenum, ait „ eum honorem honorato jucundiſſimum eſſe, quem ipſe „ vult, non quem nos putamus;" tum S. Bernardi, qui in Epiſtolâ 174 jam citatâ ſic loquitur, num. 1: „ Numquid Patribus doctiores „ aut devotiores ſumus? Periculosè præſumimus quidquid ipſorum in „ talibus prudentia prætérivit. Nec verò id tale eſt, quod, niſi præter„ eundum fuerit, Patrum quiverit omninò diligentiam præteriiſſe." Et num. 2: „ Valde honoranda eſt, inquis, Mater Domini. Benè admo„ nes: ſed honor Reginæ judicium diligit. Virgo regia falſò non eget „ honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum &c...... „ Ego verò, quod ab Eccleſiâ accepi, ſecurus & teneo, & trado; quod „ non, ſcrupuloſiùs, fateor, admiſerim." Addit Eſtius in 3um, diſtinct. 3. §. 3, honorem eſſe teſtimonium virtutis, ac proinde eum, qui „ quemcunque falſis vel incertis laudibus honorat, fieri reum falſi, „ vel certè dubii teſtimonii; quod vitium omnibus Chriſtianis magno„ perè fugiendum eſt."

Ad tertium aiunt, in rebus ad religionem ſpectantibus, rationes ex convenientiâ vel congruitate petitas cautè ac parcè admodùm adhiberi oportere, nulliusque eſſe roboris, niſi aliunde ſcripturæ vel traditionis auctoritas præluceat; eas verò, quas conceptionis immaculatæ aſſertores proferunt, vel nimis, vel nihil omninò probare. Nam ſi Chriſti dignitas poſtulat ut ipſius mater peccati originalis in ſuâ conceptione expers fuerit, concludendum eſt, non modò eam præſervatam fuiſſe à labe originali, ſed etiam non potuiſſe non præſervari; quod tamen nullus adverſantium proferre auderet. Si verò (quod abſque graviſſimo errore negari profectò nequit) potuit Deus B. Virginem, Filii ſui matrem futuram, à labe originis non præſervare, igitur nec Dei Patris gloria, nec Chriſti dignitas ejuſmodi prærogativam B. Mariæ conceſſam exigunt, atque adeò argumentum nihil probat. Addunt iſtâ argumentandi methodo blaſphemi aliquid indirectè involvi. Enimverò, inquiunt, ſupponamus Virginem Dei-

Digitized by Google

Deiparam in peccato originali conceptam fuiſſe (quod abſolutè fieri potuiſſe fatentur conceptionis immaculatæ patroni), ſequeretur Deum, juxta ipſos, inconvenienter & incongruè egiſſe, propriæque gloriæ ac Chriſti dignitati malè conſuluiſſe, quod certè abſque blaſphemiâ dici nequit. Deus namque ſummè ſapiens nullomodò facere poteſt quæ ſuæ ſummæ ſapientiæ non conveniunt. Porro, fatentibus omnibus, potuit Deus B. Mariam non præſervare à peccato originali. Falſum ergo eſt non convenire ut Deus eam non præſervaverit: ſiquidem, ut rectè obſervat S. Anſelmus, *quodlibet minimum inconveniens ſequitur in Deo impoſſibilitas.* Et ſanè quinam ſumus nos, ut abſque divinæ revelationis face decernamus quid Deo conveniat, quidve non conveniat? *Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Denique ſi de rebus ipſis humanis falſum vel dubium teſtimonium perhibere illicitum eſt, quantò magis, inquiunt, ubi de rebus divinis agitur? At certè quiſquis affirmat Virginem Dei matrem immunem fuiſſe à maculâ originali, ſeipſum manifeſtè exponit periculo falſi in materiâ religionis; id quippe non ita certum eſt, ut non poſſit eſſe falſum. Profectò quantumlibet Chriſto ejusque ſanctiſſimæ Matri honorificam eſſe opinionem conceptionis immaculatæ cenſeant illius aſſertores, fateantur tamen neceſſe eſt eam opinionem non tanti intereſſe, quantùm intereſt dogma reſurrectionis Chriſti. Atqui, tametſi reſurrectio Chriſti ſummi ſit in religione momenti, non tamen eam prædicare auſus fuiſſet Apoſtolus, niſi certiſſimis argumentis, divinâque revelatione demonſtrata fuiſſet. *Si Chriſtus*, inquit 1 Corinth. XV. 14 & 15, *non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra: invenimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam teſtimonium diximus adverſùs Deum, quòd ſuſcitaverit Chriſtum, quem non ſuſcitavit, ſi mortui non reſurgunt.* Hæc ſeriò attendant, inquiunt, verbi divini Concionatores, qui plenis buccis in ſacris pulpitis immaculatam B. Virginis conceptionem, tanquam certiſſimam Eccleſiæ doctrinam, prædicare & affirmare non verentur, caveantque ne *inanis* ſit ipſorum *prædicatio*, ne *inanis* ſit & audientium *fides*, & ne ipſi *inveniantur falſi teſtes Dei.* Rom. XI.

Ad quartum obſervant primum feſtum Conceptionis B. Mariæ recens introductum eſſe, nec niſi paulatim, multis que contradicentibus, in omnibus Eccleſiis demùm obtinuiſſe. Refertur quidem in Vitâ S. Ildefonſi, tom. 2. Benedictin. pag. 522., illum circa annum 667 „ feſtum Conceptionis B. Mariæ, quo ſcilicet ipſa concepta eſt, celebrari conſtituiſſe, „ & ejus conſtitutione per totam Hiſpaniam coli." Reperitur etiam inter leges Viſigothorum lex Ervigil regis, quâ præcipitur ut à Judæis obſerventur dies feſti Chriſtianorum, quos inter recenſetur *feſtum S. Mariæ Virginis, quâ glorioſa Conceptio ejuſdem Genitricis Domini celebratur.* Verùm eâ in lege nequaquam agitur de conceptione quâ ipſa Virgo concepta eſt, ſed de illâ quâ Filium Dei in utero ſuo concepit, id eſt, de Incarnatione Verbi, quemadmodùm in Græcorum Menologiis dies, De feſto Conceptionis B. Mariæ.

 quo

Digitized by Google

quo B. Virgo concepta eſt, dicitur feſtum Conceptionis S. Annæ. Quod verò in Vitâ S. Ildefonſi legitur: *Feſtum Conceptionis B. Mariæ, quo ſcilicet ipſa concepta eſt*, amanuenſis vitium eſt vocis ambiguitate decepti: nullum quippe hujusmodi feſti veſtigium illâ ætate extitiſſe certum eſt.

Apud Græcos feſtum illud celebrari cœpit anno 1150, juſſu Imperatoris Comneni; ſaltem antiquiorem ejus epocham reperire non potuit eruditus Thomaſſinus. Ad Latinos verò non tranſiit ante tempora S. Bernardi; quo tempore Canonici Lugdunenſes illud ſibi celebrandum indixerunt, non ſolum non approbantibus, verùm etiam apertè improbantibus viris doctiſſimis, ſanctiſſimis, & in ſanctiſſimam Dei Matrem obſequentiſſimis. Notanda ſunt imprimis hæc S. Bernardi verba in Epiſtolâ jam memoratâ: „ Miramur, inquit num. 1, quid viſum ſit hoc tempore quibusdam veſtrûm voluiſſe mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam uſus Eccleſiæ neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio." Et num. 9: „ Cùm hæc ita ſe habeant, quænam jam erit feſtivæ ratio Conceptionis? Quo pacto, inquam, aut ſacer aſſeretur conceptus, qui de Spiritu ſancto non eſt, aut ſanctus habebitur, qui minimè ſanctus eſt? Alioquin nullâ ei ratione placebit contra Eccleſiæ uſum præſumpta novitas, mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia levitatis. Nam ſi ſic videbatur, conſulenda erat priùs Apoſtolicæ Sedis auctoritas, & non ita præcipitanter & inconſultè paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum." Quem exitum apud Canonicos Lugdunenſes habuerit illa S. Doctoris expoſtulatio, incertum eſt; id verò conſtat cæteras Eccleſias feſtum illud tunc non recepiſſe, imò nonnullas expreſſè improbaſſe. Guillelmus Autiſſiodorenſis, Summæ libro 3, memorat „ Mauricium Pariſienſem Epiſcopum prohibuiſſe ne feſtum Conceptionis B. Mariæ Pariſiis celebraretur." Plurimi Doctores celeberrimi à nobis ſupra laudati pariter cenſuerunt feſtum illud celebrari non debere. Conſtat Romanam Eccleſiam nondum illud adoptaſſe ſub finem ſæculi XIII, ſed toleraſſe tantummodò. Id teſtatur S. Thomas part. 3, quæſt. 27. art. 2. ad 3um. „ Licet, inquit, Romana Eccleſia Conceptionem B. Mariæ non celebret, tolerat tamen conſuetudinem aliarum Eccleſiarum illud feſtum celebrantium: unde talis celebritas non eſt totaliter reprobanda." Eam verò ſolemniter approbavit Sixtus IV. ex Ordine Minorum, anno 1476, per Conſtitutionem *Cùm præcelſa*, fidelesque omnes hortatus eſt, ut eo die ſacris intereſſent, conceſſis eam ob rem ampliſſimis indulgentiis. Exinde feſtum illud ubique receptum eſt, & obſervatum cum majore vel minore celebritate.

Reſpondent 2°. certiſſimum eſſe & indubitatum mentem Paſtorum Eccleſiæ, in hujus feſti inſtitutione, nequaquam eſſe quidquam definire circa quæſtionem maculatæ vel immaculatæ conceptionis; quandoquidem ſummi Pontifices in illis etiam Conſtitutionibus, quibus id feſtum impenſiùs commendarunt, expreſſè declarant quæſtionem illam nondum à ſanctâ

ſanctâ Sede decisam fuiſſe, ſuæque intentionis non eſſe quidquam de illâ definire. Addunt ex ejusdem feſti inſtitutione concludi pariter non poſſe Eccleſiam magis propendere in opinionem affirmantem conceptionem B. Mariæ immaculatam fuiſſe, quàm in opinionem negantem. Eccleſiam quippe à Spiritu veritatis ſemper directam nihil circa fidem ac mores opinari, ſed, quidquid docet, tanquam certum & à Chriſto revelatum docere: opinari quidem Theologos, Scholas Academicas, Epiſcopos particulares; ſed illorum opiniones ſponſæ Chriſti, quæ *columna* & *firmamentum* eſt *veritatis*, attribui ſine ipſius injuriâ nullatenus poſſe: repugnare inſuper ut Eccleſia poſſit unquam aut velit aliquid detrahere de pretio ac certitudine illius doctrinæ, quam Patres per duodecim ſæcula, nullo contradicente, tenuerunt ac tradiderunt, vel ei novam quamcunque opinionem nullo, nec in ſcripturis, nec in traditione, fundamento fultam præferre. Si autem in Officio publico nonnullarum Eccleſiarum particularium quædam inſerta fuere, quæ opinioni conceptionis immaculatæ favere videantur, ea nequaquam approbari ab Eccleſiâ, ſed tolerari duntaxat, donec id, quod nunc in controverſia poſitum eſt, ex ſcripturis & Patrum traditione fuerit definitum.

Cum verò ab illis quæritur quodnam ergo ſit objectum feſti Conceptionis B. Mariæ, reſpondent duplex illius objectum eſſe. Primum quidem, honorare primum inſtans, quo B. Virgo Chriſti mater futura in utero ſuæ matris ſanctificata eſt. Ut enim ait S. Thomas part. 3. quæſt. 27. art. 2. ad 3um: „ Per hoc quòd feſtum Conceptionis celebratur, non datur intelligi quòd „ in ſuâ conceptione fuerit ſancta; ſed, quia quo tempore ſanctificata fuerit ignoratur, celebratur feſtum ſanctificationis ejus, potius „ quàm conceptionis ejus, in feſto Conceptionis ipſius.“ Alterum autem objectum eſſe, gratias agere Deo quòd Virginem dudum promiſſam, ex quâ naſciturus erat Chriſtus Salvator, mundo dederit. Iſtud memorat Bellarminus, quamvis ex eorum numero fuerit, qui conceptionem immaculatam *piè credebant*. Sic ille loquitur lib. 3. *de Cultu Sanctorum*, cap. 16: „ Dico ſecundò fundamentum hujus feſti præcipuum non eſſe conceptionem immaculatam, ſed ſimpliciter conceptionem Matris Dei „ futuræ. Qualiſcunque enim fuerit illa conceptio, eo ipſo quòd fuit „ conceptio Matris Dei, ſingulare affert gaudium mundo ejus memoria. „ Tunc enim primum habuimus pignus certum Redemptionis . . . . Itaque hoc feſtum etiam illi celebrant qui putant Virginem in peccato „ eſſe conceptam.“ Similem ob cauſam celebrata olim fuit in pluribus Eccleſiis Conceptio S. Joannis Baptiſtæ, licet immaculata non fuerit, ut videre eſt in Menologio Græcorum, & in Martyrologiis Bedæ & Uſuardi, ad diem 24 Septembris, eo videlicet quod mox ſecuturæ Verbi incarnationi præluſerit.

Ad quintum denique reſpondent ſolis revelationibus à Chriſto Apoſtolis factis Eccleſiæ doctrinam inniti, non autem illis quæ in decurſu ſæcu-

Digitized by Google

culorum nonnullis factæ memoratur. „ Profertur, ait S. Bernardus in cita-
„ tâ jam Epiſtolâ, ſcriptum ſupernæ (ut aiunt) revelationis, quaſi &
„ quivis non queat ſcriptum æquè producere , in quo Virgo videatur
„ idipſum mandare & de parentibus ſuis. ... Ipſe mihi facilè perſuadeo
„ ſcriptis talibus non moveri, quibus nec ratio ſuppeditare, nec cer-
„ ta invenitur favere auctoritas.“ Et ſanè, ſi privatis hujuſmodi revelationibus ſtandum foret, refert è contrario S. Antoninus, Summæ part. 2. tit. *de peccato originali*, ſanctæ Catharinæ Senenſi revelatum fuiſſe
„ beatam Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam, & poſteà ab
„ eodem fuiſſe mundatam.“ Verùm, ubi de doctrinâ agitur, nulla eſt hujuſmodi revelationum in Eccleſia auctoritas.

De celeberrimâ illâ quæſtione iſta ſufficiant: quæ quidem cum ſummâ beatæ Dei Genitricis veneratione dicta velim, non ad minuendum aliquatenùs illius cultum, de quâ Chriſtus concipi ac naſci voluit, quam in cruce exaltatus fidelibus omnibus matrem ac patronam providit, quam ſuper omnes angelorum choros ſublimavit, quam gratiâ in terris & gloriâ in cœlo cumulavit, cujus denique potentiſſimum patrocinium Catholici omnes, Eccleſiâ ipſâ docente, devotiſſimè ambiunt.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quomodò anima naſcentis infantis peccato originali obſtricta teneatur.

MULTOS graves ac doctos viros hactenùs exercuit iſta quæſtio, atque etiam in poſterùm exercebit, quamdiu per fidem ambulantes quod nondum videmus credimus. Imprimis autem obſervandum eſt fidem catholicam ab iſtâ inquiſitione nullatenùs pendere. Noſtrum eſt, divinæ revelationi firmiter inhærentes, corde credere & ore confiteri omnes homines in peccato naſci, ſive intelligamus quomodò id fiat, ſive intelligere non valeamus. · Hinc S. Auguſtinus, lib. 6 *contra Julianum*, cap. 9. num. 24, aiebat: „ Quid à me quæris quo ſit factum modo, cùm videas fac-
„ tum eſſe quocunque modo, ſi Apoſtolo credas aliquo modo, qui.... men-
„ tiri potuit nullo modo.“ Et lib. 1 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 19: „ Quod dimiſſum eſt in parente quomodò trahatur in prolem, mi-
„ ris quidem modis fit, ſed tamen fit; & quia modus ipſe non facilè ra-
„ tione indagatur, nec ſermone explicatur, ab infidelibus non creditur.“
Irridebat quidem Julianus Catholicos id aſſerentes, quod nec ratione compre-

Digitized by Google

prehendere, nec ſermone explicare poſſent; ſed ſuperbum illum ſacrilegumque cachinnum meritò ſpernebat S. Doctor, lib. 6 contra ipſum, cap. 5. num. 11. „ Aliud eſt, inquiebat, *nullâ*, quod tu dicis, aliud eſt „ *non facili ratione indagari*, *nec ſermone explicari*, quod ego dixi. Sed, „ etſi nullâ ratione indagetur, nullo ſermone explicetur, verum eſt quod „ antiquitùs veraci fide catholicâ prædicatur & creditur per Eccleſiam „ totam.“ Quamobrem hujuſmodi inquiſitio fidem præcedere non debet; non inutiliter tamen eam ſubſequitur, modò cum eâ moderatione adhibeatur, ut *non plus ſapiamus quàm oportet ſapere*, *ſed ſapiamus ad ſobrietatem*.

Ad arcanum iſtud explicandum variæ opiniones à variis excogitatæ ſunt.

Nonnulli arbitrati ſunt infantes, ſtatim atque animantur, actu proprio ſuæ voluntatis conſentire peccato primi parentis, eoque actuali conſenſu peccatores effici. Sed hujuſmodi expoſitionem myſterio ipſo inſcrutabiliorem, nullâque ſcripturæ vel traditionis auctoritate firmatam, omnes vulgò Theologi meritò rejiciunt.

Alii, ad explicandam peccati originalis tranſmiſſionem, dicunt corporales defectus, ut lepram, podagram &c., à parentibus in prolem plerùmque trajici, atque inde concludunt ex corrupto Adami corpore corpora gigni corrupta; quoniam autem inter affectiones corporis & affectus animæ magna connexio eſt, ipſâ unione cum corporibus corruptis animas quoque corrumpi & peccatrices fieri. Duabus quippe legibus conſtantiſſimis & æquiſſimis naturam humanam aiunt adminiſtrari; quarum una eſt, ut, quale corpus haberet communis omnium hominum parens, tale tranſmitteret ad ſuos poſteros; altera ut occaſione affectionum corporis oriantur in animâ certi quidam affectus. Ita ferè ſenſit Malebranchius in *Inquiſitione veritatis*.

Hæc quidem aliquâ ſaltem ex parte vera ſunt, ſed ad exponendum peccati originalis reatum nequaquam ſufficiunt; quia, ut ait S. Thomas 1. 2. quæſt. 81. art. 1, „ dato quòd aliqui defectus corporales à paren- „ te tranſeant in prolem per originem, & etiam aliqui defectus animæ „ ex conſequenti propter corporis indiſpoſitionem, ſicut interdum ex „ fatuis generantur fatui, tamen hoc ipſum, quod eſt ex origine defec- „ tum aliquem habere, videtur excludere rationem culpæ, de cujus ra- „ tione eſt ut ſit voluntaria.“ Cenſet ergo S. Doctor his addendum eſſe omnes homines quaſi unum hominem in Adamo fuiſſe, & in eo peccaſſe, juxta dictum illud Apoſtoli: *In quo omnes peccaverunt*. Idem quoque ſenſiſſe SS. Patres patebit ex dicendis poſteà.

Supponendo igitur, tanquam certum ac revelatum, omnes homines in Adamo fuiſſe & peccaſſe, quæritur utrùm quoad corpus ſimul & animam, an verò quoad corpus duntaxat in illo fuerint. „ Aut enim, ut „ ait S. Auguſtinus lib. 5 *contra Julianum*, cap 4. num 17, utrumque „ vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero, tanquam in vi-

„ tia-

„ tiato vaſe, corrumpitur, ubi occultâ juſtitiâ divinæ legis includitur.“ Inde oriuntur duo modi explicandi tranſitum peccati originalis in animam. Si enim anima eſt ex traduce, & ſeminali ratione in Adamo contenta peccavit, facilius concipitur in eâ reatus peccati; ſed animam immaterialem gigni ex animâ, ſicut caro ex carne, perdurum eſt, ac rationi repugnare videtur. Si verò ſecundùm corpus tantummodò ſeminali ratione in Adamo peccante extitimus, facile quidem intelligitur ex corpore Adami inquinato gigni corpora inquinata: quomodò verò anima recens creata ſordibus corporis inquinetur, peccatoque ſit obligata, explicare, hoc opus, hic labor eſt. Itaque ante omnia tractandum eſt de animarum origine, inquirendumque quid de illâ SS. Patres ſenſerint, quidque ſana ratio ſuggerat.

De animæ origine: utrùm ſcilicet ex animâ primi parentis per traducem naſcantur, an ſingulæ de novo creentur ad informanda ſingula corpora humana.

Circa originem animæ plurimi extiterunt errores ab Eccleſiâ damnati, variæque Catholicorum opiniones.

Primus error fuit Manichæorum & Priſcillianiſtarum, qui contendebant animas eſſe particulas quaſdam divinæ ſubſtantiæ, ut refert S. Auguſtinus lib. *de Hæreſibus*, cap. 6, 46 & 70. Damnatus eſt in concilio Bracarenſi, cap. 5, confutatusque à S. Auguſtino plurimis in locis, & à S. Leone, Epiſt. ad Turibium, cap. 5.

Secundus error priori oppoſitus, eſt animam educi è corpore, ejusque partem eſſe ſubtiliſſimam. Ita Epicurei, & quotquot alii animam materialem eſſe commenti ſunt.

Tertius error eſt, omnes animas ab initio mundi creatas fuiſſe, & in priori vitâ, antequàm corporibus unirentur, libero ſuo arbitrio malè uſas peccaſſe, atque in pœnam peccatorum immitti in corpora, tanquam in carceres. Ita ſenſerunt ex Platonis Philoſophiâ Origenes lib. 2 Περὶ Ἀρχῶν, ſeu *de Principiis*, cap. 9, & lib. 3, cap. 3; Pamphilus martyr in *Apologiâ pro Origene*; Nemeſius, lib. *de Natura hominis*, cap. 2. Hic error penitùs evertit fidem peccati originalis, directèque adverſatur Apoſtolo dicenti, Rom. IX, Jacob & Eſau, antequàm nati eſſent, nihil egiſſe boni aut mali. Damnatus eſt in concilio Bracarenſi 1, cap. 5, & à Synodo Ægypti totius Patriarchatûs Alexandrini, refutatusque à S. Methodio Patarenſi Epiſcopo, Origeni coævo, apud Photium; à S. Petro Alexandrino Epiſcopo & martyre in Tractatu Juſtiniani; à S. Epiphanio in Epiſtolâ ad Joannem Jeroſolymitanum; à Theophilo Alexandrino lib. 1 Paſchali; à S. Hieronymo in Epiſtolâ 6 ad Pammachium, & 82 ad Marcellinum; à S. Auguſtino multis in locis; à S. Cyrillo Alexandrino, lib. 1 in Joannem, cap. 9.

Quar-

Digitized by Google

Quartus error eſt, omnes animas à mundi quidem initio creatas fuiſſe, ſed in aliquo ſecreto concluſas, ubi nec boni, nec mali quidquam egerint, atque inde alias poſt alias mitti ad animanda hominum naſcentium corpora. Ita ſenſiſſe plurimos Rabbinos teſtatur Rabbi Salomon in cap. 33 Deuteronomii, & *quosdam Eccleſiaſticos* refert S. Hieronymus in Epiſtola ad Marcellinum & Anapſychiam, inter Auguſtinianas 165, al. 27, num. 1. Refellitur hic error à S. Hieronymo ibidem, à S. Leone in Epiſtolâ ad Turibium, cap. 10, à S. Thoma part. 1. quæſt. 118. art. 3. Et ſanè abſurdum eſt ſupponere animas, quæ ſunt eſſentialiter cogitantes ac volentes, adeò inertes per tot ſæcula manſiſſe, ut nec boni aliquid, nec mali geſſerint.

S. Auguſtinus nunquam definire auſus eſt utrùm animæ ex traduce naſcantur, an ſingulæ de novo creentur.

Rejectis itaque illis erroribus ab Eccleſiâ dudum reprobatis, duæ reſtant opiniones, circa quas anceps ſemper hæſit S. Auguſtinus: „ utrùm „ ſcilicet, ut loquitur Epiſt. 190 ad Optatum, cap. & num. 1, animæ, „ ut corpora, propagatione naſcantur, ſintque ex illâ animâ quæ primo „ homini creata eſt, an creator omnipotens, qui utique usque nunc „ operatur, ſine ullâ propagatione novas faciat ſingulis proprias.” Quamvis enim omnia utriusque opinionis momenta accuratiſſimè ponderaverit, nunquam tamen ad certum aliquid pervenire potuit. Perſeverans illa tam perſpicacis ingenii fluctuatio in eâ quæſtione, quam ſummâ cum diligentiâ exploraverat, nos admonet quantâ cum cautione in rebus obſcuris progredi nos oporteat, ſimulque demonſtrat quàm indubitata ſint ea, quæ contra gratiæ inimicos, tanquam certa, ipſius Eccleſiæ nomine aſſeruit.

Dubitationem illam, licet ſibi graviſſimam, æquiori tamen animo ferebat, eoquòd, utravis optio teneatur, fides in tuto eſſe ipſi videretur. Nam, ut ait in eâdem Epiſtolâ, num. 3: „ Si origo animæ lateat, dum „ tamen redemptio clareat, periculum non eſt: neque enim in Chriſtum „ credimus, ut naſcamur, ſed ut renaſcamur, quomodòcunque nati „ fuerimus.” Et lib. 10 *de Geneſi ad litteram*, cap. 23. num. 39: „ Aut „ enim, inquit, de hâc re nihil quærendum eſt, ut ſufficiat fidei noſtræ „ ſcire nos quò piè vivendo venturi ſumus, etſi neſciamus unde vene- „ rimus: aut, ſi non imprudenter æſtuat anima rationalis etiam hoc noſſe „ de ſeipſâ, abſit pervicacia contendendi, adſit diligentia requirendi, „ humilitas petendi, perſeverantia pulſandi; ut, ſi nobis hoc expedire „ novit, qui melius quàm nos quid nobis expediat utique novit, det „ etiam hoc qui dat bona data filiis ſuis.”

Unicâ tamen ratione retinebatur quominùs animas ſingulas de novo creari agnoſceret, quòd nempe non intelligeret quomodò defendi poſſet juſtitia Dei, ſi animam recens creatam inſerat corpori inquinato, cujus ſocietate ipſa quoque inquinetur, & peccatrix fiat. Semotâ enim eâ difficultate, ultrò iviſſet in eam ſententiam, quam rationi multò conformiorem eſſe perſpiciebat, ut ipſemet teſtatur in epiſtola 166, al. 28, ad

Digitized by Google

S. Hieronymum, cap. 8. num. 25. „Quærenda, inquit, cauſa eſt atque „ reddenda, quare damnentur animæ, quæ novæ creantur ſingulis quibusque naſcentibus, ſi præter Chriſti ſacramentum parvuli moriantur..... Unde illa de animarum novarum creatione ſententia, ſi hanc „ fidem fundatiſſimam non oppugnat, ſit & mea: ſi oppugnat, non ſit „ & tua." Et num 26: „ Licet nemo faciat optando ut verum ſit quod „ verum non eſt, tamen, ſi fieri poſſet, optarem ut hæc ſententia vera „ eſſet; ſicut opto ut, ſi vera eſt, abs te liquidiſſimè atque invictiſſimè „ defendatur." Nullam aliam hæſitationis ſuæ cauſam memorat, quotiescunque argumentum iſtud tractat, ut videre eſt in Epiſtolis 147 ad Marcellinum, & 164 ad Evodium, & in lib. 1. *de Origine animæ*, ubi quæſtionem in utramque partem copioſiſſimè verſat.

Multi alii Patres circa eamdem quæſtionem incerti manſerunt.

Non autem ſolus S. Auguſtinus, ſed & alii non pauci Patres ab iſtâ quæſtione definiendâ abſtinuerunt.

Paulus Oroſius Presbyter Hiſpanus eam potiſſimùm ob cauſam in Africam trajecit, ut de illâ S. Auguſtinum conſuleret.

S. Eucherius Lugdunenſis, in cap. 3. Geneſis, ad hæc verba: *Ædificavit Dominus Deus coſtam* &c, ait „hanc quæſtionem (de origine animæ) „ in definiendo difficilem eſſe, quia nihil à ſanctis viris, vel ſcripturarum „ auctoritate, manifeſtius pronuntiatum eſt."

Africani Epiſcopi in Sardiniâ pro fide exules, in Epiſtolâ ſuâ Synodicâ *de Gratia & libero arbitrio*, ſic loquuntur cap. 16: „Quæſtionem „ animarum aut tacitam debemus relinquere, aut ſine contentione tractare: quia, ſive ex propagine veniant, ſive novæ ſingulis corporibus „ fiant, quod ſanctarum ſcripturarum auctoritas non manifeſtè pronuntiat, cum cautelâ debet inquiri, maximè quod ſine fidei detrimento „ poteſt à fidelibus ignorari."

S. Fulgentius, lib. 3 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 18, S. Auguſtini modeſtiam commendat, quòd, quamvis in re ſummo ſtudio diſcuſſâ, nihil definiendum cenſuerit, &, expoſitis utriusque ſententiæ incommodis, ſic demùm concludit cap. 20: „Quantò meliùs ab hujus „ quæſtionis certamine temperamus, in quâ nos inaniter laborare cognoſcimus: præſertim quia, quod à ſanctis viris majoribus noſtris „ videmus minimè definitum, oportet nos tantò cautiùs atque temperantiùs quærere, quantò ad ejus finem illos præclaros viros cernimus „ minimè perveniſſe:" Et cap. 24. „ Et ſi ſcire non poſſumus quemadmodùm anima detur corporibus, illud rectè credendo, & benè vivendo „ ſatagamus, ut in regno Dei & anima noſtra lætetur & corpus."

Caſſiodorus in libro *de Animâ*, cap. 7, laudat pariter *religioſam* S. Auguſtini *dubitationem*. „ Melius eſt enim, inquit, in tam occulis cauſis confiteri ignorantiam, quàm periculoſam aſſumere fortaſſis audaciam."

S. Gregorius magnus, Lib. 7, Epiſt. 54 ad Secundinum: „ De origine

„ ne animæ, inquit, requiſitio non parva verſata eſt; ſed utrùm ipſa „ ab Adam deſcenderit, an fortè ſingulis detur, incertum remanſit, eamque in hâc vitâ inſolubilem eſſe faſſi ſunt quæſtionem. Gravis enim „ eſt quæſtio, nec valet ab homine comprehendi; quia, ſi de Adam „ ſubſtantiâ anima cum carne naſcitur, cur non etiam cum carne moritur? Si verò cum carne non naſcitur, cur in eâ carne, quæ de Adam „ prolata eſt, obligata peccatis tenetur? Sed, cùm hoc ſit incertum, „ illud incertum non eſt, quia, niſi ſacri baptiſmatis gratiâ renatus fuerit homo, omnis anima originalis peccati vinculis eſt obſtricta."

S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 2. *de Officiis Eccleſiaſticis*, cap. 23, inter alia pro certis tenenda iſtud recenſet, *quòd incerta ſit animæ origo.*

Rabanus Maurus, lib. 2 *de Inſtitutione Clericorum*, cap. 57, idem ignorare ſe candidè fatetur.

S. Prudentius Trecenſis in lib. *de Prædeſtinatione adverſùs Joannem Scotum*, cap. 16, dicit „magnam quæſtionem eſſe à Patribus diu mul„ tùmque diſcuſſam, ſed abſque certâ definitione relictam."

Hugo Victorinus, lib. 1. de Sacramentis, part. 7. cap. 30, utramque ſententiam dicit eſſe probabilem, additque: „ In quibus tamen omnibus „ nulla unquam ratio ſive auctoritas in tantum prævalere potuit, ut dubitationem tolleret quæſtionis, excepto eo ſolo, quòd fides catholica „ magis credendum elegit animas quotidie corporibus vivificandis ſociandas de nihilo creari, quàm, ſecundùm corporis naturam & carnis „ humanæ proprietatem, de traduce propagari."

Ex illis textibus colligere eſt, tùm quanta ſit iſtius quæſtionis obſcuritas, tùm quanta fuerit apud ſubſecutos Eccleſiæ Doctores S. Auguſtini exiſtimatio, quem non modò docentem, ſed etiam dubitantem ſequi maluerunt, quàm pro certo definire quod ipſe indefinitum reliquit.

Verùm, temporis progreſſu, virorumque doctiſſimorum disceptationibus veritate magis ac magis eliquatâ, omnes nunc conſentire videntur animas de primi hominis animâ non propagari, ſed ſingulas ad animanda ſingula naſcentium corpora ſigillatim à Deo creari. Hanc ſententiam totis ulnis amplectimur.

Eam nonnulli adſtruere conantur ſequentibus ſcripturæ ſacræ textibus. Zachariæ XII. 1. *Hæc dicit Dominus extendens cœlum & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in eo.* Pſalmo XXXII. 15: *Qui finxit ſingillatim corda eorum.* Eccleſiaſtes XII. 7: *Donec revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Sed S. Auguſtinus, Epiſt. 166 ad S. Hieronymum, cap. 8. num. 26, & Epiſt. 190 ad Optatum, cap. 4 & 5, obſervat textus illos poſſe abſolutè, & quidem ſatis commodè, aliter intelligi; duos ſcilicet primos eo ſenſu quòd Deus peculiari providentiâ operetur in cordibus hominum, illa regendo, movendo, inclinando; vel, ſi de ipſâ animæ productione intelligantur, dici poſſe Deum ſpeciali modo fingere animam hominis, etiamſi ex traduce

Expenduntur ea quæ circa hanc quæſtionem in ſcripturis habentur.

duce naſcatur; ſicut ipſa etiam corporis membra in utero materno fingit, etiamſi corpus naſcatur ex corpore; tertium quoque ſic explicare poſſe, ut dicatur *ſpiritus à Deo datus*, eoquòd anima naſcatur ex animâ quam Deus immediatè inſpiravit Adamo, cum è contrario corpus naſcatur ex corpore quod Deus formavit è limo terræ.

Plus roboris habere videtur quod ait Apoſtolus, Hebr. XII. 9: *Patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reverebamur eos: multò magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & vivemus.* Si enim anima eſt ex traduce, ſicut & caro, genitores non minus animæ, quàm carnis, patres ſunt, nec Deus magis pater eſt ſpiritûs, quàm carnis: jamque vix intelligitur quam ob cauſam Apoſtolus carnem parentibus, ſpiritum verò Deo Patri attribuat.

Aliter quoque intelligi non poſſe arbitror quod, 2 Macchab. VII. 22, dicit ſeptem Fratrum mater mirabilis: *Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis: neque enim ego ſpiritum & animam donavi vobis & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi.* Nam, ſi *ſpiritum & animam* non donant matres filiis ſuis, ergo anima non trahitur à parentibus. Adde *ſpiritum & animam* ibi corpori ita opponi, ut corporis quidem materia parentibus, & formatio Deo; anima verò & ſpiritus ſoli Deo attribuantur, parentibus autem nullomodò.

Multi Patres afferunt animas quotidie novas creari.

Eamdem doctrinam multi SS. Patres tanquàm certam aſſerunt.

S. Clemens Alexandrinus, lib. 5 Stromatum, pag. 681, ait „ animam, quâ ratiocinamur, non generari per dejectionem ſeminis."

S. Hilarius, lib. 10 *de Trinitate*, num. 20 & 22: „ Multi (ex Arianis), inquit, confirmandæ hæreſeos ſuæ arte ita aures imperitorum ſolent illudere, ut, quia corpus & anima Adæ in peccato ſuit, carnem quoque Adæ atque animam Dominus ex Virgine acceperit.... Quaſi verò, ſi tantùm ex Virgine aſſumpſiſſet corpus, aſſumpſiſſet quoque ex eâdem & animam, cùm anima *omnis opus Dei ſit*, carnis verò generatio ſemper ex carne ſit..... Sed, ut, per ſe ſibi aſſumpſit ex Virgine corpus, ita ex ſe ſibi animam aſſumpſit: QUÆ UTIQUE NUNQUAM AB HOMINE GIGNENTIUM ORIGINIBUS PRÆBETUR."

Tom. 2. p. 102 & 103.

S. Gregorius Nyſſenus, lib. *de Animâ*, refellit Apollinarem, aliosque qui volebant animas ex animis naſci, ſicut corpora ex corporibus.

Tom. 4. pag. 464.

S. Hieronymus, lib. 3. *contrà Rufinum*, ait iſtud *Eccleſiaſticum* eſſe, „ quotidie Deum operari animas, & in corpore eas mittere naſcentium." Idem docet ac probat Lactantius lib. *de Opificio Dei*, cap. 10.

Tom. 5, part. 2. pag. 3.

S. Cyrillus Alexandrinus in Epiſt. 1. probat S. Virginem eſſe verè Dei genitricem, quamvis divinitatem Chriſti non conceperit, ſicut cæteræ matres verè dicuntur & ſunt matres ſuorum filiorum, quamvis eorum animas non concipiant.

Gennadius, lib. *de Dogmatibus Eccleſiaſticis*, cap. 14, ait „ animas „ ho-

Digitized by Google

„ hominum non eſſe ab initio inter cæteras intellectuales naturas, nec „ ſimul creatas, ut Origenes fingit, neque corporibus per modum coitûs „ ſeminari; .... ſed dicimus, inquit, creationem animæ ſolum Deum noſ„ ſe, & corpus tantùm per conjugii copulam ſeminari, ... &, formato „ jam corpore, animam creari & infundi.“

Auctor libri *de Spiritu & animâ*, inter Opera S. Auguſtini, cap. 41, docet „ animas rationales quotidie novas fieri ex nihilo, peccatoque pol„ lui ex carnis, cui uniuntur, contagione.“

Prudentii, in Carmine *de Pugna animæ*, hæc verba ſunt: *Non animas animæ pariunt.*

S. Bernardus, Serm. 2. in Nativitate Domini, num. 6: „ Rationalis „ anima, inquit, ... creando immittitur, immittendo creatur.“

Idem uno conſenſu docent omnes Theologi poſt Magiſtrum Sententiarum, lib. 2, diſt. 19.

His auctoritatibus accedunt validiſſima argumenta ex ratione petita. *Eamdem doctrinam adſtruunt validiſſima rationis argumenta.*

1°. Quidem, ſi anima produceretur ex traduce, vel naſceretur ex ſemine ſui in corporis ſemine deliteſcente, vel ex ſemine ipſo corporis educeretur. Neutrum autem dici poteſt. Non primum. Cum enim anima patris ſit ſubſtantia ſimpliciſſima, indiviſa, partium quarumcunque expers, repugnat aliquam ejus particulam divelli, ac defluere in prolem. Præterea vel ſemen illud animæ foret anima, vel aliquid diviſum ab animâ, eique generandæ & concipiendæ inſerviens. Atqui 1°. ſemen illud non poſſet dici anima: hoc quippe ſuppoſito, quid fieret de ejuſmodi animis, quæ, deperdito corporali ſemine, ad animandum corpus non pervenirent? Interirent ne? Si ita eſſet, actum foret de immortalitate animarum, quæ totius diſciplinæ moralis, imò & religionis fundamentum eſt. An verò ſuperſtites remanerent? Neque hoc etiam dici poteſt: ſiquidem nec beatæ futuræ eſſent, nec miſeræ. Aliunde communior Philoſophorum, Medicorumque opinio eſt, fœtum humanum non ſtatim atque concipitur animari animâ rationali, eaque opinio confirmari videtur cap. 21 Exodi, v. 12 & 13, ubi ſecundùm Verſionem 70 ſic legitur: *Si quis percuſſerit mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, quod formatum non fuerit, ſubjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint: ſi autem formatus infans fuerit, reddet animam pro animâ.* Porrò ſi anima unà cum corpore traduceretur, neceſſariò ſequeretur fœtum in ipſo generationis & conceptionis inſtanti eſſe animatum animâ rationali. 2°. Non minùs repugnat admitti ſemen animæ, quod non ſit ipſa anima, ſed aliquid ab eâ diverſum, ejuſque generationi inſerviens. Quid etenim illud eſſet? Non foret aliquid materiale: ſiquidem anima tota ſpiritalis eſt, & eſſentialiter diſtincta à materiâ. Neque etiam foret aliquid ſpiritale, quandoquidem omne ſpirituale, hoc ipſo quòd ſpirituale eſt, vel ſpiritus eſt, vel modus ſpiritûs. Ergo anima nullomodò naſci poteſt ex animâ, ſeu ex ſemine animæ.

Hoc argumentum ſic tractat S. Auguſtinus Epiſt. 190, al. 157, ad Optatum, cap. 4, num. 15: „Quiſquis animam, ſicuti eſt, non eſſe corpus, ſed „ ſpiritum confitetur, ... mirum ſi ullus ſenſus comprehendat humanus, „ quonam modo tanquam lucerna de lucernâ accendatur, & ſine detri- „ mento alterius alter inde ignis exiſtat, ſic anima de animâ parentis fiat „ in prole, vel traducatur in prolem, utrùm incorporeum ſemen animæ „ quâdam occultâ & inviſibili viâ ſeorſùm à patre currat in matrem, cùm „ fit conceptus in feminâ; an, quod eſt incredibilius, in ſemine corpo- „ ris lateat. Cùm autem fluunt irrita ſine ullis conceptibus ſemina, „ utrùm ſemen animæ non ſimul exeat, aut ſummâ celeritate, atque ato- „ mo temporis, unde exierat recurrat, an pereat; & ſi perit, quomodò „ ipſa, cujus mortale ſemen eſt, immortalis eſt anima? An immorta- „ litatem tunc accipit, quando formatur ut vivat, ſicut juſtitiam, quando „ formatur ut ſapiat?"

Deinde multò minùs dici poteſt anima educi ex ſemine ipſius corporis: nam quidquid è corpore educitur, vel corpus eſt, vel modus aut appendix corporis, quod de anima cogitari nec fides, nec ratio patiuntur. Quamobrem S. Auguſtinus, licet circa originem animæ incertus hæreret, ſemper tamen pro certo atque indubitato tenuit animam ex corpulentis ſeminibus naſci nequaquam poſſe.

II°. Sicut homo quoad corpus brutis animantibus, ſic quoad animam rationalem angelis ſimilis eſt: igitur ſicut cæterorum animantium more generatur quantùm ad corpus, ita more angelorum, qui nec generant, nec generantur, à parentibus non generatur quantùm ad animam rationalem, ſed è nihilo creatur.

III°. Si anima traheretur à parentibus, vel traheretur ex animâ ſolius patris, vel ex animâ ſolius matris, vel ex utrâque ſimul. Porrò ſi de ſolius patris, aut ſolius matris animâ traheretur, jam pater & mater non haberent æquales partes in filiorum procreatione, & filii multò plus ad alterutrum pertinerent, quàm ad alterum. De utrâque autem animâ naſci animam prolis omninò repugnat. Non enim, ſicut corpora, ita & animas in unum miſceri & coaleſcere poſſibile eſt. Nullomodò igitur anima naſcentium traducitur à parentibus.

IV°. Ea ſola generantur quæ corruptioni vel morti ſunt obnoxia. Ideò quippe inſtituta eſt corporum generatio, ut aliis decedentibus alia ſuccedant, ſicque rerum ſpecies conſerventur. Cùm ergò animæ rationales nec corrumpi, nec mori poſſint, conſequenter nec ſibi ſucceſſuras animas generare opus habent. Ita ratiocinatur S. Gregorius Nyſſenus in libro *de Animâ*.

V°. Fide certum eſt animam Chriſti nullomodò peccaſſe in Adamo: ideò quippe potens eſt peccatoribus auxiliari, quia omninò ſegregatus fuit à peccatoribus. Atqui ſi animæ ex traduce oriantur, vix ac ne vix quidem effugi poteſt quin anima Chriſti in Adamo peccaviſſe cenſeatur. Ergo

Ergo animæ non oriuntur ex traduce. Obſervat tamen S. Auguſtinus huic argumento reſponderi poſſe, vel animam Chriſti non ortam eſſe ex traduce, ſicut cæteras animas, ſed, præter communem naturæ ordinem, ſpecialiter à Deo creatam fuiſſe; vel, ſi fuit in Adamo, in illo non peccaviſſe. Ita S. Doctor in Epiſtolâ 164 ad Evodium. Tertiam refert reſponſionem in eadem Epiſtolâ, nempe animam Chriſti, ſi peccaſſet in Adamo, priùs mundatam fuiſſe, quàm à Chriſto aſſumeretur. Sed quomodò hujuſmodi reſponſio abſque injuriâ Chriſti defendi poſſet, non video. Si enim anima Chriſti, ante unionem ſuam cum Verbo, mundatione opus habuit, ſequitur hoc abſurdum, nempe ipſum Salvatorem ac Redemptorem alio ſervatore & redemptore indiguiſſe; animæ quippe longè alia ratio quàm corporis, quod nec peccati, nec ſanctitatis propriè capax eſt. Quamobrem hanc ultimam reſponſionem reſpuiſſe videtur S. Auguſtinus in Epiſtolâ 190 ad Optatum, cap. 6. num. 25, & in libro 1° *de Geneſi ad litteram*, cap. 18, 19 & 21, ubi, duabus prioribus iterum prolatis, de eâ penitus ſilet.

VI°. Ideò duntaxat S. Auguſtinus multique alii SS. Patres circa iſtam quæſtionem nihil certi ac definiti habuerunt, quòd, admiſſâ ſingularum animarum pro unoquoque corpore creatione, exiſtentiam peccati originalis cum juſtitiâ Dei conciliari vix poſſe exiſtimarent. Atqui, etiam rejectâ animarum traduce, hujus myſterii ratio reddi aliquatenùs poteſt, non quidem poſitivè evidens, ſed inſcrutabilis arcani altitudini proportionata, ut paulò poſt videbitur; & aliunde, admiſſâ etiam animarum traduce, integra remanet myſterii profunditas. Nam etiamſi omnes animæ in Adamo peccante fuiſſent, nonniſi ſeminali ratione in illo fuiſſent, ac proinde actualis cognitionis & volitionis incapaces. Nihil ergo cogit admittere traducem animarum, confitendumque eſt animas de novo creatas ſingulis corporibus infundi.

Utrùm hæc doctrina ad fidem catholicam pertineat.

Quæres utrùm ea doctrina ad fidem catholicam pertineat.

Reſpondeo S. Hieronymum id quidem primùm tradidiſſe ut *Eccleſiaſticum*; ſed poſteà, lectis S. Auguſtini eâ de re obſervationibus, ultro conſenſiſſe ut unuſquiſque ſuo in ſenſu abundaret, ut conſtat ex ejus Epiſtolâ 30 ad ipſum Auguſtinum.

Rufinus Aquileienſis in libello, quo errores à ſe aſſertos aut ſibi imputatos damnavit, & quem ex veteri manuſcripto codice Bibliothecæ Vaticanæ edidit Noriſius lib. 1 *de Hæreſi Pelagianâ*, cap. 3, pag. 17, in 12° Anathematiſmo damnat eos *qui dicunt animas priùs fuiſſe, quàm natæ ſunt, & non cum corpore ſecundùm exemplum primi hominis à Deo quotidie fieri*. Sed admodùm probabile eſt, ut obſervat Noriſius, iſtud anathema in eos tantummodò cadere, qui cum Platonicis ſentiebant omnes animas præextitiſſe, atque in peccata lapſas eſſe, priuſquàm in corpora immittantur. Certò idem Rufinus in Epiſtolâ ad Anaſtaſium Romanum Pontificem, commemoratis tribus de animæ origine opinionibus, mentem ſuam

ſuam his verbis exponit: „ Ego verò, cùm hæc ſingula legerim, Deo „ teſte, dico quia ad præſens certi vel definiti aliquid de hâc quæſtio-„ ne non habeo, ſed Deo relinquo ſcire quid ſit in vero, & ſi cui ipſe revelare dignabitur."

Auctor ſub *Prædeſtinati* nomine à Sirmondo editus ſic loquitur, hæreſi 116, quæ eſt Cataphrygum: „Objiciunt quidam Tertulliano quòd „ animam ex traduce, id eſt, animam dixerit ita gigni de animâ, ſicut „ ex corporibus corpus: quod catholica fides vehementer execratur." Sed quæ fides haberi poteſt huic auctori planè ignoto, despectiſſimo, & Pelagianismum apertè ſapienti?

S. Leo in Epiſtolâ 15 ad Turibium, cap. 10, ait „catholicam fidem „ conſtanter prædicare atque veraciter, quòd animæ hominum, prius-„ quàm ſuis inſpirarentur corporibus, non fuere, nec ab ullo incorpo-„ rantur, niſi ab opifice Deo, qui ipſarum eſt creator & corporum." Sed ex antecedentibus manifeſtum eſt ſanctiſſimum Pontificem ſolam ibi Origenis opinionem de ſimultaneâ omnium animarum ab initio mundi creatione proſcribere, ut probat Noriſius *in Vindiciis Auguſtinianis*, cap. 4. § 3.

Magiſter Sententiarum, lib. 2 diſt. 18. litt. H, dicit „catholicam Ec-„ cleſiam docere animas in corporibus formatis infundi, & infundendo „ creari." Et S. Thomas part. 1 quæſt. 118. art. 2. in corp. ait „ hære-„ ticum eſſe dicere quòd anima intellectiva traducatur cum ſemine." Verùm obſervat Eſtius in 2ᵘᵐ, diſt. 17. § 14, dictum Magiſtri non niti niſi ſuppoſititio S. Hieronymi textu; concluſionemque Doctoris Angelici paulò duriorem eſſe; eòque magis quòd Philoſophicis dumtaxat rationibus ab ipſo fulciatur. Multò ſanè moderatius eſt quod ait S. Doctor in 2ᵘᵐ, diſt. 18. quæſt. 2. art. 1 „ animarum creationem communiter conce-„ di à Theologis & Philoſophis."

Gerſonius in *Trilogio Aſtrologiæ*, propoſ. 15, hæreticos nuncupat eos qui animarum traducem tenerent: ſed nullam profert eam in rem Eccleſiæ definitionem.

Ex his omnibus concludunt doctiſſimi Eſtius & Noriſius, locis citatis, de fide catholicâ non eſſe, animas quotidie de novo creari ad animanda ſingula naſcentium corpora.

Ut autem dicam & ipſe quod ſentio, libentiſſimè fateor hanc doctrinam non eſſe formaliter de fide catholicâ, tanquam ab Eccleſiâ definitam; ſiquidem nullum hactenus proferri poteſt eâ de re prolatum judicium. Cenſeo tamen eam pro certâ & inconcuſſâ Eccleſiæ doctrinâ habendam eſſe, omniumque in illam conſenſum, qui à multis ſæculis ubique viget, ſpectari poſſe ut indubitatam fidei normam, eoque magis, quòd non deſtituatur ſatis expreſſis ſcripturæ ſacræ & SS. Patrum teſtimoniis, quòdque illi Patres, qui pro illâ non pronuntiarunt, eam tamen, ſi pauciſſimos excipias, non planè rejecerint, ſed dubii tantum & incerti reman-

ſe-

Digitized by Google

ſerint, quoadusque veritas pleniùs eliquata apertè pateret. Quamobrem ſaluberrimè monet Eſtius ibidem : „ Nunc, poſt tot graviſſimas eâ de „ re Theologorum Scholaſticorum diſputationes, re diligentiùs excuſſâ, „ omnibus que in unam ſententiam indubitanter euntibus, non poſſe „ profectò maximæ temeritatis notam effugere, ſi quis deinceps vel di- „ verſam opinionem elegerit, vel adhuc dubitandum putaverit.“

Propterea omnes homines naſcuntur peccato obſtricti, quia omnes in primo parente peccaverunt, & quia anima per corporis, cui naturaliter unitur, ſocietatem verè peccatrix evadit.

Abſolutâ quæſtione de origine animæ, explicandum ſupereſt quam ob cauſam anima recens creata peccati maculam & reatum ſtatim contrahat. Sed ante omnia ſemper meminerimus iſtam inquiſitionem non fidei prælucere, ſed fidem ſubſequi oportere; ita ut non ideò credamus omnes homines naſci peccatores, quia quomodò id fieri poſſit aliquatenùs intellexerimus, ſed potiùs, quia illud firmiter credimus, ideò erroris Pelagiani munimenta veritatis armis evertere, quantùm poſſumus, ſtudeamus. Id jam maximâ ex parte præſtitimus, oſtendendo quàm inania ſint Pelagianorum argumenta. Nunc verò, prout Deus dabit, exponendum eſt quo pacto fiat, ut, ſalvâ Dei juſtitiâ, totum genus humanum peccato primi parentis obſtrictum naſcatur.

Dico 1° propterea omnes homines naſci peccato originali obligatos, quia omnes in Adamo peccante peccaverunt.

Id expreſſè declarat Apoſtolus, Rom. V, cùm dicit *peccatum introiſſe in mundum per unum hominem*, in quo omnes peccaverunt.

Idem aſſerit SS. Patrum conſenſus.

Origenes, in caput V Epiſtolæ ad Romanos, exponens textum mox citatum ſic loquitur. „ Si Levi, qui generatione quartâ poſt Abraham na- „ ſcitur, in lumbis Abrahæ fuiſſe perhibetur, multò magis omnes ho- „ mines, qui in hoc mundo naſcuntur & nati ſunt, in lumbis erant „ Adæ, cùm adhuc eſſet in paradiſo, & omnes homines cum ipſo vel „ vel in ipſo expulſi ſunt de paradiſo, cùm ipſe inde pulſus eſt, & per „ ipſum mors, quæ & ex prævaricatione venerat, conſequenter & in „ eos pertranſiit qui in lumbis ejus habebantur.“

S. Ambroſius lib. 7 in Lucam, cap. 15, num. 234: „ Fuit Adam, „ inquit, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes pe- „ rierunt.

S. Auguſtinus Serm. 175, cap. 1: Ex quo peccavit unus, ubi erat totum, periit totum. „ Et lib. 6 *Op. imperf.* cap. 22, exponens quomodò omnes homines in primo omnium parente eſſe potuerint, hæc dicit: „ Vis neſcio quæ inviſibilis & incontrectabilis ſecretis naturalibus inſita eſt, ubi jura propaginis naturalia deliteſcunt, propter quam vim, „ non

Al. Serm. 9 de Verbis Apoſtoli.

„ non utique mendaciter in lumbis illius patris fuiſſe dicuntur, quot-
„ quot ex illo uno potuerunt generationum ſucceſſibus & multiplicatio-
„ nibus propagari."

Auctor *Hypognoſticon* lib. 2. cap. 4: „ In illis unis (Adamo & Eva)
„ omnes eramus, quia natura humani generis erant."

S. Proſper in carmine *de Ingratis*: „ Adam, inquit, corruit, &
„ cuncti ſimul in genitore cadente corruimus." Plures referre ſuperfluum foret.

Quonam autem pacto totum genus humanum in primo parente fuit? Certè ſingulorum hominum animæ in illo non fuerunt, ſiquidem, ut modò diximus, non creantur animæ niſi quando ſingulis naſcentibus inſpirantur. Sed, quemadmodùm in arbuſtis & arboribus ineſt vis occulta ſeminum, quâ usque in mundi finem alia naſcuntur ex aliis, ita in primo homine, per vim generandi, omnium hominum usque ad conſummationem ſæculi extiturorum ſemina fuerunt. Quamvis enim ſolius corporis ſemen in eo lateret, quia tamen corpus humanum naturaliter importat ordinem ad animam rationalem, ſine quâ natura humana eſſe nequit, inde fit, ut, quemadmodùm parentes verè dicuntur gignere hominem, quamvis animam non gignant, ita totus homo in Adamo fuiſſe & peccaſſe veriſſimè dicatur, quamvis anima in illo non fuerit, quia tota fuit in illo natura humana, cujus anima pars eſt eſſentialis.

Supponendum eſt autem primum hominem, totius humani generis ſtirpem, eâ lege conditum fuiſſe, ut, ſi in juſtitiâ permaneret, eam non ſibi ſoli, ſed ſuis quoque poſteris ſervaret, & quaſi naturaliter transmitteret; ſi autem peccaret, non ſe tantùm, ſed omnes ex ipſo naſcituros in peccato involveret.

Hæc certiſſima ſunt: ad explicandam tamen transmiſſionem peccati originalis, quod unicuique naſcenti proprium eſt & inhærens, non ſola ſufficere videntur. Cùm enim non perſonaliter, ſed ſeminali tantùm ratione in Adamo fuerimus, ejus peccato obſtringi aliter non poſſumus, niſi vitioſum aliquid ab eo in nos tranſeat, quo peccatores propriè conſtituamur. Quamobrem:

Dico 2° per peccatum primi hominis naturam humanam totam in deterius mutatam fuiſſe, ideòque per generationem propagari naturam corruptam, ſeu carnem peccati, cujus occaſione anima ipſa, ſtatim atque corpori inſpiratur, peccato polluitur & rea efficitur.

Naturam humanam totam, & quoad corpus, & quoad animam, peccato primi hominis corruptam, atque in deterius mutatam fuiſſe nunc ſuppono, probaturus poſteà. Et certè cùm eâ lege ſapientiſſimâ ſtet corporis & animæ in homine ſocietas, ut occaſione affectuum animæ motus quidam in corpore oriantur, & vice verſâ, conſequens fuit ut, animâ per pravum uſum ſui liberi arbitrii ex alto in præceps ruente, ingens quoque in corpore mutatio intervenerit. Cùm autem rationi conſentaneum

neum non ſit ut primus homo meliorem eâ, quam ipſe habebat, naturam ad ſuos poſteros transmitteret, naturam propagare non potuit, niſi corruptam & immundam. Hinc, Job XIV. 4, homo dicitur de *immundo conceptus ſemine.* „ Non igitur mirum, nec injuſtum eſt, quòd radix „ profert damnata damnatos,“ ut concludit S. Auguſtinus lib. 3 *contra Julianum*, cap. 12, num. 24.

Jam verò propter intimam corporis & animæ unionem, mutuamque unius ab altero dependentiam, anima, ſtatim atque carni peccati inſeritur, peccatum contrahit. Sicut enim, Adamo præceptum Dei transgrediente, animæ inordinatio in corpus redundavit, ita ſeminis fœtûsque immunditia in animam illi unitam tranſit. Nam, ut ait Sapiens, IX, 15, *corpus quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum*; adeò ut, licet anima nullum tunc propriæ voluntatis actum elicere valeat, totâ tamen habituali ſuâ inclinatione in pravo rerum creatarum amore demerſa ſit, donec, infuſo per ſacramentum regenerationis ſancto caritatis habitu, per gratiam Chriſti juſtitia regnet ubi peccatum dominabatur.

Nullomodò peccati originalis transmiſſio juſtitiæ divinæ adverſatur.

In quo ergo rectè culpari poſſet divina juſtitia? An quia permiſit Adami naturam per ejus peccatum in pejus mutari? Verùm id exigebant unionis corporis & animæ leges ſapientiſſimæ, quas propter hominis prævaricationem Deus reſcindere utique non debuit. An quia corpus immundum & in deterius mutatum propagari permittit? Imò inde potiùs laudandus eſt creator, quòd homines peccantes fœcunditatis bono non privaverit. Nam, ut ait S. Auguſtinus lib. 3 *de Libero arbitrio*, cap. 20, num. 55, „ ut meliores gigneret, quàm ipſe eſſet, non erat „ æquitatis.“ Atque, ut ratiocinatur S. Gelaſius Papa in Epiſtolâ 7 ad Epiſcopus per Picenum: „ Nonne, cùm Deus utique liberam condiderit „ humanam ſuâ creatione ſubſtantiam, apud humanas tamen leges ex- „ trinſecùs adveniens ſervitus naturaliter eam reddit obſtrictam & ob- „ noxiam? Origine generantur obnoxii, & ex conditione ſervili naſcun- „ tur addicti, & naſcendo fiunt priùs obligati quàm geniti. Si hoc „ agitur de rebus extra naturam poſitis, quantò magis de his provenire „ non mirum eſt, quibus ipſa humana ſubſtantia depravata cognoſci- „ tur?“ An quia immundo fœtui carnique peccati animam rationalem infundit? Cur verò non inde potius gratiæ agendæ ſunt creatori, creaturam ſuam, quamvis proprio vitio ſuo depravatam, benignè conſervanti ac gubernanti? Si fœtui immundo animam Deus non infunderet, omninò tolleretur fœcunditatis bonum, genusque humanum penitùs interiret. Cur, inquam, non potiùs laudatur creator optimus, eoquòd naturam à ſe creatam bonam propter accidens vitium non deſtruat? Certè animam rationalem Deique capacem creari bonum eſt. Quomodò autem crearetur, niſi in corpore quod ad illam ordinatur, & cui uniri natura ipſius poſtulat? An quia ſinit Deus animam à ſe recens creatam ex cor-

poris ſocietate peccatricem fieri? Id verò poſtulant naturæ leges ſapientiſſimæ, quibus conſtat corporis & animæ unio, & quas ad arbitrium noſtrum reſcindi, abrogari, mutari, vel temperari debere, quis ſanæ mentis dixerit? An denique quia animas peccato obſtrictas in æternùm puniat? Sed, ſi meritò prædicamus miſericordiam liberantis, cur de judicio juſtè punientis conquerimur?

QUÆSTIO TERTIA.

An ſit in parentibus gignentibus vitioſum aliquid, per quod peccatum originale trajiciatur in prolem, & quid illud ſit.

DUÆ ſunt præcipuæ hâc de re Theologorum ſententiæ. Catharinus, Vasquez, Bellarminus multique alii opinantur nihil eſſe in parentibus, per quod peccatum originale in prolem trajiciatur, ſed peccati tranſitum fieri vi cujuſdam pacti à Deo ſanciti, quo omnium hominum à primo naſciturorum conditio ab ipſo religata penderet, ita ut, ſi in juſtitiâ perſeveraret, juſtos, ſi peccaret, peccatores gigneret; non ergo propter concupiſcentiam, quæ parentibus ineſt, infantes naſci peccato obnoxios, ſed ob id ſolum quòd Adamus, à quo originem ducunt, peccaverit.

Cæteri Theologi docent peccatum originale traduci per morbum labemque parentibus gignentibus inhærentem, id eſt, per vitium concupiſcentiæ ſeu libidinis, ſine quâ concubitus conjugalis non fit. Huic doctrinæ, alterâ repudiatâ, inhærendum cenſemus. Sit itaque:

PRI-

Digitized by Google

PRIMA PROPOSITIO.

Peccatum originale non traducitur vi cujuſdam pacti, quo Deus omnium Adami poſterorum conditionem ipſius Adami, ſive peccantis, ſive in juſtitiâ permanentis, conditioni alligaverit.

NAM I° nunquam ab hujuſmodi pacto, de quo neque in ſcripturâ ſacrâ, neque apud SS. Patres quidquam legitur, ſed ſemper à naturæ corruptione peccatum derivari docet S. Auguſtinus. „ Illo magno primi hominis peccato, inquit lib. 2 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 3, num. 58, „ natura ibi noſtra in deterius commutata, non ſolùm facta eſt peccatrix, ſed etiam generat peccatores.“ Et lib. 3 *contra Julianum*, cap. 24, num. 55: „ Originale peccatum, quod nos dicimus, vos negatis, nullum eſſet utique, niſi naturâ ex primi hominis voluntate depravatâ.“ Non ergo propter aliquod pactum, ſed propter vitium naturæ inhærens tranſmittitur peccatum originis.

II°. Sæpiſſimè inculcat idcircò parvulos naſci peccatores, quia ex radice corruptâ, ex arbore malâ, ex fonte inquinato oriuntur. Sic lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 26: „ Univerſa maſſa, inquit, tanquam in vitiatâ radice damnata eſt.“ Lib. 1 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 32, num. 37: „ Ex quo Adam ex oleâ tali, in quâ nec ſemen erat hujuſmodi unde amaritudo naſceretur oleaſtri, in oleaſtrum peccando converſus eſt, quia tam magnum peccatum fuit, ubi magna fieret in deterius mutatio naturæ, totum genus humanum fecit oleaſtrum.“ Et Serm. 294, cap. 15: „ Tanquam in parente, tanquam in radice ibi eramus: ſic venenata eſt iſta arbor ubi eramus.“ Al. Serm. 14 de verbis Apoſtoli.

III°. Docet peccatum originale contagione quadam diffundi, inſtar veneni graſſari in genus humanum, communicari tanquam morbidam qualitatem; quæ certè loquendi rationes non merum pactum, ſed naturæ humanæ inhærens malum ſignificant. Sic lib. 3 *contra Julianum*, cap. 16, num. 13: „ Homines, inquit, ſicut peccati actione majores, ita minores majorum contagione ſunt rei: iſti ex eo quod faciunt, illi ex quibus originem ducunt.“ Ibidem lib. 6, cap. 18. num. 55, loquens de concupiſcentiâ, quam appellat *valetudinem malam*, & ex origine *vitiatâ ingenitum homini malum*, ſic explicat quomodò illud malum omnibus naſcentibus communicetur: „ Hæc qualitas mali non in ſubſtantia de ſubſtantiâ, tanquam de loco in locum, migrat, ut deſerat ubi erat, & quæ fuit ibi, ipſa ſit alibi; ſed alia ejuſdem generis, quodam operante con-

Digitized by Google

„ tagio, quod etiam de morbidis parentum corporibus ſolet evenire „ naſcentibus.“ Inanem autem Juliani argutiam, objicientis qualitatem tranſire non poſſe ſine ſubjecto, ſic arguit ibidem lib. 5, cap. 14, num. 51: „ Non ſanè tibi dialectica illa mentitur, ſed tu non intelligis. Verum eſt enim quod ibi accepiſti, ea quæ in ſubjecto ſunt, „ ſicut ſunt qualitates, ſine ſubjecto, in quo ſunt, eſſe non poſſe, ſicut „ eſt in ſubjecto corpore color aut forma; ſed afficiendo tranſeunt, „ non emigrando: quemadmodum Æthiopes, quia nigri ſunt, nigros „ gignunt, non tamen in filios parentes colorem ſuum velut tunicam „ transferunt; ſed ſui corporis qualitate corpus, quod de illis propagatur, afficiunt........ Sic & vitia, cùm ſint in ſubjecto, ex parentibus „ tamen in filios, non quaſi transmigratione de ſuo ſubjecto in ſubjectum alterum,...... ſed, quod non intelligis, affectione & contagione pertranſeunt.“

IV°. Si non propter vitium quod naturæ inſit, ſed vi cujusdam pacti naſcuntur homines peccato obſtricti, concipi nullomodò poteſt peccatum originale eſſe verum & propriè dictum peccatum, quod meritò imputari poſſit. Quomodò enim verè peccatores cenſeri poſſunt, in quibus nullum propriè dictum vitium à parentibus tractum inhæret? Quâ juſtitiâ Deus peccatores reputat infantes, quibus nihil ineſt per ſe malum & inordinatum? Quid ergo reſtat, niſi ut ex ſolâ voluntate Dei, ſive quia ſic voluit Deus, peccatores naſcantur; quod quantùm à bonitate & à ſanctitate Dei alienum ſit, dici vix poteſt.

SECUNDA PROPOSITIO.

Peccatum originale per concupiſcentiam ſive libidinem parentum transmittitur.

PROBATUR 1° ex Chriſti ipſius verbis, Joannis III, ubi Nicodemo exponens quare oporteat nos naſci denuò, ait: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Conſtat enim carne, quoties opponitur ſpiritui, ſemper ſignificari in ſcripturis concupiſcentiam, ſeu libidinem, ac proinde verborum Chriſti hic ſenſus eſt: propterea oportet vos renaſci, quia ex carne, ſive concupiſcentiâ, nati, peccato obſtricti eſtis.

Probatur 2° multiplici argumento ex SS. Patribus deſumpto. 1° Namque expreſſè docent peccatum originis trajici per concupiſcentiam.

Id

Id S. Auguſtinus imprimis tanquam certiſſimam Eccleſiæ doctrinam contra Pelagianos aſſeruit.

Serm. 151, cap. 5, de concupiſcentiâ loquens: „ Ecce, ait, unde „ trahitur originale peccatum: ecce unde nemo naſcitur ſine peccato: „ ecce propter quod Dominus non ſic concipi voluit, quem Virgo con- „ cepit.“ Al. Serm. 45 de Diverſis.

Totus ferè liber primus *de Nuptiis & concupiſcentiâ* eò tendit, ut probet non ex bono conjugii (ut Catholicis falſò imputabant Pelagiani), ſed ex malo concupiſcentiæ peccatum originale derivari. Propoſitum ſuum ſic exponit S. Doctor, cap. 1: „ Intentio hujus libri hæc eſt, ut, quan- „ tùm nos Dominus adjuvare dignatur, carnalis concupiſcentiæ malum, „ per quod homo, qui per illam naſcitur, trahit originale peccatum, „ diſcernamus à bonitate nuptiarum.“ Cap. autem 23, num. 26: „ Hoc, „ inquit, humano generi inflictum vulnus à diabolo, tanquam de ſuo „ frutice fructum jure decerpat, non quòd ab illo ſit natura humana, „ quæ non eſt niſi à Deo, ſed vitium, quod non eſt ex Deo.“ Et cap. 24, num. 27: „ Ex hâc concupiſcentiâ, tanquam filiâ peccati, &, „ quando illi ad turpia conſentitur, etiam matre peccatorum multorum, „ quæcunque naſcitur proles, originali eſt obligata peccato.“ Demùm cap. 35, num. 40, librum his verbis concludit: „ Hanc concupiſcen- „ tiam carnis curavimus à nuptialibus bonis tam prolixâ disputatione „ diſtinguere, propter novos hæreticos, qui, cùm hæc reprehenditur, „ calumniantur, quaſi nuptiæ reprehendantur; ut ſcilicet, eam tanquam „ bonum naturale laudando, ſuum peſtiferum dogma confirment, quo „ aſſerunt prolem, quæ per illam naſcitur, nullum trahere originale „ peccatum.“ In ſecundo quoque libro idem argumentum proſequens, ſic loquitur, cap. 26, num. 42: „ Nuptiæ inſtitutæ ſunt cauſâ gene- „ randi, non peccandi..... Peccatum autem, quod inde à naſcentibus „ trahitur, non ad nuptias pertinet, ſed ad malum (pudendæ libidinis), „ quod accidit hominibus quorum conjunctione ſunt nuptiæ.“ Inde liquet in hoc Pelagianos à S. Auguſtino, ſeu potiùs ab Eccleſiâ catholicâ diſſenſiſſe, quòd concupiſcentiam naturæ bonæ appendicem eſſe contenderent, ex quâ proinde nullum peccatum oriri poſſit; contra verò S. Auguſtinus, Eccleſiæ catholicæ nomine, aſſereret concupiſcentiam adeò eſſe malam, ut quisquis homo per illam naſcitur, à peccato immunis eſſe nequeat.

Cùm autem Julianus primo S. Doctoris libro quatuor ſuos oppoſuiſſet, ſex alios egregios edidit S. Auguſtinus, quos inſcripſit: *Contra Julianum*, quique magnâ ex parte in eodem argumento verſantur. Inter alia hæc habet lib. 2, cap. 6, num. 15: „ Attende pauliſper quomodò „ ex illa lege peccati omnem generari hominem, & ideò trahere origi- „ nale peccatum, ſanctus eloquatur Ambroſius, &c.“ Et num. 16: „ Ecce unde illa confuſio: ecce unde contextio & ſuccinctio foliorum:

„ ecce

„ ecce unde in poſteris originale peccatum.“ Et cap. 10. num. 33:
„ Qui generatur in Adam, ideò peccato eſt obſtrictus originis, quia
„ de malo naſcitur quo caro concupiſcit adverſus ſpiritum..... Quid
„ ergo mirum eſt ſi renaſci debet homo ex illo malo natus, contra quod
„ pugnat homo renatus, quo reus & ipſe teneretur, niſi renaſcendo li-
„ beraretur?“

Denique Julianum illos libros ſuis octo confutare conantem repreſſit S. Doctor alio grandi opere, quod morte præventus finire non potuit, quodque idcircò *Imperfectum* appellatur. In hoc autem inculcare & confirmare non deſtitit, tanquam indubitatam totius Eccleſiæ doctrinam, quod de peccati per libidinem propagatione in libris præcedentibus docuerat. Satis erit hæc pauca de illo exſcribere: Lib. 2 cap. 22: „ Cohibe, inquit, renitendi ſtudium, & agnoſce vitium unde trahitur originale peccatum.“ Et lib. 6, cap. ult.: „ Hæc igitur concupiſcentia utique mala, quâ caro concupiſcit adverſus ſpiritum,..... tunc eſſe cœpit, naturamque humanam tanquam in traduce vitiavit, unde trahit originale peccatum. Cum illa quippe omnis homo naſcitur, nec hujus concupiſcentiæ reatus niſi in renaſcentibus ſolvitur.“

Igitur quatuordecim libros eum potiſſimùm in finem compoſuit S. Doctor, ut contra hæreticos evinceret concupiſcentiam eſſe naturæ vitium, ideoque omnes homines naſci peccato obnoxios, quia ſine illâ non generantur; & quoties Pelagiani objiciebant reprobari nuptias, ſi prolem pariant peccatricem, toties iſtam calumniam repellit dicendo non propter nuptias, quæ ex ſe bonæ ſunt, ſed per concupiſcentiæ malum, quod in actu conjugali ſemper intervenit, prolem gigni peccatricem. His armis Eccleſia Catholica de Pelagianis triumphavit, ac proinde, niſi divina eſſent, inanis foret Eccleſiæ de illâ hæreſi triumphus.

In eam doctrinam conſentiunt alii SS. Patres.

S. Methodius Patarenſis Epiſcopus & martyr, in libro *de Reſurrectione*, quem unà cum S. Amphilochii Operibus edidit Combefiſius, ſic
Pag. 315. exponit unde oriatur peccatum originale, & quid illud ſit: „ Ex quo
„ primus homo ſeductus Dei mandatum violavit, inde ex inobedientiâ
„ ortum peccatum ſedem in eo poſuit. Sic enim ſeditio conflari cœpit,
„ ac turbulentis agitationibus cogitationibusque incongruis ſumus re-
„ pleti, divino afflatu vacui, rerumque corporalium, quam callidus no-
Pag. 286. „ bis ſerpens inſufflarat, cupiditate pleni.“ Paulò ſuperiùs autem dixerat, „ quamdiu corpus vivit, cum eo vivere peccatum,“ id eſt concupiſcentiam.

Olympius Epiſcopus Hiſpanus, à S. Auguſtino magnoperè commendatus lib. 1 *contra Julianum* cap. 3, num. 8, ait „ Protoplaſti mortiferam tranſgreſſionem vitium ſparſiſſe in ſemine, ut peccatum cum homine naſceretur.“

S. Ambroſius à S. Auguſtino pariter laudatus, ibidem lib. 2, cap. 6:
„ Ma-

„ Malè, inquit, Eva parturivit, ut partûs relinqueret mulieribus hæ-
„ reditatem, atque unusquisque concupiſcentiæ voluptate concretus, &
„ genitalibus viſceribus infuſus, & coagulatus in ſanguine, priùs ſu-
„ biret delictorum contagium, quàm vitalis ſpiritûs munus hauriret."

Auctor *Hypognoſticon*, lib. 2. cap. 1: „ Ideò, inquit, peccator ho-
„ mo genuit hominem ſine dubio peccatorem, quia de naturâ peccato
„ vitiatâ nonniſi natura naſcitur vitioſa, id eſt, peccatrix;... & hoc
„ quomodò, niſi per ſeminis ſparſionem?

S. Fulgentius, lib. *de Fide ad Petrum*, cap. 2, ſic eam in rem loqui-
tur: „ Quia...... ſine libidine non eſt parentum concubitus, ob hoc
„ filiorum ex eorum carne naſcentium non poteſt ſine peccato eſſe con-
„ ceptus, ubi peccatum in parvulos non transmittit propagatio, ſed
„ libido, nec fœcunditas humanæ naturæ facit homines cum peccato
„ naſci, ſed fœditas libidinis." Et lib. 1 *de Veritate Prædeſtinationis
& gratiæ*, cap. 4: „ Deus humanæ naturæ fœcunditatis donum contu-
„ lit; libidinis verò malum non eſt creatura Dei, ſed pœna peccati.
„ Proinde de immunditiâ nuptiarum mundus homo non naſcitur, quia
„ interveniente libidine ſeminatur."

S. Gelaſius Papa, in Epiſtolâ 7 ad Epiſcopos per Picenum, cùm præ-
miſiſſet naturam humanam per peccatum factam eſſe *vitioſam, & in af-
fectum mali pravique cecidiſſe*, hæc addit: „ Proinde quidquid ipſi geni-
„ tores de ſuo germine protulerunt, opus quidem Dei eſt ſecundùm
„ inſtitutionem naturæ, ſed non absque contagio illius mali quod ſuâ
„ prævaricatione traxerunt; & utique hoc quidem ipſius mali conta-
„ gium certum eſt opus non eſſe divinum." En propter quam cau-
ſam contrahitur peccatum originale: en via per quam à parentibus tran-
ſit in prolem. Quòd nempe natura per peccatum vitiata ex germine im-
mundo talem procreet, qualis ipſa eſt.

Auctor libri *de Spiritu & animâ*, in Appendice S. Auguſtini, cap. 41:
„ Certum tenemus, inquit, quia caro contracta de carne per legem
„ concupiſcentiæ, quàm citò vivificatur, originalis culpæ vinculo pre-
„ mitur, ejusque affectionibus anima, quæ carnem vivificat, aggra-
„ vatur."

Venerabilis Beda in lib. *Quæſtionum*, quæſt. 14, „ quærit quare Tom. 6.
„ puero adhuc in utero matris originale peccatum imputetur, & quare
„ de baptizato baptizatus non naſcatur." Et reſpondet: „ Quia de cor-
„ rupto nonniſi corruptum naſci poteſt.". Et poſteà: „ Homo, quan-
„ tùm in ſe eſt, mundatur in baptiſmo: ſed quia ſine concupiſcentiâ
„ procreare non poteſt, imputatur & illius proli." Idem docet in Pſal-
mum 50.

Remigius Autiſſiodorenſis in hæc verba Pſalmi 50: *In peccatis conce-
pit me mater mea*: „ Id eſt, inquit, concupiſcentiâ carnali concepit: quæ
„ carnalis delectatio ex peccato primi parentis in carne noſtra viget."

Digitized by Google

S. Bernardus in *Exhortatione ad Milites Templi*, cap 11. num. 24: Adæ „ peccatum meritò omnes contrahimus,..... quoniam, cum peccavit, in „ ipſo eramus, & ex ejus carne per carnis concupiſcentiam geniti ſumus."

Philippus Abbas Bonæ Spei, S. Bernardo coævus, ſic loquitur in Epiſtolâ 2: „ Poſt peccatum meritò pudenda nominantur, quoniam adeò „ ſpiritui reluctantur, ut ad generandum nonniſi libidine moveantur. „ Hoc eſt unde Adam filios ſuos ſic infecit: ſic quaſi in radice poſte- „ ritatis ſuæ ſeriem infecit, ut, quoniam in generando non ſola caro, „ ſed & concupiſcentia carnalis operatur, quicunque gignitur eo modo, „ eodem reatu concupiſcentiæ teneatur."

Hugo Victorinus in Epiſtolam ad Romanos, quæſt. 106: „ Quæri- „ tur, inquit, quare poſteris imputatur peccatum originale. Reſpon- „ ſio: quia parentum concubitus non fit ſine libidine, nec filiorum con- „ ceptus ſine peccato." Et in Summâ Sententiarum, tract. 3, cap. 12: „ Niſi „ caro in concupiſcentiâ traduceretur, illo peccato anima non teneretur."

Innocentius III, Comment. in Pſalmum 50, ad hæc verba: *In ini- quitatibus conceptus ſum*, ſic ait: „ Quis neſciat concubitum etiam con- „ jugalem nunquam omninò committi ſine pruritu carnis, & ſine fer- „ vore & fœtore concupiſcentiæ, unde ſemina concepta fœdantur & cor- „ rumpuntur? Propter quod alibi legitur. *Quis poteſt facere mundum de* Job. XIV. „ *immundo conceptum ſemine?* Ex ſeminibus ergo fœdatis atque corrup- „ tis concipitur corpus corruptum pariter & fœdatum, cui anima tan- „ dem infuſa corrumpitur & fœdatur, non ab integritate vel munditiâ „ quam habuit, ſed ab integritate vel munditiâ quam haberet, ſi non „ uniretur fœdato corpori & corrupto; quoniam & creando infunditur, „ & infundendo creatur. Sicut enim ex vaſe corrupto liquor infuſus „ corrumpitur, & pollutum contingens ex ipſo contactu polluitur, ſic „ ex contagio corporis anima polluitur & fœdatur..... Ex concupiſcen- „ tiâ præcedit pruritus circa januam humanæ propagationis, per quam „ transfunditur originalis cauſa peccati."

Non minus expreſſè loquitur Innocentius IV, in Comment. in eumdem pſalmum. „ In illâ lege noſtræ originis vitioſâ, inquit, in quâ omnes „ corrumpimur, & naſcimur in utero & ex utero filii iræ, atque per tra- „ ducem libidinoſâ carnis concupiſcentiâ, etiam antequàm peccemus ac- „ tualiter, conſtituimur peccatores, & ad actualia proniores..... Nam „ in eo (Adamo) ſeminaliter omnes erant, quando ipſe naturam cor- „ rupit humanam, & ab illo uno homine, qui omnium noſtrûm fuit „ materia & origo, omnes concupiscentialiter deſcendunt, & per pro- „ gationis ſucceſſionem, & carnis concupiscentiam, occultè illa corrup- „ tio in poſteros demigravit. Non tamen hoc facit propagatio, ſed li- „ bido; non naturæ humanæ fœcunditas, ſed libidinis fœditas." Et poſteà: „ Quia concepti ſumus illâ vitioſâ lege concipiendi, nobis ex „ peccato primi hominis occultè & miſerabiliter accedente, ideò origi-

„ na-

„ nalis peccati ex tuâ juſtiſſimâ ſententiâ, Deus, rei ſumus." Addit, quemadmodùm Chriſtus gratiam ſuam & juſtitiam occultè infundit parvulis, ita primum hominem „ in ſe homines de ſuâ ſtirpe venturos occultâ labe & fœditate ſuæ libidinoſæ concupiſcentiæ adeò tabificaviſſe, quòd anima, inquit, à te, Deus, infuſa corpori taliter tabefacto, maculatur, polluitur & fœdatur."

Idem docet S. Thomas multis in locis Quæſt. 4. *de Malo*, art. 2. ad 11: „ Concupiſcentia, inquit, ſecundùm quòd eſt in patre, eſt cauſa „ originalis peccati quod eſt in filio." Et Summæ part. 3. quæſt. 27. „ art. 3. in corp.: „ Secundùm Auguſtinum in libris de Nuptiis & concupiſcentiâ, libido eſt quæ peccatum originale tranſmittit in prolem." Et quæſt. 31. art. 7. in corp.: „ Cum caro humana peccato inficiatur „ ex hoc quòd eſt per concupiſcentiam concepta, ſicut tota caro alicujus „ hominis per concupiſcentiam concipitur, ita tota peccato inquinatur."

Tot apertiſſima teſtimonia cumulabit doctiſſimus Boſſuetus in inſigni opere, quod inſcripſit: *Défenſe de la Tradition & des ſaints Peres*, lib. 8. cap. 22. En ipſius verba: „ Tous les Peres, qui ont marqué (& tous „ l'ont fait), tous ceux, dis-je, qui ont marqué la propagation du „ peché originel par le ſang impur & rempli de la corruption du peché, „ d'où nous naiſſons, ont enſeigné en même tems que le peché paſſoit „ en nous par la concupiſcence, qui ſeule infecte le ſang d'où nous „ ſortons; en ſorte que la maladie que nous contractons en naiſſant, „ & qui nous donne la mort, vient de celle qui non ſeulement demeure toujours dans nos Peres, mais encore qui agit en eux, lorſqu'ils nous mettent au monde."

II°. Docent SS. Patres propereà Chriſtum expertem fuiſſe originalis peccati, quia abſque libidinis interventu de virgine, operante Spiritu ſancto, conceptus eſt. Unde manifeſtè ſequitur idcircò cæteros omnes „ naſci peccato obſtrictos, quia per parentum concubitum non ſine libidinis interventu gignuntur.

Ideò Chriſtus conceptus eſt ſine peccato, quia ex virgine abſque ullo libidinis interventu conceptus eſt.

Origenes, Comment. in Epiſtolam ad Romanos, ad hæc verba capitis octavi: *Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati*, hæc habet: „ Qui ex nullâ viri contagione, ſed ſolo Spiritu ſancto ſuper „ Virginem veniente, & virtute Altiſſimi obumbrante, venit ad corpus „ immaculatum, naturam quidem noſtri corporis habuit, pollutionem „ tamen peccati, quæ ex concupiſcentiæ motu conceptis traditur, omninò non habuit."

Didymus, in lib. *contra Manichæos*, à Combefiſio editus in ſecundo Auctuario SS. Patrum, pag. 25: „ Oportebat, inquit, ut, qui ad ſalutem hominum veniebat, non acciperet corpus à conjunctione viri.... „ Si corpus ex conjunctione ſumpſiſſet, nullâ differentiâ, exiſtimatus „ utique eſſet obnoxius illi peccato, cui per ſucceſſionem erant obnoxii „ omnes ex Adam profecti & orti."

S. Ambroſius in Expoſitione Iſaïæ, quam citat S. Auguſtinus lib. 1. *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. ultimo, & lib. 1. *contra Julianum*, cap. 4.: „ Servatum eſt, inquit, ut ex viro & muliere, id eſt, per il- „ lam corporum commixtionem nemo videatur expers eſſe delicti; qui „ autem expers eſt delicti, expers eſt etiam hujusmodi conceptionis.“ Porrò non ipſa per ſe corporum commixtio peccati cauſa eſt, alioquin nuptiæ concubitusque conjugalis damnanda eſſent; ſed ex libidine illi commixtioni adjunctâ. In eâdem Expoſitione, apud S. Auguſtinum lib. 4. *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 11, num. 29: „ Idcirco „ Chriſtus immaculatus, quia nec ipſâ quidem naſcendi ſolitâ condi- „ tione maculatus eſt.“ Et lib. 2. in Lucam, num. 50: „ Solus eſt „ per omnia ex natis de feminâ Dominus Jeſus, qui terrenæ contagia „ corruptelæ immaculati partûs novitate non ſenſerit.“

Palmare iſtud argumentum ſæpiſſimè objecit Pelagianis S. Auguſtinus. Sic *in Enchiridio*, cap. 41. num. 13: „ Nullâ voluptate carnalis concu- „ piſcentiæ conceptus (Chriſtus), & ideò nullum peccatum originaliter „ trahens.“ Lib. 1. *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 12, num. 13: „ Solus ibi (in parentibus Chriſti) nuptialis concubitus non fuit, quia „ in carne peccati fieri non poterat ſine illâ carnis pudendâ concupiſcen- „ tiâ, quæ accidit ex peccato, ſine quâ concipi voluit qui futu- „ rus erat ſine peccato, non in carne peccati, ſed in ſimilitudi- „ ne carnis peccati: ut hinc etiam doceret omnem, quæ de concubitu „ naſcitur, carnem eſſe peccati, quandoquidem ſola, quæ non inde nata „ eſt, non fuit caro peccati.“ Idem inculcat ibidem, cap. 24. num. 27, & lib. 2. cap. 5. num. 14. Libro 2 *contra Julianum*, cap. 4. num. 8: „ Ex hâc lege carnis repugnante legi mentis nihil Chriſti corpus attraxit, „ quia non ex illâ Virgo concepit. Ex hâc lege carnis repugnante legi „ mentis eamdem legem primâ nativitate nemo non traxit, quia niſi ex „ illâ mulier nulla concipit.“ Et lib. 5. cap. 15. num. 52: „ Hinc ap- „ paret illam concupiſcentiam, per quam Chriſtus concipi noluit, fe- „ ciſſe in genere humano propaginem mali, quia Mariæ corpus, quamvis „ inde venerit, tamen eam non trajecit in corpus quod non inde con- „ cepit.“ Et poſteà num. 54: „ Quod pertinet ad peccati originalis in „ omnes homines tranſitum, quoniam per concupiſcentiam carnis tranſit, „ tranſire in eam carnem non potuit, quoniam non per illam Virgo con- „ cepit..... Non itaque carnem tabificavit, in cujus conceptu tabes is- „ ta non fuit. Caro itaque Chriſti ..... contagium originalis peccati „ non traxit, quia concumbentis concupiſcentiam non invenit.“ De- mùm lib. 2. Op. imperf. cap. 218: „ Per hanc (concupiſcentiam) hu- „ mana, quæ naſcitur, caro peccati eſt; propter quod per illam naſci „ noluit ille qui natus eſt in ſimilitudine carnis peccati; ac per hoc, „ quamvis in carne verâ, non tamen in carne peccati. Ex hâc concupiſ- „ centiâ ſuſceptâ tuâ, tibi quidem pulchrâ nimis, ſed fœdâ omnibus

„ ſanc-

„ ſanctis, generatione trahitur originalis peccati vinculum, ſolâ rege-„ neratione ſolvendum." Vides quàm perſpicuè, quàm frequenter, quàm ſecurè & indubitanter hanc doctrinam, tanquam univerſæ Eccleſiæ firmiſſimam fidem, vindicet S. Doctor.

Auctor *Hypognoſticon*, lib. 1. cap. 2: „ Apoſtolus, inquit, dicendo „ (Chriſtum veniſſe) *in ſimilitudine carnis peccati*, illam (carnem) „ absque peccato, noſtram verò peccatricem oſtendit. Nam ille ideò in „ ſimilitudine, quia non per libidinis uſum, ut nos, natus eſt carne."

Idem apertiſſimè docet S. Leo magnus, Serm. 2. *in Nativitate Domini*, cap. 2: „ Novâ nativitate, inquit, genitus (eſt Filius Dei), con-„ ceptus à Virgine, natus ex Virgine, ſine paternæ carnis concupiſcen-„ tiâ; .... quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui „ & in ſe haberet humanæ ſubſtantiæ naturam, & humanæ carnis in-„ quinamenta neſciret...... Quod ut fieret, ſine ſemine virili editus „ eſt Chriſtus ex Virgine, quam non humanus coïtus, ſed Spiritus „ ſanctus fœcundavit..... Immaculata virginitas concupiſcentiam neſci-„ vit, ſubſtantiam miniſtravit; .... quia novus homo ſic contemperatus „ eſt veteri, ut & veritatem ſuſciperet generis, & vitium excluderet ve-„ tuſtatis." Et Serm. 5, cap. 5: „ Solus inter filios hominum Domi-„ nus Jeſus innocens natus eſt, quia ſolus ſine carnalis concupiscentiæ „ pollutione conceptus."

Fauſtus Reienſis, quanquam Semipelagianorum coryphæus, SS. Eccleſiæ Doctoribus hoc in capite conſenſit, lib. 1. *de Gratiâ & libero arbitrio*, cap. 2, ubi ſic loquitur: „ Unde veniat nexus ille, qui per poſ-„ teros trahitur, ſi requiras, procul dubio per incentivum maledictæ ge-„ nerationis ardorem, & per illecebroſum utriusque parentis amplexum. „ Nam cùm illum ſolum videas ab originali immunem eſſe contagio-„ ne, qui non carne, ſed ſpiritu, nec erubescendâ paſſione, ſed ſtupen-„ dâ benedictione conceptus eſt, cognoſce cauſam mali originalis dè „ oblectamento natam conceptionis, & de vitio voluptatis."

S. Fulgentius in libro *de Incarnatione & gratiâ*, quem cæterorum Africæ Epiſcoporum pro fide exulantium nomine ſcripſit, cap. 13: „ Vul-„ vam, inquit, matris ejus (Chriſti) non concupiscentia mariti con-„ cumbentis, ſed omnipotentia filii naſcentis aperit. Ideo ſolus eſt in „ quo princeps hujus mundi veniens nihil invenit." Et lib. 1. *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, quem pariter eorumdem Epiſcoporum hortatu compoſuit, cap 2: „ Ab hâc ſervitute, quâ naſcens parvulus te-„ netur obſtrictus, ſolus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Je-„ ſus liber eſt genitus, qui, licet verus homo fuerit natus, non tamen „ interveniente concupiſcentiâ carnis, nec ex concubitu maris & femi-„ næ, ſed ex Spiritu ſancto natus."

S. Bernardus, in Epiſt. 174 ad Canonicos Lugdunenſes, inde probat B. Virginem in peccato conceptam fuiſſe, quòd in ejus conceptione concu-

piſcentia intervenerit. „ Peccatum , inquit , quomodò non fuit , ubi „ libido non defuit." Et Serm. 4. *in Vigiliâ Nativitatis Domini*: „ Quis, „ inquit, poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine , niſi „ qui ſolus ſine omni illicitâ & immundâ conceptus eſt voluptate?"

Philippus Abbas Bonæ Spei in Epiſtola 2. „ Qui ergo, inquit, non „ à carnalibus deſideriis more noſtro, ſed deſuper originem carnis traxit, „ profectò in conceptione originale vitium non contraxit, quia non ali- „ unde cuilibet naſcenti peccatum adſcribitur , quàm quòd ei per paren- „ tum concupiſcentiam ſeminali ratione tranſcribitur."

Hugo Victorinus, Summæ Sententiarum tract. 3, cap. 12: „ Unde in- „ venitur, inquit, quòd Chriſtus non habuit carnem peccatricem, ſed „ ſimilem carnis peccati? Quia illa caro non ex concupiſcentiâ viri de ma- „ tre fuit propagata, ſed operatione Spiritûs ſancti."

Denique S. Thomas, part. 3, quæſt. 28, art. 1. in corp., ait „ con- „ veniens fuiſſe dignitati humanitatis Chriſti, per quam peccatum mun- „ di tollebatur, (ut à Virgine conciperetur). Non poterat autem eſſe, „ inquit, quòd in naturâ jam corruptâ ex concubitu caro naſceretur ſi- „ ne infectione peccati originalis."

Parentes regenerati per concupiſcentiam, quæ in ipſis remanet, originale peccatum tranſmittunt.

III°. Cùm Pelagiani, ad evertendam fidem peccati originalis, frequenter objicerent à parentibus regeneratis trajici non poſſe in prolem peccatum, quod, fatentibus Catholicis, jam non habent, SS. Patres, ut huic objectioni locum amputarent, nunquam confugerunt ad pactum illud chimericum, quod nonnulli recentiores commenti ſunt, ſed reſponderunt propterea parentes regeneratos traducere peccatum in filios, quia, licet in eis remiſſa ſint peccati iniquitas & reatus, non tamen ſanata eſt infirmitas, remanente ſemper, quamdiu habitant in carne peccati, carnali concupiſcentiâ. Audiamus S. Auguſtinum nodum illum ſolventem in Epiſt. 194, al. 105, ad Sixtum, cap. 10. num. 44. „ Illud ſanè, in- „ quit, ſibi videntur acutiſſimè dicere: Quomodò peccatum tranſit in „ filios fidelium, quod in parentibus non dubitamus eſſe dimiſſum per „ baptiſmum? Quaſi..... in baptiſmo concupiſcentiæ carnis infirmitas „ continuò ſanetur, ſicut continuò reatus ejus abolertur, ſed gratiâ re- „ naſcendi, non conditione naſcendi. Unde, quiſquis per hanc concu- „ piſcentiam etiam de renato naſcitur, ſine dubitatione oberit nato, „ niſi & ipſe ſimiliter renaſcatur." Et lib. 2 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 34. num. 58: „ Proles (regeneratorum), quia non per ſpiri- „ talem, ſed per carnalem concupiſcentiam ſeminatur,..... inde reatum „ naſcendo trahit, ut, niſi renaſcendo, liberari ab illâ peſte non poſſit." Eodem modo reſpondent Venerabilis Beda in libro *Quæſtionum*, quæſt. 14; Philippus Abbas Bonæ Spei in Epiſt. 2; S. Thomas quæſt. 4 *de Malo*, art. 6. ad 7um, & ad 16um.

Cur ergo, inquies, S. Auguſtinus multis in locis fatetur neſcire ſe quomodò peccatum originale ad naſcentes tranſeat, eamque ob cauſam nun-

nunquam definire potuit utrùm anima oriatur ex traduce, an creando infundatur corpori?

Reſpondeo quæſtionem illam de origine animæ toto cœlo diſtare ab eâ quam nunc tractamus. S. Auguſtino, ex conſtanti & uniformi totius Eccleſiæ doctrina, certiſſimum ſemper fuit, ut ex allatis ſuperiùs plurimis ejus textibus luce clarius eſt, naturam humanam totam per peccatum primi hominis depravatam fuiſſe; iſtam depravationem in malo concupiſcentiæ potiſſimum conſiſtere; hoc malum, quod in actu conjugali virus ſuum vehementius exerit, cauſam eſſe propter quam naſcitur proles peccatrix; verùm quomodò fieri poſſit ut Deus optimus animam creando infundat corpori inquinato, cujus ſocietate & ipſa inquinetur, intelligere non valuit; ideòque circa animæ originem dubius ſemper & anceps hæſit.

Quæres quomodò intelligendum ſit peccatum originis transmitti per concupiſcentiam?

Quo ſenſu intelligendum eſt peccatum originis tranſmitti per concupiſcentiam.

Reſpondeo duobus modis id intelligi poſſe. 1°. Quidem ſupponendo concupiſcentiam actualem gignentium agere in ſemen ſeu in fœtum, illaque corrumpere & tabificare. Si enim vehementes motus ſive timoris, ſive deſiderii, quibus prægnantes interdum afficiuntur, plurimùm valent ad immutanda & figuranda mollia fœtuum corpuſcula, atque ex illa fœtuum affectione non rarò contingit ut anima quoque ſimillimis paſſionibus obnoxia ſit, quantò magis æſtus concupiſcentiæ, quo parentes, dum generant vel concipiunt, afficiuntur, conſimilem affectionem ſemini communicare exiſtimandus eſt; maximè cùm libido, unde hujusmodi æſtus exoritur, pro naturâ inoleverit! Hunc exponendi modum indicare videntur S. Auguſtinus lib. 5 *contra Julianum*, cap. 14. num. 51, & S. Gelaſius in Epiſtolâ ad Epiſcopos per Picenum; ubi concupiſcentiæ & peccati in prolem tranſitum comparant diſcriminatis virgarum coloribus, quas Jacob ovium oculis ſubjiciebat, & ex quarum aſpectu oves agnos diverſis coloribus aſperſos pariebant.

Alter exponendi modus eſt, ſi dicamus concupiſcentiam ex peccato natam adeò altè atque intimè in naturæ, ut ita dicam, medullis conſperſam eſſe, ut eam totam, ipſaque etiam ſemina inficiat. Hic ſenſus ſcripturæ & S. Auguſtini dictis multò conformior videtur. Nam ex ſeminis immunditiâ peccatum originale contrahi indicant hæc verba Job, XIV. 4: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* Et Juliano dicenti Deum, *qui primum hominem fecit ex pulvere, omnes fabricari ex ſemine*, reſpondet S. Auguſtinus, lib. 3 contra ipſum, cap. 17. num. 33: *Sed ex ſemine jam vitiato atque damnato.* Hinc, lib. 2 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 34. num. 57 & 58, peccatum, quo obſtricti naſcimur, comparat ægritudinibus quæ interdum à parentibus in prolem tranſeunt, & olivæ ex cujus ſemine nonniſi oleaſter naſcitur. „ Quapropter, inquit, quamvis & in hominibus naturâ generatis &
„ gra-

„ gratiâ regeneratis ſit iſta concupiſcentia repugnans legi mentis, tamen, quia remiſſa eſt in remiſſione peccatorum, non jam illis in peccatum reputatur....... Proles verò eorum, quia non per ſpiritalem, ſed per carnalem concupiſcentiam ſeminatur, velut ex illâ olivâ quidam noſtri generis oleaſter, ſic inde reatum naſcendo trahit, ut, niſi renaſcendo, liberari ab illâ peſte non poſſit."

QUÆSTIO QUARTA.

Quid ſit & in quo conſiſtat peccatum originale.

De naturâ ſeu eſſentiâ peccati originalis plurimæ ſunt ſententiæ.

1°. Nonnulli exiſtimant peccatum originale nihil aliud eſſe quàm imputationem transgreſſionis Adami, ſeu reatum pœnæ, non autem verum ac propriè dictum peccatum, quod naſcentibus inhæreat, eoſque culpabiles reddat. Hanc opinionem, ſeu veriùs hunc errorem, quo fides peccati originalis, ſolo retento nomine, penitùs evertitur, jam ſupra Quæſt. 1. Propoſ. 2. confutavimus.

2°. Plurimi dicunt peccatum originale conſiſtere in ſolâ privatione juſtitiæ originalis, quam Adamus ſibi ipſi ſuiſque poſteris peccando amiſit, hique rurſus in duas claſſes dividuntur. Alii nempè ſentiunt æterna & immutabili lege hominem teneri ad habendam juſtitiam, quâ Deo adhæreat, adeòque carentiam juſtitiæ ex ſeipſâ malam eſſe, hominemque peccati reum conſtituere. Alii verò docent carentiam juſtitiæ non eſſe per ſe malam, nec habere rationem peccati, niſi, priùs habita, per culpam, ſive propriam, ſive progenitorum, perdita fuerit; tunc enim in peccatum imputari, non idcircò præciſè quòd non habeatur juſtitia, ſed quia non habetur cùm haberi debeat; quod propriè privatio dicitur. Hujus opinionis primus auctor fuiſſe multis videtur S. Anſelmus. Reverà ſic ille loquitur in libro *de Conceptu Virginis & originali peccato*, cap. 26 & 27: „ Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in infantibus, niſi ipſam, quam ſuprà poſui, factam per inobedientiam Adæ juſtitiæ debitæ (ideò debitæ quia priùs acceptæ) nuditatem, per quam omnes filii ſunt iræ, quoniam & naturam accuſat ſpontanea, quam fecit in Adam, juſtitiæ deſertio, nec perſonas excuſat, ut dictum eſt, recuperandi impotentia (ut pote peccato contracta), quam comitatur beatitudinis quoque nuditas, ut, ſicut ſunt ſine omni juſtitiâ, ita ſint abſque omni beatitudine." Exponi tamen

tamen iſta facilè poſſunt de peccato originali, non materialiter, ſed formaliter ſumpto, nec excluſo concupiſcentiæ malo, quod ſe habeat tanquam materiale peccati. Nam ibidem, cap. 11, cùm ſibi objeciſſet peccati originalis vitium à magnis viris collocari *in illo ſemine quod cum ſenſu ſeminatur voluptatis*, ſic reſpondet: „ Hoc nullatenùs refragatur „ noſtræ rationi, quæ ſemen de Virigine ſumptum aſſerit eſſe mun„ dum, quamvis ſit de maſſâ peccatrice.“ Quidquid ſit de ipſius mente, certum eſt eum non definiendo, ſed conjiciendo & opinando locutum eſſe, ut ipſemet declarat in fine ejusdem libri: „ Hæc, inquit, „ breviter de originali peccato pro capacitate intellectûs mei, non tam „ affirmando, quàm conjectando, dixi, donec mihi Deus meliùs aliquo „ modo revelet. Si cui verò aliter viſum fuerit, nullius reſpuo ſenten„ tiam, ſi vera probari poſſit.“

Verum illam opinionem non pauci deinceps Theologi amplexi ſunt; atque inter alios Ægidius Romanus in tractatu *de Peccato originali*, cap. 6. „ Originale peccatum, inquit, ratione quâ dicit carentiam ori„ ginalis juſtitiæ, non eſt formaliter culpa, ſed magis habilitas quædam „ ad culpam; ratione verò quâ dicit debitum habendi eam, habet quòd „ ſit formaliter culpa. Ex eo igitur quòd tenemur vel debemus habere „ originalem juſtitiam, & non habemus eam, eſt nobis culpa origina„ lis.“ Idem docent Lyranus in caput 5um Epiſtolæ ad Romanos, Bellarminus lib. 4. *de Amiſſione juſtitiæ*, Molina, & alii.

3°. Matthias Illyricus Lutheranus multis editis libris probare conatus eſt peccatum originale eſſe ſubſtantiam malam, à diabolo productam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, per quam anima ſubſtantialiter corrumpitur, & in malum convertitur. Abſurda hæc opinio manifeſti erroris convincitur. 1°. Quia omnium ſubſtantiarum ſolus Deus auctor eſt, à quo facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil. 2°. Quia SS. Patres uno conſenſu adverſus Manichæos docent peccatum non eſſe aliquam ſubſtantiam, vel naturam, ſed merum defectum rectitudinis debitæ. 3°. Quia, poſito quòd anima per peccatum ſubſtantialiter mutetur, jam non eadem eſt quam Deus creavit. 4°. Quia, ſi anima ſubſtantialiter mutari poſſet, corrumpi pariter poſſet, adeòque non foret immortalis. 5°. Quia, ſi animæ ſubſtantia in malum converſa eſſet, nullius ſanctæ cogitationis, nullius boni operis capax eſſet, maximè in ſententiâ Illyrici, qui contendit peccatum originale manere in baptizatis, quamvis non eis imputetur. Legi poteſt Bellarminus lib. 4°. *de Amiſſione juſtitiæ*, ubi inſanum illum errorem refellit.

4°. Ab illo errore non ſatis recedunt nonnulli, qui cenſent peccatum originale conſiſtere in concupiſcentiâ, tanquam in qualitate phyſicâ & poſitivâ. Hujusmodi qualitates reſpuit ſana Theologia, quæ docet Deum eſſe cauſam efficientem eorum omnium quæ phyſica & poſitiva ſunt, nullatenus autem cauſam eſſe peccati.

5°. Cæteri Theologi, quibus aſſentimur, aſſerunt peccatum originale poſitum eſſe in reatu, ſeu dominio concupiſcentiæ, duoque in illo diſtingui oportere, materiale ſcilicet & formale; materiale eſſe ipſammet concupiſcentiam, ſeu inclinationem ad res creatas; formale eſſe voluntatis à Deo habitualiter averſæ, & concupiſcentiæ habitualiter conſentientis, inordinationem. Addunt inordinationem illam ideò naſcentibus imputari, quia in Adamo peccante omnes fuimus, atque unum cum eo ſumus, donec in Chriſto renaſcamur.

PROPOSITIO.

Peccatum Originale conſiſtit in reatu ſeu dominio concupiſcentiæ, prout eam ex Adamo trahimus, in quo peccante fuimus omnes, & quocum unum ſumus, donec renaſcamur in Chriſto.

NON leviter prætereundum eſt quod addimus, *prout vitium illud ex Adamo trahimus, in quo peccante fuimus omnes.* Non enim in ſolo præciſè concupiſcentiæ dominio, ſecluſo reſpectu ad primum hominem, in quo omnes continebamur, ſtat ratio formalis originalis peccati: alioquin, ut rectè obſervat Boſſuetus, quando fideles gratiam amittunt, regnatque in eis carnalis cupiditas, peccatum originale per baptiſma dimiſſum reviviſceret; quod fidei repugnat, adverſaturque Apoſtolo dicenti *ſine pœnitentiâ eſſe dona & vocationem Dei.* Quamobrem agnoſcendum eſt rationem formalem & primariam peccati originalis in eo ſitam eſſe, quòd in Adamo, tanquam in radice, omnes fuimus; quemadmodùm formalis illius remiſſio in eo conſiſtit, quòd per gratiam regenerationis Chriſto omnis juſtitiæ fonti inſerimur.

Defenſe de la Tradition & des SS. Peres, lib. 9, cap. 12 & 13.

Hoc præmiſſo, probatur Propoſitio:

1°. Ex Scripturis. Joannis III, Chriſtus Nicodemo ſic loquitur: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Non mireris quia dixi tibi: oportet vos naſci denuò.* Ideo igitur indiget homo renaſci, quia de carne natus, caro eſt, id eſt, quia per concupiſcentiam à primo parente derivatam genitus, concupiſcentiæ ſervus naſcitur. *Carnis* enim nomine, quoties ſpiritui opponitur, concupiſcentiam in ſcripturis intelligi jam multoties diximus. Non ergo mera privatio juſtitiæ originalis, ſed dominium concupiſcentiæ ab Adamo contractæ naſcentes reos tenet.

Rom. VII, Apoſtolus concupiſcentiam pluries appellat *peccatum.* *Pec-*

catum, inquit, *operatum eſt in me omnem concupiſcentiam...... Jam non ego operor illud* (malum), *ſed quod habitat in me peccatum..... Mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati.* Porrò concupiſcentia nullomodò poſſet dici peccatum, niſi eos in quibus dominatur, & in quibus reatus ejus per gratiam regenerationis non deletus eſt, peccatores conſtitueret. Dominatur autem in parvulis non baptizatis, ſiquidem in eis ſola exiſtit. Ergo per illam parvuli conſtituuntur peccatores.

Ibidem, cap. VIII. 1, idem Apoſtolus exponens unde in regeneratis nihil ſit damnatione dignum, hanc cauſam affert, quòd a dominio concupiſcentiæ liberati ſunt. *Nihil ergo*, ait, *damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant. Lex enim ſpiritûs vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me à lege peccati & mortis.*

Ibidem, v. 3, addit *Deum miſiſſe Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati;* quod manifeſtè ſupponit carnem noſtram, cui caro Chriſti ſecundum ſubſtantiam ſimilis eſt, carnem eſſe peccati; atque adeò per peccatum originale corpus ipſum peccato ſubjacere. Porrò, ſi peccatum originale eſſet mera privatio juſtitiæ originalis, nullatenùs pertineret ad corpus, quod, ſicut recipiendæ, ita & amittendæ juſtitiæ omninò incapax eſt. Igitur illud peccatum conſiſtit in concupiſcentia, quæ carnem ipſam inficit, & per carnem animam ipſi habitualiter conſentientem captivam facit. Hinc S. Fulgentius, lib. *de Incarnatione & gratia*, cap. 15, ait: „ Si caro peccati non mendaciter dicitur, habet in ſe caro ipſa peccatum: ſi „ verò peccatum non habet, falſum portat carnis peccati vocabulum."

Probatur 2° ex SS. Patribus, quorum teſtimonia in præcedenti Quæſtione prolata ſunt. Si enim ideò naſcentes peccatum contrahunt, quia non ſine libidinis interventu generantur, procul dubio peccatum originale aliud eſſe non poteſt, quàm concupiſcentiæ, cui habitualiter ſerviunt, inordinatio. Quemadmodum enim natura humana, quia bona eſt, naturam bonam gignit, ita concupiſcentia, quia mala eſt, fœditatem ſuam contagione quâdam diffundit.

Probatur 3° ſpeciatim ex S. Auguſtino, qui hanc quæſtionem, occaſione Pelagianorum, cæteris Eccleſiæ Doctoribus copioſiùs pertractavit. Sexcentos illius eam in rem textus proferre facile foret. Nonnullos referre ſufficiat.

Libro 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 4: „ Concupiſcentia, „ inquit, tanquam lex peccati manens in membris corporis hujus, cum „ parvulis naſcitur, in parvulis baptizatis à reatu ſolvitur...... Parvu- „ los non baptizatos reos innectit, & tanquam iræ filios, etiamſi parvuli „ moriantur, ad condemnationem trahit. In grandibus autem baptiza- „ tis,...... ſoluto reatu, quo vinctos originaliter detinebat, ad agonem „ interim manet."

Lib. 1 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 32. num. 37: „ Remiſſio „ peccatorum quandiu non fit in prole, ſic ibi eſt lex iſta peccati, ut

„ etiam in peccatum imputetur, id eſt, ut etiam reatus ejus cum illâ „ ſit, qui teneat æterni ſupplicii debitorem. Hoc enim trajicit parens „ in prolem carnalem quod eſt ipſe carnaliter natus, non quod ſpirita- „ liter eſt renatus, quia idipſum, quo carnaliter natus eſt, quamvis, ſo- „ luto reatu, non impediat fructum ejus, tamen tanquam in ſemine „ olivæ latet.“

Lib. 6 *contra Julianum*, cap. 15. num. 48: „ Tale porro ac tam magnum „ malum (concupiſcentiæ), tantùm quia ineſt, quomodò non teneret in „ morte, & pertraheret in ultimam mortem, niſi & ejus vinculum in illâ, „ quæ fit in baptiſmo, remiſſione peccatorum omnium ſolveretur?“

Ibidem, cap. & num. ultimò, recenſens ea quæ in ſex libris diſſeruerat: „ Demonſtratum eſt, inquit, ... ei tantum concupiſcentiam carnalem mortem non inferre poſt mortem, qui in morte Chriſti invenerit mortem, quâ moriatur peccato, & evaſerit mortem, quâ natus „ fuerat in peccato.“

Fruſtra reſpondent nonnulli per concupiſcentiæ reatum nihil aliud à S. Doctore intelligi, quàm reatum peccati, quod concupiſcentiæ cauſa eſt. Quamvis enim reatus concupiſcentiæ ſit reipſâ reatus peccati, luce tamen clarius eſt hunc reatum in mente S. Auguſtini conſiſtere in dominio concupiſcentiæ, quam aſſerit parvulos *reos innectere*, *in condemnationem trahere*, *in peccatum imputari*, *æterni ſupplicii debitorem tenere*, *taleque ac tantum malum eſſe*, *ut*, *hoc ſolo quod ineſt*, *in ultimam mortem pertrahat*, niſi vinculum ejus regeneratione ſolvatur. Hinc lib. 2. *contra Julianum*, cap. 4. num. 8: „ Non tamen, inquit, ideò malum hoc nihil nocuiſſet, „ etiamſi, priuſquàm in illo apparere cœpiſſet, parvulus hâc exiſſet è vitâ: „ quia reatus ejuſdem mali, non quo reum malum eſt, ſed quo reum „ facit in quo eſt, ſicut generatione contrahitur, ita, niſi regeneratio- „ ne, non ſolvitur. Hoc eſt propter quod parvuli baptizantur, ut non „ ſolùm regni Chriſti ſtuantur bonis, verùm & à malo regni mortis „ eruantur.“ Et lib. 1. *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 39. num. 69: „ In parvulis certè gratiâ Dei per baptiſmum...... id agitur, „ ut evacuetur caro peccati. Evacuatur autem, non ut in ipſâ vivente „ carne concupiſcentia conſperſa & innata repente abſumatur, & non „ ſit, ſed ne obſit mortuo, quæ inerat nato;..... ipſa verò, ſoluto „ reatûs vinculo, quo per illam diabolus animam retinebat, & inter- „ cluſione deſtructâ, quâ hominem à ſuo creatore ſeparabat, maneat in „ certamine &c.“ Quid manifeſtius, quàm illis verbis ipſiuſmet concupiſcentiæ in parvulis non baptizatis regnantis reatum deſcribi?

Ut autem magis adhuc liqueat, ſi fieri poteſt, quantùm hæc doctrina S. Auguſtino, & Eccleſiæ Catholicæ, cujus partes agebat, indubitata fuerit, advertendum eſt Pelagianos de ipſius mente nequaquam dubitaſſe, multaque in contrarium objeciſſe, ac præcipuè hæc duo: primum, infantes ex concupiſcentiâ non poſſe conſtitui peccatores; quandoquidem

concupiſcentia remanet in renatis, in quibus tamen nihil damnationis eſt; alterum, parentes non poſſe transmittere in prolem concupiſcentiæ reatum, quem ipſi non habent. Ad hæc autem quid S. Doctor? Reſpondet-ne ſe non intelligi? Emollit-ne ſaltem, aut temperat id quod offendebat Pelagianos? Minimè. Illud è contrario magis ac magis confirmat. Ad primùm quidem dicit, lib. 1. *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 25. num. 28, „ dimitti concupiſcentiam carnis in baptiſmo, non ut „ non ſit, ſed ut in peccatum (baptizatis) non imputetur:" Et cap. 26. num. 29: „ In eis ergo qui regenerantur in Chriſto, cum remiſſio„ nem accipiunt prorſus omnium peccatorum, utique neceſſe eſt ut rea„ tus etiam hujus, licèt manentis adhuc, concupiſcentiæ remittatur, „ ut in peccatum, ſicut dixi, non imputetur." Ad alterum reſpondet ſimiliter concupiſcentiam, quæ in parentibus baptizatis non ampliùs peccatum eſt, quia reatus ejus regeneratione abolitus eſt; ideò in prole peccatum eſſe, quia reatus ejus non niſi in baptiſmo dimittitur. „ Cur autem, inquit lib. 5. *contra Julianum*, cap. 19. num. 50, „ de malo, „ quod ei adjacet atque ineſt membris ejus, reus non ſit fidelis, & ex „ eo malo tamen qui naſcitur reatum trahat, jam neſcio quoties dixi„ mus. Fideli enim hoc beneficium regeneratio contulit, non genera„ tio. Inde ergo ab eo reatu ſolvenda eſt proles, unde ſolutus eſt pa„ rens." Conſtat igitur tum ex Pelagianorum argumentis, tum ex S. Auguſtini dictis, reſponſionibus & aſſertionibus, peccatum originale in ipſius doctrinâ, quæ doctrina eſt Eccleſiæ, in reatu ſive dominio concupiſcentiæ conſiſtere.

Probatur 4° ex S. Fulgentio, lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 3. „ In parvulis, inquit, cùm nullum ſit ex propriâ vo„ luntate peccatum, ineſt tamen filiis iræ carnaliter genitis macula pa„ rentalis, quæ nævo paternæ transgreſſionis infligit terrenam naſcen„ tibus fœditatem." Quænam autem eſt *terrena* illa *fœditas*, niſi concupiſcentiæ pravitas, quæ homines terrenos facit? Porrò illa fœditas, ex S. Fulgentio, eſt ipſummet originale peccatum.

Probatur 5° ex concilio Tridentino, ſeſſ. 5. can. 5, ubi definit *concupiſcentiam* in renatis non eſſe *verè* & proprie *peccatum*. „ Quamvis enim, „ uti obſervat Eſtius in 2um, diſt. 30, § 9, Patres concilii Tridentini de„ finire noluerint in utro potiùs conſtituendâ ſit ratio peccati origina„ lis, utrùm in privatione juſtitiæ, an in concupiſcentiâ, per hoc ta„ men quòd docent *concupiſcentiam in renatis non eſſe peccatum*, ſatis „ videntur ſignificaſſe eam eſſe peccatum in non renatis, idque bonum „ eſt argumentum à contrario ſenſu. Nam ibidem ſimiliter dicitur „ quòd *in renatis nihil Deus odit*; unde benè ſequitur ex mente conci„ lii: ergo in non renatis aliquid Deus odit. Ita ſequitur ex ejuſdem „ mente, *concupiſcentia in renatis non eſt peccatum*; ergo in non rena„ tis

„ tis eſt peccatum." Eodem modo ratiocinatur celeberrimus Boſſuetus, *Defenſe de la Tradition & des SS. Peres*, lib. 8. cap. 27.

Probatur 6° ſuffragio præſtantiſſimorum Theologorum, quos inter duos tantùm commemorabo, ſcilicet Doctores Angelicum ac Seraphicum.

S. Thomas, part. 1. quæſt. 82. art. 3. in corp., ait: „ Peccatum ori- „ ginale materialiter quidem eſſe concupiſcentiam, formaliter verò eſſe „ defectum originalis juſtitiæ:" & ibid. art. 1. ad 1, peccatum illud non eſſe meram privationem, ſed quemdam habitum corruptum, qui certè habitus aliud eſſe non poteſt, quàm concupiſcentia in homine naſcente habitualiter dominans. Idem docet Quæſt. 4 *de Malo*, art. 2.

S. Bonaventura, part. 6. Breviloquii, cap. 7, concupiſcentiam pariter includit in notione peccati originalis. Dicit enim peccatum illud *non ſolùm privare animam vitâ gratiæ & virtutum rectitudine*, ſed etiam *promptam quodammodò reddere ad omne genus culpæ, & infantem facere concupiſcibilem, & adultum actu concupiſcentem.* Omitto Magiſtrum Sententiarum, Gregorium Ariminenſem, & alios plurimos.

Probatur ultimo rationibus Theologicis.

1°. Peccatum generatim, juxta definitionem S. Auguſtini à Theologis omnibus receptam, *eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturas.* Cùm igitur peccatum originale verum peccatum ſit, neceſſe eſt ut duo illa in ſe includat, nempe averſionem à Deo, & converſionem ad creaturas. Non autem includeret converſionem ad creaturas, niſi conſiſteret in dominio concupiſcentiæ, quæ nihil aliud eſt quam inordinatus amor creaturarum. Sicut ergo malè definiret peccatum ſuperbiæ, vel avaritiæ, qui diceret tantummodò illa eſſe privationem humilitatis vel paupertatis ſpiritalis; benè verò, qui diceret illa eſſe appetitum pravum & inordinatum propriæ excellentiæ vel divitiarum; ita non rectè, nec ſufficienter definitur peccatum originale, ſi dicatur illud eſſe privationem juſtitiæ, nec addatur ſitum illud eſſe in amore perverſo creaturarum, in quo propriè concupiſcentia conſiſtit.

2° Peccatum originis ejuſdem generis eſt ac peccatum Adami, à quo derivatur. Porrò peccatum Adami non fuit mera deſertio ſive privatio juſtitiæ originalis, immo illa privatio à Deo juſto inflicta magis habet rationem pœnæ quàm culpæ, ſed fuit averſio à Deo, ac vehemens converſio ad ſeipſum & ad res creatas. Ergo in peccato originali illa duo reperiri neceſſe eſt: quod fieri nequit, niſi peccatum illud in concupiſcentiæ dominio ac reatu conſtituatur.

3°. „ Nemo, ut ait Eſtius in 2um, diſt. 30, § 9, avertit ſe à bono „ quopiam, niſi ductus cupiditate, vel deſiderio alicujus boni, quod „ cum priore non conſiſtit. Ita enim tam angelus, quàm homo, pro- „ priam excellentiam plusquàm oportuit appetentes, à Deo receſſerunt. „ Quod ergo in actibus veritatem habet, ita & in vitio habituali ex „ prima hominis tranſgreſſione contracto conformiter intelligendum eſt.

„ Ideò

„ Ideò enim naſcimur averſi à bono incommutabili, quia naſcimur curvi & inclinati ad bona commutabilia. Quod congenitum nobis vitium concupiſcentiam vocamus."

Et certè voluntas rationalis, quæ tota amor eſt, ſine aliquo vel habituali, vel actuali amore eſſe nequit; nec ſic amare poteſt, ut amorem ſuum in nullum bonum determinatum convertat. Cùm ergo in parvulis naſcentibus nullus ſit Dei ac juſtitiæ amor, quid reſtat, niſi ut eorum voluntas in amorem creaturarum tota converſa ſit. *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non eſt Dei caritas*, ut ait S. Auguſtinus.

4° Qui peccatum originale in ſolâ privatione juſtitiæ originalis conſtituunt, ac maximè illi qui ſentiunt privationem juſtitiæ non eſſe ex ſeipſâ peccatum, ſed Adæ poſteris in peccatum imputari, eoquòd propter primi parentis culpam eâ privari meruerint, fidem peccati originalis videntur funditùs evertere. Si enim naſcentibus nihil inſit quod ex ſe peccatum ſit, eodemque in ſtatu naſcantur, in quo naſcerentur homines in puris, ut aiunt, naturalibus creati, qui utique, ut juſtitiæ, ita & peccati prorſùs expertes eſſent, hoc tantùm admiſſo diſcrimine, quòd naſcantur nunc parvuli nudi ac ſpoliati juſtitiâ à primo parente deperditâ, illi autem parvuli, in puris naturalibus primitùs creati, naſcerentur tantummodò nudi, non verò ſpoliati ac nudati; hoc certè poſito, parvuli qui naſcuntur nullomodò peccatores cenſendi ſunt, ſed tantùm miſeri. Quam enim ob cauſam peccatores cenſerentur? An quia carent juſtitiâ? Verùm ea carentia, in opinione quam refellimus, non habet ex ſeipſâ rationem peccati, hominemque in puris naturalibus creatum peccatorem nequaquam redderet. An quia propter primi hominis peccatum juſtitiâ ab illo deperditâ deſtituti ſunt? Sed cujus æquitatis eſt privationem illam parvulis, quibus nihil ex ſe perverſum inhæret, in peccatum imputare, quæ partim merè pœnalis eſt, partim non propter culpam ſibi propriam, ſed propter alienam illis infligitur? Reſtat ergo ut parvuli non verè & propriè, ſed metaphoricè tantùm & impropriè peccatores dicantur. Hoc quid eſt autem, niſi peccati originalis capitale dogma, ſolo retento nomine, penitus evertere?

Sanè ſi rex quiſpiam ſubditum nobilem, ampliſſimiſque muneribus ac dignitatibus auctum, totamque ejus progeniem, in pœnam ſceleris ab illo admiſſi, nobilitate, honoribuſque illi conceſſis in perpetuum deſtitueret, numquid ipſius filii, nepotes, abnepotes hoc ſolo pro peccatoribus haberentur, quòd propter crimen paternum naſcerentur ignobiles? Pœna iſta erit, miſeria eſt, infortunium eſt; peccatum verò, niſi valde impropriè ac valde incongruè, dici nequit.

Objiciunt 1°. Quod eſt pœna peccati, peccatum non eſt. Atqui concupiſcentia eſt pœna originalis peccati. Ergo peccatum originale in eâ conſiſtere nequit. 2°. Illud in Adami poſteris peccatum non eſt, quod in ipſo Adamo peccatum non fuit: concupiſcentia autem in Adamo pœnalis

nalis duntaxat fuit, non peccatum: igitur nec in ejus poſteris peccatum eſt.

Reſpondeo ad primum, concupiſcentiam quidem pœnam eſſe peccati, quatenùs eſt propenſio indeliberata ad malum, & rectè agendi difficultas; ſed in parvulis naſcentibus ex Adamo, *in quo omnes peccaverunt*, eam eſſe verum ac propriè dictum peccatum, propter habitualem voluntatis conſenſum, niſi per regenerationis lavacrum, infuſo caritatis habitu, reatus ejus ſolvatur.

Ad alterum pariter reſpondeo concupiſcentiam non fuiſſe peccatum in Adamo, quatenùs indeliberatè impellit ad malum, & avertit à bono; ſed peccatum in illo fuiſſe primò quidem actuale, quo liberrimâ voluntate ſeipſum à Deo avertit, & ad ſeipſum bonaque creata convertit; deinde vero habituale, quatenus, antequàm divinâ miſericordiâ educeretur à peccato ſuo, habitualiter ſerviebat legi peccati, in ſuî ipſius & rerum creatarum amore totus immerſus. Namque in peccato primi hominis duo ſunt diſtinguenda, ſcilicet actus ipſe peccati, quo in ſeipſo rebusque creatis bonum ſuum libero ſuo arbitrio exquiſivit, & inordinatio voluntatis inde ſubſecuta & permanens, donec per gratiam Christi ſanetur. Porrò illa voluntatis inordinatio ac converſio ad bona commutabilia, quam reatum concupiſcentiæ, poſt S. Auguſtinum, appellamus, ad poſteros Adami tranſit, eosque peccatores conſtituit.

Objiciunt 2°. SS. Patres peccatum originale non rarò collocant in privatione juſtitiæ. Ergo in merâ juſtitiæ privatione reipſâ conſiſtit peccatum originale.

Nego conſequentiam. Reverâ privatio juſtitiæ & caritatis eſt ratio formalis peccati originalis; *concupiſcentia* verò, ut ait S. Thomas, *ſe habet materialiter*, ſeu tanquam materiale. Quemadmodùm autem SS. Patres, cùm docent peccatum actuale non eſſe aliquid poſitivum, ſed privationem, ſeu defectum debitæ rectitudinis, non ideò excludunt actum poſitivum qui ſubſtat hujusmodi defectui; ita pariter, cùm dicunt peccatum originale eſſe privationem juſtitiæ, non ideò concupiſcentiam à notione peccati originalis removent. His adde, non ideò per concupiſcentiam naſcentes reos fieri, quia ipſis ineſt, ſed quia in eis dominatur & regnat; ideò autem dominatur, quia ſola eſt, nec adeſt gratia & juſtitia, quæ dominium illud excluderet; ut inde manifeſtum ſit quòd, diffuſâ per gratiam baptiſmi in corde caritate, ſicut jam non regnat; ita reum non faciat infantem. Quando igitur SS. Doctores peccatum originale in privatione gratiæ ſive juſtitiæ poſitum eſſe dicunt, præcipuam catholici dogmatis partem exprimunt, non verò alteram negant.

Quodnam ſit ſubjectum peccati originalis.

Quæres quodnam ſit ſubjectum peccati originalis?

Reſpondeo cum S. Thoma, part. 1. quæſt. 83. art. 1. in corp., ſolam animam ſeu mentem propriè eſſe ſubjectum hujus peccati, quia, ut juſtitiæ, ita & peccati ſola, propriè loquendo, capax eſt. Reſidet tamen

tamen præſuppoſitivè in carne peccati, cujus corruptione anima inquinatur, & carnaliter in libidine, ſine quâ generatio non fit, & quâ peccatum in prolem trajicitur.

Quæres 2° utrum iſtud peccatum in omnibus naſcentibus æquale ſit? *An peccatum originale æquale ſit in omnibus hominibus.*

Reſpondeo concupiſcentiam, quam in peccato originali materialiter ſe habere diximus, diſparem eſſe poſſe pro diverſâ corporum contemperatione; ex quo contingit ut propenſiones in malum diverſæ quandoque ſint & inæquales: at peccatum ipſum formaliter ſumptum in omnibus naſcentibus æquale eſſe docent omnes ferè Theologi cum S. Thoma, part. 1. quæſt. 82. art. 4, confirmantque ex eo quòd *peccatum originale ſit peccatum naturæ, quæ æqualiter eſt in omnibus*. Aliunde hoc peccatum, ut dictum eſt, præcipuè conſiſtit in privatione gratiæ & caritatis; quæ privatio cùm in omnibus naſcentibus totalis ſit, & ex eodem fonte proveniat, non videtur ſuſcipere majus vel minus. Denique admodùm probabile eſt gratiam æqualem omnibus parvulis per baptiſmum infundi. Ut ergo oppoſitio Chriſtum inter & Adamum ab Apoſtolo inſtituta integra ſit, cenſendum eſt peccatum quoque æquale ab omnibus ex Adamo progenitis contrahi. Quamobrem, quando inter adultos alii vehementiùs, alii remiſſiùs inclinantur ad malum, id non ex peccati originalis in ſeipſo conſiderati inæqualitate provenit, ſed vel corporum complexioni, vel educationi, vel oblatis peccandi occaſionibus, vel pravis conſuetudinibus tribuendum eſt.

QUÆSTIO QUINTA.

De ſtatu parvulorum non regeneratorum ex hac vitâ decedentium.

PLURIMI, inordinatâ erga illos parvulos commiſeratione ducti, varias de illorum ſtatu opiniones, pro arbitrio quiſque ſuo, confinxerunt.

1°. Quidam cenſuerunt aliquos ſaltem infantes, etſi non baptizatos, transmitti in regnum cœlorum. Hos inter Vincentius Victor, è grege Rogatiſtarum, qui Donatiſtarum fragmen erant, ad Eccleſiam catholicam reverſus, librum ſcripſit *de Origine animarum*, in quo dicebat parvulos aliquâ aliâ viâ, quàm baptiſmi, poſſe peccatorum remiſſionem regnumque cœlorum conſequi, ac proinde offerri pro illis debere ſacrificium Corporis Chriſti, ut refert S. Auguſtinus in libro 1° & 3° *de Origine animæ*. Addebat manſiones quaſdam eſſe beatas extrà regnum Dei,

diximus in expoſitione doctrinæ Pelagianorum, Lib. I. Diſſert. 1. cap. 2.

3° Plurimi recentes Scholâſtici peccatum originis, ſive ſincerè, ſive vocetenùs confitentes, parvulis ſine baptiſmo decedentibus regnum quidem cælorum Deique viſionem negari docent, ſed, Pelagianorum exemplo, beatitudinem naturalem donari contendunt, in quâ non modò ab omni malo immunes, ſed etiam in perpetuum felices futuri ſint, nullumque de regni cæleſtis privatione mæroris ſenſum percepturi. Non abs re erit nonnullos eorum commemorare, enormesque illorum aberrationes in medium producere.

Ita ſenſiſſe Fratres quosdam Minores refertur in *Hiſtoriâ Concilii Tridentini.* Dicebant illi parvulos non baptizatos poſt ultimum judicii diem terram habitaturos, ſolis lumine fruituros, Philoſophiæ artibusque excolendis vacaturos. Addebat Catharinus, in libro de *Statu puerorum*, eos rerum naturalium perfectam cognitionem habituros, atque etiam ab angelis & hominibus beatis identidem inviſendos. Eadem effutierunt Albertus Pyghius in 5ª Controverſiâ, & Hieronymus Savonarola in libro *de Triumpho crucis.*

Salmero Jeſuita, Comment. Epiſt. ad Rom. diſp. 48, ſic eâ de re loqui- Tom. 13. pag.
tur: „ Reſurgent pueri per Chriſtum, & ſuper beatitudinem naturalem, quâ 56. col. 1.
„ quotidie proficient in cognitione operum Dei & ſubſtantiarum ſeparata-
„ rum, viſitationes habebunt angelicas, &, tanquam noſtri ruſtici hanc
„ terram incolent, ut, qui medii ſunt inter gloriam & ſupplicium, ſint
„ etiam medio in loco, & ut appareat magnitudo & excellentia beatitu-
„ dinis naturalis; hæc autem terra ſuo ornatu non privabitur, quia mix-
„ ta ſimplicibus ſunt perfectiora: licet, ob originale, ad judicii diem
„ modò in Lymbis detineantur." Objectâ autem ſibi S. Auguſtini & S. Gregorii magni auctoritate, reſpondere non dubitat illos modum exceſſiſſe, nec juxta Eccleſiæ mentem ſenſiſſe.

Molina, in *Concordia*, quæſt. 23. art. 3 & 4, membro 9: „ Parvuli
„ reprobati, inquit, perinde ſe habent, ac ſi in puris naturalibus fuiſſent
„ conditi; imò poſt diem judicii, cum eorum animæ fuerint corporibus
„ reſtitutæ, ab omnibus moleſtiis & ærumnis, quibus in hâc mortali
„ vitâ ſubjacemus, ſupernaturaliter liberabuntur, melioremque in na-
„ turalibus vitam, vitio omni mentis & corporis immunem, in perpe-
„ tuas æternitates ducent, quàm ullus unquam mortalium duxerit."

Leſſius, lib. 13. *de Attributis*, cap. 23, dicit illorum parvulorum mentem & corpus poſt reſurrectionem renovanda eſſe, eosque ſorte ſuâ planè contentos nihil ultra deſideraturos, Deo gratias acturos quòd ipſos præmaturâ morte à peccatis actualibus præſervaverit, ſubſtantias angelicas viſuros, creatorem per creaturas cognitum glorificaturos.

Vasquez, in 1. 2. diſput. 134. cap. 13. num. 12: „ Mihi certum eſt, in- Tom. III. pag.
„ quit, ... infantes decedentes in originali nullâ afflictione in alterâ 603. col. 1.
„ vitâ torqueri; modum autem quo id fieri poſſit, cùm ſe videant tan-

„ to bono expertes, divinæ providentiæ & judicio reſervatum exiſtimo.
Pag. 602. col. 2. Aſſerit etiam ibidem eoſdem, poſt reſurrectionem, omnibus bonis naturalibus fruituros eſſe. Mirum certè eſt id Vasqueſio *certum fuiſſe*, poſtquam confeſſus fuerat SS. Auguſtinum, Fulgentium, Gregorium magnum pro certo tenuiſſe illos parvulos affici etiam pœnâ ſenſûs.

Idem docet Suarez in 1. 2. Tract. 5 *de Peccatis*, disput. 9. ſect. 6.

Meratius, tom. 1. Tract. *de Peccatis*, disp. 16. quæſt. 1, aſſerit pariter parvulos non regeneratos, non ſolùm mœſtitiam nullam habituros eſſe de privatione Dei, ſed etiam maximo gaudio fruituros. „ Nec di-
Pag. 639. „ cas, inquit, eos damnatos eſſe, cum pœna autem damnationis non „ poſſe gaudium, multòque minùs naturalem beatitudinem, conſiſtere. Id „ enim, etſi verum ſit de pœna damnationis, quæ complectitur eam pœ„ nam damni & ſenſûs, quâ, propter actualia peccata, damnati crucian„ tur, falſum tamen eſt de pœnâ damnationis quæ ſolam damni pœ„ nam includit: cum hâc enim, ut pote conſiſtente in purâ privatione, „ ſtare naturaliter poteſt actus aliquis delectationis, & ille omnis quo „ felicitas naturalis continetur."

Pag. 452, col. 1. De Rhodes, tom. 1. *Theologiæ Scholaſticæ*, diſp. 4. *de Peccatis*, quæſt. 2. ſect. 3. §. 3, cùm dixiſſet SS. Auguſtinum, Gregorium magnum, Fulgentium, Avitum, aliosque Patres docere parvulos illos puniri pœnâ ſenſûs, contendere non dubitat SS. illos Doctores, ut Pelagianam hæreſim effugerent, in extremum oppoſitum incidiſſe. Et poſteà: „ Reſpon„ deo, inquit, pueros, qui cum originali peccato deceſſerint, nullâ „ inde afficiendos eſſe triſtitiâ ex amiſſâ beatitudine." Et paulò poſt: „ Verius igitur eſt quòd illi agent in loco ſubterraneo, non tamen te„ nebroſo, vitam tranquillam, expertem doloris & ſollicitudinis, ubi etiam „ non deſinent laudare Deum."

Edit. Rom. 1704. pag. 4. num. 6. Bonucci Jeſuita Romanus, in Defenſione Decreti Alexandri VIII contra 31 propoſitiones, ſect. 2: „ Nulla pœna, inquit, neque externa ig„ nis, neque interna triſtitiæ ex privatione æternæ felicitatis cauſata, „ „ debita eſt infantibus cum originali morientibus."

Pomey in *Catechiſmo Theologico*, Inſtruct. 17, ſect. 6, *de Lymbo*, affirmat nullum de privatione cœleſtis regni dolorem parvulis eſſe futurum; eos bonis naturalibus ſibi collatis beatos fore; omnibusque incommodis remotis, cunctis naturalibus dotibus, quibus humana natura tam in corpore, quàm in animâ donari poteſt, fruituros, atque in æternum laudaturos Deum, cui perfectiſſimâ cognitione & perfectiſſimo amore conjungentur.

Hos omnes audaciâ ſuperaſſe videtur Card. Sfondratus in *Nodo prædeſtinationis diſſoluto*, pag. 120; eumque ſecutus eſt Harduinus, Comment. in novum Teſtamentum, digreſſione in Epiſtolam ad Romanos. „ In „ hâc parvulorum cauſâ, ait Sfondratus, conſiderandum eſt, licet Deus „ ad cœleſtem gloriam eos non admiſerit, alio tamen, multòque ma-

„ jo-

Digitized by Google

„ jori beneficio affeciſſe, quod illi ipſi longè cœlo prætuliſſent, & „ nos quoque, ſi electio daretur, multò majoris pretii quàm cœlum „ duceremus: id verò beneficium fuit, quòd fato præmaturo abreptos in„ nocentiæ ſuæ perſonalis ſecuros reddidit..... Quid ergò conqueri de „ Deo poſſunt, aut quid ipſis mali fecit, ſi, non quidem cœlo, ſed alio „ beneficio donavit, quod multò præſtantius cœlo eſt, quodque & ipſi, „ & omnes ſapientes cœlo præferrent?.... Ergo nulla dolendi, nulla „ conquerendi, ſed magna laudandi gratesque agendi cauſa eſt." Ex quo ſequitur, uti obſervarunt quinque celeberrimi Galliarum Præſules in „ ſuâ ad Innocentium XII contra hunc peſtiferum librum Epiſtolâ, " ut „ profectò parentibus Chriſtianis parvulos ſuos amittentibus ſine baptiſ„ mi gratiâ, non luctus, ut fit, ſed gratulatio indicenda ſit; ipſi verò „ parvuli tanti ſacramenti exſortes lætis magis vocibus, quàm lacrymis, „ proſequendi videantur." Et poſteà: „ Quod autem toties parvulis „ *immunitas à peccato*, ipſaque adeò *innocentia* tribuatur, intolerabile „ credimus, vanaque erroris excuſatio eſt, quòd *innocentia* novo atque am„ biguo nomine *perſonalis* vocatur. Neque enim parvulorum perſona in„ nocens eſt, *ad quam peccatum ipſum, quod eſt mors animæ, tranſit*, „ ut eſt in Arauſicano II, ac poſteà in Tridentino concilio definitùm: „ non, inquam, perſona innocens eſt eoquòd careat peccatis propriâ „ voluntate contractis, immo verò peccatrix, quæ ſub irâ Dei, atque „ in poteſtate tenebrarum naſcitur, quæ exorciſmis exſufflatur, quæ „ aquâ mundatur: valetque omninò illud quod à S. Auguſtino Triden„ tina ſynodus deprompſit, originale peccatum non utique nobis eſſe „ extraneum, imò, *ut origine unum, ita propagatione unicuique eſſe pro„ prium*, nec niſi inhærente & propriâ ſanctitate purgandum." Hanc autem Epiſtolam approbavit & magnoperè collaudavit Clerus Gallicanus in celeberrimis anni 1700 Comitiis.

Illa opinionum portenta, quæ utinam ſilentio præterire liceret, ideò oculis ſubjecta eſſe voluimus, ut inde omnes veritatis amantes faciliùs intelligant quantum ex tam effræni licentiâ, niſi Deus avertat, fidei periculum immineat, metuantque ne ad ea tempora devenerimus, quæ S. Paulus prænuntiavit 2 ad Timoth. IV, cùm dicit: *Erit tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

4°. Alii, non quidem beatudinem naturalem expreſſis verbis promittunt parvulis in Chriſto non renatis, ſed omnem prorſus ab eis de privatione regni cœleſtis mœrorem ablegant. Mirum eſt hanc opinionem aliquando non diſplicuiſſe S. Thomæ, quæſt. 5 *de Malo*, art. 1, 2 & 3, & in 4, diſt. 33. Sed videtur eam poſteà deſeruiſſe. Nam in ſuâ Summâ de illâ penitùs ſilet, imò, Comm. in Epiſt. ad Eph. II. 3. lect. 1, in fine, agnoſcit infantes naſci ſub poteſtate diaboli, eſſe filios iræ, filios

Digitized by Google

vindictæ, pœnæ & gehennæ. Denique in Summâ *contra Gentes*, lib. 3. c. 6, expreſſis verbis rejicit locum medium inter regnum cœlorum & ignem æternum.

Hanc opinionem de beatitudine parvulorum ſine baptismo decedentium vulgò amplexi ſunt Jeſuitæ, aliique naturæ puræ poſſibilitatis aſſertores. Nonnullos è Jeſuitis commemorabo.

Becanus in Summâ, tractatu *de Peccatis*, quæſt. 12. num. 3. concluſ. 2: „ Parvuli, inquit, nullum dolorem percipient propter carentiam „ regni cœlorum, ... quia peccatum originale, propter quod excluduntur à regno Dei, nihil aliud eſt quàm privatio boni ſupernaturalis. Ergò per ſe non tollit rectitudinem naturalem: ergò pœna illius „ peccati non debet eſſe ſenſibilis, quæ naturam ipſam lædat, ſed debet „ conſiſtere in ſolâ carentiâ viſionis beatificæ, ſine ullo ſenſibili, ſive vitali dolore aut cruciatu."

Cauſſin, tom. 2 Curiæ ſanctæ (*de la Cour ſainte*), Sent. 6, docet pariter eosdem parvulos nihil mali experturos, nec privationem viſionis Dei illis moleſtam fore.

Platel in *Compendio Curſûs Theologici*, part. 2. cap. 4. §. 3. num. 373: „ Parvuli, ait, nullam ſunt paſſuri triſtitiam ex carentiâ viſionis Dei, „ .... quia non eſt æquum ut, qui ſolum peccaverunt voluntate alienâ „ ſui capitis moralis, ... puniantur pœnâ poſitivâ, & quidem valde „ gravi, qualis foret indubiè triſtitia aſſidua & perpetua de privatione „ ſummi boni."

Manifeſtum eſt hujus, ſicut & præcedentis, opinionis aſſertores non differre reipſâ à Pelagianis, niſi quòd illos in duobus temeritate ſuperant. Primum eſt, quòd, cùm Pelagiani peccatum originale apertè negarent, conſequens eſſet ut quamlibet pœnam à parvulis non baptizatis amoverent; contra verò Scholaſtici, de quibus nunc agitur, peccatum originale credere ſe profiteantur, & tamen nullam propter illud peccatum pœnam, quæ ipſis moleſta ſit, parvulis juſtè infligi poſſe aſſerant. Alterum quòd Pelagiani nunquam definire auſi ſint in quo poſita ſit beatitudo naturalis, quam hujusmodi parvulis ſervari dicebant; moderni verò Scholaſtici illam pro ſuo quisque arbitrio deſcribere non dubitaverint.

5°. Plurimi veteres Theologi, poſt Magiſtrum Sententiarum lib. 2. diſtinct. 33, ſentiunt parvulos ſine baptismo defunctos verè damnari ac puniri pœnâ æternâ, quam vocant *damni*, hoc eſt, privatione viſionis Dei, ex quâ privatione gravem doloris ſenſum internum percipiunt; non autem puniri pœnâ *ſenſûs*, hoc eſt, igne & ſupplicio gehennæ. Ita ſenſit, inter alios, Innocentius Papa III. in Epiſtolâ Decretali, quæ habetur in Extravag. *de Baptismo & ejus effectu*, cap. *Majores*, ubi ſic loquitur: „ Pœna originalis peccati eſt carentia viſionis Dei, actualis verò „ peccati pœna eſt gehennæ perpetuæ cruciatus." Eam opinionem plerique deinceps Scholaſtici, tanquam mitiorem, amplexi ſunt; & conſequen-

quenter, ſicut pœnarum diverſitatem, ita etiam & locum ſeparatum parvulis aſſignarunt. Aiunt ſcilicet cæteros damnatos in inferno torqueri, parvulos autem in *Lymbo* degere: quæ quidem vox, SS. Patribus planè incognita, non ſolum in ſcholis invaluit, ſed etiam in nonnullis Catechiſmis, Epiſcoporum negligentiâ, inſerta fuit. *Lymbus* propriè ſignificat confinia, vicinia, ſeu extremitates alicujus loci. Itaque parvulos in *Lymbo* vel *Lymbis* degere, metaphorica locutio eſt, quâ ſignificatur non in inferno ipſo, ſed in inferni confiniis verſari, atque ibi non igne ſempiterno pœnisque ſenſibilibus, ſed ſolâ regni cœleſtis ſummique boni jacturâ puniri.

Quandonam autem, & à quibus orta ſit illa opinio negantium parvulos non baptizatos abſolutè damnari, non ſatis liquet. Videtur tamen nonniſi ſæculo XII nata. Id colligimus ex Epiſtolâ Theobaldi Stampenſis monachi doctiſſimi ad Pharitium Habaendonenſem Abbatem ſcriptâ circa annum 1108, in quâ opinionem illam vehementer reprehendit, *modernosque Doctores*, qui ejusmodi novitatem introducere nitebantur, tanquam *dormitantes* & *ſomnia* fingentes exagitat. En ipſius verba: „ Manifeſtum eſt ..... pueros hoc tempore non baptizatos procul dubio „ damnari..... Si quis autem veritatis inimicus contrà hanc ſententiam „ catholicam vellet delatrare, paratus eſſem cum ſacrilegum & canem „ improbum, & ſcripto, & vivâ voce confutare. De nativitate (fortè „ novitate) verò ſententiarum hoc ſolum vobis reſpondeo, quia multò „ magis gratulor imitari non errabunda priorum Doctorum vigilantium „ veſtigia, quàm modernorum dormitantium ſequi falſas opiniones & „ ſomnia..... Vigilantes autem Doctores dicuntur, qui ſanè referunt „ quod à SS. Patribus rationabiliter audierunt: Doctores autem dormi- „ tantes appellantur, qui ex parte ſuâ ſemper aliquid novitatis afferre „ laborant." Tom 3. Spicileg. pag. 441.

6°. Cæteri Theologi, & ſanè præſtantiores, conſtanter tenent parvulos, qui cum originali peccato decedunt, non modò excludi à viſione Dei regnoque cœleſti, eâque excluſione graviter angi, ſed etiam puniri ſupplicio gehennæ, mitiùs tamen quàm adultos, qui actualia peccata addiderunt.

Priusquàm autem de hâc quæſtione quidquam definiam, duo præmittenda videntur maximâ conſideratione digna.

Primum eſt quæſtionem iſtam non ex humanâ quâdam commiſeratione, neque ex rationibus probabilibus, ſed ex ſcripturæ ſacræ & traditionis monumentis definiri oportere. Quidquid enim humanitùs ſtatuerimus, fixum ratumque Dei judicium nec mutare poterit, nec temperare, ut rectiſſimè monet Bellarminus, lib. 6 de *Amiſſione gratiæ*, cap. 2. „ Præfandum eſſe videtur, inquit, miſericordiam noſtram erga parvulos „ jam defunctos nihil eis prodeſſe, & contrà nihil eisdem obeſſe ſententiæ noſtræ ſeveritatem, multùm autem nobis obeſſe, ſi, ob

„ in-

Digitized by Google

„ inutilem miſericordiam erga defunctos, pertinaciter aliquid contrà „ ſcripturas aut Eccleſiam defendamus. Idcircò non affectum quemdam „ humanum, quo plerique moveri poſſunt, ſed ſcripturæ, conciliorum „ & Patrum ſententiam conſulere & ſequi debemus." Non modò parvulis non nocet ſeverior hâc de re ſententia, ſed etiam plurimùm favet, ſaltem indirectè, quatenùs parentes Chriſtianos vehementiùs incitat, ne ſuorum natorum baptiſmum aliquâ negligentiâ differant; unde minùs frequenter accidit ut abſque regenerationis ſacramento hinc abeant. Adultis quoque valde ſalubris eſt ejuſmodi ſententia, quia inde major peccati horror, majorque divinæ juſtitiæ formido incutitur: quæ tamen commoda, qualiacunque ſint, ſi ſcripturæ & traditionis auctoritate non fulcirentur, virum Theologum à vero deflectere nunquam debent, quia non pius quilibet error, ſed, ut Chriſtus docet, *veritas liberabit* nos.

Alterum eſt, quæſtionem quam tractamus ante Pelagianorum tempora agitatam in Eccleſiâ non fuiſſe. Qui enim præceſſerant SS. Patres, ſicut infantes in peccato naſci, ita eos, niſi baptizati eſſent, æternæ damnationi obnoxios eſſe minimè dubitabant. Quænam autem illorum pœnæ in alterâ vitâ futuræ ſint, nullâ cogente neceſſitate, non ſollicitiùs inquiſierunt. Igitur ex S. Auguſtino præſertim & ſubſecutis Patribus deſumenda eſt Eccleſiæ circa hoc caput doctrina.

His prænotatis, tria nobis ex ſcripturis & traditione afferenda ſunt. Primum, minimè tolerandam eſſe illorum opinionem, qui parvulis cum peccato originali decedentibus beatitudinem quamlibet naturalem pollicentur. Secundum, excluſionem à regno cœlorum & à fruitione ſummi boni maximam illis parvulis pœnam fore. Tertium, eoſdem ſenſibilibus etiam inferni pœnis, quanquam mitiùs quàm adultos, puniri.

PRIMA PROPOSITIO.

Nullatenùs toleranda eſt eorum opinio, qui docent parvulos cum originali peccato decedentes beatitudine quâlibet naturali fruituros eſſe.

AD reprobandam hujuſmodi doctrinæ novitatem planè ſufficeret, quod ad auctorum arbitrium tota conficta ſit, nulloque ex ſcripturis vel traditione fundamento fulta. Verùm non pauca ſuppetunt argumenta poſitiva, quæ illam omninò damnandam eſſe demonſtrant.

Hic error in Pelagianis damnatus eſt.

Primum argumentum inde petitur, quòd ea opinio in Pelagianis jam dudum tanquam hæretica damnata ſit.

S.

S. Auguſtinus in libro *de Hæreſibus*, hæreſi 68, quæ eſt Pelagianorum, inter illorum damnatos errores computat, quòd, etiamſi non bap-„ tizentur (parvuli), promittunt eis, extra regnum quidem Dei, ſed „ tamen æternam & beatam quamdam vitam ſuam." Porrò alibi probavimus beatitudinem illam à Pelagianis excogitatam merè naturalem fuiſſe, qualem recentes quidam imaginantur. Hinc S. Doctor lib. 1 *de Animâ & ejus origine*, cap. 9. num. 11: „ Non baptizatis parvulis, in-„ quit, nemo promittat inter damnationem regnumque cœlorum quie-„ tis, vel felicitatis cujuslibet, & ubi libet, quaſi medium locum: hoc „ enim eis hæreſis Pelagiana promittit." Igitur, qualemlibet & ubi libet felicitatem parvulis illis attribuas, renovas, judice S. Auguſtino, *hæreſim Pelagianam*. Et lib. 1 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 13. num. 33, quem librum in illius hæreſis initio ſcripſit: „ Nulla, in-„ quit, ex noſtro arbitrio, præter baptiſmum Chriſti, ſalus æterna „ promittatur infantibus, quam non promittit ſcriptura humanis omni-„ bus ingeniis præferenda."

Nec dicant S. Doctorem hoc in capite modum exceſſiſſe: præterquamquòd enim id dici nequit abſque gravi injuriâ Conciliorum, ſummorum Pontificum & SS. Patrum, à quibus S. Auguſtini contra Pelagianos doctrina, abſque ullâ exceptione, toties approbata & conſecrata fuit, certè in locis citatis non privatum ſenſum ſuum, ſed Eccleſiæ univerſæ doctrinam à ſe defendi declarat. Sic nempe loquitur lib. 2 *de Animâ & ejus origine*, cap. 12. num. 17: „ Novellos hæreticos Pelagianos juſ-„ tiſſimè conciliorum catholicorum & ſedis Apoſtolicæ damnavit aucto-„ ritas, eoquòd auſi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis & „ ſalutis locum, etiam præter regnum cœlorum. Quod auſi non fuiſ-„ ſent, niſi negaſſent eos habere originale peccatum, quod opus eſſet „ abſolvi per baptiſmatis ſacramentum." Quibus ultimis verbis demonſtratur quàm abſurdum ſit, admiſſo peccato originali, quietem & beatitudinem parvulis eo conſtrictis promittere; quod ipſimet Pelagiani auſi nunquam fuiſſent, niſi negaſſent originale peccatum. Et Serm. 294, cap. 2: „ Baptizandos quidem (parvulos) fatentur, inquit, ſed „ non propter vitam æternam, ſed propter regnum cœlorum..... Ergo „ eſt vita (aliqua) æterna præter regnum cœlorum." Et cap. 3: „ Pri-„ mus hic error averſandus eſt ab omnibus, extirpandus à mentibus. „ Hoc novum in Eccleſiâ, priùs inauditum eſt, eſſe vitam æternam „ præter regnum cœlorum, eſſe ſalutem æternam præter regnum Dei." Num, quæſo, tam aſſeveranter locutus fuiſſet Doctor ſapientiſſimus & cautiſſimus, niſi conſtitiſſet opinionem, quæ parvulis non baptizatis quietem aliquam & beatitudinem naturalem attribuit, Eccleſiæ tunc planè incognitam & inauditam fuiſſe? Num, ſi hâc in parte à cæteris Epiſcopis diſſenſiſſet S. Auguſtinus, id ipſi objicere neglexiſſent Pelagiani? Nonne ex contrariâ opinione, ſi tunc cognita & recepta fuiſſet, conclu-

Al. Serm. 14 de Verbis Apoſtoli.

ſiſſent ſagaciſſimi diſputatores nullum ineſſe parvulis peccatum originale, ideòque illos baptiſmo indigere, ut in Chriſto ſanctificentur, non autem ut à peccato mundentur? Atqui nihil hujuſmodi objecerunt pertinaces illi hæretici. Ergo certiſſimum eſt quod ait S. Doctor, opinionem, quæ parvulis non baptizatis vitam, ſeu beatitudinem quamlibet promittit extra regnum cœlorum, *novam in Eccleſiâ & priùs inauditam* fuiſſe.

Verùm ſi tam venerando Doctori fidem non habent, credant ſaltem conciliis, credant ſummis Pontificibus & cæteris Patribus, quorum unanimi conſenſu error ille oppreſſus eſt.

In concililio Dioſpolitano Pelagius, „ ut aliquo modo Catholicus pro„ nuntiaretur, anathematizare compulſus eſt infantes, etiamſi non bap„ tizentur, habere vitam æternam," ut teſtantur Alypius & Auguſtinus in Epiſt. 186, al. 106, ad Paulinum, cap. 8. num 27. „ Hàc au„ tem negatâ, inquiunt, quid, niſi mors æterna, remanebit?"

Concilium plenarium totius Africæ anni 418, can. 3, ſic decernit: „ Placuit ut, ſi quis dicit ideò dixiſſe Dominum: *In domo Patris mei* „ *manſiones multæ ſunt*, ut intelligatur quia in regno cœlorum erit ali„ quis medius, aut ullus alicubi locus, ubi beatè vivant parvuli, qui „ ſine baptiſmo ex hâc vitâ migrarunt, ſine quo in regnum cœlorum, „ quod eſt vita æterna, intrare non poſſunt; anathema ſit. Nam, cùm „ Dominus dicat: *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto*, „ *non intrabit in regnum cœlorum*, quis Catholicus dubitet participem „ fieri diaboli eum, qui cohæres eſſe non meruit Chriſti? Qui enim dex„ tra caret, ſiniſtram procul dubio partem incurret." Deſideratur quidem iſte canon in aliquibus codicibus, eorum forſitan fraude, quibus deinceps doctrina illa diſplicuit; ſed in pleriſque extat, & expreſſè memoratur à Photio in *Bibliotheca*, cod. 53, ubi legitur: „ Concilium Carthagi„ nenſe anathematizat eos qui dicebant medium eſſe locum inter puni„ tionem & paradiſum, in quo repoſiti infantes non baptizati feliciter „ viverent." Ad eumdem manifeſtè alludit S. Auguſtinus lib. 2 *de Animæ origine*, cap. 12, cùm ait hunc, de quo agimus, errorem conciliorum catholicorumc auctoritate fuiſſe damnatum. Movere igitur non debet quòd in appendice Epiſtolæ S. Cœleſtini alius commemoratur canon tertius concilii Carthaginenſis: vel enim error irrepſit in numeros, vel varietas inde orta eſt, quòd in aliquibus codicibus ſecundus & tertius canon in unum coaluerint.

Inter Auguſtini Epiſt. 182, al. 93. Innocentius I, in Epiſtolâ ad Patres concilii Milevitani, num. 5, damnat & refellit fabulam Pelagianam de vitâ quadam æternâ parvulis concedendâ extra regnum Dei.

S. Gelaſius Papa in Epiſt. 7 ad Epiſcopos per Picenum: „ De par„ vulis, inquit, quod aſſerit (Seneca quidam Pelagianus), ſine ſacro bap„ tiſmate pro ſolo originali peccato non poſſe damnari, ſatis impia, ſa„ tis

Digitized by Google

„ tis prophana propoſitio eſt." Et, commemoratis Chriſti verbis, Joann. VI. 54: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ſic proſequitur: „ Sine vitâ autem eſſe perpetuâ, quid eſt, niſi in ſempiternâ morte conſtitui? Tollant ergo de medio neſcio quem medium locum, quem decipiendis „ parvulis ipſi faciunt."

Auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 2. cap. 20: „ Neque credi „ fas eſt, inquit, eos (parvulos), qui regenerationis non adepti ſunt „ ſacramentum, ad ullum beatorum pertinere conſortium:" id eſt, ullo modo beatos eſſe.

Venerabilis Beda, in cap. 14 Joannis, declarat „ reſpuendos eſſe à „ corde chriſtiano qui putant ..... extra regnum cœlorum fore aliquid, „ ubi beatè maneant innocentes, qui ſine baptismate ex hâc vitâ migra- „ runt." Quæ verba deſumpta ſunt ex Tract. 67 S. Auguſtini in Joan. num. 3.

Parvuli, ſi non ſint baptizati, damnantur, pereunt, iræ filii ſunt.

Secundum argumentum. Fides docet omnes generatim, nec exceptis parvulis, qui ſine fide & baptismo vitam hanc finiunt, damnari, perire, iræ filios eſſe, quod profectò cum beatitudine ab adverſariis pro parvulis confictâ conciliari nequaquam poteſt. Id verò conſtat 1° ex aperviſſimis ſcripturæ ſacræ verbis. Rom. V. 16 & 18, *judicium* fieri dicitur *ex uno delicto in condemnationem*, ... & *per unius delictum in omnes homines in condemnationem*. Igitur, ex S. Paulo, peccato originali æterna damnatio debetur. „ Multùm ergo fallit & fallitur, inquit S. Auguſtinus lib. 1. *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 16. num. 21, „ qui „ parvulos in damnatione prædicat non futuros."

Idem Apoſtolus, Epheſ. II. 3: *Eramus & nos*, ait, *naturâ*, id eſt, à primâ nativitate, *filii iræ*. Porrò, ut S. Auguſtinus concludit, Tract. 44 in Joannem, „ ſi filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ."

Chriſtus ipſe, Joannis III. 36, dicit: *Qui credit in Filium habet vitam æternam, qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Et Marc. XVI. 16: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* His in oraculis nemo prorſus hominum excipitur. Quemadmodùm igitur parvuli inter credentes ſeu fideles numerantur, & Eccleſiæ uſu antiquiſſimo & fundatiſſimo *fideles* appellantur, ut obſervat S. Auguſtinus Serm. 294. cap. 13. num. 14; ita & parvuli non baptizati inter non credentes computantur. Unde S. Doctor ſic concludit, Epiſt. 193 ad Mercatorem, cap. 2. num. 4: „ Non ergo eis promittant vitam, quamvis non fuerint baptizati, nec „ eos à regno cœlorum ſic fateantur alienos, ut tamen à damnatione „ defendant. Nam quid, niſi damnatio, ſignificatur per iram, quam „ Dominus ſuper non credentes manere teſtatur? Quia ergo, cùm parvuli baptizantur, fatentur iſti eos eſſe credentes, damnari non dubi- „ tent non credentes."

 Con-

Conſtat 2° ex Patribus & ex Conciliis.

S. Ambroſius, lib. 7 in Lucam, cap. 15. num. 234: „ Fuit Adam, „ inquit, & in illo fuimus omnes: periit Adam, & in illo omnes pe- „ rierunt."

Concilium Carthaginenſe ſub Aurelio in Epiſtolâ ad S. Innocentium Papam, quæ extat inter Auguſtinianas, ſic decernit: „ Quisquis negat „ parvulos per baptiſmum Chriſti à perditione liberari, anathema ſit." Pereunt ergo, ſeu perditi ſunt, ſi non baptizentur.

S. Auguſtinus, Epiſt. 166, al. 28, ad S. Hieronymum, cap. 8. num. 15: „ Damnari, inquit, animas parvulorum, ſi præter Chriſti ſacramentum „ de corpore exierint, ET SANCTA SCRIPTURA, ET SANCTA TES- „ TIS EST ECCLESIA." Et lib. 2. *Oper. imperf.* cap. 117: „ Velut „ defenſione divinæ juſtitiæ niteris, ut evertas quod de parvulorum non „ baptizatorum damnatione TOTA CHRISTI SENTIT ECCLESIA."

S. Proſper in Reſponſione ad dubium VI Genuenſium: „ Magno pec- „ cato, ait, periit Adam, & in illo omnes perierunt, quia omni homi- „ ni damnatâ nativitate genito hoc in Adam debetur, ut pereat."

Auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 22, de Semipela- gianis loquens: „ Non puto, inquit, iſtos voluntatum patronos ſimpli- „ citate parvulorum tam impudenter uſuros, ut .... non renatos afferant „ non perire. Apertè enim convincerentur..... cum Pelagianis transfu- „ ſum in poſteros Adæ negare peccatum." Et cap. 24: „ Sine baptiſmo „ mortuos (parvulos) periiſſe non dubium eſt, qui utique, niſi gravis- „ ſimi peccati eſſent participes, non perirent." Non ſegniter notandum eſt, juxta hunc receptiſſimum auctorem, eos qui negant parvulos non baptizatos perire, eisque felicitatem aliquam cum Pelagianis promittunt, hoc ipſo convinci peccatum originale cum eisdem hæreticis negare: adeò arctè illa duo connexa ſunt.

Epiſcopi Africæ, in Sardiniâ pro fide exules, in Epiſtolâ ſuâ ſynodi- câ *de Dei gratiâ* ſic loquuntur, cap. 8: „ De parvulis INDUBITAN- „ TER TENENDA CATHOLICÆ REGULA VERITATIS, quia par- „ vulus qui baptizatur, gratuitâ Dei bonitate ſalvatur; qui verò ſine „ baptiſmate moritur, propter peccatum originale damnatur. Neque ali- „ quo dicendus eſt Dei beneficio futuræ impietati præreptus, qui absque „ juſtificationis gratiâ mortuus eſt, impiorum conſortio deputatus."

Primaſius in cap. 4 Epiſt. ad Romanos: „ Si non baptizatus infans „ moriatur, in æternum damnatur."

Fortunatus in Vita S. Hilarii loquens de infante quodam ſine baptiſ- mi regeneratione defuncto: „ Duplici, inquit, morte damnatus præ- „ ſentem vitam amiſerat, & pœnâ futuri ſæculi non carebat."

S. Anſelmus, lib. *de Conceptu Virginis & originali peccato*, cap. 3, peccatum originale verum eſſe peccatum demonſtrat iſto argumento: „ Deus non damnat niſi propter injuſtitiam: damnat autem aliquem „ prop-

Digitized by Google

„ propter originale peccatum; ergo non eſt aliud originale peccatum, „ quàm injuſtitia." Et cap. 28, al. 27: „ Omnis homo, inquit, aut „ ſalvatur, aut damnatur..... Impoſſibile eſt aliquem hominem cum „ aliquo, quamvis parvo, peccato ſalvari. Quare.... neceſſe eſt omnem „ hominem in peccato originali natum, illo non dimiſſo, damnari."

S. Bernardus in Epiſt. 190 ad Innocentium II, ſive Tractatu *de Erroribus Abaëlardi*, cap. 9: „ An, inquit, ſicut non habent parvuli unde „ diligant, ita nec unde pereant, ut non ſit eis in Chriſto neceſſaria re„ generatio? ..... Si hoc ſapit, cum Pelagio deſipit."

Guilelmus de Campellis, Epiſcopus Catalaunenſis, in Tract. *de Origine animæ*: „ Quæſtio ſæpè ventilata eſt, inquit, quâ juſtitiâ animæ „ puerorum, qui ante baptiſmum moriuntur, damnentur." Non ait quæſtionem fuiſſe an damnentur, ſed quâ juſtitiâ damnentur. Addit: „ FIDES CATHOLICA habet quòd, ſi quamprimùm (anima) unita eſt „ corpori, moriatur puer, damnabitur anima propter reatum originis." Tom. 5. Theſauri anecdot. Martene, pag. 881.

Hugo Rhotomagenſis, lib. 5. *Dialogorum*, eamdem doctrinam adſtruit auctoritate SS. Auguſtini & Fulgentii, affirmatque eum „ errare, qui „ dicit parvulos ſine regeneratione divini ſacramenti (defunctos) non „ damnari." Ibidem.

Urbanus V, in Pſalmum L: „ In infuſione ipſâ, inquit, anima dam„ nationis ſententiam in ſe juſtam excipiens culpam contrahit, & reatui „ pœnæ ſempiternæ obligatur."

Tertium argumentum. Nullus eſt locus medius inter regnum cœlorum & infernum damnatorum, in quo parvuli non baptizati felices futu„ ri ſint." Nullus eſt in alterâ vitâ locus medius parvulis non baptizatis deſtinatus.

Matth. XXV, Chriſtus duas tantùm partes in extremo judicio futuras memorat, dextram & ſiniſtram. Ad dextram erit æterna felicitas regnumque cœlorum, ad ſiniſtram autem pœna ſempiterna. Cùm ergo certiſſimum ſit parvulos in Chriſto non renatos ad dextram non futuros, quid eis ſupereſt niſi ſiniſtra? Hoc argumentum ſic tractat S. Auguſtinus Serm. 294, cap. 3: „ Venturus Dominus & judicaturus de vivis & „ mortuis, ſicut Evangelium loquitur, duas partes facturus eſt, dextram „ & ſiniſtram: ſiniſtris dicturus: *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt* „ *diabolo & angelis ejus*: dextris dicturus: *Venite benedicti Patris mei*, „ *percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Hàc reg„ num nominat, hàc cum diabolo damnationem. Nullus relictus eſt me„ dius locus, in quo ponere queas infantes..... Si ergo dextra erit & „ ſiniſtra, & nullum medium locum in Evangelio novimus, ecce in „ dextrâ regnum cœlorum eſt: *percipite*, inquit, *regnum*: qui ibi non „ eſt, in ſiniſtrâ eſt. Quid erit in ſiniſtrâ? *Ite in ignem æternum.* Qui „ non in dextrâ, procul dubio in ſiniſtrâ: ergo qui non in regno, pro„ cul dubio in igne æterno." Et certè, ut optimè ratiocinatur idem S. Doctor lib. 21. *de Civit. Dei*, cap. 25, cur S. Paulus, Galat. V, ut decla- Al. Serm. 14. de Verbis Apoſtoli.

claret criminum reos damnationem incurrere, dicit tantummodò *eos, qui talia agunt, regnum Dei non poſſeſſuros*, niſi „ quoniam non eſt locus „ medius, ubi non ſit in ſupplicio, qui illo non fuerit conſtitutus in „ regno?"

Nec dicas illos ſcripturæ textus de eis duntaxat debere intelligi, qui in ultimo die judicandi ſunt; parvulos autem non eſſe judicandos: hæc quippe reſponſio fidei apertè repugnat, quæ docet Chriſtum omnium hominum, nemine excepto, judicem eſſe conſtitutum. Et ſanè quis dubitet infantes in Chriſto renatos in die judicii ad dextram futuros? Ergo & infantes non renati procul dubio ad ſiniſtram erunt. Hinc S. Auguſtinus in Epiſt. 214, al. 107, ad Vitalem, inter duodecim ſententias, quas *ad fidem catholicam pertinere* aſſerit, hanc octavam proponit: „ Scimus etiam „ parvulos, ſecundùm ea quæ per corpus geſſerunt, recepturos bonum „ vel malum;..... id eſt, ſecundùm ea quæ geſſerunt tempore quo in „ corpore fuerunt, quando per corda & ora geſtantium crediderunt, vel „ non crediderunt, quando baptizati, vel non baptizati ſunt, ... judi„ cantur." Pariter venerabilis Beda, Præfatione in Cantica Canticorum, Juliano dicenti ſolos adultos in extremo judicio ſiſtendos eſſe, reſpondet illud effugium *contradicere catholicæ fidei, quæ etiam parvulos judicandos eſſe confitetur.*

Hanc autem doctrinam, nullum eſſe locum medium inter regnum cœlorum & infernum damnatorum, tanquam indubitatam Eccleſiæ Catholicæ fidem proponit S. Auguſtinus Tract. 67 in Joann. num. 3. „ Reſ„ puendi ſunt, inquit, à corde chriſtiano qui putant ideò dictum mul„ tas eſſe manſiones, quia extra regnum cœlorum erit aliquid ubi ma„ neant beati innocentes, qui ſine baptiſmo ex hâc vita emigrarunt..... „ HÆC FIDES, ait, NON EST FIDES, QUIA NON EST VERA ET „ CATHOLICA FIDES."

Attendant ergo, qui S. Doctorem hâc in parte exceſſûs accuſant, ſe potiùs à fide exorbitare. Et ſanè non ille ſolus hanc doctrinam tenuit, ſed & plenarium concilium Carthaginenſe, & Gelaſius Papa, quorum verba ſuperiùs exſcripta ſunt. Non minùs aſſeveranter loquitur auctor *Hypognoſticon* lib. 5, cap. 5. „ Ecce, inquit, non baptizatus dividitur à „ regno cœlorum...... Da mihi, præter hunc, alterum locum, ubi vi„ tæ poſſit eſſe requies perennis. Primum enim locum fides Catholico„ rum divinâ auctoritate regnum credit eſſe cœlorum, unde, ut dixi, „ non baptizatus excipitur: ſecundum, gehennam, ubi omnis apoſtata, „ vel à fide Chriſti alienus æterna ſupplicia experietur. Tertium penitus „ ignoramus, immo nec eſſe in ſcripturis ſanctis inveniemus. Finge, Pe„ lagiane, locum ex officinâ perverſi dogmatis tui, ubi alieni à Chriſti „ gratiâ vitam requiei & gloriæ poſſidere parvuli poſſint." Idem quoque teſtatur S. Anſelmus lib. *de Conceptu Virginis & originali peccato*, cap. 23, al. 22. „ In hoc, inquit, ſimilis eſt & perſonalis, & originalis pec-

„ ca-

Digitized by Google

„ cati damnatio, quia nullus admittetur ad regnum Dei, ad quod ſac„ tus eſt homo, niſi per mortem Chriſti; quamvis non omnes pariter in„ inferno torqueri mereantur. Nam poſt diem judicii nullus aut ange„ lus, aut homo, niſi aut in regno Dei, aut in inferno."

Quartum argumentum. Certum eſt parvulos non baptizatos ſub poteſtate diaboli eſſe, ſemperque futuros; ſiquidem nec erepti ſunt à Chriſto, nec unquam eripientur de poteſtate tenebrarum. Quæ autem beatitudo vel quies poteſt eſſe diabolo mancipatis? Parvuli non baptizati ſunt ſub poteſtate diaboli.

Quòd parvuli non baptizati ſint & in æternum futuri ſint ſub diaboli poteſtate, conſtat ex certiſſimâ Eccleſiæ fide. „ NON ENIM FIDES „ CHRISTIANA DUBITAT, inquit S. Auguſtinus lib. 1. *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 20. num. 22, „ & eos qui lavacro regenerationis „ abluuntur, redimi de poteſtate tenebrarum, & eos qui nondum tali re„ generatione redempti ſunt, etiam parvulos filios redemptorum, ſub ejus„ dem diaboli eſſe poteſtate captivos, niſi & ipſi eâdem Chriſti gratiâ re„ dimantur." Conſtat ex Scripturæ ſacræ auctoritate. Namque, ut ait idem S. Doctor ibidem, „ ad omnes non dubitamus ætates pertinere il„ lud, de quo Apoſtolus loquitur, beneficium Dei, *qui eruit nos* (per „ baptiſmum) *de poteſtate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii cha„ ritatis ſuæ.*" Coloſſ. I. 13. Conſtat ex traditione Apoſtolicâ, juxta quam ipſi etiam parvuli, antequam ad ſanctum admittantur lavacrum, exorcizantur & exſufflantur, quod profectò in creatoris injuriam fieret, ſi per peccatum non eſſent diabolo mancipati. Quamobrem in illis exorciſmis dicitur: *Egredere, ſpiritus immunde, & da locum Spiritui ſancto Paracleto.*

Jam verò parvulos ſub poteſtate diaboli concluſos, non modò non beatos, ſed non niſi valde miſeros futuros eſſe, quis ſanæ mentis neget? Ut enim ait S. Auguſtinus lib. 3. *Op. imperf.* cap. 199: „ Si non eruitur „ à poteſtate tenebrarum, & illic remanet parvulus, quid miraris in ig„ ne æterno cum diabolo futurum, qui in regnum Dei intrare non ſini„ tur? An quia Pelagiani locum neſcio quem parvulis non baptizatis, „ præter regnum Dei, quietis & vitæ æternæ præparant, ideò Chriſti „ erit falſa ſententia: *Qui non crediderit, condemnabitur?*"

Quintum argumentum. Juxtà pleroſque opinionis, quam refellimus, patronos, beatitudo, quam parvulis non baptizatis aſſignant, locum non habebit niſi poſt ultimum judicii diem. Conſtat verò ſtatum, in quo nunc illi parvuli ſunt, æternum fore. Generalis quippe Chriſti ſententia eſt dicentis: *Ubicunque ceciderit lignum, ſive ad auſtrum, ſive ad aquilonem, ibi erit.* Ubi autem lex generalis à Deo præfixa eſt, quantæ temeritatis eſt exceptiones ad ſuum arbitrium fingere, nec in ſcripturis, nec in traditione fundatas? Cùm ergo parvuli abſque baptiſmo mortui nondum fruantur fictitiâ illâ beatitudine, nunquam profectò illâ potientur. 2°. Eccleſia damnavit errorem Origenis exiſtimantis pœnas damnatorum aliquando finem habituras; de quo videri poteſt S. Auguſtinus lib. Status, in quo nunc ſunt parvulorum animæ corporibus exutæ, in perpetuum duraturus eſt.

lib. 21. *de Civitate Dei*, cap. 27 & 28. Illum autem errorem nonne ex parte ſaltem renovant, qui dicunt parvulorum damnationem poſt extremi judicii diem finiendam, eique beatitudinem naturalem ſucceſſuram eſſe? 3°. Cur defineret eorum damnatio, quorum peccatum in æternum durabit, nec unquam dimittetur? Cauſâ perſeverante, effectum quoque perſeverare neceſſe eſt, ac proinde peccatum in æternum duraturum pœna quoque æterna ſubſequetur.

Contrariæ opinionis auctores fidem evertunt peccati originalis.

Sextum argumentum. Eadem opinio fidem peccati originalis funditùs evertit. Ideò quippe à ſuis auctoribus invecta eſt, quia iniquum eſſe exiſtimarunt parvulos baptiſmi exſortes pœnis addici, omnique beatitudine fraudari. Verùm, ſi naſcantur parvuli verè peccato obſtricti, ſicut Eccleſiæ fides conſtanter tenuit ac tenet, juſtè procul dubio puniuntur: ſiquidem peccatum & pœna ſunt duo correlata & inſeparabilia; adeò ut, ſi pœna juſtè decerni nequeat, peccatum vel nullum ſit, vel ſaltem impropriè dictum: ac proinde iſta opinio fidem originalis peccati penitus evacuat, ut rectè concludit Eſtius in 2um, diſt. 33. § 7.

Erroneum eſt dicere parvulos ſine baptiſmo mortuos Deum eſſe laudaturos & glorificaturos.

Septimum argumentum. Juxta pleroſque hujus opinionis patronos, hujuſmodi parvuli Deum in perpetuum laudabunt & glorificabunt. Id autem apertè contradicit ſcripturæ docenti neminem, qui ſine gratiâ Chriſti ex hâc vitâ deceſſerit, Deum eſſe laudaturum. Pſalmo 6: *Non eſt in morte qui memor ſit tui (Domine); in inferno autem quis confitebitur tibi?* Pſalm 113: *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum.* Baruch 2: *Non mortui, qui ſunt in inferno, dabunt honorem & juſtificationem Domino.* Et certè nemo Deum amare & laudare poteſt, niſi gratiâ Chriſti. Illa verò gratia nemini datur poſt mortem, cui, dum viveret, data non fuerit. Cùm ergo parvuli ſine baptiſmo mortui gratiæ Chriſti exſortes fuerint, Deum nec amabunt unquam, nec laudabunt. Demum per peccatum originale voluntas naſcentium à Deo averſa eſt, & ad creaturas converſa, nec unquam in alterâ vitâ ad Deum convertetur. Quomodò ergo, ait Eſtius ibidem, „ laudant & benedicunt Deum, & in ejus voluntate acquieſcunt, qui „ ratione peccati, quod in eis eſt & ab eis nunquam auferétur, mali ſunt & à Deo averſi, Deoque contrarii, & tales ſemper permanſuri?"

Doctiſſimorum Præſulum ac Theologorum de illâ opinione judicium.

Octavum argumentum. Demum doctiſſimi Præſules maximique nominis Theologi opinionem illam, quæ non baptizatis parvulis beatitudinem naturalem promittit, tanquam à fide penitùs alienam ſemper reprobaverunt. Nonnullos tantum memorabimus.

Bellarminus, lib. 6 *de Amiſſione gratiæ*, cap. 2, *Pelagianam* eam eſſe pronuntiat, additque: *Prima & ſecunda ſententia*, id eſt, Pelagianorum & Catharini, quæ eadem eſt ac Molinæ plurimorumque aliorum Jeſuitarum, „ non ſolùm falſæ, ſed etiam hæreticæ exiſtimandæ ſunt, & „ contrà fide catholicâ tenendum eſt parvulos ſine baptiſmo decedentes „ ab-

Digitized by Google

„ abſolutè eſſe damnatos, & non ſolâ cœleſti, ſed etiam naturali beatitudine perpetuò carituros."

Conſultores Congregationum de Auxiliis, inter articulos doctrinæ damnandæ juſſu Pauli V confectos, hunc tertium propoſuerunt: „ Dicere quòd parvuli, cùm poſt Judicii diem reſumpſerint ſua corpora, „ liberabuntur ſupernaturaliter ab omnibus moleſtiis & ærumnis, quibus „ in hâc mortali vitâ ſubjacemus, melioremque in naturalibus vitam, vitio omni mentis & corporis immunem, in perpetuas æternitates ducent, quàm ullus unquam mortalium duxerit, temerarium eſt, nimiùmque accedens ad illum ab Eccleſiâ Dei errorem ſemper habitum, adeòque in Pelagiano & Cœleſtiano dogmate condemnatum, „ quo dicebantur parvuli, etiamſi non baptizentur, adeòque excluſi maneant à regno cœlorum, æternam ac beatam quamdam vitam, ſed extrà cœlum, habere." Append. Hiſtoriæ de Auxiliis, pag. 204.

Eruditi fratres & Epiſcopi Wallemburgenſes, in *Compendio Controverſiarum particularium*, cap. 2: „ Convenit, inquiunt, inter Catholicos & „ Proteſtantes, homines per culpam peccati originalis in hâc vitâ non „ remiſſam damnationi ſubjectos eſſe; neque infantibus non baptizatis, „ nec regeneratis, vitam æternam eſſe tribuendam, aut naturalem beatitudinem, uti multis rectè probat Bellarmimus." Tom. 2. pag. 49. col. 1.

Cardinalis de Laurea Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, Diſput. 27 *de Statu parvulorum*, art. 4. num. 40, declarat doctrinam, quam tuemur, fidei principiis connexam eſſe; & ſub finem articuli: „ Fateor, inquit, „ meam inſcitiam: non potui aliquem ſcripturæ locum, vel ſanctum antiquumque Patrem invenire, qui parvulos cum originali collocet extrà infernum in loco tertio..... Quod dicunt noſtri moderni, hucuſque cenſeo inane, novum & ridiculum."

Cardinalis Noriſius idem commentum eruditè confundit in *Vindiciis Auguſtinianis*, cap. 5; obſervatque § 5, tit. 4, multò minùs illud tolerari poſſe in Scholaſticis, quàm in Pelagianis originalis peccati veritatem negantibus. Et tit. 5 addit vir doctiſſimus doctrinam, quam hîc defendimus, „ antiquæ Eccleſiæ ac SS. Patribus ſtetiſſe, donec, poſt ducenteſimum ſupra milleſimum annum Chriſtianæ Epochæ, novæ opiniones „ à Scholaſticis procuſæ ſunt, qui, ſi in ſanctorum Patrum voluminibus tantum ſtudii ac laboris poſuiſſent, quantùm Ariſtoteli explicando impenderunt, profectò S. Auguſtini ſententiam non obduxiſſent, „ neque eorum plerique Pelagianorum opinionem, quod naturalem illam puerorum beatitudinem attinet, hominum mentibus tam altè infixiſſent."

Illuſtriſſimus Tellerius Rhemenſis Archiepiſcopus, in Documento Paſtorali ad Facultatem Theologicam Rhemenſem dato, adverſus duas Theſes in Jeſuitarum Collegio propugnatas anno 1696, definit opinionem illam, quam refellimus, ne tolerari quidem in Eccleſiâ debere.

 Quin-

Quinque Galliæ Præſules, (Tellerius Rhemenſis, Noallius Pariſienſis, Boſſuctus Meldenſis, de Scve Atrebatenſis, Feydeau de Brou Ambianenſis) in Epiſtolâ ad Innocentium Papam XII contra librum Card. Sfondrati ſcriptâ anno 1697, „ *cui*, inquiunt, *plures Epiſcopi ſubſcripſiſſent, niſi pauci ſufficerent*, & cujus honorificentiſſima mentio fit in „ Comitiis anni 1700, declarant, poſt Bellarminum, hanc ſententiam „ ... non modò falſam, ſed etiam hæreticam exiſtimandam eſſe." Et poſteà: „ De fide ergo eſt illa damnatio parvulorum."

His omnibus argumentis, coronidis inſtar, addemus quod ait clariſſimus Boſſuetus in *Inſtructione circa Verſionem novi Teſtamenti Trevoltii editam*, obſerv. 4, num. 4: „ Il y a, inquit, des reprouvés parmi les petits en- „ fants, qui par eux mêmes n'ont fait ni bien ni mal. Sans ici examiner „ en particulier à quelles peines ils ſont condamnés, c'eſt aſſez que le „ concile de Lyon & le concile de Florence aient défini que les ames „ de ceux qui meurent, tant dans le péché actuel, que dans le ſeul pe- „ ché originel, deſcendent incontinent dans l'enfer pour y être inéga- „ lement punies. Les voila donc réprouvés à leur maniere, & réprou- „ vés pour le ſeul péché originel, qui par conſequent entre dans les cau- „ ſes de leur réprobation à l'égard de ſon effet total. C'eſt auſſi ce „ qui les rend par nature enfants de colere, comme parle S. Paul, „ c'eſt-à-dire, enfants de vengeance & de perdition; ce qui n'eſt pas „ ſans quelque haine. La haine entre donc auſſi dans l'effet total de „ leur réprobation; & c'eſt là une verité catholique." Et paulò poſt: „ Dire donc *qu'ils n'ont point de péché que Dieu reſolve de punir*, c'eſt „ une héréſie manifeſte, & ainſi l'explication, qui reduit (a leur égard) „ tous les effets de la réprobation à un *moins aimer*, eſt hérétique."

SECUNDA PROPOSITIO.

Parvuli non renati verè miſeri ſunt, & de privatione regni cœleſtis gravi & perenni doloris ſenſu afficiuntur.

HANC propoſitionem ad fidem catholicam pertinere expreſſè teſtatur S. Auguſtinus, lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 12. num. 24. „ Chriſti Eccleſia, inquit, confitetur originale peccatum, quo ſive ſo- „ luto per Dei gratiam, ſive per Dei judicium non ſoluto, cùm mo- „ riuntur Infantes, aut merito regenerationis tranſeunt ex malis ad bo- „ na, aut merito originis tranſeunt ex malis ad mala. Hoc catholica

„ fides

„ fides novit: in hoc etiam nonnulli hæretici ſine ullâ contradictione „ conſentiunt."

I°. Miſerum non eſſe, magna profectò felicitatis pars eſt. Quis enim ſe non æſtimet magnâ ſaltem ex parte beatum, ſi ab omni moleſtiâ ac mœrore immunis vivat? Modò autem probatum eſt parvulos absque baptiſmo defunctos cujusvis beatitudinis exſortes fore. Igitur nonniſi miſeri eſſe poſſunt.

II°. Cum, ex dictis, peccatum originale ſit verum ac propriè dictum peccatum, conſequens eſt ut eos quibus ineſt miſeros faciat: eſt enim peccati comes invidua miſeria, nec ullum peccatum ſine aliquâ pœnâ eſſe poteſt. Peccatum autem originale poſt hanc vitam nunquam delebitur, ſed in æternum non baptizatis parvulis inhærebit: nunquam igitur illi parvuli pœnæ expertes erunt.

III°. A primâ pueritiâ docuit nos mater Eccleſia ſolum Deum eſſe ſummum bonum ac finem ultimum noſtrum, nosque ab illo creatos fuiſſe, ut ipſum diligamus, ipſoque in æternum fruamur. Quàm ergo dolendum eſt homines, qui ſe magiſtros ac duces appellant, eò cœcitatis veniſſe, ut aſſerere non dubitent parvulos ab illâ ſummâ ſolâque verâ beatitudine in æternum excluſos, nullâ inde triſtitiâ, nullo dolore affici? Audiamus S. Auguſtinum Pelagianos idem ſentientes refellentem, lib. 3 *contra Julianum*, cap. 3. num. 9: „ Verùm vos, ait, excellentiſſimi amatores illius vitæ quæ futura eſt æterna cum Chriſto, „ nullam pœnam putatis eſſe imaginis Dei in æternum exulare à regno „ Dei: cùm, ſi parvam pœnam eſſe diceretis, non eſſet hæc vox beati „ amatoris illius regni, ſed miſeri contemptoris." Et Sermone 294: „ Qui „ exulant, vivunt: ſi ſani ſunt, in doloribus corporis non ſunt, non „ torquentur, non carceris tenebris affliguntur: hæc illis ſola pœna eſt, „ non eſſe in patriâ. Si amatur patria, magna pœna; ſi autem non „ amatur patria, pejor eſt cordis pœna. Parvum malum eſt in hominis corde, qui ſocietatem non quærit ſanctorum, qui non deſiderat „ regnum cœlorum? Si non deſiderat, pœna eſt de perverſitate; ſi autem deſiderat, pœna eſt de fraudatâ caritate. Legi poſſunt S. Baſilius In Pſalmum 33, & S. Chryſoſtomus, Hom. 13 in Epiſt ad Philippenſes, ubi graphicè deſcribunt quanta pœna futura ſit damnatis „ excludi à regno cœlorum."

Al. 14 de Verbis Apoſtoli.

Fruſtra reponunt parvulos, de quibus agitur, nullam habituros notionem cœleſtis beatitudinis, ut pote quæ ſit ordinis ſupernaturalis; ignoti autem nullum eſſe deſiderium, nullam de illius carentiâ mœſtitiam. Nam 1° poſteà oſtendemus hominem ad imaginem Dei conditum naturâ ſuâ ordinari ad fruendum Deo, præter quem nullus eſt creaturæ rationalis alius finis ultimus, ac proinde animam rationalem à fruitione Dei excluſam, non poſſe eſſe niſi miſeram. 2° Etiamſi concederemus Deum, illæſâ ſuâ ſapientiâ, potuiſſe ordinare hominem ad alium finem quàm ad

 ſui

ſui fruitionem, fide tamen conſtat Deum, creando hominem, non alium ei finem ultimum præſcripſiſſe, quàm ſeipſum, quo ſolo beatus eſſe poſſit. Igitur parvuli à regno Dei in perpetuum excluſi privantur beatitudine ad quam reipſâ divinitùs ordinati ſunt; ac proinde excluſionem illam non poſſunt non moleſtiſſimè ferre. Ut enim inquiebant quinque Præſules ſuprà memorati in Epiſtola ad Innocentium XII: „ Quis Chriſ-„ tianus negat univerſam Adæ ſobolem in eo ad æternam vitam fuiſſe „ ordinatam? Non ergo parvuli" ad alium finem, aliumve ordinem providentiæ „ revocandi ſunt, ſed planè ad communem creaturæ ratio-„ nalis ordinem redigendi; ubi nec ſine ſacramento Redemptoris vitam „ æternam, ad quam creati ſunt, recuperare poſſint, nec ejus jacturâ „ ſine certâ damnatione mulctari."

TERTIA PROPOSITIO.

Scriptura ſacra & SS. Patres docent parvulos, qui cum originali peccato decedunt, non tantùm pœnâ, quam damni *vocant, ſed etiam pœnâ, quam* ſenſûs *appellant, puniri.*

PRIMÒ quidem id docet ſcriptura ſacra, quoties omnes homines in duas tantùm partes diſtribuit, quarum una in regnum cœlorum, altera in ignem æternum itura ſit, nullo admiſſo loco ſtatuve medio. Textibus eam in rem ſuprà allatis addi debet quod, Apocalypſis XX. 15, generatim dicitur: *Qui non eſt inventus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Certum quippe eſt parvulos regenerationis exſortes non eſſe ſcriptos in libro vitæ: ergo, juxtà illud ſacrum oraculum, mittuntur *in ſtagnum ignis.* His etiam textibus adjungendi ſunt illi, quibus modò probatum eſt infantes illos abſolutè damnari. Quid enim aliud damnationis nomine in Eccleſiâ ſemper intellectum fuit, quàm inferni ſupplicium?

II°. Plurimi SS. Patres hanc doctrinam, uti certiſſimam atque ad fidem catholicam pertinentem, conſtanter tradiderunt, cum ex oppoſito nulli proferri poſſunt qui aliter ſenſerint.

Pelagius ſub *Critobuli* nomine, apud S. Hieronymum, lib. 3 *Dialogorum adverſùs Pelagianos*, Catholicorum de pœnis parvulorum doctrinam his carpebat verbis: *Peccare non poſſunt, & poſſunt perire! Genua labant, vagitus verba non explicat, balbutiens lingua videtur*, & æterni cruciatus miſeris *præparantur!* Quid autem ad hæc S. Hieronymus? Negat-ne hanc

hanc eſſe ſententiam Catholicorum? Nequaquam: ſed probat tantummodò æternos illos cruciatus non injuſtè parvulis decerni, utpote peccato obſtrictis.

S. Auguſtini mentem, præter alia benè multa ſuperiùs allata teſtimonia, manifeſtè declarant ea quæ docet in Epiſtolâ ad Petrum & Abraham, quæ ante aliquot annos in Germania reperta prælo mandata eſt. Sic quippe ibi loquitur: „ Dominus ait: *Qui crediderit & baptizatus fuerit,*
„ *ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Si ergò parvuli
„ cùm baptizantur, non inaniter dicitur, ſed veraciter agitur, ut inter
„ credentes habeantur, ... profectò, ſi non crediderint, condemnabun-
„ tur; ac per hoc, quia ipſi nihil malè agendo addiderunt ad peccatum
„ originale, poteſt eorum meritò dici in illâ damnatione minima pœna,
„ non tamen nulla..... Neque ergò à deceptoribus inter regnum & ſup-
„ plicium medius locus quæratur infantibus, ſed tranſeant à diabolo ad
„ Chriſtum, hoc eſt, à morte ad vitam, ne ira Dei maneat ſuper eos.
„ Ab hâc quippe irâ Dei non liberat niſi Dei gratia. Quid eſt autem ira
„ Dei, niſi à Deo juſto debita pœna atque vindicta?" Jam verò obſervavimus S. Doctorem exceſſûs hoc in capite accuſari non poſſe, quin ejusdem exceſſûs protervè accuſentur ſummi Pontifices & Concilia, immò & univerſa Eccleſia, quæ ſcripta illius contra Pelagianos abſque ullâ exceptione approbarunt. Obſervavimus inſuper Pelagianos nunquam ei objeciſſe alios Eccleſiæ Doctores aliter quàm ipſum hâc de re ſentire, quod ſanè manifeſtè demonſtrat nihil aliud ab ipſo aſſertum fuiſſe, quàm quod unanimi omnium conſenſu in Eccleſiâ Catholicâ tenebatur.

Non minus aſſeveranter loquitur S. Fulgentius, lib. I. *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 14. „ ÆTERNIS IGNIBUS ARSURI
„ SUNT, inquit, ſine baptiſmate morientes, etiam parvuli, qui nihil
„ boni aut mali egerunt." Et lib. *de Incarnatione & gratiâ*, cap. 14, Pelagianos refellens: „ Quæ juſtitia eſt, inquit, (ſi non eſt peccatum o-
„ riginale) ut imago Dei, quæ nihil potuit per ſeipſam delinquere, ſi
„ non redimatur ſanguine Filii Dei, in regnum Dei non permittatur in-
„ trare? Quò utique quisquis non ingreditur, INTERMINABILI-
„ BUS IGNIS ÆTERNI CRUCIABITUR PŒNIS." Et in lib. *de Fide ad Petrum* Diaconum, qui in Orientem reverſurus brevem articulorum catholicæ fidei indiculum ab ipſo ad ſe tranſmitti poſtulaverat, quadraginta collegit capitula, quibus poſitis, ſic concludit: „ Hæc interim
„ quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmiſſimè pertinentia fide-
„ liter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende; &, ſi quem
„ contraria his dogmatizare cognoveris, tanquam peſtem fuge, & tanquam
„ hæreticum abjice. Ita enim iſta, quæ poſuimus, catholicæ fidei con-
„ gruunt, ut, ſi quis non ſolùm omnibus, ſed etiam ſingulis voluerit
„ contraire, ... hæreticus, & chriſtianæ fidei inimicus, atque ex hoc
„ omnibus Chriſtianis anathematizandus appareat." Inter illa autem ca-

Digitized by Google

pitula, 27um hoc eſt: „ Firmiſſimè tene & nullatenùs dubites, non ſolùm „ homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui .... ſine ſa„ cramento ſancti baptiſmatis .... de hoc ſæculo tranſeunt, IGNIS Æ„ TERNI SEMPITERNO SUPPLICIO PUNIENDOS, quia ..... ori„ ginalis peccati damnationem carnali conceptione & nativitate traxe„ runt." Ita-ne locutus fuiſſet Præſul doctiſſimus & ſapientiſſimus, niſi ipſius ætate iſta doctrina fuiſſet univerſæ Eccleſiæ fides? Quis ergò non miretur, quis non doleat eamdem doctrinam Scholaſticorum diſputationibus ita demum hiſce ultimis ſæculis obſcuratam fuiſſe, ut contraria opinio à plurimis nunc Theologis, Concionatoribus, Catechiſtis tradatur?

S. Cæſarius Arelatenſis, Homilia 5 de Paſchate, deſcribens effectus baptiſmi, quo infantes abluuntur: „ Uno momento, inquit, FLAMMARUM PABULA conſumuntur, ut animæ quæ perditioni obnoxiæ fue„ rant, illo primæ nativitatis ortu, ſalutifero renaſcantur occaſu."

S. Alcimus Avitus Viennenſis Epiſcopus, in carmine ad ſororem ſuam de *Conſolatione Virginum*, inter præcipuas mulierum Chriſtianarum moleſtias hanc recenſet, quòd natos ſuos abſque baptiſmo morientes æternis ignibus deputari non dubitent. En ipſius verba:

„ *Omnibus id verò gravius, ſi fortè lavacri*
„ *Divini expertem tenerum mors invida natum*
„ *Præripiat, dirâ generatum* SORTE GEHENNÆ,
„ *Qui, mox ut matris ceſſarit filius eſſe,*
„ *Perditionis erit. Triſtes tunc edita nolunt,*
„ *Quæ* FLAMMIS *tantùm genuerunt, pignora matres.*"

S. Gregorii magni, lib. 9 Moralium, cap. 12, hæc verba ſunt: „ Non„ nulli priùs à præſenti luce ſubtrahuntur, quàm ad proferenda bona „ malave merita activæ vitæ perveniant. Quos quia à culpâ originis „ ſacramenta ſalutis non liberant, & hìc ex proprio nihil egerunt, & il„ luc AD TORMENTA perveniunt: quibus unum vulnus eſt corrupti„ biliter naſci, aliud carnaliter emori. Sed quia poſt mortem quoque „ æterna mors ſequitur, occulto eis juſtoque judicio, etiam ſine cauſâ „ vulnera multiplicantur. PERPETUA quippe tormenta percipiunt & „ qui nihil ex propriâ voluntate peccaverunt."

S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 1. *Differentiarum*, cap. 26: ILLUD, ait, „ TENENDUM EST, parvulorum animas nexu peccati originalis eſſe ad„ ſtrictas, quæ, niſi percipiant baptiſmatis ſacramentum, regni cœleſtis „ participes eſſe non poſſunt, ſed cum carne & commune habebunt pec„ catum, & pari judicio DAMNABUNTUR IN IGNEM ÆTERNUM."

„ Et

„ Et lib. 1. *Sententiarum*, cap. 24. num. 2: Pro ſolo reatu originali luunt
„ in inferno nuper nati infantuli pœnas, ſi renovati per lavacrum non
„ fuerint. Proinde, Adæ cauſâ, nuper natus infans, ſi non regenera-
„ tur, damnatur, quia originis noxietate perimitur."

Rabanus Maurus in Epiſtolâ ad Nothingium Veronenſem Epiſcopum
(quæ habetur in libro Eccleſiæ Lugdunenſis *de Tribus Epiſtolis*, cap. 45):
„ Maſſæ, inquit, humani generis, quæ in Adam & Evæ prævaricatio-
„ ne damnabilis mortaliſque facta eſt, ... ex debito PŒNA CRU-
„ CIATUSQUE GEHENNÆ debetur."

S. Prudentius Trecenſis, lib. *de Prædeſtinatione adverſùs Scotum Erigenam*, cap. 16, dicit „ extra baptiſmi gratiam morientes, non ſuo, ſed
„ protoplaſti peccato perpetuâ plexione damnari." Paulò ante dixerat illos eſſe IN GEHENNA.

Florus Diaconus Lugdunenſis, in libro contrà eumdem Scotum, cap.
16: „ Et illi, inquit, qui ſolo originalis peccati reatu obſtringuntur,
„ & ſic abſque remedio ſalutari de corpore exeunt, ſecundùm propria
„ corporis damnantur, quia in corpore utique & cum corpore illud ori-
„ ginale contraxerunt, unde in æternùm damnari merentur."

Auctor *Disputationis adverſùs Græcos*, cujus fragmentum edidit Martenius tom. 5. *Theſauri novi Analectorum*, eo momento utitur ad deterrendos illos, qui infantium baptiſmum uſque ad ſeptimum à nativitate diem differebant. „ Vos autem, inquit, homicidas omnes incompara-
„ biliter vincitis, qui pereuntes de manu Salvatoris excutitis, & morien-
„ tes ad vitam intrare non ſinitis, & in GEHENNAM, morte Chriſti
„ reclamante, demergitis."

S. Aelredus, lib. 1. *Speculi charitatis*, cap. 15, propoſitâ ſibi hâc quæſtione: „ Parvulos quæ ratio addicat damnationi, quos nec creatio malos, Tom. 13. Biblioth. PP. Colon. pag. 91. col. 2.
„ nec propria voluntas fecit injuſtos? ſic reſpondet: Quid enim? Injus-
„ tum æſtimas ut lignum inutile & infructoſum ignis depaſcat? Cogita,
„ quæſo, totum genus humanum quaſi lignum aridum, lignum infruc-
„ tuoſum, lignum in ſuâ radice vitiatum, ut pote veneno antiqui ſer-
„ pentis inficiatum, juſtiſſimè ADDICTUM FLAMMIS, IGNI DESTI-
„ NATUM, ADJUDICATUM DAMNATIONI? Quid ergò? Ingratum
„ te præbes, ô lignum inutile, quòd quidam ramuſculi à tuâ præmor-
„ tuâ præciſi radice eripiuntur incendio, quatenùs ſtipiti cuidam fruc-
„ tuoſo inſerti priſtinæ libertati donentur."

Honorius Auguſtodunenſis, in dialogo *de Prædeſtinatione & libero arbitrio*, aliquantò poſt initium: „ Infantes, ait, non baptizati, incom-
„ prehenſibili & inveſtigabili, tamen juſtiſſimâ Dei cenſurâ in loco ig-
„ nominiæ locabuntur." Et rurſus ante medium: „ Quæ ſunt merita
„ infantium, ut quibuſdam dentur regna cœlorum, quibuſdam verò ir-
„ rogentur TORMENTA inferorum?" Ac paulò poſt: „ Infantes ......
„ non prædeſtinati pœnis ſubduntur."

Ro-

Digitized by Google

Robertus Pullus, part. 3. Sententiarum, cap. 3, pag. 98: „ Apud nos, „ inquit, PATRUM ERUDITIONE CERTUM EST, ſeu natis, ſeu in- „ natis, baptiſmo tamen caſſis, nihil ſperandum, niſi ſupplicium." Cap. præcedenti dixerat eos *jure deberi gehennæ.*

Juxta conſtantem illam duodecim primorum ſæculorm traditionem, concilium Lugdunenſe II œcumenicum in Profeſſione fidei „ definivit „ illorum animas, qui cum actuali mortali peccato, vel ſolo originali „ decedunt, deſcendere mox *in infernum*, *pœnis* tamen diſparibus punien- „ das." Quam definitionem eiſdem verbis renovavit concilium Florentinum in decreto Unionis cum Græcis.

III°. Quamvis à XIII° ſæculo maxima Scholaſticorum pars ab illâ tot ſæculis unanimiter, nulloque contradicente, traditâ doctrinâ deſciverit, cenſueritque parvulos baptiſmi exſortes pœnam tantùm damni, non autem ſenſûs ſuſtinere, duo tamen ſunt valde notanda. Primum eſt non paucos maximi nominis Doctores, in illâ cæterorum defectione, antiquæ doctrinæ conſtanter tenaces fuiſſe; atque inter cæteros Gregorium Ariminenſem in 2um Sentent. diſt. 30, quæſt. 3; Polmanum Doctorem Duacenum in fine *Breviarii Theologici*, num 469; Sonnium in Tract. *de Extremo judicio*, cap. 6 & 7; Driedo, lib. 1. *de Gratiâ & libero arbitrio*, Tract. 3, cap. 2, §. 1; Auguſtinum Muſæum in Apologetico ad Paulum III; Alypium Reylof Belgam, lib. 8. *de Animâ ad mentem S. Auguſtini*, cap. 2, §. 13; Michaëlem Paludanum, Doctorem Lovanienſem, in Epiſtolâ ad Conrium Archiepiſcopum Thuamenſem; ipſum Conrium in eximio hâc de re Tractatu; Carolum Moreau, tom. 1. ſui Tertulliani, part. 2, pag. 87 & ſeq.; Alphonſum à Caſtro in libro *adverſùs Hæreſes*, verbo, *Baptiſmus;* Matthiam Hauzeur, tom. 2. *Anatomiæ Auguſtinianæ*, pag. 764; Joannem Pontium *Curſûs Theologici* disput. 18, quæſt. 6, & in Comment. in 2um Sententiarum Scoti, disput. 33; Macedo, lib. 4. *de Clavibus*, art. 4. *de Peccato originali*, ſect. 13; Henricum Noriſium *in Vindiciis Auguſtinianis*, cap. 3, §. 5, & alios benè multos.

Alterum notatu digniſſimum eſt, in illo Theologorum diſſidio antiquam Eccleſiæ doctrinam ſemper nihilominùs viguiſſe prædicatione communi, in ipſis etiam Catechiſmis conſignatâ. Duo quippe ſunt in quibus Catechiſmi omnes conſentiunt. 1° Inter peccati originalis ſequelas *damnationem æternam* memorant. 2° Docent ideò Chriſtum incarnatum ac mortuum eſſe, *ut nos à ſervitute peccati & diaboli*, *atque à pœnis inferni redimeret*, *nobiſque vitam æternam promereretur.* Cùm enim ſide certum ſit Chriſtum non minùs pro parvulis, quàm pro adultis incarnatum ac mortuum eſſe, ejuſque merita nonniſi per regenerationis lavacrum parvulis applicari, neceſſariò ſequitur parvulos abſque baptiſmo defunctos in damnatione æternâ, peccati ac diaboli poteſtati ſubjectos, pœnisque inferni obnoxios in æternum fore.

IV°. Quamvis præſens quæſtio nonniſi auctoritate divinâ definienda ſit,

ſit, allatis tamen ſcripturæ ſacræ ſanctorumque Patrum teſtimoniis rationes addi poſſunt nequaquam contemnendæ.

Prima hæc eſt: In hâc ipſâ vitâ parvuli ſubduntur multis pœnis ſenſibilibus: ergo peccatum originale pœnas ſenſibiles meretur; adeòque, cùm in alterâ vitâ nunquam delendum nec remittendum ſit, nunquam pariter hujusmodi pœnæ ceſſabunt. Nec dicas præſentis vitæ miſerias eſſe naturæ ipſius appendices, non autem pœnas peccati: nam, præterquàm quòd ſtatus ille *puræ*, ut vocant, *naturæ* fictitius eſt, ut poſteà demonſtrabitur, conſultò admodùm obſervat Noriſius loco ſupra citato, titulo 6, hoc ipſo quòd corporales miſeriæ hac in vita privationem juſtitiæ, etiamſi per accidens, conſequuntur, nihil obſtare quominùs in altera quoque vita, in quâ peccatum multò ſeveriùs punitur, ejusmodi miſeriæ, ſaltem per accidens, eam conſequantur. Neque etiam reſpondeas iſtud argumentum nullius eſſe virtutis; tùm quia non raró in terris plectimur pœnis ſenſibilibus propter peccata venialia, quibus tamen pœna æterna non debetur; tùm quia inde ſequeretur parvulos in alterâ vitâ pœnis acutiſſimis ac vehementiſſimis cruciari; ſiquidem hujusmodi doloribus hâc in vitâ nonnunquam ſubjacent. Ne, inquam, id reſpondeas. Nam 1° peccata ipſa venialia in futuro ſæculo ultricibus flammis purgantur, ideòque non æternis, quia non ſemper durabunt, ſed divinâ miſericordiâ penitùs delebuntur: contraverò peccato originali in æternum permanſuro, nec unquam remittendo, interminabilis pœna debetur. 2°. Fatendum eſt, occulto quidem, ſed juſtiſſimo Dei judicio frequenter accidere, ut infantes hac in vita multò acerbiora mala patiantur quàm multi impii, quæ certè mala, ſi injuſta eſſent, Deus juſtus utique non permitteret; ſed malè inde inferretur infantes poſt mortem magis cruciari, quàm peccatores adultos: alia quippe pœnarum hujus vitæ menſura eſt, alia pœnarum alterius vitæ, in quâ reddetur unicuique ſecundùm merita ipſius. Rectiſſimè tamen concluditur parvulos pœnâ dignos eſſe, ſiquidem in hâc ipſâ vitâ acerba multa patiuntur, imò & gravi pœnâ dignos, quandoquidem hic interdum graviſſimis doloribus non injuſtè cruciantur. Si difficilè concipimus quomodò id juſtum ſit, non alia cauſa eſt, quàm quòd non ſatis æſtimamus quanta ſit peccati originalis granditas.

Secunda ratio. Peccatum originale ejusdem generis eſt ac peccatum Adami, tametſi minùs grave ſit: ergò pœnam meretur ejusdem generis, quanquam mitiorem. Atqui fatentur omnes peccatum Adami meruiſſe pœnam ſenſûs graviſſimam. Ergo peccatum originale meretur pœnam ſenſibilem ſibi proportionatam.

Tertia ratio. Idem à contrario judicium ferendum eſt de parvulis non renatis, ac de renatis. Atqui parvuli in Chriſto renati non animæ tantum, ſed corporis quoque gloriam in alterâ vitâ conſequentur. Ergo parvuli non regenerati, præter excluſionem à viſione Dei, quæ pœna eſt animæ, corporis quoque doloribus ſubjacebunt. „ Vide ergo, inquiebat S.

 Au-

Digitized by Google

Auguſtinus lib. 6 *contra Julianum*, cap. 10, num 29, „ quàm impor-
„ tunè nolis parvulum de alieno peccato reportare malum, & velis eum-
„ dem de alieno rectè facto reportare bonum, non qualecumque, ſed
„ Dei regnum. Alienum quippe opus eſt cùm credit per alterum, ſicut
„ alienum opus fuit cum peccavit in altero."

Quarta ratio. Illud omne propter peccatum originale punietur, quod illo peccato inquinatur ac polluitur. Atqui peccato originali non anima tantùm, ſed & corpus inquinatur ac polluitur. Ergo non in animâ tantùm, ſed etiam in corpore pœnas luent non baptizati infantes.

Quæres quales futuræ ſint pœnæ ſenſibiles parvulorum originali peccato conſtrictorum?

Reſpondeo noſtrum non eſſe ea definire quæ Deus poſuit in ſuâ poteſtate. Hoc ſcimus tantummodò, qualeſcumque illæ pœnæ futuræ ſint, multò certè mitiores futuras eſſe, quàm adultorum, qui actualium peccatorum onere premuntur. Cùm enim divina ſapientia omnia in pondere, numero & menſurâ diſponat, unumquemque pro majore vel minore peccatorum gravitate pœnas luere nullum dubium eſt. Proinde, quemadmodùm parvulorum delictum minùs grave eſt, quàm adultorum perverſitas, ita in damnatione omnium mitiſſimâ futuri ſunt. „ Non di-
„ co, inquit S. Auguſtinus lib. 5 *contra Julianum*, cap. 11. num. 44,
„ parvulos ſine baptiſmate morientes tantâ pœnâ eſſe plectendos, ut eis
„ non naſci potiùs expediret, cùm hoc Dominus non de quibuslibet
„ peccatoribus, ſed de ſceleſtiſſimis & impiiſſimis dixerit. Si enim, quod
„ de Sodomitis ait, & utique non de ſolis intelligi voluit, alius alio
„ tolerabiliùs in die judicii punietur, quis dubitaverit parvulos non bap-
„ tizatos, qui ſolum habent originale peccatum, nec ullis propriis ag-
„ gravantur, in damnatione omnium leviſſimâ futuros?" Idem docent S. Bernardus, ſerm. 69 in Cantica, num. 3, & S. Anſelmus in libro *de Conceptu Virginis & originali peccato*, cap. 22 & 23.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt 1°. Ait Job, cap. III. 11 & ſeq.: *Quare non in vulvâ mortuus ſum, egreſſus de utero non ſtatim perii? Quare exceptus genibus? Cur lactatus uberibus? Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem.* Ergo, inquiunt, infantes, etſi non baptizati, omnis doloris in alterâ vitâ expertes ſunt, dulcique requie fruuntur.

Reſpondeo ſanctum virum ibi loqui juxta ſenſum humanum, conſiderando ſcilicet mortem ut finem miſeriarum hujus vitæ, & abſtrahendo ab illis quæ futuram vitam ſpectant, nobiſque non innoteſcunt niſi per revelationem divinam. Quamobrem idem eſt ac ſi dixiſſet: ſi ſtatim ab ortu mortuus fuiſſem, hæc mala, quæ patior, non ſuſtinerem. Quod enim de ſtatu parvulorum in alterâ vitâ nullatenùs ibi agatur, inde apertè declaratur, quòd de adultis quoque mortuis pariter loquatur Job in eo ipſo capite. *Ibi*, inquit, *impii ceſſaverunt à tumultu, & ibi requieverunt feſſi robore, & quondam vincti, pariter ſine moleſtiâ, non audierunt vo-*

Digitized by Google

vocem exactoris. Parvus & magnus ibi ſunt, & ſervus liber à domino ſuo. Quemadmodùm igitur ex his poſtremis verbis concludi non poteſt peccatores adultos nullis in alterâ vitâ pœnis affici, nihilo magis ex verbis præcedentibus inferri poteſt parvulos cum peccato originali mortuos nullis pœnis ſubjici.

Objiciunt 2° nonnullos Patres. S. Gregorius Nazianzenus, inquiunt, Oratione in ſacrum baptiſma, ubi totus eſt in impugnandis illis qui baptiſmum ſuum differebant, tria diſtinguit hominum genera qui ſine baptiſmo ex hâc vitâ exeunt: primum eorum qui ſacramentum illud contempſerunt; alterum eorum qui ex ignaviâ, vel ut libidines ſuas liberiùs explerent, de die in diem procraſtinarunt; tertium eorum qui, propter præmaturum in infantiâ obitum, aliosve inopinatos caſus, baptiſmo fruſtrantur. De his autem ita pronuntiat: „ Hi verò neque gloriâ, neque „ ſupplicio afficientur à juſto judice; quia ſignati quidem non ſunt, & „ jacturam patiuntur potiùs, quàm faciunt. Non enim quisquis ſupplicio dignus non eſt, continuò gloriâ dignus eſt; ſicut neque quisquis „ gloriam non meretur, continuò meretur ſupplicium ſeu punitionem." S. Athanaſius, in *Quæſtionibus ad Antiochum*, quæſtionem 114 his verbis proponit: „ Quò vadunt morientes infantes? Ad punitionem, an „ ad regnum? Et ubi infidelium infantes, & fidelium non baptizati morientes ordinantur?" Sic autem reſpondet: Cùm Dominus dicat: *Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum;* & rurſùm „ cùm Apoſtolus dicat: *Nunc autem filii veſtri ſancti ſunt*, manifeſtum „ eſt quòd tanquam immaculati & fideles in regnum ingrediuntur fidelium baptizati infantes; qui verò baptizati non ſunt, & ethnici, neque „ in regnum ingrediuntur, neque rurſùs in pœnam: peccatum enim non „ fecerunt." Ambroſiaſter in cap. 5 Epiſt. ad Rom.: „ Eſt mors, inquit, quæ ſecunda dicitur, in gehennâ, quam non peccato Adæ patimur, ſed ejus occaſione propriis peccatis acquiſitur."

Reſpondeo 1° cum S. Auguſtino, lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 14, rigoroſè ſumi non debere, ſi qua fortè aliquibus ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ante ortam Pelagianam hæreſim, minùs cautè enuntiata circa hanc materiam excidere potuerunt. Sciebant enim ſe non aliter intelligi, quàm quomodò in Eccleſiâ credebatur. Sanè auctores quos adverſarii nobis objiciunt ideò infantes ſine baptiſmo mortuos à pœnis eximere videntur, quòd, inquiunt, *mali non ſint*, quòd *peccatum non fecerint*; ac proinde, ſi illorum verba preſſiùs urgerentur, non tam noſtræ de pœnis parvulorum doctrinæ, quàm ipſi peccati originalis fidei adverſarii dicendi eſſent: quod profectò de illis ſentire religio non permittit. Quemadmodùm igitur, cùm dicunt illos parvulos non eſſe malos, id intelligi non poteſt niſi comparatè ad adultos actualium criminum reos; ita, cùm dicunt eos ſupplicio non affici, intelligendum id eſt comparatè ad ſupplicia quibus adulti reprobi torquentur.

Reſpondeo 2°. ad ſingulos.

S. Gregorii Nazianzeni ſenſus eſt, defectum baptiſmi in eis, qui propter aliquos inopinatos caſus baptizari non potuerunt, ad culpam non imputari, nec puniri à Deo; cùm è contrario illi qui præ ſuperbiâ baptiſmum contempſerunt, *tum aliorum ſcelerum ſuorum, tum etiam hujus contemptûs pœnas luituri ſint*, & qui *per ignaviam, aut propter inexplebilem libidinem* baptiſmum ſuum diſtulerunt, pœnas quoque, quamvis minores, propter voluntariam baptiſmi dilationem ſubituri ſint. Ea porro indubitata ſunt, nec in quæſtionem veniunt. An verò infantes, non quidem propter defectum baptiſmi, quo abſque ullâ culpâ ſuâ carent, ſed propter originale peccatum quo obſtricti ſunt, à juſto judice puniantur, alia quæſtio eſt, quam, ut pote à propoſito ſuo alienam, in eo ſermone non tractat Nazianzenus.

Liber *Quæſtionum ad Antiochum* nequaquam eſt S. Athanaſii, ſed ignoti alicujus ſcriptoris multò recentioris, nec magnæ auctoritatis. Exponi tamen abſolutè poteſt hoc ſenſu, quòd parvuli non eiſdem pœnis ſubjicientur, quibus adulti qui *peccata* actualia *fecerunt*.

Ambroſiaſtri, multis Pelagianis erroribus referti, auctoritas hâc in materiâ nulla eſt.

Objiciunt 3°. S. ipſe Auguſtinus, lib. 3 *de Libero arbitrio*, cap. 23. num. 66, medium ſtatum agnoſcit inter regnum cœlorum & damnationem æternam, in quo infantes futuri ſunt. Hâc quippe quæſtione ſibi propoſitâ: „ Quid opus erat ut naſceretur, qui, antequàm iniret ullum „ vitæ meritum, exceſſit è vitâ; aut qualis in futuro judicio deputabi- „ tur, cui neque inter juſtos locus eſt, quoniam nihil rectè fecit, ne- „ que inter malos, quia nihil peccavit?" ſic reſpondet: „ Non me- „ tuendum eſt ne vita potuerit eſſe media quædam inter rectè factum at- „ que peccatum, & ſententia judicis non poſſit eſſe media inter meritum „ & ſupplicium."

Reſpondeo eo textu abuſos olim fuiſſe Semipelagianos, ut obtinerent cauſam parvulorum multùm differre à cauſâ adultorum: illud autem præſidium eis eripuit ipſemet S. Doctor in libro *de Dono perſeverantiæ*, cap. 12. num. 30. „ Si enim, inquit, quando libros *de Libero arbitrio* „ laïcus cœpi, presbyter explicavi, adhuc de damnatione infantium non „ renaſcentium, & de renaſcentium liberatione dubitarem, nemo, ut „ opinor, tam injuſtus eſſet atque invidus, qui me proficere prohibe- „ ret, atque in hâc dubitatione remanendum mihi eſſe judicaret. Cùm „ verò rectiùs poſſit intelligi, non me propterea de hâc re dubitaſſe cre- „ di oporteret, quia, contra quos mea dirigebatur intentio, ſic mihi „ viſi ſunt refellendi, ut ſive pœna eſſet originalis peccati in parvulis, „ quod veritas habet, ſive non eſſet, quod nonnulli errantes opinan- „ tur, nullomodò tamen, quam Manichæorum error inducit, duarum „ naturarum, boni ſcilicet & mali permixtio crederetur: abſit ut cauſam „ par-

„ parvulorum ſic relinquamus, ut eſſe nobis dicatur incertum utrùm in „ Chriſto regenerati, ſi moriantur parvuli, tranſeant in æternam ſalu- „ tem, non regenerati autem tranſeant in mortem ſecundam; quoniam „ quod ſcriptum eſt: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*, „ *& per peccatum mors*, *& ita in omnes homines pertranſiit*, aliter intelligi „ non poteſt; nec à morte perpetuâ, quæ juſtiſſimè eſt retributa peccato, „ liberat quemquam puſillorum atque magnorum, niſi ille qui propter „ remittenda, & originalia, & propria noſtra peccata mortuus eſt ſine „ ullo ſuo originali propriove peccato". Igitur S. Doctor in libris *de Libero arbitrio* de ſtatu parvulorum non abſolutè, ſed hypotheticè locutus eſt, quantùm neceſſe fuit ad confutandos Manichæos; adeò ut verborum quæ nobis objiciuntur iſte ſenſus ſit, infantes, poſito quòd nec juſti ſint, nec peccatores, conſequenter nec præmio, nec ſupplicio eſſe dignos. Verùm, ſicut ex illa mera ſuppoſitione concludi nequit infantes nec juſtos eſſe, nec peccatores, ſed in medio quodam ſtatu juſtitiam inter & peccatum; ita etiam concludi ex illâ non poteſt infantes mortuos nec in regno cœlorum, nec in ſempiternâ damnatione eſſe. „ Quam- „ obrem verò de damnatione eorum parvulorum, qui ſine baptiſmo ex „ hâc vitâ emigrant, tunc aliquid dicendum non putaverit, declarat S. Doctor in Epiſt. 166, al. 28, ad S. Hieronymum, cap. 7. num. 20: *quia* nimirùm, inquit, *non*, *quod nunc agitur*, *agebatur*.

Objiciunt 4°. Illud peccatum puniri non poteſt in alterâ vitâ, propter quod nemo juſtè vituperari, aut pœnitentiam agere poteſt. Atqui nemo juſtè vituperari, nemo pœnitentiam agere poteſt propter originale peccatum, utpote quo carere liberum non eſt. Non ergo iſtud peccatum punitur in altera vita.

Reſpondeo hujuſmodi ratiunculas humanas ne audiendas quidem eſſe contra manifeſtiſſimam SS. Patrum, Conciliorum, ipſiusque Scripturæ ſacræ definitionem. Cedat ratio divinæ auctoritati, eamque ſubſequatur, ut demonſtret, ſi poteſt, incredibile non eſſe quod Deus revelaverit; ſed nunquam præcedere præſumat quaſi magiſtra. Hujuſcemodi argumentationes nunquam Pelagianis defuerunt, ſed inanes illorum conatus fidei invicta firmitas ſemper vicit vincitque. Obſervandum eſt inſuper hiſce argutiis non magis impugnari parvulorum in alterâ vitâ pœnas, quàm fidem ipſam peccati originalis.

2°. Nego minorem. Quanquam enim nemo vituperari poteſt quòd ex Adamo natus ſit, juſtè tamen vituperatur homo quòd peccator ſit, quòd à Deo averſus, quòd ad res creatas amore perverſo converſus. Tantum malum unusquiſque in ſeipſo odiſſe debet, utque deleatur, ad regenerationis remedium recurrere. „ An verò, ut ait S. Auguſtinus lib. *de Cor-* „ *reptione & gratiâ*, cap. 6, ideò pravitas iſta corripienda non eſt, „ quia non ejus propria qui corripitur, ſed communis eſt omnibus? Im- „ mo verò corripiatur & in ſingulis quod eſt omnium. Non enim prop- „ te-

„ tereà cujusquam non eſt, quòd ab eâ nullus immunis eſt..... Corripiatur ergò origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur &c." Et ſanè infantes qui lavacro ſalutari abluuntur, pœnitentes appellare non dubitat Eccleſia, uti obſervat S. Doctor lib. 1. *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 19. „ Dicet aliquis, inquit: quomodò ergo & ipſi vocantur in pœnitentiam? ...... Huic reſpondetur: Si proptereà pœnitentes dicendi non ſunt, quia ſenſum pœnitendi nondum habent, nec fideles dicendi ſunt, quia ſimiliter ſenſum credendi nondum habent: ſi autem proptereà rectè fideles vocantur, quoniam fidem per geſtantium verba quodammodò profitentur, cur non priùs etiam pœnitentes habentur, cùm per eorumdem verba geſtantium diabolo & huic ſæculo renuntiare monſtrentur?"

Nonnulla ex doctrina peccati originalis Conſectaria obiter eruuntur.

Fides peccati originalis adcò arctè conjuncta eſt cum gratiæ Chriſti myſterio, ut ex illâ plurima maximi momenti conſectaria ſpontè naſcantur, quæ hîc breviter indicare ſufficiet.

Ac primò quidem ex fide peccati originalis manifeſtè intelligimus quàm grande malum ſit peccatum, quantam ruinam ſecum trahat, quandoquidem unius Adami peccatum naturam humanam totàm corrupit, & in malorum abyſſum præcipitem egit.

2°. Inde innoteſcit quàm ſtricto præcepto æterna lex nos jubeat diligere Deum ſuper omnia, reſque creatas non diligere niſi propter Deum, quandoquidem eo ſolo naſcimur naturâ filii iræ, quòd amor creaturarum in nobis naſcentibus dominatur, tametſi abſque ullo proprio actu noſtro in hanc à Deo averſionem & ad bona creata converſionem inciderimus.

3°. Apparet quàm falſum ſit illud ſolum ad laudem vituperiumve imputari poſſe, quod conjunctum eſt cum æquilibrio potentiæ, ſeu virium, in alterutram partem. Nam manifeſtum eſt non adeſſe parvulis naſcentibus hujuſmodi potentiam, quâ peccatores eſſe vel non eſſe ex æquo poſſint, & tamen peccatum originale, quod in ipſis voluntarium ſimul & neceſſarium eſt, à juſto judice illis imputari fides chriſtiana non dubitat. Sequitur proinde veriſſimum eſſe quod in libro præcedenti aſſeruimus, illud omne juſtè imputari voluntati, quod voluntarium eſt, etiamſi adjunctam non habeat potentiam ad oppoſitum.

4°. Liquet immeritò à nonnullis Theologis excuſari peccata, quæ contra legem naturalem, ſive ex ignorantiâ, ſive ex impotentiâ quâdam morali & voluntariâ rectè agendi committuntur. Si enim Deus non excuſat, ſed juſto & irreprehenſibili judicio condemnat infantes eo præciſè quòd à lege æternâ averſi ſunt, quamvis id nec ſciant, nec vitare poſ-

poſſint, quis ſibi finget eum indulgentiùs acturum cum adultis ignorantiam aut infirmitatem ſuam arroganter prætexentibus?

5°. Inde etiam manifeſtum eſt falſò dici ab eiſdem Theologis neminem peccati reum eſſe, niſi habuerit gratiam neceſſariam planè ſufficientem & relativam ad vitandum peccatum. Certum quippe eſt infantes, dum naſcuntur, non habere gratiam quâ peccatum originis vel prævertere, vel ſuperare valeant, & tamen verè peccatores eſſe ac pœnâ dignos.

6°. Concludendum eſt graviter illos errare, qui docent gratiam ad benè agendum & ad vitandum peccatum requiſitam omnibus dari; quandoquidem luce clarius eſt hujuſmodi gratiam non dari infantibus qui ſine baptiſmo de corpore exeunt, cùm tamen divinum circa illos judicium, etſi occultiſſimum, juſtiſſimum eſſe fides non ambigat.

7°. Inde quoque inferendum eſt prædeſtinationem ad gloriam omninò gratuitam eſſe, ac prævertere prævisionem quorumlibet meritorum; ſiquidem nulla poteſt afferri ratio, præter liberrimam Dei voluntatem, propter quam, è duobus infantibus planè æqualibus & quandoque geminis, unus baptiſmum recipiat & regno cœleſti donetur, alter baptiſmo privetur & in æternum pereat.

8°. Patet pariter admitti in Deo non poſſe voluntatem ſimpliciter dictam, actuoſam & indifferentem ſalvandi, quantùm in ſe eſt, omnes & ſingulos homines; Chriſtumque non pro omnibus indifferenter mortuum eſſe, nec mortis ſuæ beneficium ſingulis applicare; cùm contrarium evidens ſit in parvulis, qui, Deo nolente, mortis Chriſti participes non fiunt.

9°. Inſuper ſequitur conquerendum non eſſe quòd Deus plurimos adultos deſerat, non tribuendo illis auxilium gratiæ, quo ad Deum converterentur. Si enim infantes, judicio Dei utique non injuſto, gratiâ Chriſti deſtituuntur, quamvis ſolo peccato originali obligati, quantò juſtiùs eâ deſtitui poſſunt adulti, qui per actualia peccata pravoſque affectus gratiâ multò indigniores ſe præbent?

10°. Conſequitur inſcrutabilem myſteriorum gratiæ altitudinem non eſſe rationem legitimam illa rejiciendi vel temperandi; quandoquidem peccati originalis in omnes Adami poſteros propagatio, & propter hoc peccatum innumerabilium parvulorum æterna damnatio, non minùs inſcrutabilis & incomprehenſibilis eſt, nec tamen negari poteſt, quin ipſa Chriſtianæ religionis fundamenta convellantur.

11°. Concludendum eſt maximas à nobis gratias agendas eſſe Deo Servatori, quòd gratuitâ ſuâ miſericordiâ, abſque ullo merito noſtro, à tot parvulis in æternum perituris nos diſcernere dignatus fuerit, cùm in eâdem maſſâ damnationis concluſos relinquere juſto judicio potuerit.

12°. Patet etiam concupiſcentiam, quâcum naſcimur, pravam eſſe, naturæque primordium eſſe nullomodò potuiſſe; quandoquidem hoc ipſo

Digitized by Google

ſo quòd in parvulis non regeneratis dominatur, peccatores illos faciat, & tanquam iræ filios in interitum ac damnationem trahat.

13°. Denique perſpicuum eſt nunquam licitum eſſe concupiſcentiæ motibus obſequi, ſemperque illis reſiſtendum eſſe, quandoquidem infantes, hoc ipſo quòd concupiſcentiæ habitualiter mancipentur, ſub peccato ſint & ſub damnatione, niſi per gratiam regenerationis ab ejus dominio liberentur.

Hæc conſectaria, quorum nonnulla loco ſuo ex inſtituto jam tractata vel tractanda ſunt, breviter hic colligimus, ut vel uno intuitu conſpiciatur quantùm catholicæ veritates ſeſe mutuò illuſtrent & adjuvent, quantumque lucis myſterio gratiæ ex fide peccati originalis accedat.

CAPUT SECUNDUM.

De ignorantiâ, quæ prima peccati originalis pœnalitas eſt: utrùm contra legem agentes excuſet à peccato.

DESERTO Deo, qui ſolus vera lux eſt mentium humanarum, quid homini niſi tenebræ remanſerunt? Claræ rerum intelligibilium contemplationi ſucceſſit craſſa & ſupina ignorantia, non negativa tantùm, quæ neſcientia dicitur, ſed etiam poſitiva erroribus patens, falſaque pro veris amplectens. Hinc ſtupida infantia non modò neſcit quæ ſcire expedit, ſed etiam niſi magno cum labore erudiri non poteſt. Imprimis ignorat homo Deum, à quo creatus eſt, & ſeipſum. Ignorat quò tendere, quid amare debeat; & carnis corruptibilis pondere aggravatus ad inviſibilia & ſpiritualia contuenda aſſurgere non valet. „ Totam „ quippe ſe (anima) in amorem viſibilium ſudit, inquit S. Gregorius „ magnus lib. 5 Moralium, cap. 25, tantòque ab internâ ſpeculatione „ cæcata eſt, quantò foras deformiter ſparſa: unde fit ut nulla nove„ rit, niſi ea quæ corporis oculis, ut ita dixerim, palpando cognoſcit. „ Homo enim qui, ſi præceptum ſervare voluiſſet, etiam carne ſpiri„ talis futurus erat, factus eſt etiam mente carnalis, ut ſola cogitet „ quæ ad animum per imagines corporum trahit.“ Inde ipſorummet Philoſophorum Gentilium monſtruoſæ aberrationes circa Divinitatem, circa ſummum bonum finemque ultimum, circa regulas ipſas morum. Inde in ipſâ Evangelicâ luce tot diverſis ſæculis hæreſes, tot ridicula prophanarum opinionum commenta, tot circa mores aliaque religionis capita errores fluxerunt. Inde, derelictâ Apoſtolicæ traditionis ſemitâ, inquieta novandi cupiditas: inde quæſtionum inanium ac puerilium otioſa

ſa proſecutio; inde anilium fabularum periculoſa adinventio; inde innumera peccata, dum, ignorando quod agendum ſit, illicitum ſub liciti ſpecie illudit, & *via, quæ videtur homini recta, ducit ad mortem.*

Hic occurrit graviſſimi momenti quæſtio; an ſcilicet ignorantia excuſet à peccato. Ad dilucidam ejus ſolutionem, multiplex diſtingui debet ignorantiæ genus. Multiplex ignorantiæ genus.

1°. Ignorantia vel habitualis eſt, vel actualis. Illa propriè dicitur ignorantia: hæc autem propriè inadvertentia ſeu oblivio appellatur.

2°. Utraque dividitur in ignorantiam facti, & ignorantiam juris. Ignorantia facti eſt, cùm latet aliqua circumſtantia, quâ ſpecies actûs immutatur: talis eſt ignorantia illius qui hominem occidit neſciens eſſe hominem, ſed putans eſſe feram. Ignorantia juris eſt, quâ ignoratur aliquid eſſe præceptum vel vetitum.

3°. Ignorantia juris dividitur in ignorantiam juris poſitivi, & ignorantiam juris naturalis. Jus poſitivum eſt illud quod ſancitur à liberâ legiſlatoris voluntate, quodque cognoſci nequit, niſi exteriùs promulgetur; & duplex eſt: divinum ſcilicet, quod à Deo, & humanum, quod ab hominibus poteſtatem habentibus ſancitur. Jus autem humanum dividitur in Eccleſiaſticum, quod ab Eccleſiâ vel à Prælatis Eccleſiæ, & in Civile, quod à Poteſtate temporali ac civili ſtatuitur. Jus naturale eſt illud quod æternâ & immutabili lege divinâ præcipitur aut vetatur, omniumque hominum mentibus à Deo creatore inſculptum fuit.

4°. Dividitur iterum ignorantia in ignorantiam ejus quod ſcire non tenemur, quæ propriè neſcientia dicitur, qualis eſt ignorantia Geometriæ in homine qui ſcientiam illam addiſcere minimè tenetur; & ignorantiam ejus quod ſcire tenemur, ſive ad jus naturale, ſive ad jus poſitivum pertineat, qualia ſunt, ut ait S. Thomas 1. 2. quæſt. 76. art. 2, in corp., „ illa ſine quorum ſcientiâ non poteſt aliquis debitum actum de„ bitè exercere. Unde omnes tenentur ſcire communiter ea quæ ſunt „ fidei, & univerſalia legis præcepta: ſinguli autem ea quæ ad eorum „ ſtatum vel officium ſpectant.“

5°. Ignorantia dividitur in *concomitantem*, in *conſequentem*, & in *antecedentem.* Ignorantia *concomitanter* ſe habet ad actum voluntatis, ait Angelicus Doctor ibidem, quæſt. 6. art. 8, „ quando ignorantia eſt de „ eo quod agitur, tamen, etiamſi ſciretur, nihilominùs ageretur. Tunc „ enim ignorantia non inducit ad volendum ut hoc fiat, ſed accidit „ aliquid eſſe ſimul factum & ignoratum, ſicut cùm aliquis vellet qui„ dem occidere hoſtem, ſed ignorans occidit eum, putans occidere cer„ vum.“ Ignorantia dicitur *conſequens* quando eſt voluntaria, ſive directè, ſive indirectè ſit volita, ut modò explicabitur. Ignorantia dicitur *antecedens*, ait idem S. Doctor, „ quando non eſt voluntaria, & „ tamen eſt (voluntati) cauſa volendi quod aliàs non vellet: ſicut „ cùm aliquis homo ignorat aliquam circumſtantiam actûs, quam non

Digitized by Google

„ tenebatur ſcire, & ex hoc aliquid agit quod non faceret, ſi ſci-
„ ret.“

6°. Dividitur ignorantia in voluntariam & in involuntariam. Ignorantia involuntaria eſt ea quæ nec in ſe, nec in ſuâ cauſâ volita eſt. Voluntaria autem duplici ſenſu dicitur, directè ſcilicet, vel indirectè. Directè voluntaria eſt ignorantia in quam voluntas explicitè & immediatè fertur; quando nimirùm aliquis ignorare vult, ut liberiùs peccet; qualis eſt ille de quo in Pſalmis dicitur: *Noluit intelligere ut benè ageret.* Hæc ignorantia vulgò dicitur *affectata.* Indirectè voluntaria ignorantia eſt ejus „ quod quis poteſt ſcire & debet;..... ſive cùm aliquis non conſiderat quod conſiderare poteſt & debet, quæ eſt ignorantia malæ electionis, vel ex paſſione, vel ex habitu proveniens; ſive cùm aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere,“ ut dicit S. Thomas ibidem.

7°. Dividitur ignorantia in ſimplicem & in pœnalem: hæc eſt pœna peccati, ſaltem originalis, & talis eſt ignorantia juris naturalis in homine lapſo.

8°. Denique ignorantia dividitur in vincibilem & in invincibilem; de quâ diviſione dicetur poſteà.

Quæ ignorantia excuſet à peccato: quæ non excuſet.

Conſtat ignorantiam eatenus tantùm excuſare à peccato, quatenus eſt abſolutè involuntaria, facitque ut actus ex illâ conſequens non ſit ſub eo reſpectu voluntarius. Id autem non omni ignorantiæ competit.

Ignorantia facti quod ſcire non tenemus, omnium conſenſu, culpâ vacat, & quod ex illâ fit non eſt eâ ex parte voluntarium, nec proinde peccatum. Nam quod nullatenus eſt cognitum, nullatenus eſt volitum. Exempli cauſâ, qui occidit hominem, neſciens eſſe hominem, & volens tantummodò occidere feram, nullatenus cognoſcit actum quem facit eſſe occiſionem hominis. Cùm ergo voluntas non poſſit in ignotum ferri, hujusmodi actus ſub eo reſpectu conſideratus non eſt voluntarius; adeòque nec homicidium.

Ignorantia quam *concomitantem* vocant, cùm non ſit cauſa actûs, ſed per accidens tantùm ei adjuncta ſit, actum nec voluntarium, nec involuntarium facit; adeòque nec cauſat peccatum, nec à peccato excuſat. Eo ſcilicet in caſu homo agit quidem ignorans, non autem agit ex ignorantiâ; ac proinde id quod facit non eſt voluntarium ſub eo reſpectu quo eſt ignotum; eſt tamen abſolutè voluntarium, quatenùs voluntas in illud ferretur, ſi quale eſt cognoſceretur. Itaque voluntas peccatrix eſt, quia habitualiter & ex pravâ diſpoſitione vult peccatum, v. g. occiſionem inimici; actus tamen hic & nunc elicitus non eſt ex ſe malus, quia non fertur in malum, ut pote non cognitum. Ita S. Thomas 1. 2. quæſt. 6. art. 8, quæſt. 76. art. 3; Cajetanus & Medina in hunc articulum; Eſtius in 2, diſtinct. 22 § 11; quem vide.

Ignorantia *antecedens*, ſive quæ eſt cauſa actûs, non ſemper excuſat à

à peccato, ſed tantummodò quando eſt eorum quæ ſcire nec tenemur, nec poſſumus: v. g. quando ignoratur aliqua circumſtantia ſpeciem actûs immutans, quæ ſi cognoſceretur, non fieret actio. Sic definit S. Thomas ibidem: ex cujus definitione colligitur eam duntaxat ignorantiam antecedentem excuſare à peccato, quæ eſt ignorantia facti, aut juris alicujus poſitivi, nunquam autem ignorantiam juris naturalis.

Ignorantia directè voluntaria, cùm ipſa per ſe peccato non careat, nullomodò excuſat à peccato; imò peccatum aggravat, quia manifeſtum divinæ legis contemptum, obſtinatamque in malo voluntatem includit.

Ignorantia indirectè voluntaria, quæ oritur ex negligentiâ id addiſcendi quod à peccato retraheret, non penitùs excuſat, etiam ubi agitur de jure tantùm poſitivo, ſed minuit peccatum. „ Talis enim ignorantia, ut ait S. Thomas 1. 2. quæſt. 76. art. 3 in corp., „ facit ignoran„ tiam ipſam voluntariam & peccatum, dummodò ſit eorum quæ quis „ ſcire tenetur, & poteſt; & ideò talis ignorantia non totaliter excu„ ſat à peccato.“

Ignorantia abſolutè involuntaria & invincibilis juris poſitivi totaliter excuſat à peccato. Cùm enim ea, quæ jure tantùm poſitivo prohibentur vel jubentur, nec bona, nec mala ſint ex ſeipſis, ſed tantummodò quia prohibita vel imperata ſunt, hinc fit ut qui agit vel omittit quidpiam contra legem poſitivam, quam cognoſcere non debuit aut non potuit, non faciat aliquid ex ſe malum, nec omittat aliquid ex ſe debitum, ac proinde à peccato planè ſit immunis. Unde S. Thomas ibidem, art. 2: „ Si verò, inquit, talis ſit ignorantia quæ omnino ſit involuntaria, vel „ quia eſt invincibilis, vel quia eſt ejus quod quis ſcire non tenetur, „ talis ignorantia omninò excuſat à peccato.“

His, de quibus minor eſt contentio, breviter expeditis, expendendum ſupereſt an ignorantia juris naturalis aliquando ſit invincibilis, & utrum aliquando à peccato excuſet.

Quo ſenſu ignorantia juris naturalis dici poſſit vincibilis vel invincibilis.

Prima quæſtio, an ſcilicet ignorantia juris naturalis ſit aliquando invincibilis, nominis veriùs eſt quàm rei. Omnes namque conſentiunt nullam eſſe legis naturalis ignorantiam, quæ per lumen divinum & per adjutorium gratiæ vinci non poſſit, ac proinde nullam eſſe abſolutè invincibilem. Omnes pariter conſentiunt eamdem ignorantiam non poſſe vinci ex omni parte per ſolas naturæ vires, ſed in loquendi modo diſcrepant. Alii quippe, eoquòd nulla ſit juris naturalis ignorantia quæ per auxilium gratiæ vinci non poſſit, conſequenter dicunt ignorantiam juris naturalis nunquam eſſe abſolutè invincibilem. Alii verò, eoquòd ignorantia juris naturalis vinci ex omni parte non poteſt ſolis naturæ viribus, dicunt illam ignorantiam eſſe quandoque invincibilem. Hanc ultimam loquendi formam amplexi ſunt nonnulli celebres & melioris notæ Theologi, qui conſequentur dicunt dari ignorantiam juris naturalis quæ ſit invincibilis, nec tamen à peccato excuſet. His quoad modum lo-

loquendi conſentiunt aliquatenùs Jeſuitæ, eorumque aſſeclæ, ſed quoad doctrinæ ſubſtantiam mirum in modum diſſentiunt. Aſſerunt enim Jeſuitæ ignorantiam juris naturalis invincibilem totaliter à peccato excuſare: quod illi vehementer negant. Contra verò probatiores Theologi cum iſtis conſentiunt ignorantiam juris naturalis nunquam totaliter excuſare à peccato, ſed in loquendi formâ ab eiſdem diſcrepant, aiuntque ignorantiam juris naturalis invincibilem, ſi daretur, excuſaturam à peccato, ſed nullam eſſe abſolutè invincibilem, atque adeò nullam omnino à peccato excuſare. Utri rectiùs loquantur paulò poſt expendemus.

An ignorantia juris naturalis aliquando à peccato excuſet. Variæ hâc de re opiniones & aberrationes.

Altera quæſtio, utrùm ignorantia legis naturalis (ſive vincibilis, ſive invincibilis dicatur) aliquando excuſet à peccato, multò gravior eſt, maximique in morum diſciplina momenti. Varias hâc de re opiniones primùm recenſebimus.

1°. SS. Patres & omnes antiquiores Theologi uno conſenſu docent, ut paulò poſt videbitur, ignorantiam legis naturalis nunquam excuſare à peccato, licet illius gravitatem interdum minuat.

2°. Plurimi nunc Theologi ſentiunt ignorantiam quidem primorum principiorum legis naturæ, & concluſionum eis viciniorum, non excuſare à peccato, ſed ignorantiam concluſionum remotiorum, aut ſaltem remotiſſimarum excuſare. Quæ autem concluſiones ſint proximæ, quæ autem remotæ, alii latiùs, alii ſtrictiùs circumſcribunt.

3°. Multi dicunt ignorantiam juris naturalis quæ oritur ex diſcendi negligentiâ, & quæ per ſciendi ſtudium vinceretur, non excuſare peccata; eam verò, quæ humano ſtudio vinci non potuit, penitùs excuſare.

Quarta opinio eſt plerorumque Jeſuitarum, quam, ut mente & memoriâ faciliùs teneatur, ad certa quædam errorum capita revocare non pigebit.

1°. Generatim docent ignorantiam omnem à peccato excuſare, modò ſit invincibilis.

2°. Ignorantiam invincibilem eſſe docent, quoties nulla dubitatio, nulluſve ſcrupulus menti occurrit circa malitiam alicujus actûs. Ita Suarez Tract. *de Cenſuris*, disput. 4. art. 8. §. 18. „ Oportet conſiderare, inquit, an aliquando venerit in mentem tale præceptum, vel dubitatio „ aliqua de ejusmodi obligatione, vel aliquid ſimile, quo poſſet excitari ad inquirendam ſcientiam talis præcepti. Nam ſi nihil hujusmodi menti occurrit aliquando, ſignum ſufficiens eſt invincibilis ignorantiæ.“ Ita etiam Terillus Jeſuita Anglus & Profeſſor in Collegio Leodienſi, *de Regulâ morum*, part. 2. quæſt. 65. num. 13. „ Non aliter „ ignorantiam voluntariam eſſe admittimus, inquit, quàm ſi antecedenter aliqua de ejus vitatione obligatio menti occurrerit, per cujus obligationis contemptum vel neglectum ignorantia culpabiliter incurritur.“ Hâc doctrinâ ſemel admiſſâ, plerique idolorum cultores, quibus nulla ſub-

ſubiit cogitatio de pravitate ſui cultûs, & plurimi alii peccatores, qui, dum graviſſima peccata committunt, ſe malè agere nunquam ſuſpicantur, in ignorantiâ invincibili verſantur; adeòque talia agendo non peccant.

Dicunt 3° prima ipſa legis naturalis principia poſſe ignorari invincibiliter, tuncque à peccato excuſari qui contra illa agunt. De ipſâ etiam Dei ignorantiâ id aſſerit Molina in Part. 1. S. Thomæ, quæſt. 2. art. 2. „ Ex dictis, inquit, colligi poteſt tam rudes & incultos poſſe aliquos „ homines eſſe, ut maximâ cum probabilitate affirmare poſſimus in eis „ ignorantiam invincibilem Dei poſſe reperiri ..... Porro eâ ignoran„ tiâ excuſabuntur à peccato infidelitatis, & quòd Deum non colant, „ nec ei honorem debitum exhibeant, non erit eiſdem culpæ tribuen„ dum." In exemplum profert Breſilianos, quos in hujuſmodi ignorantiâ verſatos fuiſſe cenſet, priusquàm Luſitani ad eos penetraſſent.

Idem docet Rodericus de Arriaga tract. *de Deo uno*, disp. 2. ſect. 3. „ Ego ſanè, ait, vix dubito quin multi poſſint inveniri, in quibus nec „ per umbram ſimilis excitetur ratiocinatio (probans exiſtentiam Dei): „ poterunt ergo habere ignorantiam invincibilem Dei." Ignorantiam illam aliquanto ſaltem tempore durare poſſe affirmat Gregorius de Valentia, tom. 2. disput. 6. quæſt. 6. puncto 1. „ Ex quo ſequitur, inquit, poſſe, „ ad aliquod ſaltem tempus, per ignorantiam invincibilem in aliquo ho„ mine rudiori excuſari idololatriam." Caramuelis eadem eſt doctrina lib. 4 Theologiæ Moralis, num. 1559, ubi dicere non dubitat „ pluralitatem Deorum, ſtando principiis naturalibus, defendi poſſe ac propug„ nari." Jeſuitæ Lovanienſes, in theſibus menſe Decembri anni 1688 propugnatis, addebant etiam cum ordinariis gratiæ auxiliis Deum ignorari poſſe *inculpatè*. Mirabitur forſitan lector ignorantiam Dei in illis inculpatam pronuntiari, quibus ordinaria non deſunt auxilia gratiæ quam ſufficientem appellant: ſed errorem ſecum ipſo pugnare quid mirum eſt? Illos omnes impietate ſuperavit Cardinalis Sfondratus *Nodi prædeſtinationis diſſoluti* part. 1. §. 2, pag. 152, ubi affirmare non veretur hujusmodi ignorantiam ingentis beneficii loco habendam eſſe à barbaris in tam cœcâ caligine verſantibus. „ Demus, inquit, ita (invincibiliter) igno„ raſſe (Deum), idque magni beneficii & gratiæ pars fuit. Cùm enim „ peccatum ſit eſſentialiter offenſio & injuria Dei, ſublatâ Dei cogni„ tione, neceſſariò ſequitur nec injuriam, nec peccatum, nec pœnam „ æternam eſſe. Ergo, cùm hâc ignorantiâ impeccabiles redderentur, a„ lioquin certò peccaturi, ſi agnoſcerent, ſequitur hoc ipſum eſſe bene„ ficium." In quæ tempora incidimus, ut tam horrendas blaſphemias non quorumlibet privatorum, ſed & purpuratorum quoque auctorum ore prolatas ferre cogamur!

De præcipuis legis naturalis præceptis idem affirmare auſi ſunt plurimi Jeſuitæ. Meratius, tract. *de Peccatis*, disput. 9. ſect. 7, ſic loqui-

 tur;

tur: „ Principia aliqua univerſalia legis naturæ, ut ſunt hæc, non eſſe „ furandum, occidendum, adulterandum, Deum eſſe colendum, pa- „ rentes honorandos, & ſimilia, etſi non poſſint ignorari invincibiliter „ toto humanæ vitæ tempore, poſſunt tamen aliquo brevi, imò etiam „ ſatis longo.“ Juxta Filiutium, tom. 3 *Quæſtionum moralium*, tract. 30. cap. 2. num. 50, non tantùm barbari, ſed & ipſi Chriſtiani poſſunt ignorare invincibiliter ſimplicem fornicationem eſſe peccatum.

Docent 4° non ſolùm ignorantiam habitualem, ſed actualem quoque, ſive defectum advertentiæ actualis ad malitiam actûs, excuſare à peccato; id eſt, excuſari à peccato hominem qui, licet ſciat cognitione habituali actum quem facit eſſe malum, tamen, dum agit, de illius malitiâ actu non cogitat. Ita Vaſquez in 1. 2. quæſt. 107, cap. 3. „ Nullum eſt, ait, mortale peccatum in voluntatis conſenſu, niſi „ cognitio aliqua præceſſerit & conſideratio expreſſa, quam vocant ac- „ tualem, malitiæ moralis vel periculi, vel ſaltem expreſſa aliqua du- „ bitatio ſive ſcrupulus. Si nihil horum præceſſerit, inconſideratio „ cenſetur omnino naturalis, & conſenſus, quantùmvis longo tem- „ pore duret, non eſt peccatum mortale.“ Ita Suarez, tract. *de Veritate & ſtatu religionis*, lib. 3 *de Juramento*, cap. 7, definiens „ juramentum prolatum, ſine advertentiâ formali per ſe ſufficiente ad pecca- „ tum mortale, non eſſe in ſe novum ac proprium & ſpeciale pecca- „ tum mortale, propter ſolam pejerandi conſuetudinem etiam non re- „ tractatam, quia inconſideratio & inadvertentia, cum quâ juratur, in- „ vincibilis eſt.“ Ita Sanchez lib. 1 Moralis, cap. 16. num. 28: „ At- „ tendendum eſt, inquit, an aliqua cogitatio operanti in mentem ve- „ nerit eo tempore quo præceptum implere debebat. Si enim, eâ non „ veniente in mentem, immemor juris vel facti præceptum transgredi- „ tur, eſt oblivio invincibilis & excuſat.“ Idem aſſerunt Layman *Theologiæ moralis* lib. 1, tract. 2. cap. 4; Filiutius tom. 2. tract. 25. cap. 1. num. 28, & cap. 10. num. 316; Eſcobar tract. 2. exam. 3. cap. 6. num. 28; Jeſuitæ Aquenſes in theſibus anno 1686, & Lovanienſes in theſibus anno 1668 propugnatis; Carleton, *Curſûs Theologici* tom. 1. disput. 89. ſect. 4, & disput. 104. ſect. 4; Theophilus Raynaudus, *Diſciplinæ moralis* disp. 4. quæſt. 1. art. 6; Oviedo in 1. 2. tract. 4, controv. 1. puncto 4; Terillus *de Regula morum*, part. 2. quæſt. 63. aſſert. 4, ubi ſic loquitur: „ Voluntas in opere particulari non peccat mortaliter peccato propriè & „ ratione ſui imputabili, quando nulla actualis advertentia, nec ſpecialis, „ nec confuſa, malitiæ moralis vel periculi præceſſit, vel ſaltem dubitatio „ aliqua vel ſcrupulus.“ Ita etiam Pirot in *Apologiâ pro Caſuiſtis*, pag. 38. „ Si peccatores conſummatæ malitiæ, inquit, cùm blasphemant & „ blasphemiis ſe immergunt, non habent conſcientiæ ſtimulos, nec ma- „ li quod committunt notitiam, cum omnibus Theologis propugno eos „ hiſce actionibus non peccare.“

Hanc

Hanc Apologiſtæ propoſitionem Clerus Gallicanus declaravit *falſam*, *temerariam*, *perniciosam*, *bonos mores corrumpentem*, *blaſphemias aliaque peccata excuſantem*, *& ut talem à Clero Gallicano jam damnatam*, anno videlicet 1641 in Bauny Jeſuita, cujus iſta propoſitio : *Nunquam peccatur*, *niſi prævià cognitione peccati animus illuſtretur*, *ejusque vitandi deſiderio exſtimuletur*, à Clero & à Facultate Parienſi reprobata fuerat, *uti falſa*, *& viam ad excuſandas excuſationes in peccatis aperiens*. His cenſuris calculum ſuum adjecit anno 1657 Lovanienſis quoque Facultas, proſcribendo ſimilem propoſitionem ſibi ab Epiſcopo Gandavenſi delatam.

Docent 5° non modò ignorantiam prædictam excuſare à peccato, ſed etiam actus lege naturâli vetitos fieri poſſe meritorios vitæ æternæ, ſi agens exiſtimet eos Deo placere, eâque cum intentione agat. Iſtud definit Molina in *Concordia*, quæſt. 14. art. 13. disput. 2, in reſponſione ad dubium 2um: „ Reſpondeo, inquit, eſſe poſſe in adultis actus libe-„ ros.... plenè deliberatos, qui propter ignorantiam invincibilem, aut in-„ advertentiam inculpabilem, à culpâ excuſentur, cùm tamen alioquin „ eſſent culpabiles; ac proinde qui boni ſint & meritorii, ſi ab exiſtente „ in gratiâ eliciantur: ut ſi quis circà rem obſcuram atque ex ſe illici-„ citam bona fide, conſultisque viris doctis, celebret contractum bono „ aliquo fine quem juſtum arbitretur." Quaſi verò aliquod opus meritorium fieri poſſit abſque auxilio gratiæ, vel gratia quandoque adjuvet ad agendum contra legem æternam.

Hoc doctrinæ portentum fuſiùs propoſuit & explicavit Casnedy Jeſuita Luſitanus in opere edito anno 1711 ſub titulo *Criſis Theologicæ*, tom. 2. disput. 18. ſect. 7. §. 3. Hic duplicis generis præcepta diſtinguit, alia directa & alia reflexa. Directa præcepta ſunt, inquit, quæ lege divinâ ſanciuntur. Reflexa verò ſunt, quæ, tametſi legi divinæ contraria, ab homine tamen errante invincibiliter putantur à Deo eſſe præcepta. Deinde definit hominem juſtum non minùs mereri ſalutem æternam agendo ſecundùm præcepta illa reflexa, quæ legi divinæ adverſantur, quàm agendo ſecundum præcepta directa; adeò ut nullomodò repugnet Chriſtum in ultimo die nonnullis dicturum eſſe: *Venite benedicti Patris mei*, *poſſidete regnum*, non quidem quia mentiti eſtis, quia blaſphemaſtis &c; ſed quia, exiſtimantes me tali mendacio, tali blaſphemia, talive alio opere legi meæ contrario me honoratum iri, eâ intentione mentiti eſtis, aut quidvis aliud ſimile feciſtis.

Docent 6° hominem qui peccat ex ignorantiâ indirectè voluntariâ & vincibili, peccati quidem reum eſſe, non tamen ratione criminis à ſe commiſſi, cujus malitiam ignoravit, ſed ratione negligentiæ quæ præceſſit; atque adeò puniendum duntaxat quantùm illa negligentia meretur, non quantùm criminis ſubſecuti in ſeipſo conſiderati gravitas exigit. Ita Terillus de *Regulâ morum*, part. 2. quæſt. 63. num. 60, & cæteri vulgò Jeſuitæ.

Stu-

Stupenda ſanè ac penè incredibilia iſta videbuntur, ut pote quæ nonniſi ad evertenda penitus fidei morumque fundamenta excogitari potuerint. Plurimùm tamen intereſt noſſe in quantas errorum voragines præceps feratur animus, ruptis ſemel ſacris repagulis, malè liber, falſiſque principiis imbutus. Porro exploranti mihi undenam adeò fœtida corruptelarum colluvies eruperit, non alio ex fonte orta videtur, quàm ex hoc pravo principio intimis Jeſuitarum mentibus infixo, videlicet neminem eſſe præmio vel pœnâ, laude vel vituperio dignum, niſi omnibus ad agendum & non agendum requiſitis inſtructus ſit, potentiæque ad utrumlibet perfecto æquilibrio polleat. Ex hâc quippe peſtiferâ radice omnia modò expoſita commenta ſponte ſuâ pullulare, cuilibet attendenti facillimè patebit.

Iſtud demum hic obſervari velim, quidquid ſit de ignorantiâ quæ peccatorum aliquatenùs cauſa eſt, contingere ut plurimùm ignorantiam legis naturalis magis comitari pleraque peccata, quàm illorum reipſâ cauſam eſſe, hominesque, dum peccant, ſic plerumque affectos eſſe, ut, niſi prava eorum voluntas gratiâ Chriſti ſanetur, etiam ſibi cognitam legem transgrederentur, adeòque immeritò ab illis obtendi legis ignorantiam. Quid enim facerent, ſi divinâ lege exteriùs promulgatâ commoniti diſtinctè ſcirent quid agendum, quidve non agendum ſit, niſi quod fecerunt Judæi, qui, accepto mandato legis, ſupra modum peccaverunt ut docet Apoſtolus Rom. VII? Qui verò per ſolam legis notitiam non emendarentur, quo jure ex ignorantiâ excuſationem haberent in peccatis?

His præmiſſis, ſit:

PRIMA PROPOSITIO.

Ignorantia legis naturalis pœna eſt peccati originalis.

PROPOSITIO eſt de fide. In ſtatu quippe innocentiæ nulla fuiſſet æternæ legis ignorantia, nulla ad errandum proclivitas, nulla boni à malo diſcernendi difficultas. Quòd ergo nunc mandata legis nos ſæpè lateant, quòd errore labamur, quòd difficilè erudiamur, quòd in juſtis ipſis non paucæ ingenitarum tenebrarum reliquiæ remaneant, quid niſi pœna peccati eſt? *Error enim & tenebræ peccatoribus concreata ſunt*, ut ait Eccleſiaſticus, cap. 12. „ Nec mirandum eſt, inquit S. Auguſtinus „ lib. 3 *de Libero arbitrio*, cap. 18. num. 52, „ quòd vel ignorando non „ habeat (homo) arbitrium liberum (id eſt promptum & expeditum)

„ vo-

Digitized by Google

„ voluntatis ad eligendum quid rectè faciat..... Illa eſt enim peccati
„ pœna juſtiſſima, ut amittat quiſque quo benè uti noluit, cùm ſine
„ ullâ poſſet difficultate, ſi vellet: id eſt autem, ut qui ſciens rectè non
„ fecit, amittat ſcire quid rectum ſit, & qui rectè agere, cùm poſſet, no-
„ luit, amittat poſſe cum velit. Nam ſunt reverâ omni peccanti ani-
„ mæ duo iſta pœnalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorantiâ deho-
„ neſtat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falſa pro
„ veris, ut erret invitus, &, reſiſtente atque torquente dolore carnalis
„ vinculi, non poſſe à libidinoſis operibus temperare, non eſt natura
„ inſtituti hominis, ſed pœna damnati."

In hoc nimirum lex naturalis à legibus poſitivis differt, quòd leges poſitivas homo, in quocunque ſtatu verſetur, cognoſcere non valeat nec debeat, niſi extrinſecus fuerint promulgatæ, quia quod illis præcipitur, vel prohibetur, ex ſe nec bonum aut juſtum, nec malum aut injuſtum eſt, ac proinde non habet neceſſariam cum naturâ hominis connexionem. Hinc illa, antequàm exteriùs manifeſtentur, neſcire, non cæcitas, non ægritudo mentis eſt, ſed naturalis conditio creaturæ rationalis: contra vero lex naturalis intimis creaturæ rationalis viſceribus inſculpta, tam arcto nexu cum ipſius naturâ conjuncta eſt, ut eam ignorare, aut circa eam falli, non naturalis ejus conditio ſit, ſed cæcitas & hebetudo nonniſi per peccatum contracta.

SECUNDA PROPOSITIO.

Ignorantia juris naturalis nunquam eſt abſolutè invincibilis. (Excipio infantes, amentes, furioſos, qui, rationis uſu deſtituti, nec meriti nec demeriti capaces ſunt.)

PROBATUR. Ignorantia invincibilis eſt ea quæ nullomodò vinci poteſt. Atqui ignorantiam juris naturalis 1° vincere poſſumus per auxilium gratiæ. 2°. Etiamſi univerſam legem humano ſtudio cognoſcere non valeamus, ſingula tamen ejus præcepta ratiocinationis ope aſſequi ſemper poſſumus, potentiâ ſaltem remotâ, atque etiam quandoque proximâ.

Primò quidem nullum eſt legis naturalis præceptum quod cognoſcere non poſſimus per auxilium gratiæ; ac proinde illius ignorantia nunquam eſt invincibilis. Quemadmodum enim SS. Patres & Concilia docent mandata Dei non eſſe impoſſibilia, eoquòd nullum ſit quod, Deo adjuvante, impleri non poſſit, ita confitendum eſt legis naturalis præcepta nunquam ignorari invincibiliter, quia nullum eſt quod, Deo adjuvante, cog-

Deus legis naturalis notitiam nunquam negat petentibus.

cognoſci non poſſit. *Quæ* enim *per amicos poſſumus*, *aliquàliter nos poſſumus*, ut ait S. Thomas. Porro auxilium gratiæ nunquam à Deo negatur illud ſincerè, ardenter, perſeveranter, & humiliter petentibus. „ Admonemur igitur, ait S. Auguſtinus lib. *de Natura & gratiâ*, cap. 17. „ num. 19, à Deo petere ſapientiam, qui dat omnibus affluenter, utique his omnibus qui ſic petunt & tantum petunt, quomodò & quantum res tanta petenda eſt.“ Et libro *de Quantitate animæ*, cap. 14. num. 24: „ Fieri non poteſt, quâdam divinâ providentiâ, ut religioſis „ animis ſeipſos & Deum ſuum, id eſt, veritatem piè, caſtè ac diligenter quærentibus inveniendi facultas deſit.“ Idem docet S. Thomas in opuſculo 73 *de Uſuris*: „ Omnis homo non degenerans, inquit, veritatem amat, & eam ſcire ſuper omnia deſiderat; quam ſi quis concupiſcit vero corde, & eam quæſierit in ſimplicitate cordis, ipſa ſeipſam „ maniſeſtabit, & Deus qui hoc promiſit verax eſt, & eam præbet diligentibus ſe, ſicut ſcriptum eſt: *Præoccupat qui ſe concupiſcunt*, *ut illis ſe prior oſtendat. Fili*, *concupiſcens ſapientiam accede ad illam*, *& Dominus præbebit eam tibi.* Invoco ipſam ne me errare permittat in „ periculum animæ meæ & in laqueum aliorum, ſed illuminare dignetur oculos caliginoſos, ſine quo nemo valet ad lumen veritatis usquequaque pertingere.“

Idem diſertè declarat ſermo divinus tùm in locis ab Angelico Doctore laudatis, tùm in pluribus aliis. *Si quis veſtrûm*, ait S. Jacobus Apoſtolus, I. 5, *indiget ſapientiâ*, *poſtulet à Deo*, *qui dat omnibus affluenter*, *& non improperat*, *& dabitur ei.* Hanc Salomon poſtolando impetravit. Hanc Propheta Regius poſcebat, cùm dicit, Pſalm. CXVIII, 73: *Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua.* Nec fruſtra ſe poſtulaſſe teſtatur ibidem, V. 99 & 100, dicens: *Super omnes docentes me intellexi*, *quia teſtimonia tua meditatio mea eſt*; *ſuper ſenes intellexi*, *quia mandata tua quæſivi.* Hanc impetrant omnes ſimplices & humiles corde; ſuperbi autem ac de ſe præſumentes, qui *dicunt ſe eſſe ſapientes*, *ſtulti* fiunt, & evaneſcunt *in cogitationibus ſuis*, juxta illud Proverb. XIV, 6: *Quærit deriſor ſapientiam*, *& non invenit*: *doctrina prudentium facilis.* Nunquam ergo legis naturalis præcepta, quæ nobis implenda ſunt, ſine aliquâ culpâ noſtrâ ignoramus; eamque ignorantiam, Deo, ſi ad ipſum confugiamus, opitulante, depellere ſemper poſſumus; ac proinde hujusmodi ignorantia nunquam eſt abſolutè invincibilis.

Ineſt homini naturaliter potentia ſaltem remota cognoſcendi ſingula legis naturalis præcepta.

II°. Illi ipſi, qui ſuâ culpâ gratiæ lumine non illuſtrantur, poſſunt potentiâ ſaltem remotâ, & quandoque proximâ cognoſcere, non quidem univerſa, ſed ſingula legis naturalis præcepta. Suis enim mentibus inſcriptum gerunt quid juſtitiæ conſentaneum ſit, quòdque illud non percipiant, vel ex deſidiâ, vel ex inordinatis animi affectionibus provenit. Et certè omnes conſentiunt primaria quædam & univerſalia legis naturalis præcepta omnibus eſſe cognita, ignorarique inculpatè non poſſe.

Un-

Digitized by Google

Unde S. Auguſtſtinus lib. 2. *Confeſſionum*, cap. 4, num. 9, dicit eam „ legem ſcriptam eſſe in omnium cordibus, quam ne ipſa quidem de- „ let iniquitas.“ Et rurſus, Enarrat. in Pſalmum 57: „ Quis, inquit, „ de juſtitiâ interrogatus, quando non habet cauſam, non facilè reſ- „ pondeat quid ſit juſtum? Quandoquidem manu formatoris noſtri in „ ipſis cordibus veritas ſcripſit: *Quod tibi fieri non vis, non facias alte-* „ *ri.* Hoc, & antequàm lex daretur, nemo ignorare permiſſus eſt, ut eſſet „ unde judicarentur & quibus lex data non eſſet.“ Porrò primaria illa & univerſalia præcepta totam naturæ legem comprehendunt; adeò ut quiſquis ratione rectè utitur, ſingula vitæ agendæ officia in eis contenta deprehendere abſolutè queat. Id manifeſtè apparet in ſyllogiſmis, quorum ope ex principiis certis & indubitatis eruuntur concluſiones certæ, anteà latentes & ignotæ, quæ profectò non eruerentur niſi in præmiſſis propoſitionibus reverâ includerentur. Habet ergo homo in ſcipſo prima omnium agendorum vel fugiendorum principia, ad quæ ſi, quantum ſatis eſt, ab omni pravo affectu liber attenderet, paulatim quaſi manu deduci poſſet in cognitionem concluſionum etiam remotiſſimarum.

Quamobrem S. Auguſtinus loco mox citato obſervat non futurum fuiſſe opus lege exterius ſcriptâ, ſi homines ſcriptas in ſemetipſis leges legere & meditari voluiſſent. „ Scriptum eſt in tabulis, inquit, quod „ in cordibus non legebant. Non enim ſcriptum non habebant, ſed le- „ gere nolebant. Oppoſitum eſt oculis eorum quod in conſcientiâ vi- „ dere cogerentur, &, quaſi forinſecùs admotâ voce Dei, ad interiora „ ſua homo compulſus eſt, dicente ſcripturâ: *in cogitationibus enim im-* „ *pii interrogatio erit.* Ubi interrogatio, ibi lex. Sed quia homines ap- „ petentes ea quæ foris ſunt, etiam à ſeipſis exules facti ſunt, data eſt „ etiam conſcripta lex, non quia in cordibus ſcripta non erat, ſed quia „ tu fugitivus eras cordis tui.“

Et ſanè, quamvis præcepta particularia defectu attentionis debitæ ignorari ſæpè contingat, tamen qui ea in ſeipſis ignorat, eadem remotè & in principio ſibi noto ſemper cognoſcit. Quod principium ut præceptis particularibus non applicet, ſola cupiditas aut paſſio judicium mentis obnubilans in cauſâ eſt, uti docet S. Thomas 1, 2, quæſt. 24, art. 3. „ Quantùm ad prima principia, inquit, lex naturalis nullo- „ modò poteſt à cordibus hominum deleri in univerſali; deletur tamen „ in particulari operabili, ſecundùm quòd ratio impeditur applicare prin- „ cipium commune ad particulare operabile, propter concupiſcentiam aut „ aliquam aliam paſſionem.“ Exempli cauſâ, Phariſæi falſò contendebant non eſſe licitum Chriſto ægrotos miraculosè ſanare die ſabbathi: atverò probè noverant ſibi licitum eſſe aſinum vel bovem ſuum de foveâ extrahere die ipſo ſabbathi; aliunde ignorare non poterant hominem aſino vel bove longè præſtantiorem eſſe: hiſque duabus cognitionibus facilè poterant à ſuo errore revocari, niſi odio & invidiâ obcæcati fuiſſent.

Semper cognoſcitur in genere quod contingit ignorari in particulari.

 Pa-

Digitized by Google

Pariter multi eorum cenſebant tributum non eſſe ab ipſis Cæſari dandum, ſed certò noverant monetæ ſuæ publicæ inſculptam eſſe Cæſaris imaginem; unde in promptu erat concludere reddenda eſſe Cæſari quæ Cæſaris ſunt.

Enimverò quis, niſi mente cœcus, dicat ignorari poſſe invincibiliter diligendum eſſe Deum & proximum? Porrò in his duobus mandatis univerſa pendet lex naturalis. Ut enim de proximi tantum dilectione aliquid dicam, omnia caritatis officia duabus hisce ſententiis continentur, quas inculpatè ignorare nemo ſinitur: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris:* & *quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

Itaque lex naturalis duplicis generis præcepta complectitur, quædam ſcilicet adeò communia, ut à nemine rationis compote absque ſuâ culpâ ignorari queant; quædam verò particularia, quæ ſunt quaſi concluſiones ab illis derivatæ. Hujus principii ope facilè conciliat Synnichius Doctor Lovanienſis SS. Patrum dicta, quæ primâ fronte videri poſſent oppoſita, cùm unâ ex parte admittunt peccata ignorantiæ, ex alterâ verò docent omnes qui peccant eſſe prævaricatores. Nimirùm, inquit in *Saüle Exrege*, lib. 2. cap. 100. § 375: „ Quoties adulti peccant, impingunt „ non ſolùm in aliquod particulare præceptum legis naturæ, quod fortè „ ignorant, ſed etiam in aliquod univerſale, quod ignorare non poſ- „ ſunt. Ideò, quatenùs iſtud univerſale præceptum ſemper notum tranſ- „ grediuntur, prævaricatores reverâ ſunt & dicuntur, quamvis ſub eâ „ ratione, quâ particulare præceptum ſibi ignotum violant, nequaquam prævaricatores, ſed tantummodò peccatores fiunt.“ Et poſteà cap. 101, § 378: „ Facilè quoque ab antilogio purgatur S. Auguſtinus cum ſuis „ ſequacibus, qui ſubinde videntur peccata ignorantiæ adſtruere, aliàs „ autem nullum peccatum absque legis alicujus notitiâ agnoſcere; quia „ nimirùm peccata quæ perpetrantur ex ignorantiâ præceptorum parti- „ cularium, non perpetrantur ſine notitiâ præceptorum communium.“ Cùm enim ad rectè agendum, inquit S. Thomas, 1. 2. quæſt. 77. art. 2. in corp., „ homo dirigatur duplici ſcientiâ, univerſali & particulari, „ utriusque defectus ſufficit ad hoc quòd impediatur rectitudo volun- „ tatis.“ Inde accidit ut, qui ex ignorantiâ peccaverunt, ſi fortè admoniti velint advertere, ac bonâ fide agant, diffiteri non poſſint ſe malè egiſſe; idque fatentur, non cedendo monentium auctoritati, quæ plerumque nulla eſt, ſed in ſeipſos reflectendo, rationem ſuam conſulendo, atque in ipſâ contuendo verum eſſe quod foris audiunt: adeòque non respondent, uti contingit circa jus aliquod poſitivum ignoratum, legem non ſibi eſſe cognitam, ſed ſe ad illam non attendiſſe. Unde S. Auguſtinus, lib. 14 *de Trinitate*, cap. 15. num. 21, dicit eum „ qui non „ videt quemadmodùm ſit vivendum, excuſabiliùs quidem peccare, quia „ non eſt tranſgreſſor cognitæ legis, ſed tamen ipſum ſplendore aliquo- „ tiens ubique præſentis veritatis attingi, quando admonitus confitetur.“

Quin

Quin etiam illi ipſi, qui, quandò injuſtè agunt, ignorare videntur quid juſtum ſit, & peccata ſua pertinaciter defendunt, rectiſſimè tamen judicant, ſi fortè ab aliis eadem patiantur: adeò verum eſt non niſi pravos voluntatis affectus in cauſa eſſe cur ſeipſos decipiant. Quamobrem peccantes quoscunque ſic culpat Apoſtolus, Rom. II: *Propter hoc inexcuſabilis es, o homo omnis qui judicas; in quo enim judicas alterum, teipſum condemnas; eadem enim agis quæ judicas. Scimus autem quoniam judicium Dei eſt ſecundùm veritatem in eos qui talia agunt.*

Demum illa ignorantia non eſt abſolutè invincibilis quæ reipſâ ſuperatur: atqui, etiamſi univerſa legis naturalis præcepta humano ſtudio, & ſine ope gratiæ, vel externæ promulgationis cognoſci nequeunt, nulla tamen ſunt quæ non ab aliquibus ſaltem gentilibus, alia ab aliis, cognita non fuerint; adeò ut ſi in unum colligantur quæcunque de regulis morum à variis ethnicis Philoſophis vera dicta ſunt, vix aliquod reperiri poſſet officium quod ab eorum aliquo deprehenſum non fuerit. Id verò ſufficit ut legis naturalis ignorantia dici non poſſit invincibilis.

Nulla ſunt legis naturalis præcepta quæ ipſo ſolo rationis lumine ab aliquibus cognita non fuerint.

Præterea conſtat ex Apoſtolo, Rom. II, legis naturæ præcepta ab aliquibus gentilibus legem externam non habentibus impleta, ac proinde agnita fuiſſe. *Cùm enim*, inquit, *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.* Sive enim iſte textus de gentilibus à fide Chriſti alienis, ut nonnulli volunt, ſive de gentilibus nuper ad fidem converſis (quæ videtur Apoſtoli mens fuiſſe) intelligatur, perinde eſt ad propoſitionis noſtræ probationem. Nam ſi de gentilibus à fide Chriſti alienis agatur, liquet eos, qui ignorantiæ invincibilis prætextu peccata excuſant, juſtè redargui exemplo illorum infidelium, qui opera legis, quæ ab aliis ignorantur, cognita habuerunt & fecerunt, atque ita oſtenderunt opus legis ſcriptum eſſe in cordibus ſuis, ſibique ipſis fuerunt lex. Si autem de gentilibus recens ad fidem converſis ſermo ſit, idem eſt ac ſi Apoſtolus diceret: Fruſtra ignorantiæ obtentu peccata excuſarentur, cùm ex pravitate cordis ignorantia ipſa naſcatur. Attendite gentiles fidem Chriſti amplexos. Statim atque per fidem ſanati & juſtificati ſunt, omnia legis præcepta quæ prius ignorabant, & de quibus non curabant, prompto & alacri animo adimplent. Quis verò illos edocuit? Non Apoſtoli: ſiquidem, præcipuis Chriſtianæ fidei myſteriis ſatis brevi tempore expoſitis, confeſtim ad alias civitates vel regiones emigrabant. Sola ergo caritas in eorum cordibus diffuſa & Spiritûs ſancti unctio, absque ullo externo magiſterio, docent illos omnia quæ ipſis agenda ſunt; ac proinde legis ignorantia, quâ anteà laborabant, quâque etiam nunc increduli laborant, à voluntatis pravitate maliſque affectionibus ortum ducit.

Hactenùs dicta confirmat S. Bernardus, tract. *de Diligendo Deo*, cap. 2, num. 6: „ Meretur, inquit, amari propter ſeipſum Deus & ab infi- „ deli, qui, etſi neſciat Chriſtum, ſcit tamen ſeipſum. Proinde inexcuſa- „ bilis eſt omnis etiam infidelis, ſi non diligit Dominum Deum ſuum „ ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute ſuâ. Clamat nempe intùs ei „ innata & non ignorata rationi juſtitia, quia ex toto ſe illum diligere „ debeat, cui ſe totum debere non ignorat:" utique invincibiliter, cum *inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciantur.* Porro, ex Apoſtolo, *plenitudo legis eſt dilectio*, & *qui diligit legem implevit.*

Addemus hanc fuiſſe omnium ferè antiquorum Theologorum doctrinam ac loquendi formam, teſte Gerſone lib. *de Vitâ ſpirituali*, lect. 4. coroll. 3. „ Concors eſt ſententia, inquit, nullam, in his quæ legis divinæ (& æ- „ ternæ) ſunt, cadere ignorantiam invincibilem." Ipſe etiam Vasquez in 1. 2, disput. 120, cap. 1, & disput. 122. cap. 1, pro illâ memorat Albertum magnum, Alexandrum Alenſem, Bonaventuram, Guillelmum Pariſienſem, Guillelmum Autiſſiodorenſem, Durandum, Gabrielem, Adrianum, Alphonſum à Caſtro.

Non tamen diffitebimur nonnullos ex antiquis Scholaſticis, imprimisque Gregorium Ariminenſem, admiſiſſe ignorantiam juris naturalis invincibilem. Verùm voccenùs, ut jam dixi, à nobis diſcrepant, adverſariisque nullomodò ſavent. Siquidem illam etiam legis naturalis ignorantiam, quam invincibilem vocant, negant à peccato excuſare. Quoad ſolam igitur loquendi rationem à nobis differunt. Eo quippe ſenſu dicunt ignorantiam illam eſſe aliquando invincibilem, quòd ſolis naturæ corruptæ viribus vinci non poſſit: nos verò dicimus eam eſſe ſemper vincibilem, tùm quia nulla eſt quæ cum auxilio gratiæ vinci non poſſit, tùm quia ineſt naturaliter omnibus ratione utentibus remota quidem, vera tamen illam vincendi potentia. Noſter autem loquendi modus, præterquàm quòd in ſcholis obtinuit, propriæ vocum ſignificationi multò magis congruit. Nam rationi omninò conſentaneum eſt eodem modo de cognitione & de obſervatione mandatorum ſentire & loqui. Cùm ergo, fatentibus omnibus, mandata Dei non debeant dici impoſſibilia, quamvis ſolis naturæ viribus obſervari nequeant, pariter illorum ignorantia non debet dici invincibilis, quamvis ſolo humano ſtudio vinci omni ex parte non poſſit.

TER-

TERTIA PROPOSITIO.

Ignorantia legis naturalis plerùmque ipſa peccatum eſt.

Id quidem omnes fatentur de ignorantiâ quam *affectatam* appellant, quâ ſcilicet peccator non vult notitiam legis aſſequi, ut explendis ſuis cupiditatibus liberiùs vacet, & quâ quodammodò dicitur Deo, ut habetur Job, cap. XXI: *Recede à nobis; & ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Idem profectò de illis dicendum eſt, quos noviſſimis diebus futuros prædixit Apoſtolus, 2 Timoth. IV. 3, qui *ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & à veritate auditum avertent;* necnon de illis qui duplici corde ad legis interpretes accedunt, *qui dicunt videntibus, nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores: auferte à me viam, declinate à me ſemitam.* Horum quippe omnium peccata non tam ex ignorantiâ, quàm ex odio veritatis naſcuntur: quod graviſſimum crimen eſſe, cordiſque praviſſimi indicium, nemo non videt. Utrùm autem ignorantia indirectè tantùm voluntaria in peccatum imputetur, in controverſiâ eſt. Iſai. XXX. 10 & 11.

Dico illam quoque ignorantiam, ſaltem ſæpiſſimè, peccato non carere. Nam generalis eſt Apoſtoli ſententia, 1 Corinth. XIV: *Si quis ignorat, ignorabitur.* Hinc in infidelibus etiam negativis, qui de Evangelio nihil audierunt, ignorantiam Dei graviſſimè puniendam eſſe declarant ſacræ ſcripturæ. Pſalmo LXXVIII, & Jeremiæ X: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, & in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.* 2 Theſſ. I: *In flammâ ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum.* Sapient. XIII: *Vani ſunt omnes homines in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt quis eſſet artifex. Iterùm autem nec his debet ignoſci: ſi enim tantùm potuerunt ſcire ut poſſint æſtimare ſæculum, quomodò hujus Dominum non faciliùs invenerunt?*

Agendorum quoque ignorantia à SS. Patribus peccatis annumeratur. Ita S. Auguſtinus Epiſt. 47, al. 154, ad Publicolam, num. 4. „ Si quis, „ inquit, bonum putaverit eſſe quod malum eſt, & fecerit, hoc putando „ utique peccat, & ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quis„ que benè fieri putat quod malè fit." Et in Enchiridio, cùm multiplicis generis errores diſtinxiſſet, alios aliis periculoſiores, addit cap 17. num. 5: „ Veruntamen in quâ re quiſque erret, intereſt plurimùm....

„ Sunt

„ Sunt enim quædam' quæ neſcire quàm ſcire ſit melius: itemque non-„ nullis errare profuit aliquando, ſed in via pedum, non in via morum." Et cap. 19. num. 6: „ In quibusdam ergo rebus magno, in quibusdam „ parvo, in quibusdam nullo malo, in quibusdam nonnullo etiam bono „ fallimur. Nam magno malo fallitur homo, cùm non credit quod ad „ vitam ducit æternam, vel hoc credit quod ad mortem ducit æter-„ nam." Porrò talia ſunt ea quæ ad legem naturalem pertinent.

Sanctus etiam Anſelmus in dialogo *de Concordia gratiæ cum libero arbitrio*, cap. 7, docet „ non ſolum impotentiam juſtitiam habendi, ſed „ etiam impotentiam illam intelligendi ſimiliter in non baptizatis im-„ putari in peccatum, quoniam pariter deſcendit à peccato." Hujus autem dicti hanc rationem affert, non parvam eſſe hominis culpam, quòd maximâ in luce veritatis creatus oculos mentis ſibi ipſe eripuit, & in tetram caliginem ſeſe præcipitem dederit.

His auctoritatibus accedunt rationes graviſſimæ. Primam dat Eſtius in 2um, diſt. 22. §. 10: „ Inter jus naturale & jus poſitivum, inquit, hoc „ eſt diſcrimen, quòd jus naturale obligat omnem hominem, quatenùs ra-„ tionis uſum participat, abſque ullâ ulteriori promulgatione; poſitivum „ verò, ſive illud divinum ſit, ſive humanum, non obligat niſi poſitivè „ promulgatum: quia nec legis rationem obtinet niſi promulgatione." Ex quibus patet ignorantiam legis naturalis ſemper peccatum eſſe, ſive externa acceſſerit doctrina & inſtructio, ſive non, ut v. g. ignorantia quâ neſcitur unum Deum eſſe colendum, fornicationem, ebrietatem, mendacium omne vitandum eſſe: ignorantiam verò poſitivæ legis, etiam divinæ, non eſſe peccatum iis quibus non fuerit promulgata.

Alteram quoque rationem addit non minùs validam. „ Quandocum-„ que, ait, ſcientia in præcepto eſt, conſequenter oppoſita ei ignoran-„ tia prohibita cenſetur, & non aliàs. Sicut enim omittere quod quis fa-„ cere tenetur, peccatum eſt omiſſionis, ita neſcire quod quis ſcire tene-„ tur, peccatum eſt ignorantiæ." Porro Deus ſæpiſſimè in ſcripturis jubet nos ſcire & intelligere quæ facere debeamus, ut Pſalmo XXXII: *Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite.*

Demum mentis, in eis præſertim quæ ad ſalutem ſpectant, inordinatio non poteſt ſine aliquo peccato eſſe. Porro ignorantia juris naturalis, quâ bonum aut licitum eſſe putatur quod ex ſe malum eſt, eſt inordinatio & quædam perverſitas mentis. Tunc enim mens inordinata & diſtorta eſt, quando diſcordat à ſuprema regula, cui conformari debet. Lex autem naturalis, ſeu potiùs lex æterna, cujus lex naturalis participatio quædam eſt, ſuprema eſt regula & norma, cui mentis noſtræ judicia conformari debent, ut recta ſint. Ac proinde mens ab æternâ lege diſſonans culpâ non vacat.

Verùm, ut aliquid hâc de re fixum ac determinatum habeatur, dicendum eſt 1°: Ignorantiam eorum quæ ad ſalutem conſequendam omnibus ab-

Digitized by Google

abſolutè neceſſaria ſunt, peccatum eſſe graviſſimum. Sic grande peccatum eſt ignorare Deum unum eſſe, ipſum coli, amari, adorari oportere in ſpiritu & veritate, quia, his ignoratis ac proinde non obſervatis, ſalus obtineri nequit. 2°. Unumquemque teneri ea cognoſcere, ſine quorum notitiâ ſtatûs ſui officia implendi capax non eſt, adeòque non ſine gravi peccato illa ignorari. 3°. Peccatum eſſe id ignorare quod hìc & nunc agendum aut vitandum lege naturali præſcribitur. Cùm enim præceptum, niſi cognitum ſit, non impleatur, hoc ipſo quòd lex naturalis aliquid actu fieri jubet, aut fieri vetat, conſequenter jubet illud cognoſci: aliunde cùm agendorum notitiam Deus nunquam deneget eis qui eam ſincero corde expetunt, & ab ipſo petunt quomodò & quantum res tanta petenda eſt, certum eſt eos qui præceptum hìc & nunc obſervandum ignorant, ideòque prætermittunt, vel non poſtulaſſe, vel non ſicut oportet poſtulaſſe; atque adeò illorum ignorantiam indirectè ſaltem eſſe voluntariam, nec peccati expertem. 4°. Lex æterna præcipit ut veritati ac juſtitiæ nihil præponamus, ut ſtudeamus divinam voluntatem magis ac magis cognoſcere & amare, ſive ſcripturas ſacras legendo ac meditando, ſive concionibus publicis attendendo, ſive doctos conſulendo, ſive orando, ſive cor noſtrum à cupiditatibus emendando, ſive jam cognita fideliter obſervando. Quiſquis ergò his officiis non defungitur, vel negligentiùs defungitur, non ſine aliquâ ſuâ culpâ ignorat, majore vel minore, prout eo in ſtudio magis vel minùs frigeſcit. 5°. Nullum dubium eſt quin multò culpabilior ſit illorum ignorantia, qui majori ingenii acumine pollent, paucioribusque curis & impedimentis diſtrahuntur, quàm eorum qui tardioris ſunt ingenii, vel qui duris laboribus incurvati ad ſpiritualia multò difficiliùs aſſurgunt; quamvis experientiâ compertum ſit ſincerâ in Deum pietate cordiſque munditiâ multò plus proficì in ſalubri legis divinæ cognitione, quàm præclaris ingenii dotibus humanâque induſtriâ. 6°. Ignorantia multò gravius peccatum eſt in ſacerdotibus, quos *ſal terræ lucem*que *mundi* Chriſtus appellat, ex quorum ore populus legem requirere jubetur, & quorum labia ſcientiam cuſtodire tenentur. Inſtantius ergò libros ſacros legere ac meditari, Deum precari, cor ſuum mundare, ſibi & doctrinæ attendere debent, ne ponant tenebras lucem & lucem tenebras, ne dicant malum bonum & bonum malum, ne dicant, *pax pax*, ubi non eſt pax, ſed terribilis expectatio judicii, ne cæci cæcos ducendo in foveam cadant, ac ſeipſos exitioſius quàm alios perdant. Si enim ignorantiâ deluſi, vel falſis doctrinis adducti, contra legem reſpondeant, anguſtamque Evangelii viam pervertant, & plebs ſeducta peribit, & ſanguis ejus de manu ſacerdotum ignarorum vel errantium requiretur. Quis iſta conſiderando poſſit non vehementer dolere, quòd hiſce temporibus plurimi ſint ſacerdotes & pſeudomagiſtri, qui non ſolùm ignorant, ſed etiam quaſi de induſtriâ morum regulas ſubvertunt, ablatâque clave ſcientiæ, nec ipſi introeunt, & eos qui

Digitized by Google

qui intrare volunt prohibent, ejiciunt & perſequuntur; qui volunt eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant? Tales ſunt procul dubio illi, qui docent hominem non teneri omnes actiones ſuas ad Deum propter ſe dilectum referre, peccatores reconciliari poſſe cum Deo abſque amore ipſius prædominante, ſaltem inchoato, licitum eſſe ſequi hominum opinionem probabilem contra legem Dei, & alia hujuſmodi quæ mergunt animas in perditionem. Væ cæcis ſequentibus! Quantò magis væ cæcis ducentibus! 7°. Demum ſi in Presbyteris quibuſcunque excuſari non debet legis inſcitia, multò certè culpabilior eſt in Confeſſariis, in Parochis, in Epiſcopis.

Dices. Omnia peccata per baptiſmum & per ſacramentum pœnitentiæ remittuntur. Atqui tamen remanet ignorantia. Ergò ignorantia non eſt peccatum.

1°. Nego minorem: eſt enim quædam ignorantia quam in adultis depelli oportet antequàm ad remiſſionem peccatorum admittantur. 2°. Eamdem diſtinguo. Remanet ignorantia quoad actum, concedo: remanet quoad reatum, nego. „ Dicendum eſt itaque cum S. Thoma, ait Eſtius in 2um, diſtinct. 22. §. 10, „ licet ignorantia remaneat, ſublato per pœni„ tentiam reatu ejus, non tamen remanere negligentiam voluntatis, ſine „ quâ ignorantia non habet rationem peccati, quia deſinit eſſe volunta„ ria: ac breviter, ignorantia non manet ſecundùm rationem peccati; ſi„ cut concupiſcentia, quæ peccatum eſt in non renatis, poſt baptiſmum „ eadem manet, ſed ſublatâ ratione peccati." Igitur, ſicut concupiſcentiam, quamvis peccatum non ſit in renatis ei non conſentientibus, odiſſe tamen &, quantùm in nobis eſt, expugnare jubemur, peccamusque quoties ei non reſiſtimus; ita & ignorantiam, quamvis in reconciliatis peccatum non ſit, tamen velut ingenitum malum odiſſe & debellare debemus, nitendo creſcere in ſcientiâ Dei, peccamusque quoties, non adhibitis ſufficiente ſtudio ac ſinceris ad Patrem luminum precibus, ignoramus quod ſcire debemus, atque ex illâ ignorantiâ contra legem agimus.

Dices iterum. Quod minuit peccatum, non eſt peccatum. Atqui ignorantia legis naturalis minuit peccatum. Non ergò ipſa peccatum eſt.

Diſtinguo minorem. Ignorantia minuit peccatum, in quantùm reddit actum ſubſequentem minùs voluntarium, concedo; in quantùm ipſa indirectè ſaltem eſt voluntaria, nego. Sub eo enim tantùm reſpectu ignorantia habet rationem peccati, ſub quo eſt voluntaria, adjunctamque habet diſcendi negligentiam; hoc autem peccatum in negligentibus deſidioſis eſt habituale, ſitque actuale quando tempus & occaſio ſe offerunt acquirendæ ſcientiæ, & negligitur.

QUAR-

Digitized by Google

QUARTA PROPOSITIO.

Ignorantia juris naturalis nunquam excuſat penitùs à peccato, minuit tamen quandoque peccati gravitatem.

PROBATUR I° auctoritate ſacræ ſcripturæ, quæ non tantùm generatim pronuntiat omnes qui malè agunt vindictæ divinæ ſubjici, nullâ ignorantium factâ exceptione, ſed etiam expreſſè declarat eos qui ignorantes peccant à Deo puniri, quanquam mitiùs. Lucæ XII. 48, Chriſtus ait *ſervum qui cognovit voluntatem Domini, & non fecit, vapulaturum multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulaturum paucis*, id eſt, minùs quidem puniendum, puniendum tamen.

Rom. II. 12, Apoſtolus ait: *Quicunque ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt; & quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Utrique igitur judicabuntur & peribunt: non eſt ergò ex ignorantia juſta excuſatio. Rationem ſtatim ſubdit Apoſtolus, quòd nimirùm qui legem ſcriptam non habuerunt, *ipſi ſibi ſunt lex, teſtimonium illis reddente conſcientiâ ipſorum*, cui ſi attenderent, ad legis notitiam pervenirent.

Hinc ſacer textus de peccatis ignorantiæ paſſim loquitur tanquam de veris peccatis, quorum venia à Deo petenda eſt. Levitici V. 17: *Anima quæ peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex eis quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem ſuam, offeret agnum immaculatum de gregibus ſacerdoti, ſecundùm menſuram æſtimationemque peccati: qui orabit pro eo quod neſciens fecerit, & dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Dominum.* Nec dicas ſermonem ibi non eſſe de lege naturali, ſed de cæremoniis Judaicis, quæ, ut pote lege tantùm poſitiva præſcriptæ, poterant, nobis ipſis fatentibus, ignorari invincibiliter. Ut ut enim hoc concedamus (quod tamen in ipſo textu nullatenùs indicatur, præterquàm quòd peccata illa contra legem cæremonialem admiſſa ſpectari poſſunt tanquam typus & figura peccatorum, quæ contra legem æternam ignorantes committimus, quemadmodùm ſacrificia, quibus expiabantur, erant figura ſacrificii novæ legis), certè ſi peccata contra legem cæremonialem per ignorantiam aut per inadvertentiam commiſſa, quamvis culpâ magis vacarent, quia tamen non ſine aliquâ ſaltem levi negligentiâ contingebant, ſacrificiis purgari juſſit Deus, quis rationabiliter dubitet ignorantiam legis naturalis, & peccata quæ ex illâ fiunt, à Deo imputari? Quapropter David, in Pſalmo XXIV. 7, dimitti ſibi poſtulat quæcunque ignorans commiſerat: *Delicta*, inquit, *juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris.* Et S. Paulus peccata

quæ, antequam in Chriſtum crederet, zelo, ut putabat, recto, ſed non ſecundùm ſcientiam, abreptus feccrat, tanquam graviſſima deteſtatus eſt. *Priùs*, inquit 1 Timoth. I. 13, *blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus; ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus quia Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum: ſed ideò miſericordiam conſecutus ſum, ut in me primo oſtenderet Chriſtus Jeſus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturí ſunt illi in vitam æternam.*

Fœtidus auctor, quem ſub Prædeſtinati nomine edidit Sirmondus, dicere non veritus eſt Saulum, perſequendo Eccleſiam, non modò non peccaſſe, verùm etiam zelo illo, etſi cæco, ſincero tamen Apoſtolatum meruiſſe. Jeſuitæ quoque in *Remonſtrantiâ ad Epiſcopum Autiſſiodorenſem* (*de Caylus*), occaſione documenti Paſtoralis illius Præſulis contra quinque propoſitiones Fr. le Moyne, ſcriptoris illius ignobilis veſtigia aliquatenùs ſecuti, dixerunt ex ignorantiâ forſan invincibili Paulum devaſtaſſe Eccleſiam, adeòque in eo peccati reum non fuiſſe. Verùm ipſemet Paulus contrarium apertè ſemper profeſſus eſt.

Pag. 43.

Quo ſenſu S. Paulus dicat ſe *miſericordiam conſecutum* eſſe, *quia ignorans* fecerat *in incredulitate.*

Opportunè obſervat Eſtius in hunc locum verba iſta, *quia ignorans feci in incredulitate*, non eſſe exaggerantis peccatum, ut Heſſelius & alii intellexerunt, neque etiam excuſantis aut attenuantis, ut alii volunt, quaſi Saulus ideò miſericordiam conſecutus ſit, quòd propter ignorantiam aut nullatenùs aut leviùs peccaverit, ſed demonſtrare volentis ex quantâ cæcitatis & miſeriæ abyſſo divinâ miſericordiâ extractus fuiſſet. Nam, inquit, „ objectum ſeu materia miſericordiæ miſeria eſt: unde quantò „ miſeria major, tantò magis nata eſt miſericordiam commovere. Hinc „ orat Pſalmus: *Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti* „ *ſumus nimis.* Quamvis autem omne peccatum miſeria quædam ſit, „ magis tamen ignorantiæ quàm peccati nomine miſeria ſignificatur. „ Quod igitur Apoſtolus dicit, tale eſt: Ideò miſericordiam conſecu- „ tus ſum, quia magna erat miſeria mea, hæc nimirùm, quòd tanta „ mala facerem per ignorantiam & incredulitatem, inſtar ægroti qui „ per inſaniam medicum cædit .... Ad eumdem modum oratio Chriſti „ videtur intelligenda, tanquam ſi diceret: *Pater ignoſce illis*, & da ve- „ niam, quia per ignorantiam quâ peccant, neſcientes quæ faciunt, val- „ dè miſeri ſunt." Hanc expoſitionem aliis quoque ſcripturæ textibus confirmat. Pſalmo XXIV: *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo; multum eſt enim.* Pſalmo XL: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Rom. V: *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.*

Pſal. LXXVIII.

Probatur II° judicio Eccleſiæ contra Pelagianos. Synodus Dioſpolitana, recitato ſibi iſto Cæleſtii capitùlo, *oblivionem & ignorantiam non ſubjacere delicto, quia non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem*, dixit, referente S. Auguſtino lib. *de Geſtis Pelagii*, cap. 18 & 19:

19: *Quid ad hæc quæ lecta ſunt capitula dicit præſens Pelagius Monachus? Hoc enim reprobat ſancta Synodus & ſancta Dei Catholica Eccleſia.* Ille anathemathizari metuens, reſpondit *ea ſe anathematizare & quicunque ea docuerit.* Fruſtrà, ad eludendam adeò manifeſtam damnationem, reſponderetur Pelagianos in eo erraſſe, idcòque damnatos fuiſſe, quod ipſam voluntariam & affectatam ignorantiam à peccato excuſarent. Nam 1° quis credat illos hæreticos, contra apertiſſima ſcripturarum teſtimonia, nulla prorſùs agnoviſſe peccata ignorantiæ? 2°. Ideò peccata quæ per ignorantiam fiunt excuſabant, quia, ut inquiebant, *non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem.* Quis autem, niſi omninò ſtupidus, non videt ignorantiam affectatam è contrario contingere ſecundum voluntatem, non ſecundum neceſſitatem? 3° Pelagius ipſe fatebatur, apud S. Auguſtinum, lib. *de Naturâ & gratiâ*, cap. 17, num. 19, *hominem prævigilare debere ne ignoret, ideòque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentiâ ſuâ, quod, adhibitâ diligentiâ, ſcire debuiſſet.* Quibus verbis relatis, S. Doctor obſervat „ aliud eſſe non curaſſe ſcire, „ quæ negligentiæ peccata etiam per ſacrificia quædam legis videban- „ tur expiari, aliud intelligere velle, nec poſſe, & facere contra legem „ non intelligendo quid fieri velit. Unde admonemur, inquit, *à Deo* „ *petere ſapientiam, qui dat omnibus affluenter,* utique iis omnibus qui ſic „ petunt & tantùm petunt, quomodò & quantùm res tanta petenda eſt." Non igitur de illis erat quæſtio qui *non curant ſcire*, ſed de illis qui *intelligere volunt, nec poſſunt, & faciunt contra legem, non intelligendo quid fieri velit;* qui tamen non abſolutè dicendi ſunt non poſſe intelligere, ſiquidem debent & poſſunt *petere à Deo ſapientiam, quomodò & quantùm res tanta petenda eſt.* Igitur luce clarius eſt Pelagianos ea ſola excuſaſſe peccata, quæ fiunt per ignorantiam quam Jeſuitæ appellant invincibilem. Igitur hoc ipſum *reprobavit Synodus* Dioſpolitana & *ſancta Dei Catholica Eccleſia;* ac proinde Eccleſia definivit nullam legis naturalis ignorantiam excuſare à peccato.

Eſt autem hic notandum recentiores qui aliter ſentiunt, cùm fateantur ignorantiam illam in præſenti naturæ ſtatu pœnam eſſe peccati originalis, graviùs aberrare, dum excuſant peccata quæ ex illâ fiunt, quàm Pelagianos qui ignorantiam primo homini concreatam & naturæ appendicem eſſe contendebant.

Probatur III° teſtimoniis SS. Patrum.

Cùm S. Auguſtinus hâc de re contra Pelagianos ex inſtituto & copioſiùs diſſeruerit, ex nullo certius dignoſci poteſt vera Eccleſiæ Catholicæ doctrina. Sic porro loquitur S. Doctor Epiſt. 194, al. 105, ad Sixtum, cap. 6. num. 26: „ Humana ſuperbia, tanquam præſumens de viribus liberi arbitrii, excuſatam ſe putat quando ignorantiæ, non voluntatis, videtur eſſe quod peccat." En ipſamet Jeſuitarum opinio: quid de illâ S. Auguſtinus Eccleſiæ nomine tenuerit ac defenderit, audiamus:

Digitized by Google

„ Secundùm hanc excuſationem, inquit num. 27, inexcuſabiles dicit
„ ſcriptura divina quoscunque ſcientes peccare convincit. Dei tamen
„ juſtum judicium nec illis parcit qui non audierunt. *Quicunque enim*
„ *ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.* Et quanquam ſe ipſi excuſare
„ videantur, non admittit hanc excuſationem qui ſcit ſe feciſſe homi-
„ nem rectum, eique obedientiæ dediſſe præceptum, nec niſi ejus, quo
„ malè uſus eſt, libero voluntatis arbitrio, etiam quod tranſiret ad poſ-
„ teros, incurriſſe peccatum.... Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis pec-
„ cator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis,
„ ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judi-
„ cat: quia & ipſa ignorantia, in eis qui intelligere noluerunt, ſine du-
„ bitatione peccatum eſt; in eis verò qui non potuerunt, pœna peccati.
„ Ergò in utriſque non eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio." Non
ergò ea ſolummodò peccata, quæ ex ignorantia affectata & voluntaria, ſed etiam illa quæ ex involuntaria, ab eis ſcilicet qui intelligere voluerunt, nec potuerunt, perpetrata, non habent excuſationem apud Deum, eoquòd hæc ipſa ignorantia pœna ſit peccati.

Lib. 1 *de Adulterinis conjugiis*, cap. 9. num. 9, commemoratis his B. Jacobi verbis, IV. 17: *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi*, ſic proſequitur: „ Numquid ideò non peccatum eſt illi etiam qui
„ neſcit bonum facere, & ideò non facit? Utique peccatum eſt, ſed hoc
„ gravius, ſi etiam ſciat & non faciat: nec illud ideò nullum, quia mi-
„ nus.... Hic rectè dici non poteſt: ergò ſi neſcit, non peccat. Sunt
„ enim peccata etiam ignorantium, quamvis minora quàm ſcientium."

Lib. *de Gratiâ & libero arbitrio*, cap. 3. num. 5: „ Qui ergò, inquit,
„ noverunt divina mandata, aufertur illis excuſatio quam ſolent homi-
„ nes habere de ignorantiâ; ſed nec ipſi ſine pœna erunt qui legem Dei
„ neſciunt. *Qui enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.*" Fatetur quidem per hujusmodi ignorantiam minui gravitatem peccati, ſed continuò ſubdit: „ Nec tamen ideò confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras,
„ ut in eis quisque requirat excuſationem. Aliud eſt enim neſciſſe, a-
Pſalm. XXXV. 41. „ liud ſcire noluiſſe: voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: *no-*
„ *luit intelligere ut benè ageret.* Sed & illa ignorantia quæ non eſt eo-
„ rum qui ſcire nolunt, ſed eorum qui tanquàm ſimpliciter neſciunt,
„ neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ... ſed fortaſ-
„ ſe ut mitiùs ardeat." Duplex hic ignorantia diſtinguitur, voluntaria ſcilicet ſeu affectata, & involuntaria ſeu ſimplex, definiturque neutram excuſare apud juſtum Judicem.

S. Doctor æquilibrium poſſibilitatis à Pelagianis adinventum & aſſertum hoc præſertim argumento evertit, quòd ſit quædam peccandi neceſſitas in eis qui neſciunt quid faciendum ſit. Sic nempe ratiocinatur lib. 1 *Op. imperf.* cap. 105: „ Cogitare te exiſtimo, quid appetendum, quid
„ vitandum in agendâ vitâ, quanto labore diſcatur. Qui autem hoc
„ neſ-

„ neſciunt, ipſi boni appetendi malique vitandi ignorantia patiuntur „ peccandi neceſſitatem. Neceſſe eſt enim ut peccet, qui, neſciendo quid „ facere debeat, quod non debet facit. De quo genere malorum Deus „ rogatur, ubi dicitur: *delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris.* „ Quod genus delictorum ſi non imputaret Deus juſtus, non ea ſibi di- „ mitti poſceret homo fidelis. Unde dicit ei Dei famulus Job: *Signaſti* „ *peccata mea in ſacculo, & annotaſti, ſiquid invitus commiſi.*" Et cap. 16: „ Neceſſe eſt ut peccet à quo ignoratur juſtitia: numquid ideò, cùm „ juſtitiam cognoverit, non ſunt ei remittenda peccata quæ ignorantiæ „ neceſſitate commiſit?" Et lib. 6. cap. 17: „ Cæcitas cordis, quâ „ neſcitur quid juſtitia vetet, & violentia concupiſcentiæ..... non tan- „ tùm peccata, ſed pœnæ ſunt etiam peccatorum..... Cùm enim quis „ ignorat quid facere debeat, & ideo facit quod facere non debeat, „ non ei fuit liberum" (libertate utique expeditâ æquilibrii & omnibus ad rectè agendum neceſſariis inſtructâ) „ abſtinere, unde abſti- „ nendum eſſe non noverat.... His autem pœnis carere ſi eſſet in ho- „ minum poteſtate, non Deus rogaretur contra cæcitatem, ubi ei dici- „ tur: *illumina oculos meos*..... Porrò, ſi etiam peccata ideò iſta non „ eſſent, quia non ab eis liberum eſt abſtinere, non diceretur: *delicta* „ *juventutis meæ & ignorantiæ meæ ne memineris.*"

Quantùm Jeſuitæ hoc in capite cum Pelagianis conſentiunt, tantùm à S. Auguſtino Eccleſiæ partes tuente diſſentiunt. Cum Pelagianis docent peccata, quæ per ignorantiam involuntariam fiunt, non eſſe vera peccata, quia fiunt ex neceſſitate: contrà verò S. Auguſtinus, utroſque refellens, probat plurimos homines neceſſitate quâdam peccare, quia ignorantes peccant, & nihilominus verè peccare. Docent Jeſuitæ repugnare ut peccet peccato formali & propriè dicto qui neſcit quid juſtum ſit, quia caret potentiâ expeditâ & relativâ ad abſtinendum à peccato: contrà verò S. Auguſtinus definit neceſſe eſſe ut peccet à quo ignoratur juſtitia; adeòque ad peccandum non requiri potentiam illam expeditam & relativam non peccandi.

Denique peccata ignorantiæ, quamvis vitari omni ex parte nequeant, vera tamen eſſe peccata hoc invicto argumento demonſtrabat S. Doctor, quòd ſcilicet ipſi juſti hàc in vitâ non ſint ſine peccato. Sic nempe loquitur lib. *de Spiritu & litterâ*, cap. 35. num. 63: „ Fieret (perfe- „ ctio juſtitiæ) ſi tanta voluntas adhiberetur quanta ſufficit tantæ rei. Eſ- „ ſet autem tanta, ſi & nihil eorum quæ pertinent ad juſtitiam nos la- „ teret, & ea ſic delectarent animam, ut quidquid aliud voluptatis do- „ loriſve impedit, delectatio illa ſuperaret: quod ut non ſit, non ad „ impoſſibilitatem, ſed ad judicium Dei pertinet. Quis enim neſciat non „ eſſe in hominis poteſtate quid ſciat?" Et cap. 36. num. 64: „ Quid „ verius, his (duobus mandatis dilectionis Dei & proximi) impletis, „ impleri omninò juſtitiam? Verumtamen qui hoc attendit, etiam illud

„ at-

Digitized by Google

„ attendat quàm multis offendimus omnes , dum putamus Deo, quem
„ diligimus, placere vel non diſplicere quod facimus ; & poſteà, per ſcrip-
„ turam ejus, ſive certâ & perſpicuâ ratione commoniti, cùm didiceri-
„ mus quòd ei non placeat, pœnitendo precamur ut ignoſcat. Plena hu-
„ mana vita eſt documentis talibus." Certè, ſi qua ignorantia excuſaret, illa potiſſimùm foret, quæ remanet in juſtis qui veritatem ſedulò inquirunt, qui in lege Dei aſſiduè meditantur, qui ſincero corde ad Deum clamant : *Revela oculos meos: non abſcondas à me mandata tua.* Atqui, juxta S. Auguſtinum, illa etiam ignorantia, quæ in juſtis perfectioribus remanet, non excuſat peccata, ideòque, cum commoniti fuerint, tenentur veniam ſuppliciter expoſcere eorum in quibus neſcientes deliquerunt.

Reſpondent Jeſuitæ, *in Remonſtrantia* jam citata *ad Epiſcopum Autiſſiodorenſem*, omnes illos S. Doctoris textus intelligendos eſſe de peccato tantùm materiali, non autem de peccato formali ac propriè dicto, quod à Deo imputetur. Sed hujuſmodi reſponſione quid aliud demonſtrant, niſi nihil ſe habere quod reſpondeant, nolle tamen apertiſſimæ veritati cedere? Proferant, ſi poſſunt, vel unum S. Auguſtini textum, quo mentem ſuam eo modo expoſuerit. Sed cum certò certius ſit nullum hujuſmodi proferre poſſe, deſinant tandem doctrinam adeò perſpicuè declaratam, à Summis Pontificibus, à Conciliis, ab aliis SS. Patribus approbatam adeò futilibus commentariis pervertere.

Enimverò S. Doctorem de vero & propriè dicto peccato locutum fuiſſe apertiſſimum eſt. 1°. Alioquin dicendum eſſet Pelagianis, quos refellendos habebat, eum omninò conſenſiſſe. Neque enim illi adeò ſtolidi ac ſtupidi fuerunt, ut negarent eos qui contra legem Dei agunt peccare materialiter, ſed contendebant hujuſmodi peccata non eſſe propriè dicta peccata, nec imputari à Deo, quia non voluntate, ſed neceſſitate fiunt. Ergo aut S. Auguſtinus contra illos aſſeruit ea eſſe vera & propriè dicta peccata, aut tota illa Eccleſiæ contra Pelagianos diſputatio non ſeria, ſed ludicra fuit; quod ſine graviſſimâ Eccleſiæ injuriâ dici nequit. 2°. Eodem modo S. Doctor judicat & loquitur de peccatis ignorantiæ, ac de illis quæ ex benè agendi difficultate, ſeu ex concupiſcentiâ committuntur. Atqui nemo dixerit peccata quæ ex concupiſcentiâ committuntur non eſſe peccata formalia, niſi qui morum diſciplinam funditùs evertere voluerit. Ergo peccata ignorantiæ veri nominis peccata eſſe ſenſit ac docuit S. Auguſtinus. 3°. Ideò Jeſuitæ pecccata ignorantiæ excuſant, quia exiſtimant hominem peccati reum eſſe non poſſe, niſi habeat poteſtatem expeditam, relativam & æquilibrii ad peccatum illud vitandum. Porrò hunc errorem totis ingenii ſui nervis in Pelagianis debellavit S. Auguſtinus, ut in Libro præcedente oſtendimus. 4°. Ipſa textuum S. Doctoris perſpicuitas interpretationem illam Jeſuiticam abſolutè repellit. Quid enim his-ce verbis evidentius eſſe poteſt : Deum

non

Digitized by Google

non admittere excuſationem quam ignorantia prætendit, *inexcuſabiles eſſe omnes peccatores*, ſive *qui norunt*, ſive *qui* ignorant & *intelligere non potuerunt; non eſſe illis juſtam excuſationem, ſed juſtam damnationem; peccata ignorantium minora quidem eſſe quàm ſcientium, non tamen nulla* eſſe; ignorantiam illorum, *qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſare, ut ſempiterno igne non ardeat;* illa quoque ignorantiæ peccata *à Deo juſto imputari*, quæ fiunt ex *quâdam peccandi neceſſitate; illorum veniam à Deo poſtulandam eſſe, pœnitentiamque pro illis agendam?* Igitur vel ſtupenda dementia, vel ſumma impudentia eſt, contendere S. Doctorem in allatis textibus de materiali duntaxat, non autem de formali ac propriè dicto peccato locutum eſſe.

Porro illa doctrina non à S. Auguſtino ſolùm, ſed etiam à cæteris SS. Patribus uno conſenſu tradita fuit.

S. Hieronymus in fine Dialogorum adverſus Pelagianos: „ Volunt, „ inquit, eloquia ſcripturarum etiam ignorantiam habere peccatum. Un„ de & Job offert hoſtias pro filiis ſuis, ne fortè per ignorantiam in cogi„ tatione peccaverint.“ Reſpondente autem Pelagio, ſub nomine Critobuli: *Rogo, quæ eſt iſta juſtitia, ut in peccato tenear erroris, cujus reatum non habet conſcientia? Neſcio me peccaſſe, & ejus rei, quam neſcio, pœnas luo. Et quid plus faciam ſi ſponte peccavero?* ſic illum S. Doctor, Catholicorum partes agens ſub *Attici* nomine, ſtatim compellat: „ Et à me ſententiæ & diſpoſitionis Dei cauſas requiris? Reſ„ pondet ſtultæ interrogationi tuæ liber Sapientiæ: *Altiora te ne quæ„ ſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.*“ Deinde catholicam doctrinam comprobat tum ex ſacrificiis, quæ pro peccatis ignorantiæ in veteri lege offerri jubebantur, tum ex libro Proverbiorum, ubi dicitur: „ *Eſt via quæ videtur recta eſſe apud homines, & noviſſima ejus veniunt* „ *in profundum inferni.* Ecce & hic, inquit, manifeſtè ignorantia con„ demnatur, cùm aliud putat homo, & ſub ſpecie veritatis ad inferna „ delabitur.“ Manifeſtum eſt ſermonem ibi eſſe de illa ignorantia, quam Pelagiani involuntariam ſeu neceſſariam vocabant, & quam Jeſuitæ invincibilem appellant.

S. Proſper, Sententiâ 309, textum Epiſtolæ S. Auguſtini ad Sixtum ſupra allatum adoptat.

S. Fulgentius lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 20: „ Quando, inquit, gratiâ divini muneris non mutatur (humana volun„ tas), aut præcepta non intelligit, aut intellecta contemnit, id eſt, „ aut neſciens peccat, aut peccatum ſuum vitio prævaricationis accu„ mulat. De his igitur, quos ignorantiæ circumvallat obſcuritas, di„ citur: *Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Hi, ſi„ cut Apoſtolus dicit, *ambulant in vanitate ſenſûs ſui, tenebris obſcura„ tum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ eſt* „ *in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum.* De ſcientibus verò &c.“

Et lib. 1 *de Remiſſione peccatorum*, cap. 13: „ Ne quis ergo ſibi de ig-
„ norantiâ blandiatur. Attendendus eſt Apoſtoli ſermo, qui ſe in ig-
„ norantiâ quidem defeciſſe pronuntiat, ſed tamen ſe peccaſſe non ne-
„ gat; immo primum ſe dicit omnium peccatorum.“

Synodus Præſulum Africanorum pro fide exulum, in libro *de Incarnatione & gratiâ*, quem eorum juſſu ac nomine S. Fulgentius conſcripſit, cap. 16, ſic loquitur: „ Lumine ſimul & virtute privata in tantùm „ natura, cæca ſine lege peccat, ut ſe peccare neſciat.“

S. Gregorius magnus lib. 19 Moralium, cap. 14, al. 20: „ Cæcus „ eſt, inquit, qui adhuc quò pergat non videt, claudus autem eſt qui „ non poteſt ire quò videt. Crebrò namque peccatum aut ignorantiâ „ aut infirmitate perpetratur, ut vel non videat homo quid velle de- „ beat, vel non omne quod voluerit poſſit. Quò contra per Pſalmiſ- „ tam dicitur: *Dominus illuminatio mea & ſalus mea.* Quia enim Do- „ minus & ſapientiam & virtutem præbet, & contra ignorantiam *illu-* „ *minatio*, & contra infirmitatem *ſalus* vocatur. Hinc etiam de iniquis „ dicitur: *Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum*, ut ſcilicet per tene- „ bras quò ire debent non videant, qui, etſi recta viderent, in eis ta- „ men per lubricum ſtare non poſſint.“ Liquet à ſanctiſſimo Pontifice idem ferri judicium de peccatis ignorantiæ, ac de peccatis infirmitatis. Cùm ergo fide certum ſit peccata infirmitatis eſſe veri nominis peccata, idem de peccatis quoque ignorantiæ ſentiendum eſt.

S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 2 *Sententiarum*, cap. 17. num. 6, ignorantiam diſtinguit duplicem, & utramque condemnat. „ Neſcire ſim- „ pliciter, inquit, ad ignorantiam pertinet; noluiſſe verò ſcire, ad con- „ tumacem ſuperbiam...... Nemo igitur de ignorantiâ ſe excuſet, quia „ Deus non ſolùm eos judicat qui à cognitione ſuâ avertuntur, ſed „ etiam qui neſcierunt.“

S. Bernardus, Epiſt. 77, ſeu Tractatu ad Hugonem, cap. 4. num. 6, quemdam, qui peccata per ignorantiam admiſſa excuſare nitebatur, hiſce auctoritatibus ac rationibus refellit: „ Is Forſitan, qui aſſerit non „ poſſe peccari per ignorantiam, nunquam pro ſuis ignorantiis depreca- „ tur, ſed potiùs Prophetam irridet deprecantem & dicentem: *Delicta* „ *juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris.* Forſitan & repre- „ hendit Deum exigentem pro peccato ignorantiæ ſatisfactionem.“ Et num. 17: „ Si ignorantia nunquam peccatum eſt, cur dictum eſt „ in Epiſtola ad Hebræos, quia in ſecundo Tabernaculo ſemel in anno „ ſolus Pontifex intraret, non ſine ſanguine quem offert pro ſuâ & po- „ puli ignorantiâ? Si peccatum ignorantiæ nullum eſt, non ergo pec- „ cavit Saulus quòd perſecutus eſt Eccleſiam Dei, quoniam quidem „ ignorans hoc fecit, manens in incredulitate. Benè ergo faciebat „ quòd erat blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus...... Non „ ergo debuit dicere: *miſericordiam conſecutus ſum*, ſed mercedem accepi; „ quip-

„ quippe quem ignorantia reddebat à peccato immunem, & æmulatio „ remunerabilem indicabat. Si, inquam, ignorantiâ nunquam peccetur, „ quid ergo cauſamur adverſus occiſores Apoſtolorum; quandoquidem „ non ſolùm malum eſſe neſciebant interficere illos, ſed inſuper quoque „ id faciendo arbitrati ſunt obſequium ſe præſtare Deo? Sed & fruſtrà „ in cruce Chriſtus pro ſuis orabat crucifixoribus, quippe neſcientibus, „ ipſo teſte, quid facerent, & ita nequaquam peccantibus..... Numquid non ex his ſatis apparet in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, „ qui ignorat peccari interdum poſſe per ignorantiam?"

Breviùs, ſed non minùs diſertè, imò adhuc diſertiùs loquitur in libro *de Præcepto & diſpenſatione*, cap. 18: „ Sive, inquit, malum putes bonum quod fortè agis, ſive bonum malum quod operaris, „ utrumque peccatum eſt."

Probatur IV° ſuffragiis Theologorum, quos inter paucos memorabimus.

Magiſter Sententiarum, lib. 2. diſt. 22. § 10, ex S. Auguſtino probat ignorantiam eorum, qui ſimpliciter neſciunt, neminem excuſare totaliter à peccato.

S. Thomas, 1. 2. quæſt. 76. art. 4, nullam agnoſcit ignorantiam quæ excuſet totaliter à peccato, niſi ignorantiam facti, & eam quæ reperitur in infantibus, amentibus & furioſis. 2. 2. quæſt. 59. art. 4. ad. 1, cùm ſibi objeciſſet dictum iſtud Ariſtotelis: *Quæcunque non ſolùm ignorantes, ſed & propter ignorantiam peccant, venialia ſunt*, respondet „ illud dictum Philoſophi intelligi de ignorantiâ, quam ipſe vocat ignorantiam particularium circumſtantiarum, quæ meretur veniam; „ non autem de ignorantiâ juris, quæ non excuſat." Quodlib. 3. quæſt. 4. art. 10: „ In his, inquit, quæ pertinent ad fidem & bonos „ mores nemo excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus magiſtri: nam ignorantia non excuſat." In Commentario in Epiſt. ad Galatas, cap. 5. lect. 1, propoſitâ ſibi iſtâ objectione: *Si quis haberet conſcientiam quòd, niſi circumcideretur, peccaret mortaliter, tenetur circumcidi,.... quia habere conſcientiam de re aliquâ faciendâ, nihil aliud eſt quàm æſtimare quòd faciat contra Deum, niſi illud faciat:* ſic caſum illum reſolvit: „ Dico quòd, niſi faceret hoc ad quod inducit conſcientia, peccaret mortaliter, non quidem ex genere operis, ſed ex intentione operantis. Et ſimiliter, ſi facit, peccat, quia hujuſmodi ignorantia non excuſat, cùm ſit ignorantia juris. Nec tamen eſt perplexus ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, quia poteſt deponere erroneam „ conſcientiam."

Adrianus, Quodlibeto 4, docet eum „ peccare mortaliter, qui invincibiliter ignorat actum quem facit eſſe mortaliter malum." Notate *invincibilem* ab eo appellari ignorantiam, cui vincendæ humanum ſtudium par non eſt, licet abſolutè & cum auxilio divino vinci poſſit.

Innocentius III, Extrav. *de Simonia*, cap. *Per tuas*, pronuntiat eum eſſe ſimoniacum, qui id quod agebat ſimoniacum eſſe ignorabat.

Gregorius Ariminenſis in 2um, diſt. 26. 27 & 28. quæſt. 1. art. 3, paulò ante finem : „ Non omnis impotentia benè agendi, inquit, excuſat „ hominem à peccato, ſi non benè agat, quia non illa quæ pœna eſt „ peccati, ſicut nec ignorantia quæ eſt pœna peccati, excuſat homi- „ nem à peccato, ſi non agat quod debet, aut agat quod non debet.“ Idem inculcat diſtinct. 29. quæſt. 1. art. 2.

Idem docent Cajetanus in 1. 2. quæſt. 76. art. 4, & Eſtius in 2um, diſt. 22. § 12.

Steyaertius Doctor Lovanienſis, in Appendice ad Aphoriſmos, quæſt. 2. pag. 177 : „ Hujus (Lovanienſis) Scholæ, inquit, ſententia jam- „ pridem fuit & adhuc eſt, quam ejus nomine à decennio Romæ ſu- „ mus profeſſi, ſicut omnis concupiſcentia eſt ſuperabilis divino ſaltem „ auxilio, ita omnem ignorantiam juris naturæ eſſe vincibilem, ideòque „ peccare eum quicunque ex illâ agit aliquid quod reverâ eſt contra jus „ naturæ.“

Contenſonus, lib. 6. diſſert. 3. cap. 1. quæſt. 4 & 5, eamdem ſententiam copioſè adſtruit. Sic autem loquitur pag. 444: „ Ad ſecundum „ dicendum, pueriliter & ignoranter noſtræ ſententiæ auctorem fingi Jan- „ ſenium, atque impertinenter tam antiquæ doctrinæ Janſeniſmi notam „ inuri, ut illi creetur invidia. Nam, ut Vasques in 1. 2. disput. 122. „ cap. 1, & Comitolus lib. 5 *Reſponſionum moralium*, cap. 1, aiunt, „ omnes antiqui Theologi in eâ fuerunt ſententiâ, nunquàm invincibi- „ lem, ſed ſemper vincibilem eſſe juris naturalis ignorantiam. Fortè „ Janſeniſtæ fuerunt Alexander de Hales, Gratianus, Durandus, Al- „ phonſus à Caſtro, Autiſſiodorenſis, Albertus magnus, Gabriel, Hu- „ go Victorinus, Guillelmus Pariſienſis, Adrianus, S. Bonaventura, & „ ipſemet S. Thomas. Fortè Janſeniſta fuit Gerſon, quia lib. *de Vitâ* „ *ſpirituali*, lect. 14. coroll. 3, ſcripſit: *Quidquid ſit de ignorantiâ fac-* „ *ti aut juris humani poſitivi, concors eſt ſententia, nullam in his quæ le-* „ *gis divinæ ſunt cadere ignorantiam invincibilem.*

His Theologis concinit Jus quoque Canonicum, tum in Decreto Gratiani, part. 2. quæſt. 4. cap. *Turbatur*, ubi ſic habetur: „ Ignorantia „ juris alia naturalis, alia civilis: naturalis in omnibus adultis damna- „ bilis eſt;“ cùm in *Regulis Juris*, in Sexto, his verbis: „ Ignorantia „ facti, non juris, excuſat.“

Probatur V° cenſuris Epiſcoporum & Facultatum Theologicarum.

Inter Propoſitiones Nicolai de Ultricuria Romæ damnatas, & ab auctore coram Univerſitate Pariſienſi anno 1358 retractatas, iſta legitur: „ Si quis velit voluntatem ſuam conformare voluntati divinæ, ſequitur „ neceſſariò altera pars hujus disjunctivæ, vel quòd Deus eum inſtrue- „ ret de omnibus neceſſariis & concernentibus ſalutem ſuam, ita quòd „ er-

,, errare non poſſet ; vel quòd non erraret , &, ſi erraret in aliquo ac-
,, tu ſuo, ille error non eſſet ſibi imputandus, nec peccaret ; immo me-
,, reretur in omni actu conſequente talem errorem , imò plus vel tan-
,, tum, quantùm eliciendo actum oppoſitum ſequeretur judicium ratio-
,, nis.“ Hæc ipſa eſt Molinæ, Casnedy, aliorumque recentiorum doctrina. Eam verò hunc in modum retractare juſſus eſt prædictus auctor: *Iſtum articulum aſſero falſum, & reputo erroneum, prout jacet.*

Cum Pirot Jeſuita, in *Apologiâ pro Caſuiſtis*, inter alios craſſiſſimos errores, aſſeruiſſet *abſque libertate nullum eſſe peccatum, ad libertatem autem vitandi peccati requiri, ut ſciatur malum eſſe quod faciendum proponitur*, Archiepiſcopus Senonenſis (de Gondrin) cenſurâ in ſua generali Synodo latâ anno 1658, & à tota Senonenſi Provincia paulò poſt approbatâ & confirmatâ, doctrinam illam damnavit his verbis: *Hæ propoſitiones adverſantur Scripturæ, Patribus, precibus fidelium, viamque aperiunt excuſandis maximis criminibus.*

Simile judicium tenuerunt Vicarii Pariſienſes: *Hæc doctrina*, inquiunt, *eſt falſa, erronea, ſcandaloſa, contraria ſanctæ ſcripturæ, Patribus & Theologiæ, à quibus admittuntur peccata ignorantiæ: ſubminiſtrat excuſationes peccatoribus in ruinam animarum, inducitque Chriſtianos ad negligendas inſtructiones ad ſalutem neceſſarias.*

Plures alias hujus doctrinæ cenſuras recentiores omitto.

Probatur VI°. Rationibus Theologicis.

In peccatis ignorantiæ reperiuntur quæcumque ad peccatum propriè dictum conſtituendum requiruntur.

PRIMA RATIO. Illud eſt veri nominis peccatum, in quo reperiuntur omnia quæ peccatum propriè dictum conſtituunt. Atqui in his, quæ per ignorantiam contra legem naturalem fiunt, omnia reperiuntur quæ peccatum propriè dictum conſtituunt. 1°. Reperitur cognitio ejus quod agitur. Agens quippe ſcit v. g. ſe mentiri, ſe fornicari &c., quod-ſatis eſt ut actus cenſeatur humanus & voluntarius. ,, Quamvis
,, enim, ut ait Eſtius in 2um, diſtinct. 22. §. 12, qui hâc ignorantiâ la-
,, borat, ignoret hoc malum quod agit ſub ratione generis, id eſt, neſ-
,, ciat eſſe peccatum, tamen novit ſub ratione ſpeciei, cui naturaliter &
,, eſſentialiter tale genus competit. Exempli causâ, qui mentitur officio-
,, ſè, putans tale mendacium eſſe licitum, is quidem neſcit tale menda-
,, cium pertinere ad genus peccati, ideòque putat non eſſe peccatum;
,, ſcit tamen ſe mentiri, ac proindè actum qui eſſentialiter malus eſt
,, voluntariè committit.“ Idem obſervat Cajetanus in 1. 2. quæſt. 76. art. 4.

Nec dicas hominem, qui neſcit malum eſſe quod facit, illud facturum forſitan non fuiſſe, ſi malum eſſe cognoviſſet. Inde enim nequaquam ſequitur eum non peccare, ſed tantummodò eum non fuiſſe forſitan peccaturum, ſi cognoviſſet. Certè, admiſſo ſemel adverſariorum principio, ſequeretur nulla prorſùs eſſe peccata ignorantiæ; quod fidei manifeſtè adverſatur. Siquidem ea ſola propriè loquendo ignorantiæ peccata ſunt,

 quæ,

quæ, ſublatâ ignorantiâ, non fierent. Aliunde quot ſunt in vitâ ipſâ civili actiones liberrimæ, à quibus abſtineremus, ſi multa nollemus quæ ab illis faciendis nos retrahere nata ſunt? Recolite, ſi vacat, ea quæ in Libro præcedente dicta ſunt, ubi probavimus ad libertatem arbitrii minimè requiri, ut adſint omnia ad agendum & ad non agendum neceſſaria.

2°. In illis peccatis reperitur voluntas illud faciendi quod reipſâ fit, quodque ex naturâ ſuâ malum eſt. Nam qui legem ignorat, non propterea invitus impellitur ad agendum hoc vel illud, ſed agit liberè, potentiam habens non agendi, ſi velit: v. g. qui fornicatur, neſciens ſimplicem fornicationem eſſe peccatum mortale, voluntariè & liberè elicit actum ex naturâ ſuâ malum, quemadmodùm voluntariè ac liberè conſentit in contractum aliquem civilem ille qui ejus pacta cognoſcit, etiamſi ignoret damna inde ſibi poſthàc naſcitura.

3°. In eiſdem peccatis reperitur tranſgreſſio divinæ legis; ſiquidem actus qui fit ex ſe malus eſt, divinæque legi contrarius. Ergo in eis, quæ ex ignorantiâ contra legem naturalem fiunt, omnia occurrunt quæ peccatum conſtituunt; ac proinde illa excuſari non poſſunt à peccato.

Iſtud argumentum eſt S. Auguſtini lib. 1 *Retractationum*, cap. 15. num. 3, ubi ſic loquitur: „ Qui neſciens peccavit, non incongruenter no-„ lens peccaſſe dici poteſt, quamvis & ipſe quod neſciens fecit, volens „ tamen fecit. Ita nec ipſius potuit eſſe ſine voluntate peccatum..... „ Quod enim ſi noluiſſet non feciſſet, non coactus eſt facere. Quia vo-„ luit ergò fecit, etſi non quia voluit peccavit, neſciens peccatum eſſe „ quod fecit. Ita nec tale peccatum ſine voluntate eſſe potuit, ſed vo-„ luntate facti, non voluntate peccati; quod tamen peccatum fuit, hoc „ enim factum eſt quod fieri non debuit."

Ejus, qui ignorans agit contra legem naturalem, voluntas mala eſt.

Secunda ratio. Quod vetatur lege immutabili & æternâ, per ſe & ex naturâ ſuâ malum eſt. Porrò quod ex ſe malum eſt nunquam excuſari poteſt, alioquin non eſſet ex ſe malum. Hinc illud Tertulliani dictum lib. *de Spectaculis*, cap. 20: „ Nusquam & nunquam excuſatur „ quod Deus damnat: nuſquam & nunquam licet quod ſemper & ubique „ non licet." Ergo quod fit contra legem naturalem nunquam poteſt ob ignorantiam legis excuſari.

Et certè ſi hoc in caſu homo excuſaretur à peccato, maximè quia ſupponitur habere voluntatem rectam, aut ſaltem non malam. Verum, quidquid ſit de voluntate interpretativâ & conditionatâ non agendi, ſi adeſſet cognitio peccati, voluntas abſoluta, quæ hìc & nunc agit quod malum eſt, nec recta, ſed mala & prava cenſenda eſt. Nam omnis voluntas, quæ fertur in malum, non poteſt non eſſe mala. Porro in præſenti caſu voluntas fertur in malum; ſiquidem fertur in actionem per ſe & eſſentialiter malam. Neſcit, inquies, voluntatem ſuam eſſe malam. At num idcircò mala non eſt? Talis quippe eſt voluntas, qua-

quale eſt illud in quod fertur. Ignorantia juris non facit ut, quod per ſe malum eſt & legi æternæ contrarium, deſinat eſſe malum; ac proinde non facit ut voluntas à lege æternâ diſſentiens non ſit mala. Porro ubi voluntas mala, ibi propriè dictum peccatum eſt, ſiquidem peccatum nihil aliud eſt quàm inordinatio & pravitas voluntatis. Voluntas bona & recta eſſe non poteſt, niſi id quod vult & in quod fertur ſit bonum, & apprehendatur ut bonum. Si primum deſit, voluntas mala eſt, quia diſcordat à lege; ſi alterum, mala eſt, quia diſcordat à conſcientiâ. „ Bonum, ait S. Thomas, 1. 2. quæſt. 19. art. 6. ad 1, cauſatur ex „ integrâ cauſâ, malum autem ex ſingularibus defectibus: & ideò ad id „ quòd dicatur malum id in quod fertur voluntas, ſufficit, ſive quòd ſe- „ cundùm ſuam naturam ſit malum, ſive quòd apprehendatur ut ma- „ lum: ſed ad hoc quod ſit bonum, requiritur ut utroque modo ſit „ bonum."

Tertia ratio. Non magis ignorantia juris naturalis valet excuſare à peccato, quàm concupiſcentia & infirmitas; ſiquidem utraque eſt pœna peccati. Per ignorantiam agendorum notitiam, per concupiſcentiam & infirmitatem rectè agendi vires amiſimus. Per illam neſcimus quid lex æterna jubeat, per hanc illud etiam, quod faciendum novimus, implere non poſſumus. Hinc SS. Patres utrumque illud naturæ humanæ inflictum vulnus conjungere ſolent, & eodem modo de utroque judicant. Atqui, quamvis concupiſcentiâ & infirmitate præpediti, malum vitare bonumque amplecti ſæpè non valeamus, non ideò peccata non ſunt quæ contra legem Dei ex infirmitate committuntur: ergo pariter vera peccata ſunt quæ ex legis naturalis ignorantia fiunt. *Ignorantia non magis excuſat à peccato, quàm concupiſcentia & infirmitas.*

Confirmatur hæc ratio ex peccato originali. Si enim ignorantia excuſaret à peccato, certè multò magis peccatum originale, quod à neſcientibus naſcendo contrahitur, non foret peccatum niſi materiale, nec imputabile: quod tamen ſentire fides vetat.

Quarta ratio. Ut ignorantia juris naturalis à peccato excuſaret, deberet illa eſſe abſolutè invincibilis. Porro paulò ante oſtendimus ignorantiam illam, etſi humanâ induſtriâ penitùs vinci non poſſit, poſſe tamen abſolutè ſuperari per auxilium gratiæ; atque inſuper ineſſe homini potentiam ſaltem remotam cognoſcendi ſingula legis naturalis præcepta. Nunquam ergo ignorantia juris naturalis excuſat à peccato. *Supra, Prop. II.*

Quinta ratio. Si propter legis ignorantiam aliqui à peccato excuſarentur, maximè illi qui eam vincere multò minùs poſſunt, quales ſunt excæcati. Atqui id dici non poteſt quin funditùs evertantur omnia moralis diſciplinæ fundamenta. Nulli quippe minùs valent ignorantiæ tenebras depellere, quàm illi quos, divino judicio, in pœnam ſuorum criminum lux veritatis deſeruit. Eatenùs excæcati dicuntur, quatenùs, depravatis oculis mentis, ſolem juſtitiæ intueri nequeunt. Tales fuerunt Judæi, de quibus, Joannis X, 40, dicitur: *Propterea non po-* *Nec excæcati, nec ipſi etiam juſti ex ignorantiâ excuſantur.*

poterant credere, quia iterum dixit Iſaïas: Excæcavit oculos eorum. Inde namque ſequeretur, quantò quiſque perverſior eſt, tantò minus eum peccare, peccatis formalibus ac propriè dictis; quo poſito, excuſarentur atrociſſima ſcelera, incredulitas Judæorum, Paganorum impietas, Idololatrarum ſacrilegia, Barbarorum flagitia: uno verbo, nonniſi materialiter peccarent illi omnes, de quibus, Proverb. IV. 19, dicitur: *Via impiorum tenebroſa: neſciunt ubi corruant.*

Quantùm hæc à doctrinâ Eccleſiæ abhorreant, demonſtrant iſta S. Auguſtini verba lib. 1. *Oper imperf.* cap. 44: Ad peccata, inquit, (quæ ſunt „ etiam pœnæ peccatorum) pertinent etiam omnia quæ per ignorantiam, „ cùm aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona. Cæ„ citas enim cordis, ſi peccatum non eſſet, injuſtè argueretur: argui„ tur autem juſtè, ubi dicitur: *Phariſæe cæce*, & aliis plurimis divi„ norum eloquiorum locis. Eademque rurſus cæcitas, ſi peccati pœ-
Sapient. II. 21. „ na non eſſet, non diceretur: *Excæcavit enim illos malitia eorum.*
Pſ. LXVIII. 14. „ Quod ſi de judicio Dei non veniret, non legeremus: *Obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.* Quis porro „ volens cæcus eſt corde, cùm velit nemo cæcus eſſe vel corpore?" S. Auguſtino ſuccinit S. Bernardus lib. *de Præcepto & diſpenſatione*, cap. 14, ubi explicans quid ſit oculus nequam: „ Cui, inquit, & malitia „ parit ignorantiam, & ignorantia malitiam operit.... Obſcuratum nem„ pe eſt inſipiens cor eorum qui iſtiuſmodi ſunt, & quaſi jam traditi „ in reprobum ſenſum, bonum omninò nec diligere nec dignoſcere que„ unt. Nam qui ejuſmodi eſt, cavere profectò malum nec vult, etiamſi „ poſſit, nec, ſi velit, ſcit."

Ipſi etiam juſti, qui aſſiduè contra agendorum ignorantiam luctantur, non tamen illâ ſe excuſari perſuaſum habent, ut inde conſtat, quòd, ut ait S. Auguſtinus lib. 22 *de Civitate Dei*, cap. 13, „ vigiliis con„ tinuis excubant, ne opinio veriſimilis fallat, ne decipiat ſermo ver„ ſutus, ne ſe tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum eſt, „ malum, aut quod malum eſt, bonum eſſe credatur." Cujus formidinis ac vigilantiæ cauſam exponens S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 2. *Sententiarum*, cap. 27: „ Sæpè, inquit, quæ apud hominum judicium bo„ na apparent, apud exàmen diligentiſſimi & acutiſſimi judicis reproba „ deteguntur; ideòque omnis ſanctus veretur ne fortè bonum quod agit, „ pro aliquâ animi intentione, in oculis Dei rebrobum ſit."

Dixi ignorantiam ſimplicem legis naturalis, quamvis non totaliter excuſet, minuere tamen peccatum; nec opus eſt id multis probare, cum & ex dictis ſubſequatur, & in id omnes conſentiant.

Si autem quis quærat quid cauſæ ſit cur peccata neſcientium minùs gravia ſint, quàm ſcientium, reſpondebo cauſam eſſe quod qui ex ignorantiâ peccat ſupponatur non peccaturus, ſi legem cognoſceret, atque adeò voluntatem habeat minùs pronam ad malum, quàm ille qui ſciens

ſciens peccat. Tota quippe bonitas vel pravitas actionum ex voluntate imprimis procedit. Cujus voluntas firmiùs adhæret malo, hujus peccatum gravius eſt. Hinc peccata, quæ dicuntur puræ malitiæ, omnium graviſſima judicantur, quia voluntate magis depravatâ & in malo firmatâ committuntur: peccata, quæ vocantur infirmitatis, minùs gravia ſunt, quia voluntas minus pravè affecta eſt, nec peccato ipſo delectatur, ſed vel timore alicujus damni, vel ſpe alicujus commodi ad peccatum quadamtenùs nolens impellitur; graviora tamen ſunt, cæteris paribus, quàm peccata ignorantiæ, quia voluntas contra propriam conſcientiam agit, nec revocatur à malo per ejus cognitionem.

QUINTA PROPOSITIO.

Ignorantia actualis, quæ oblivio vel inadvertentia dicitur, ſi verſetur circa jus naturale, nequaquam excuſat à peccato: ſeu ad peccatum formale & propriè dictum non requiritur actualis attentio ad malitiam actionis.

HÆC propoſitio ex præcedente evidenter conſequitur. Cùm enim neſcire multò plus ſit, quàm ad rem cognitam non attendere, profectò ſi illi, qui neſciunt ſe peccare, non propterea à peccato excuſantur, multò minùs excuſari poſſunt qui, ſcientes malum eſſe quod faciunt, ad illius malitiam habitualiter ſibi cognitam non advertunt. Inſipientis namque eſt dicere: non cogitabam.

Solvuntur objectiones adverſùs ſecundam & quartam Propoſitiones.

Objiciunt 1°. S. Paulus, Rom. V. 13, dicit *usque ad legem peccatum fuiſſe in mundo, peccatum autem non imputatum fuiſſe, cùm lex non eſſet.* Ergo ante cognitionem legis peccatum non imputatur.

Diſtinguo conſequens. Peccatum non imputatur ab hominibus, concedo; non imputatur à Deo, nego conſequentiam. Senſus Apoſtoli eſt homines, antequàm lex data fuiſſet, profundis ignorantiæ & cæcitatis tenebris immerſos peccatorum ſuorum conſcientiam non habuiſſe, eaque ſibi ipſis non imputaſſe ſeu exprobraſſe; ſed poſteà per legem datam commonitos agnoviſſe in quantis criminibus verſarentur. Eodem ſenſu dicit idem Apoſtolus ibidem, cap. VII: *Ego autem vivebam ſine lege aliquando*, id eſt, ante datam legem videbar mihi innocens & immunis à

Digitized by Google

peccato; ſed *cùm veniſſet mandatum, peccatum revixit; ego autem mortuus ſum:* hoc eſt, datâ lege, peccatum, quod intùs inerat & non ſentiebam, ſentire cœpi, & convictus ſum me in morte peccati jacere. Verùm, quamvis homines ante legem peccata ſua ſibi non imputarent, Deus tamen illa imputabat; ſiquidem, eodem Apoſtolo teſte, *quicunque ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.* Immò immediatè poſt verba, quæ nobis objiciuntur, ſubdit Apoſtolus: *Sed regnavit mors*, non corporis tantùm, ſed & animæ, *ab Adam usque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ:* id eſt, in eos ipſos qui non, ſicut Adam, legem ſibi cognitam transgreſſi ſunt. Hæc reſponſio eſt S. Auguſtini, quem omnes deinceps Interpretes ſecuti ſunt. „ Planè, inquit lib. 2 *Op. Imperf.* cap. 200, cùm lex non „ eſſet, non imputabatur peccatum, ſed ab hominibus qui inſcrutabilia „ Dei judicia neſciunt. Nam ſi Deus peccata non imputat, cùm lex „ non eſt, quâ tandem juſtitiâ Dei qui ſine lege peccaverunt, ſine lege „ peribunt?" Eodem modo textum Apoſtoli exponunt Ambroſiaſter, Sedulius, Primaſius, Rabanus, Haymo, S. Anſelmus & S. Thomas.

Objiciunt 2°: Joannis XV. 22, Chriſtus ait: *Si non veniſſem & locutus fuisſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Ergo qui ignorant ipſâ ſuâ ignorantiâ excuſantur.

Reſpondeo Judæos reverâ immunes futuros fuiſſe à peccato infidelitatis, quâ in Chriſtum credere noluerunt, ſi Chriſtus ad eos non veniſſet, nec manifeſtis argumentis demonſtraſſet ſe illum eſſe, quem Patriarcharum & Prophetarum oracula prædixerant, quia illâ in hypotheſi illorum ignorantia fuiſſet mera ignorantia facti omninò invincibilis. Inde verò quid concludi poteſt in gratiam ignorantiæ legis naturalis, quæ in intimis animæ viſceribus à creatore inſculpta nunquam ignorari poteſt invincibiliter? Audiatur adhuc S. Auguſtinus huic objectioni reſpondens, Tract. 89 in Joannem, num. 2: „ Poteſt, inquit, movere „ quærentes utrùm hi, ad quos non venit Chriſtus, nec locutus eſt „ eis, habeant excuſationem de peccato ſuo. Si enim non habent, „ cur hîc dictum eſt propterea iſtos non habere, quia venit & locutus „ eſt eis? Si autem habent, utrùm ad hoc habeant ut à pœnis alienentur, an ut mitiùs puniantur? Ad hæc inquiſita pro meo captu, „ Domino donante, reſpondeo habere illos excuſationem, non de omni „ peccato ſuo, ſed de hoc peccato quo in Chriſtum non crediderunt „ ad quos non venit, & quibus non eſt locutus." Et num. 3: „ Reſtat inquirere utrùm hi qui, priusquàm Chriſtus in Eccleſia veniret „ ad gentes, & priusquàm Evangelium ejus audirent, vitæ hujus fine præventi ſunt vel præveniuntur, poſſint habere hanc excuſationem. „ Poſſunt planè, ſed non ideò effugere poſſunt damnationem (aliis „ peccatis ſuis promeritam). *Qui enim ſine lege peccaverunt, ſine lege pe-*

„ *peribunt.*" His adde Judæos quibus tunc Chriſtus locutus eſt, acceptâ lege Moſaïcâ, ignorantiam ſuam reſpectu aliorumpeccatorum ſuorum prætexere non potuiſſe.

Objiciunt 3°. S. Auguſtinus, lib. 3 *de Libero arbitrio*, cap. 22, declarat ignorantiam, quæ ex negligentiâ diſcendi non oritur, à peccato excuſare. En ipſius verba: „ Non enim quòd naturaliter neſcit & naturaliter non poteſt, hoc animæ deputatur in reatum, ſed quòd ſcire „ non ſtuduit, & quòd dignam facilitati comparandæ ad rectè faciendum „ operam non dedit." Et cap. 19. num. 53: „ Non tibi deputatur ad „ culpam quòd invitus ignoras, ſed quòd negligis quærere quod ignoras.... Nulli enim homini ablatum eſt ſcire, utiliter quæri quod „ inutiler ignoratur, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, ut „ quærenti & confitenti ille ſubveniat, qui non errat dum ſubvenit, nec „ laborat."

Reſpondeo valde abſonum eſſe textus luce clariores, quos hactenus ex S. Auguſtino protulimus, velle eludere per textum unicum, obſcurum, ex libro deſumptum, quem S. Doctor, dum junior eſſet, adverſùs Manichæos ſcripſit; cùm è contrario recta ratio perſuadeat textum unicum per multò plures, textum obſcurum per apertiſſimos, textum ſcriptoris adhuc juvenis per plurimos ejuſdem diuturno ſtudio conſummati concordes textus explicari, vel etiam, ſi opus ſit, corrigi oportere.

Verum nullâ hîc correctione opus eſt. Textus quippe allatus nobis favet magis quàm adverſatur. Duo quippe de juris naturalis ignorantiâ aſſerimus: primum, eam non eſſe invincibilem, alterum per eam non excuſari peccata. Hoc ultimum tanquàm certiſſimum conſtanter affirmat S. Auguſtinus in locis ſupra productis. Primum autem, nempe ignorantiam juris naturalis non eſſe invincibilem, definit in loco qui nobis objicitur. Obſervandum eſt prætereà S. Doctorem ibi loqui in hypotheſi Manichæorum quos refellebat, & qui juris naturalis ignorantiam non peccati pœnam, ſed naturalem eſſe contendebant. Illa autem in hypotheſi docet non ipſammet ignorantiam, ſed ſolam diſcendi negligentiam in reatum deputari. Sed poſteà eodem ipſo in libro, conſiderando ignorantiam illam ut pœnam peccati, qualis reverâ eſt, declarat peccata quæ ex illa committuntur, juſtè imputari à Deo, idque duplicem ob cauſam: 1°. Quidem quia illa ignorantia non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati. 2°. Quia, cùm poſſit diligenti ſtudio & fuſis ad Deum precibus ſuperari, non eſt abſolutè invincibilis. Hæc ſecunda ratio planè ſufficiebat ad expugnandos Manichæos. Quia tamen auxilium gratiæ, ſine quo ignorantia omni ex parte non vincitur, non ſemper, nec omnibus datur, nunquàm aut rarò illâ ratione uſus eſt S. Doctor in ſuis contra Pelagianos libris; ſed primam, veluti ſuperbiæ reprimendæ aptiorem, ferè ſemper adhibuit, docuitque neminem propter ignorantiam legis juſtè excuſari, eoquòd illa ignorantia, in

Digitized by Google

eis qui intelligere noluerunt, & ipſa peccatum ſit ; & in eis qui non potuerunt, potentiâ ſcilicet completâ & expeditâ, pœna ſit peccati.

Objiciunt 4°. Innumeri homines, præſertim barbari, omnino carent mediis quibus poſſent ignorantiam depellere. 2°. Plurima ſunt moralis diſciplinæ capita, in quibus ipſimet Theologi à ſe invicem diſſentiunt. Ipſe etiam S. Thomas & S. Bonaventura in aliquibus non planè concordes ſunt. Quonam autem pacto imperiti noſſe poterunt quæ doctores ipſos latent? 3°. Non pauci ſunt adeò hebetis & tardi ingenii, ut concluſiones ex primis principiis dependentes deducere nequaquam valeant. Ergo legis naturalis præcepta ignorari poſſunt invincibiliter.

Reſpondeo hæc eadem olim à Pelagianis objecta fuiſſe, atque à SS. Patribus & ab Eccleſiâ rejecta. Enimverò ſic loquebatur Pelagius apud S. Hieronymum, initio Dialogi 2 contra Pelagianos: *Videris injuriam referre in Deum, ſi tales homines condidit, ut oblivione & ignorantiâ peccato carere non poſſint..... Id enim fecit* (homo) *quod vitare non potuit. Ubi autem aufertur poſſibilitas, aufertur vitium: nemo enim in eo condemnatur quod facere non potuit.* Quid verò ad hæc S. Hieronymus? Vanam garrulitatem auctoritatis divinæ pondere reprimens: „ Pro oblivione, in- „ quit, errore & ignorantiâ, quaſi pro peccato, offeruntur ſacrificia; ſi- „ ve hoc malè, juxta te, ſive benè, juxta me, Deus præcepit, meum „ eſt obſervare quod juſſit, tuum Dei juſſa reprehendere.“ Et poſteà: „ Ille judicat legem, qui dicit aliquid non juſtè præceptum, & ignoran- „ tiam non habere peccatum, & fruſtrà offerri victimas pro errore, quòd „ peccati non habet conſcientiam. Neque enim in lege ratio quæritur, „ ſed auctoritas.“ Ut autem ad ſingula non nihil dicam:

Ad primum reſpondeo, ſcripturâ divinâ teſte, ſapientiam præoccupare illos qui eam concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat, Deumque non permittere ut, qui ſincero ac mundo corde exquirunt mandata ejus, eorum notitiam ſibi congruam non aſſequantur, etiamſi doctore exterius ſonante deſtituantur. Deus ipſe eſt *qui docet hominem ſcientiam*, nec deſerit inquirentes ſe. Quiſquis ergo agendorum notitiâ caret, id ſibi ipſi imputare debet.

Ad ſecundum dico diſſenſiones Scholaſticorum & Caſuiſtarum aberrationes allegari non poſſe, ad excuſanda peccata quæ contra jus naturale ex ignorantiâ committuntur, quin eo ipſo Probabiliſmus inſtauretur, à ſummis Pontificibus & à celeberrimis Eccleſiæ Præſulibus toties damnatus. Certè ſi cujuſvis auctoris opinio ab æternâ lege diſſonans à peccato excuſare valeret eum, qui illam in praxi ſequitur, falſò dixiſſet Apoſtolus, 1 Corinth. XIII. 8: *Nihil poſſumus contra veritatem, ſed pro veritate:* falſò etiam Tertullianus monuiſſet *veritati nihil præſcribere poſſe, nec privilegia perſonarum.* Nec dicas imperitis ac rudibus impoſſibile eſſe id cognitione aſſequi, quod plurimos viros doctos latet. Nam munditia & ſimplicitas cordis ad ſcientiam ſalutis multò tutius ac certiùs perducunt,

cunt, quàm curioſa ac ſæpè inflata eruditio. Hinc Chriſtus, Matth. XI. 25, exclamat: *Confiteor tibi, Pater,..... quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Si nonnullis etiam piiſſimis auctoribus, inquirendæ & exponendæ legi divinæ intentis, fortè interdum, ut hominibus, contigit in aliquibus tantiſper à vero deflectere, ſolus Deus novit quantùm in hoc vel mentis præoccupatione, vel nimis præcipite definiendi feſtinatione, vel orationis neglectu deliquerint, & quousque hujusmodi humanos errores illorum caritas ipſiusque miſericordia operuerint. Quis verò illis ſcriptoribus non jure ſuccenſeat, quibus id unum propoſitum fuiſſe videtur, ut ipſamet primaria moralis doctrinæ fundamenta ſubverterent, ut Evangelica præcepta de medio tollerent, ut latiſſimam explendis cupiditatibus viam aperirent, ut immaniſſima quæque flagitia, ignorantiæ, probabilitatis, philoſophismi prætextu, à peccato purgarent, ut primum ac maximum dilectionis Dei & proximi mandatum, ex quo univerſa lex pendet, penitùs abolerent, aut ferè ad nihilum redigerent? Quid, inquam, de illis dicendum? niſi quod jam diximus: *Væ cæcis ducentibus! Væ cæcis ſequentibus!*

Ad tertium respondeo etiam tardiſſimos homines ad legis divinæ cognitionem, quantùm ſatis eſt, poſſe aſſurgere, ſi non deſit ſincera pietas, aſſiduusque ad Patrem luminum recurſus. Quibus autem ea cognitio juſto Dei judicio non datur, immeritò prætexerent mentis hebetudinem, quæ, præterquàm quòd pœna eſt peccati originalis, plerùmque carnalibus affectionibus, crapulâ & ebrietate, libidinoſis voluptatibus, aliisque peccatis actualibus plurimùm augetur. Quemadmodum enim gratia voluntatis corruptionem & infirmitatem ſanans nulli debetur, ita etiam nulli debetur gratuitum illud lumen quo mentis tenebræ depelluntur.

Inſtant. Si ignorantia juris naturalis idcircò cenſeri debet vincibilis, quia per auxilium gratiæ vinci poteſt, ignorantia quoque facti ob eamdem rationem dicenda eſſet vincibilis; adeoque non excuſaret à peccato. Falſum eſt conſequens; ergo & antecedens.

Nego conſequentiam & paritatem. Nam 1° lex naturalis ipſis animæ viſceribus indita eſt, nec unquam penitus deleri poteſt: contra verò factorum notitia eſt menti planè extrinſeca & adventitia, nec niſi per externam admonitionem acquiritur. 2°. Lex naturalis eſt norma eſſentialis & immutabilis agendorum, hominemque in quovis ſtatu & caſu obligat: è contrario ad ea, quæ à factis dependent, homo non obligatur niſi per leges poſitivas & variabiles. 3°. Ignorantia legis naturalis fœtus eſt peccati originalis; facta verò externa, niſi exterius declarentur, ignorare, naturalis eſt humanæ mentis in quocunque ſtatu conditio. 4°. Animæ rationali nunquam penitùs deeſt notitia primariorum legis naturalis principiorum, in quibus continentur, & ex quibus deduci poſſunt ſingula morum præcepta: at verò reſpectu factorum nihil hujus-

 mo-

modi menti ſuppetit. Demum legis naturalis certa cognitio cordis puritate præſertim acquiritur, tantòque plenior eſt, quantò magis à pravis cupiditatibus cor purgatur; factorum autem notitia à voluntatis rectitudine nullatenùs pendet.

APPENDIX

De Peccato Philoſophico.

Ex opinionum, quas modò confutavimus, corruptiſſimo fonte nata eſt infauſtæ matris infauſtior ſoboles, *Peccatum Philoſophicum.*

Quid intelligatur nomine peccati Philoſophici.

Peccatum Philoſophicum definiunt illud, quod rectæ quidem rationi adverſatur, Deum tamen non offendit, nec pœnam meretur æternam; eique oppoſitum dicunt peccatum Theologicum, quod ſcilicet Deum offendit, pœnâque æternâ puniendum eſt. Verùm, ut Jeſuitarum enormes hâc in re aberrationes manifeſtius cognoſcantur, neceſſe eſt totam illarum ſeriem & concatenationem animo complecti. Itaque:

Docent 1° ad formalem peccati rationem requiri, ut actûs malitia ab agente, dum agit, cognoſcatur & actu attendatur. 2°. In omni peccato duplicem diſtingui poſſe malitiam, unam philoſophicam, in eo poſitam quòd rectæ rationi repugnet; alteram theologicam, quæ peccato competit quatenus Deo ejuſque legi adverſatur. 3°. Cognoſci & actu attendi poſſe malitiam peccati philoſophicam, non cognitâ aut non actu apprehenſâ malitiâ ejus theologicâ: v. g. cognoſci atque actu adverti poſſe furtum eſſe rectæ rationi contrarium, quamvis non cognoſcatur, aut actu non advertatur Deum furto offendi, ſive quia ignoratur Deum exiſtere, aut furtum prohibere, ſive quia, licet utrumque cognoſceretur, de eo tamen inter agendum actu non cogitatur. 4°. Quando philoſophica tantùm peccati malitia cognoſcitur vel actu advertitur, tunc peccatum non eſſe niſi philoſophicum: quando verò malitia theologica cognoſcitur & actu attenditur, tunc peccatum eſſe theologicum. Unde quemadmodùm, inquiunt, non eſt peccatum formale philoſophicum, niſi cognoſcatur & actu percipiatur actionem rectæ rationi repugnare, ita non eſt peccatum formale theologicum, niſi cognoſcatur & actu percipiatur eamdem actionem lege divinâ vetitam eſſe. 5°. Peccatum merè philoſophicum non diſſolvere amicitiam cum Deo, ac proinde non eſſe mortiferum, neque pœnâ æternâ dignum, ut pote quod non Deum, ſed rationem tantummodò offendat.

Hinc

Digitized by Google

Hinc patet peccatum philoſophicum confundi non debere cum peccato quod vocant materiale. Nam peccatum materiale non eſt verum ac propriè dictum peccatum, neque pœnam ullam meretur: philoſophicum verò eſt formaliter ac propriè peccatum contra rectam rationem, pœnamque aliquam, etſi non æternam, meretur, ſed non eſt formalis offenſa Dei.

Peccatum philoſophicum à multis Jeſuitis aſſertum.

Horrenda illa doctrina in latebroſis Jeſuitarum ſcholis aliquandiu latuerat, antequàm in publicum efferretur.

Rodericus de Arriaga, in tract. *de Deo Uno*, diſp. 2. ſect. 3, docet ignorari poſſe invincibiliter Deum exiſtere; & in reſponſione ad ultimam objectionem ait illos qui Deum ſic ignorant, non æternâ, ſed temporali tantùm pœnâ mulctandos eſſe.

Bechefer, Remis Profeſſor, docuit anno 1660 exiſtentiam Dei poſſe à multis barbaris ignorari invincibiliter, eorumque peccata non eſſe theologica, nec pœnam mereri niſi temporalem, quâ exſolutâ, illi barbari in lymbis cum infantibus ſine baptiſmo mortuis in æternum victuri ſunt. Vide quintam Denuntiationem peccati philoſophici.

Anno 1670 Beguin eamdem doctrinam Remis aſſeruit; cùmque ſibi objeciſſet eâ doctrinâ plurima graviſſima peccata excuſatum iri, inter alia reſpondet eam forſitan ob cauſam multos infideles paſſuros non eſſe pœnam æternam ſenſûs, ſed carituros tantummodò viſione Dei beatificâ, ſicut infantes qui ſine baptiſmo è vivis exeunt.

Idem anno 1677 Remis dictavit Audry, de quo vide eamdem Denuntiationem.

Jacobus Platel, in Univerſitate Duacenâ Theologiæ Profeſſor, ſic loquitur in *Synopſi Curſûs Theologici* Duaci editâ anno 1678, tom. 2. part. 2. cap. 3. § 3. num. 189: „ Peccatum, quantùmvis graviter ratio„ ni repugnans, commiſſum ab invincibiliter ignorante, aut non ad„ vertente Deum eſſe, aut peccatis offendi, non eſt mortale. Cùm „ enim nullum, etiam virtualem & implicitum, Dei contemptum in„ cludat, ſtare poteſt cum caritate perfectâ & amicitiâ divinâ. Unde „ tale peccatum eſſet quidem grave gravitate philoſophicâ, præciſè ſitâ „ in repugnantia cum natura rationali, quâ tali, cujus conſideratio perti„ net ad Philoſophiam moralem, non tamen theologicâ conſiſtente in „ repugnantiâ cum lege & bonitate divinâ."

Eamdem doctrinam Lugduni tradidit anno 1686 de ſaint Legier. „ Peccatum purè philoſophicum, inquit, benè definitur actus liber cum „ advertentia ad diſconvenientiam cum natura rationali, & cum omni „ inadvertentia ad Dei legem." Et poſteà: „ Hujuſmodi peccatum eſſet „ quidem grave vel leve pro materiâ, non tamen eſſet Dei offenſa, „ neque eſſet mortale, dignum gravi odio Dei, nec pœnâ æternâ: ita „ de Lugo, Arriaga & alii." Et rurſum: „ Quodlibet philoſophicum „ grave eſt levius quolibet theologico. Hinc vel minimum veniale „ theo-

Digitized by Google

„ theologicum graviorem pœnam meretur, quàm quodlibet graviſſimum „ philoſophicum." Addit in ſecundâ concluſione *peccatum purè philoſophicum eſſe poſſibile*, ac veriſimile eſſe hujusmodi peccata à barbaris committi, quanquàm rariùs, quia, inquit, *non repugnat ut quis nullomodò advertat ad Deum Deique legem:* quæ certè ratio, ſi valeret, probaret peccata purè philoſophica non rara eſſe, ſed frequentiſſima.

Eodem anno alius Jeſuita, Camberii in Sabaudiâ Profeſſor, eisdem inſiſtens veſtigiis: „ Præmitto ſecundò, inquit, dari illud peccatum „ philoſophicum." Et poſteà: „ Si probari poſſet ignorantia pœnæ la-„ tæ per legem, non poſſet infligi homini, qui non poſuiſſet actionem, „ ſi ſciviſſet illam eſſe prohibitam ſub tali pœna." Erroremque erroribus cumulans: „ Cum peccato philoſophico, inquit, poteſt eſſe perfectus „ acceſſus, nempe amor ad Deum:" hujusque aſſerti iſtam rationem profert, quòd „ cum voluntate furandi centum aureos, in ignorante „ Deum invincibiliter, poteſt eſſe amor Dei perfectus." Quid id magis ſtupebimus, craſſam ne contradictionem, quâ ignorantia Dei & perfectus amor Dei in eodem homine ſimul junguntur, an cæcam mentis perverſitatem pœnalemque erroris progreſſum? Deinde ſibi objicit *rationem offenſæ Dei non eſſe quid ſeparabile à peccato purè morali;* ſicque reſpondet: „ Offenſa Dei, objectivè, materialiter & fundamentaliter „ ſumpta, non eſt ſeparabilis à peccato purè morali, concedo: for-„ maliter ſumpta, nego." Addit „ peccatum philoſophicum, quantùm-„ cunque creſcat, non æquare minimum veniale theologicum, quia „ ſunt diverſi ordinis:" id eſt, flagitia immaniſſima eorum qui Deum ignorant, vel ad ejus legem non attendunt, minora eſſe quàm levem impatientiam juſtorum, qui de Deo actu cogitant. „ Quâ verò pœnâ punietur (peccatum philoſophicum), non eſt noſtrum, inquit, divinare."

Eodem anno Franciscus Meunier idem propalavit in theſibus publicè propugnatis menſe Junio in Collegio Divionenſi, hisce verbis: „ Peccatum philoſophicum, ſeu morale, eſt actus humanus disconveniens „ naturæ rationali & rectæ rationi: theologicum verò & mortale eſt trans-„ greſſio libera legis divinæ. Philoſophicum, quantùmvis grave, in eo „ qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave pecca-„ tum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens ami-„ citiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum."

Anno 1688 Pugean, in theſibus, quas pariter publicas fecit, in Collegio Claromontano apud Arvernos propugnatis, ſic ait: „ Peccatum etiam „ grave philoſophicum, factum ſine advertentiâ ad Deum, non meretur „ pœnam æternam."

Anno ſequenti Beon ſequentem propoſitionem Maſſiliæ aſſeruit: „ Ego „ dico poſſe contingere ex triplici illo capite (ſive quia ignoratur Deus, „ ſive quia ignoratur quod peccatum ei diſpliceat, ſive denique quia non „ attenditur illa diſplicentia) ut non evadat offenſa mortalis, ſiatque

pec-

Digitized by Google

„ peccatum tantùm philoſophicum... Non eſt cur negetur dari in aliqui-
„ bus hominibus, putà pueris, rudibus, ſylvicolis, barbaris, &c."

Plures referre ſuperfluum eſt, cùm ex modò commemoratis manifeſtum ſit, longè ante theſim Divionenſem, Jeſuitas admiſiſſe peccatum philoſophicum, non tanquam hypotheſim metaphyſicam & impoſſibilem, ſed tanquam poſſibile ac reipſâ exiſtens.

Hujus doctrinæ denuntiato & condemnatio.

Tam abſurdum errorem in theſi Divionenſi deprehenſum primi omnium impugnaverunt Theologi Lovanienſes contrariis theſibus. Alterâ ex parte Jeſuitæ Lovanienſes ejusdem defenſionem ſusceperunt theſi publicâ, menſe Decembri 1688 propugnatâ, cujus hæc verba ſunt: „ Quamvis
„ exiſtentia Dei etiam populariter ſit demonſtrabilis, non modo tamen
„ non eſt propriè per ſe nota quoad nos, ſed etiam fieri poteſt ut ab
„ homine ordinariis tantùm divinæ gratiæ auxiliis prævento ignoretur
„ tantiſper inculpatè. Eripiant hoc nobis, ſi poſſunt, aſſertum philo-
„ ſophici Burgundiam usque perſecutores peccati, ſed non poterunt."

Tunc Antonius Arnaldus, Doctor Sorbonicus, quem acerrimum fidei morumque vindicem experti ſunt omnes ſanæ doctrinæ adverſarii, naſcentem illam hæreſim omnibus Eccleſiæ principibus ſcripto publico denuntiavit anno 1689, & in alterâ Denuntiatione paulò poſt in lucem emiſſâ quindecim alias theſes collegit & exhibuit, in quibus eamdem doctrinam Jeſuitæ in diverſis Europæ partibus aſſeruerant.

Debebant ſanè Jeſuitæ Lovanienſes adeò gravibus denuntiationibus commoniti reſipiſcere, theſimque Divionenſem propalàm damnare. Verùm è contrario in Arnaldum acriter invecti ſunt, erroremque ab eo denuntiatum maximâ ex parte retinuerunt. Qui verò Pariſiis agebant Jeſuitæ, meliùs conſulti, epiſtolâ in publicum emiſſâ declararunt ſe univerſamque Societatem, non minùs quàm ipſum Denuntiatorem, doctrinam peccati philoſophici reipſâ exiſtentis deteſtari; ſed, damnato theſis textu, prout jacebat, mentem Profeſſoris ex ipſius dictatis defendere conati ſunt; quaſi theſis publica ex codicibus latebroſis exponi deberet. Auctor ipſe, omnium ordinum indignatione commotus & oppreſſus ſcripto publico, teſtatus eſt, adhibito etiam juramento, peccatum philoſophicum à ſe traditum fuiſſe duntaxat ut hypotheſim impoſſibilem, non autem ut reipſâ exiſtens aut poſſibile. Quid ſit de illius internâ mente, cujus judicium apud Deum cordium ſcrutatorem ſit, ab aliis certè plurimis Jeſuitis peccatum philoſophicum, non tanquàm meram hypotheſim, ſed tanquàm reipſâ exiſtens, propoſitum atque aſſertum fuiſſe, manifeſtè demonſtrant quæ ex illis modò allata ſunt. Vide hâc de re quintam Denuntiationem Arnaldi.

Quamvis Jeſuitæ videri vellent adeò nefandum errorem ſuo in ſinu natum à ſe amoliri, nihilominùs apud S. Pontificem & Cardinales libello ſupplici adverſus Denuntiatorem expoſtularunt, theſisque auctorem purgare conati ſunt, eoquòd Cardinalem de Lugo (qui & ipſe Jeſuita fuerat) ducem ſecutus fuiſſet. Verùm ſuis artibus effugere non potuerunt

 quo-

quominùs Alexander VIII, decreto dato 24 Auguſti 1690, theſim Divionenſem [unà cum altera theſi à Jeſuitis Pontimuſſanis anno 1689 propugnata, ſub hâc verborum formâ: *Hunc* (finem ultimum, Deum ſcilicet) *non tenetur homo diligere toto vitæ ſuæ tempore*] damnaverit tanquam *ſcandaloſam*, *temerariam*, *piarum aurium offenſivam & erroneam.*

Iſtud decretum venerari ſe finxerunt Jeſuitæ, ita tamen ut proſcriptum errorem non niſi ſpecietenùs deſeruerint, reipſâ autem tueri perrexerint. Id manifeſtè patet ex Theologiâ Morali Claudii de la Croix, cujus in omnibus ipſorum Collegiis, dum extitit Societas, præcipuus uſus fuit, quamque idcircò multoties typis edi curaverunt. Sic ille decretum Apoſtolicum explicat tom. 2. pag. 12. §. 8: „ Propoſitio (ab Alexandro VIII „ damnata) juſtè damnata eſt: 1°. Quia non diſtinguit inter ignorantiam „ & inadvertentiam vincibilem aut invincibilem Dei, & de utrâque æqualiter intelligi poteſt. 2°. Quia abſolutè dicit peccatum purè philoſo„ phicum non eſſe offenſam Dei, cùm tamen ſemper ſit offenſa Dei, „ ſaltem materialis... Unde ſi propoſitio ſic limitaretur: *Philoſophicum*, „ *quantùmvis grave, in eo qui Deum vel ignorat invincibiliter, vel de Deo* „ *actu non cogitat inculpabiliter, ne quidem tenuiter & remiſsè, eſt grave* „ *peccatum philoſophicum, ſed non eſt formalis offenſa Dei, neque peccatum* „ *mortale theologicum, diſſolvens amicitiam Dei, neque pœnâ æternâ dignum*: „ ſi, inquam, ſic limitaretur, eſſet longè alia propoſitio, nec mereretur „ cenſuram." Decretum autem hoc modo exponere, quid aliud eſt, quàm ludificari, ſummiſque Pontificibus & Eccleſiæ turpiter illudere?

Cæterùm, quanquam infamem illum errorem crudè & expreſſis verbis tueri non auſi ſunt Jeſuitæ, exitioſis tamen principiis, è quibus derivatur, pertinaciter inhæſerunt. Conſtanter namque docuerunt, ad peccandum peccato formali, requiri ut cognoſcatur & actu advertatur actionis malitia; libertatem ad merendum & ad demerendum neceſſariam ſtare non poſſe, niſi actu adſint omnia requiſita ad agendum & ad non agendum; peccata juſtè imputari non poſſe, niſi præſtò fuerit auxilium gratiæ Moliniano ſenſu ſufficiens ad ea vitanda; ignorari poſſe invincibiliter exiſtere Deum &c.; quæ certè quandiu ſtabunt, peccati philoſophici portentum in ſuâ ſaltem radice vivet.

Quæ ſuperiùs de ignorantia juris naturalis dicta & probata ſunt, abundè profectò ſufficiunt ad amputandum novum iſtum erroris ſurculum: abſre tamen non erit peculiaribus argumentis illum funditus evertere.

PRO-

P R O P O S I T I O.

Doctrina Peccati Philoſophici ſummo cum horrore rejicienda eſt.

PRIMÒ namque apertè repugnat Scripturæ ſacræ, quæ expreſſè docet ignorantiam Dei non efficere ut Deus peccatis non offendatur. Pſalm. LXXVIII. 11: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt.* Rom. I. 9: *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm & Græci*, id eſt, ſive cognoſcentis, ſive ignorantis Deum. Pſalmo XIII & LII: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Quid verò inde conſequitur? Num ab illo inſipiente Deum non offendi formaliter, nec peccari theologicè? Abſit. Immo, inquit Propheta Regius, *corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.*

Docet etiam ſcriptura divina ad offenſam Dei minimè requiri, ut de Deo ejuſque lege inter peccandum cogitetur. Pſalm IX: *Non eſt Deus in conſpectu ejus; inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore: auferuntur judicia tua à facie ejus*: & Pſalm XLIX. 24: *Intelligite hæc qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.* Igitur oblivio Dei, nedum tollat aut minuat offenſam Dei, illam auget potiùs, vindictamque cumulat: hinc non excuſantur, ſed graviùs arguuntur ſenes illi ſpurciſſimi; de quibus dicitur Danielis XIII. 9: *Declinaverunt oculos ſuos ne viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum.*

II°. Non minùs apertè repugnat Traditioni. Non tantùm enim SS. Patribus planè ignotum fuit iſtud doctrinæ monſtrum, quod tamen ſatis eſt ad illud explodendum, ſed etiam doctrinæ ab illis unanimi conſenſu traditæ penitùs adverſatur. Omnium inſtar erit S. Auguſtinus lib. 13. de Trinitate, cap. 10. num. 14, ubi, commemoratis his Apoſtoli verbis: *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus*, ſic concludit: „ Non ergo ante iſtam gratiam quoquo modo peccatores, ſed in „ talibus peccatis fuimus, ut inimici eſſemus Dei.“ Ibi agitur de hominibus gratiâ & fide deſtitutis, quales fuerunt gentes antę adventum Chriſti, id eſt, de illis qui, juxta Jeſuitas, potuerunt ignorare Deum inculpatè; docetque S. Doctor, poſt Apoſtolum, illos fuiſſe *inimicos Dei*, ac proinde illorum peccata talia fuiſſe, ut eſſent offenſa Dei. Rom. V. 10.

III°. Repugnat certiſſimis fidei Chriſtinæ dogmatibus. 1°. Fides docet omnes homines aſtituros ante tribunal Chriſti, & in duas tantùm claſſes diſtinguendos: alios ad dextram poſitos, vitâ æternâ fruituros; alios ad lævam collocatos, igne æterno cum diabolo & angelis ejus arſuros. Nullus relinquitur locus medius peccatoribus purè philoſophicis. 2°. Fides do-

docet omnes qui crimina admiſerint, nec pœnitentiam egerint, ſupplicio gehennæ plectendos eſſe. Apocal. XXI. 8: *Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure.* Nullos profectò excipit ſermo divinus, qui philoſophicè tantùm illa crimina commiſerint. 3°. Fides docet neminem hujuſmodi criminum reum intraturum in regnum cælorum. Contrarium verò ſequitur ex doctrinâ peccati philoſophici. Enimverò ſupponamus infantem baptizatum, ſtatim apud barbaros tranſlatum & educatum, omnia flagitiorum genera abſque ullâ Dei cognitione perpetrare. Ille homo in Philoſophiſtarum principiis Deum non offendet formaliter, utpote quem non cognoſcit, & de quo nullatenùs cogitat; omnia illius ſcelera purè philoſophica non diſſolvunt ejus cum Deo amicitiam per baptiſmum comparatam; non peccat mortaliter, retinetque innocentiam baptiſmalem; adeòque in regno Dei cum ſanctis, piis & mundis corde collocabitur, quamvis flagitioſiſſimus, impiiſſimus & impuriſſimus. 4°. Fides docet dari peccata omiſſionis mortalia, quæ ſine ullo voluntatis actu, abſque ullâ rationis advertentiâ contingunt, ut docet S. Thomas 1. 2. quæſt. 71. art. 5. Atqui evidens eſt hujuſmodi peccata nullam habere adjunctam advertentiam ad legem divinam: v. g. omiſſio illius qui ludo, libidinibus, comeſſationibus totus vacans, nullomodò cogitat de audiendo ſacro, aliove quovis officio implendo, Deum minimè offendit, peccatumque aut nullum erit, aut purè philoſophicum, nec mortale. 5°. Fides docet perſecutores Chriſtianorum æterno igne puniendos eſſe. *Si quis non receperit vos*, ait Chriſtus, Matth. X & Luc. IX, *dico vobis*, *tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii*, *quàm illi civitati.* Porro qui Apoſtolos non receperunt aut perſecuti ſunt, adeò non ſciebant ſe offendere Deum, ut è contrario arbitrarentur obſequium ſe præſtare Deo.

IV°. Ea doctrina eò tendit, ut à peccato mortali eximat omnia flagitia quæ ab Atheis, ab Epicureis, ab impiis fiunt. Illi quippe omnes, quando peccant, minimè attendunt ad legem Dei, quem aut nullum eſſe, aut nihil præcipere, reſque humanas non curare ſibi fingunt. A peccato quoque mortali pariter abſolventur omnes qui peccandi conſuetudine ita obduruerunt, ut bibant ſicut aquam iniquitatem, divinorumque judiciorum non recordentur ampliùs. Quamvis enim in eo culpandi ſint, quòd in hujuſmodi ſtatum ſe conjecerint, in illo tamen jam poſiti non ampliùs peccarent lethaliter. Hinc, ſi poſtmodùm gratiæ dono reſipiſcerent, non tenerentur, ſtando Philoſophiſtarum principiis, crimina ſua plangere & confiteri, niſi ea committendo ad Deum divinaſque leges attendiſſent. Deberent quoque confeſſarii illâ doctrinâ imbuti ſedulò quærere à pœnitentibus, utrùm, quo tempore atrocia ſcelera perpetrarunt, de Deo ejuſque lege actu cogitaverint, inſontes illos pronuntiaturi qui non attenderint. Tam horrenda conſectaria quis non exhorreſcat?

Nec

Nec dicant Philoſophiſtæ, ut harum conſecutionum infamiam declinent, peccatum philoſophicum à ſe non admitti, niſi in eis qui Deum ignorant invincibiliter, vel de illo non cogitant inculpatè; hujuſmodi autem homines aut nullos eſſe, aut certè pauciſſimos. Nam etiamſi de paucis tantùm id concederent, talem doctrinæ perverſitatem quænam aures Chriſtianæ ferre poſſent? Verùm ſi ſuis principiis ſtare velint Jeſuitæ, non poſſunt ignorantiam Dei invincibilem non admittere in plurimis barbaris & ſylvicolis, qui nullos magiſtros habent, neque alia media verè ſufficientia, quibus ad Dei notitiam facilè aſſurgere valeant.

V°. Eadem doctrina ſecum ipſa pugnat. Nam illius aſſertores unâ ex parte dicunt peccatum quod vocant philoſophicum non eſſe mortale, nec pœna æternâ dignum; ex alterâ verò parte confitentur peccatores philoſophicos extorres eſſe à regno Dei, quæ pœna ſempiterna eſt. Contendunt peccato philoſophico Deum non offendi, quod ſupponit iſtiusmodi peccatum non includere averſionem à Deo; & tamen fatentur illius peccati reos privari viſione Dei, quamvis, juxta S. Thomam, 1. 2. quæſt. 87. art. 4. in corp., & cæteros omnes Theologos, quemadmodùm pœna ſenſûs peccato debetur, prout eſt converſio ad creaturas, ita pœna damni, ſeu privatio viſionis beatificæ debetur peccato, prout eſt averſio à Deo.

VI°. Ad peccatum mortale, quod ſit vera offenſa Dei, ſufficit ut libera voluntate committatur in materiâ gravi. Atqui peccatum quod philoſophicum appellant liberâ voluntate committitur. Neque enim ad actum liberum requiritur ut agens attendat ad omnia, quæ illum ab agendo retrahere poſſent; ſed ſatis eſt quòd poſſit ac debeat ad illa attendere, & ſuâ culpâ non attendat. Atqui, licet homo non cognoſcat legem Dei, vel ad eam actu non attendat, ſemper tamen poteſt illam cognoſcere & ad illam attendere. Ergo ejuſmodi peccatum eâ omni cum libertate committitur, quæ ſufficit ad offendendum Deum, peccandumque mortaliter.

VII°. Illud non impedit quominùs peccatum ſit offenſa Dei, quod per ſeipſum Deum offendit: atqui ignorantia & oblivio divinæ legis in homine rationis compote per ſeipſam Deum offendit; quandoquidem æternâ Dei lege jubemur Deum noſſe, &, quæ præcepit, illa cogitare ſemper; quod profectò, ſi impoſſibile eſſet, non juberemur.

VIII°. Denique ea doctrina ſummo cum horrore rejici debet, quæ, ſimul atque per Arnaldi denuntiationem Eccleſiæ innotuit, omnium ordinum offenſionem & indignationem excitavit, quæ à Sede Apoſtolicâ ſtatim damnata eſt, & ab ipſis auctoribus, ſaltem ſpecietenùs, ejurata. Summo igitur cum horrore rejicienda eſt; adeòque rejici pariter debent omnia aſſerta ex quibus ſponte fluit.

Objiciunt. S. Thomas, 1. 2. quæſt. 71. art. 6. ad 5um, ait „ à Theologis conſiderari peccatum præcipuè ſecundùm quòd eſt offenſa contra „ Deum, à Philoſopho autem morali ſecundùm quòd contrariatur ra- „ tioni.“

Digitized by Google

„ tioni.“ Et 2. 2. quæſt. 20. art. 3: „ Si, inquit, poſſet eſſe converſio ad bonum commutabile ſine averſione à Deo, quamvis eſſet inordinata, non eſſet peccatum mortale.“

Reſpondeo nihil eſſe in illis textibus quod faveat errori quem impugnamus. Primus docet tantummodò in omni peccato reſpectûm duplicem conſiderari poſſe, unum ſcilicet ſub quo divinæ legi, alterum ſub quo ſanæ rationi adverſatur, quod veriſſimum eſſe nemo ambigit; ſed non docet unum reſpectum poſſe exiſtere ſine altero, ſeu peccato quod adverſatur rectæ rationi poſſe non offendi Deum. In ſecundo autem Angelicus Doctor loquitur in hypotheſi impoſſibili, ut oſtendat gravitatem peccati mortalis magis repeti ex averſione à Deo, quam includit, quàm ex converſione ad creaturas; modusque loquendi conditionatus, quo utitur, ſatis demonſtrat converſionem ad creaturas in ipſius mente nunquam non habere conjunctam averſionem à Deo.

CAPUT TERTIUM.

De Concupiſcentiâ, quæ eſt altera pœnalitas peccati originalis.

Concupiſcentiæ vulnus omnium graviſſimum.

NIHIL magis demonſtrat quouſque per peccatum originale humana natura depravata fuerit, quàm concupiſcentiæ vulnus, quæ ſibi conſentientes in omne flagitiorum genus trahit, reſiſtentes autem continuâ pugnâ fatigat. Quamvis enim multùm deflenda ſit ignorantiæ cæcitas, pejor tamen eſt pruritus libidinis, quia, ut ait S. Auguſtinus lib. 6 *contra Julianum*, cap. 16. num. 50: „ Ignorantia ſine concupiſcentiâ minùs peccat, concupiſcentia verò ſine ignorautiâ graviùs peccat, & neſcire malum non ſemper eſt malum, concupiſcere autem malum, ſemper eſt malum.“

Hujus morbi vim & amplitudinem eleganter deſcribit S. Bernardus, Serm. 28 de Diverſis, num. 4. „ Quid verò, inquit, in homine purum „ ab hac maculâ, immune ab hoc contagio poterit inveniri? Ab intùs manat, de corde exit peſtiferum virus, & deinceps corpus occupat univerſum: mentem deſideriis afficit, membra illecebris inficit. Inde „ pruritus aurium, oculorum petulantia, inde olfaciendi voluptas, inde „ in faucibus tam inordinata delectatio, inde in univerſo corpore mollitiei ſenſus, & libido perniciosa tangendi: inde intùs in anima ebrietas illa deſideriorum, & fornax quædam ambitionis, avaritiæ, invidiæ, contumaciæ, nequitiæ, & omnium denique vitiorum affectibus „ vehementer accenſa. Quot enim corpus illecebras, quot oblectamen-

„ ta

Digitized by Google

„ ta mundus habere videtur, tot patitur tribulationes, tot ſuſtinet tentationes vir juſtus." Et num. 5: „ Huic ergo tam multifariæ peſti „ per ſingula quæque reſiſtere, quàm multiplex tribulatio! A plantâ pedis usque ad verticem non eſt in me ſanitas. Totum infecit concupiſcentia. Lex peccati in membris omnibus invenitur, undique per feneſtras mors intrare contendit, & intus fomes totius nequitiæ periculoſiùs ſævit, crudeliùs malignatur."

Quæcunque de hoc vulnere Chriſtiana fides docet, his ce verbis complexus eſt S. Auguſtinus, lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 4: „ Concupiſcentia, tanquam lex peccati manens in membris corporis „ mortis hujus, cum parvulis naſcitur, in parvulis baptizatis à reatu „ ſolvitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nullâ damnatione proſequitur: parvulos non baptizatos reos innectit, & tanquam iræ filios, etiamſi parvuli moriantur, ad condemnationem trahit: in grandibus autem baptizatis, in quibus jam ratione utentibus „ quidquid eidem concupiſcentiæ mens ad peccandum conſentit, propriæ „ voluntatis eſt, deletis peccatis omnibus, ſoluto etiam reatu, quo „ vinctos originaliter detinebat, ad agonem interim manet, non ſibi „ ad illicita conſentientibus nihil omnino nocitura, donec abſorbeatur „ mors in victoriam, &, pace perfectâ, nihil quod vincatur exiſtat."

Quæ hic S. Doctor ſummatim recenſet, partim in præcedentibus tractavimus, partim nunc afferenda ſunt. Quatuor autem remanent diſquirenda: primum quid ſit concupiſcentia; ſecundum, an concupiſcentia peccatum ſit in renatis qui ei non conſentiunt; tertium, an ex ſe mala & inordinata ſit; quartum, an licitum ſit in aliquibus ei obſequi, ejusque actibus frui.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid ſit concupiſcentia.

Cum in omni diſputatione imprimis ſcire oporteat quâ de re agatur, id imprimis neceſſe eſt, ubi de concupiscentiâ diſſeritur; quia, licet vocabulum in omnium ore unum & idem ſit, res tamen eo ſignificata paucis diſtinctè cognita eſt.

Concupiscentia generatim idem eſt ac deſiderium & appetitus. Sumitur quandoque in bonam partem, ut Pſalmo CXVIII: *Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas;* Sapient. VI: *Concupiscentia ſapientiæ deducit*

cit ad regnum perpetuum; Pſalmo LXXXIII: *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini*, & aliis in locis. Verùm S. Auguſtinus obſervat lib. 14. de Civitate Dei, cap. 7. num. 2, „ hoc loquendi obtinuiſſe con- „ ſuetudinem, ut, ſi cupiditas vel concupiscentia dicatur, nec addatur „ cujus rei ſit, non niſi in malo poſſit intelligi," ſignificatque appetitum mali, vel non rectum appetitum boni.

Concupiſcentia vulgò definitur inclinatio ſeu pronitas in res ſenſibiles; ſed hæc definitio non convenit omni concupiſcentiæ. Non enim ad ſolas res ſenſibiles fertur concupiſcentia, ſed & ad creata quælibet, ut modò dicetur. Quamobrem rectiùs definiri poteſt appetitus inordinatus, inclinans ad quærendam delectationem ſeu beatitudinem ſuam in creaturis quibuslibet, eisque fruendum.

Concupiſcentiam diligenter ſecernere oportet à ſenſibus. Senſus quippe vigebant in ſtatu innocentiæ, à quo tamen aberat omnis concupiscentia. Audiamus S. Auguſtinum, qui de hâc materiâ copioſiſſimè & accuratiſſimè diſſeruit. „ Ignoras, inquit lib. 4 *contra Julianum*, cap. 14, „ num. 65, vel ignorare te fingis, per quemlibet ſenſum aliud eſſe „ ſentiendi vivacitatem, vel utilitatem, vel neceſſitatem, & aliud ſen- „ tiendi libidinem. Vivacitas ſentiendi eſt quâ alius magis, alius mi- „ nus in ipſis corporalibus rebus, pro earum modo atque naturâ, quod „ verum eſt percipit, atque id à falſo magis minùsve diſcernit." Hæc autem ſentiendi vivacitas tantò major eſt, quantò natura ipſa ſanior. „ Utilitas ſentiendi eſt, per quam corpori vitæque quam gerimus, ad „ aliquid approbandum vel improbandum, ſumendum vel rejiciendum, „ appetendum vitandumve, conſulimus." Per hanc ab amaris dulcia, à nocivis ſalubria ſecernuntur, eaque tantò plenior fuit in homine innocente, quantò ipſe beatior & integrior. „ Neceſſitas ſentiendi eſt, quan- „ do ſenſibus noſtris etiam ea quæ nolumus ingeruntur." Iſta ſentiendi neceſſitas, quâ moleſta & injucunda ferre ſæpè cogimur, abſuit à ſtatu innocentiæ, pœnaque eſt peccati. „ Libido autem ſentiendi, per- „ git S. Doctor, eſt de quâ nunc agimus, quæ nos ad ſentiendum, ſi- „ ve conſentientes mente, ſive repugnantes, appetitu carnalis volupta- „ tis impellit..... Non enim ait Dominus: qui viderit mulierem, ſed „ *qui viderit ad concupiſcendum, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Ec- „ ce ſenſum videndi à libidine ſentiendi, ſi pervicax non es, breviter „ apertèque diſcrevit. Illud Deus condidit inſtruendo corpus huma- „ num, illud diabolus ſeminavit perſuadendo peccatum." Et lib. 4 *Op. imperf.* cap. 29: „ Alia eſt, ait, vis ſentiendi, aliud eſt vitium „ concupiſcendi. Diſcerne iſta diligenter: noli errare difformiter."

Diſtingui pariter debet concupiſcentia ab appetitibus naturalibus. Quamvis enim appetitus naturales non ſint rationales, ut pote qui non ad mentem, ſed ad inferiores animæ vires pertineant, non tamen ex ſe rationi repugnant; immò per rationem ad aliquid honeſtum & na-

naturæ conſentaneum dirigi poſſunt. Exempli cauſâ, appetitus vitam conſervandi, comedendi, bibendi, dormiendi, quando opus eſt, ex ſe boni ſunt, ad corporis ſuſtentationem utiles, atque etiam neceſſarii. Concupiſcentia è contrario rationi repugnat, tum quia non ſolùm licita & utilia appetit, ſed etiam ſuperflua, illicita, turpia; tum quia ea ipſa quæ licita ſunt, non moderatè & quantùm neceſſitati ſatis eſt, ſed immodicè, inordinatè, & propter ipſam fruendi delectationem appetit. Hinc vaga, inquieta, importuna, inexplebilis voluntatem indecenter prorîtat, rationem prævenit, illius imperio reluctatur, modum excedit, nec dicit unquàm, ſufficit: demum in prava quæque impellit, niſi adverſùs eam ſpiritus fortiùs concupiſcat.

Denique concupiſcentia confundi non debet cum voluptatis ſenſu, quem ex rebus corpori reficiendo congruis percipimus, quamvis voluptatis nomine interdum deſignetur. Nam ſenſus ille voluptatis, quem ex cibo, ex potu, ex odoribus, ex ſonis deguſtamus, etſi in ſtatu innocentiæ aut nullus, aut non talis fuit, qualis nunc eſt (de quo alibi diximus), tamen ſi ab illo ſecludatur libido fruendi, non habet propriè rationem concupiſcentiæ. Reverâ, quamvis in ſene libidinoſo ipſa concupiſcentia creſcat, ſenſus tamen voluptatis minuitur & hebetatur, qui contra in juvene caſto & ſobrio vividior eſt, licet in ipſo concupiſcentia ſeu libido minor ſit.

Supra diſſert. 1. quæſt. 2. pag. 16 & 17.

Hoc vitium multis aliis nominibus exprimitur in ſcripturâ & à ſanctis Patribus.

Varia concupiſcentiæ nomina.

1°. Dicitur *caro*, tum quia ex corporis corruptione & inordinatione magna ex parte oritur, tum quia ad res terrenas & corporeas plerùmque impellit. Sub hâc autem denominatione opponitur ſpiritui.

2°. Dicitur *libido*, quia per illam malè libent quæ non licent. *Libido* namque in malam partem accipi ſolet, quo fit ut Julianus acer concupiſcentiæ patronus illam denominationem valde effugerit. „ Sine dubio, ait auctor *Hypognoſticon*, lib. 4. cap. 2, „ à libendo, id eſt, à libitu „ per derivationem libido eſt nuncupata.... Non omne quod libet libi„ do eſt, ſed omne quod malè libet libido eſt. In bono enim libitu „ libido dici non poteſt, ſed voluntas...... In malo verò libitu non vo„ luntas eſt, ſed voluptas, quam fecit tranſgrediens protoplaſti volun„ tas."

3°. Dicitur *cupiditas*. Differt autem cupiditas à deſiderio, eoquòd deſiderium in bono & in malo ſumatur, cupiditas autem in malo duntaxat, niſi aliquid addatur quo determinetur ad ſignificandum boni deſiderium.

4°. Dicitur ab Apoſtolo *peccatum*, tum quia ex ſe mala & vitioſa eſt, tum quia ex *peccato facta eſt*, *appetitque peccare*, filia peccati & peccatorum mater, ut ſæpiſſimè loquitur S. Auguſtinus. Nullum quippe peccatum ab hominibus nunc committitur, quod illa non ſeminaverit. „ Hoc nomine peccati (Apoſtolus) appellat, inquit S. Doctor,

Digitized by Google

Al. Serm. 6. de Verbis Apoſto-li.

„ Serm. 155. cap. 1, unde oriuntur omnia peccata, id eſt, ex carnali „ concupiſcentiâ. Quidquid enim eſt peccatorum in dictis, in factis, „ in cogitationibus, non exoriuntur niſi ex malâ cupiditate, non exo-„ riuntur niſi ex illicitâ delectatione." Et lib. *de Spiritu & litterâ*, cap. 4. num. 5: „ Neque enim ullum peccatum niſi concupiſcendo com-„ mittitur." Vide etiam librum *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 21. num. 44.

5°. Dicitur ab eodem Apoſtolo *lex peccati*, quia, ſicut lex aliquid jubet & facere compellit, ita concupiſcentia ſuadet peccata, atque, ut ita dixerim, jubet, ut ait S. Auguſtinus lib. 1 *Oper. imperf.* cap. 71.

6°. Ab eodem dicitur *lex membrorum*, eoquòd in ipſis corporis noſtri membris graſſetur, eaque contra rationem & præter voluntatem inde-center moveat. Juſto enim Dei judicio hominis inobedientiæ reciproca pœna retributa eſt, ut rationi, quæ Deo obtemperare noluit, corpus ſuum non obtemperet.

7°. Dicitur *fomes peccati*, quia frequentiſſimè in peccandi deſideria prorumpit, impeditque ne quiſquam hominum in terris peccati expers vivat.

8°. Dicitur *voluptas*, quia voluptatis carnalis dulcedine potiſſimùm allicit ad fruendum rebus creatis. Hoc in ſenſu voluptatem accipit S. Auguſtinus lib. 10 *Confeſſionum*, cap. 31. num. 44. „ Dum, inquit, „ ad quietem ſatietatis ex indigentiæ moleſtiâ tranſeo, in ipſo tranſitu „ mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ. Ipſe enim tranſitus voluptas „ eſt, ... & cùm ſalus ſit cauſa edendi & bibendi, adjungit ſe, tan-„ quam pediſſequa, periculoſa jucunditas, & plerumque præire conatur, „ ut ejus cauſâ fiat quod ſalutis cauſâ me facere vel dico, vel volo. „ Nec idem modus utriuſque eſt: nam quod ſaluti ſatis eſt, delecta-„ tioni parum eſt." Hoc in textu promiſcuè ſumuntur *concupiſcentia*, *vo-luptas*, *jucunditas* & *delectatio*.

Subjectum concupiſcen-tiæ.

Concupiſcentiæ ſubjectum non voluntas eſt rationalis, niſi per acci-dens, quando ſcilicet, accedente voluntatis conſenſu, concupiſcentia vo-luntaria eſt & deliberata; ſed ea facultas animæ quam inferiorem vo-cant. Quamobrem minus rectè illam definieris amorem rerum creata-rum, niſi addas, *amorem indeliberatum*. Amor enim ſimpliciter dictus ſignificat affectus deliberatos & liberos: concupiscentia verò eſt paſſio, im-pulſio, inclinatio, pronitas ad fruendum rebus creatis.

Concupiſcen-tia alia per-manens, alia actualis & tranſiens.

Concupiſcentia non eſt actus aliquis tranſiens, ſed manet in homine ad modum habituum, qui nobis inhærent etiam non operantibus. Hinc S. Auguſtinus, lib. 1 *de Doctrinâ Chriſtianâ*, cap. 24, illam appellat *con-ſuetudines & inclinationes animæ ad fruendum inferioribus*; & lib. *Octo-ginta trium Quæſtionum*, quæſt. 70, *carnalem conſuetudinem*, *quæ reſiſ-tit bonæ voluntati delectatione bonorum temporalium fruendorum.*

Ex concupiscentiâ autem permanente naſcuntur motus tranſeuntes, qui dici poſſunt concupiscentia actualis, & diſtinguuntur à concupiscentiâ per-

Digitized by Google

permanente, ſicut actus boni vel mali ab habitibus bonis vel malis ex quibus profluunt. Id præclarè explicat S. Auguſtinus lib. 6 *Contra Julianum*, cap. 19. num. 60. „ Quiddam tale eſt carnis concupiſcentia, in-„ quit, ut maneat in homine ſecum per continentiam confligente.... „ Actu enim manet, non quidem abſtrahendo & illiciendo mentem, ejus-„ que conſenſu concipiendo & pariendo peccata; ſed mala, quibus mens „ reſiſtat, deſideria commovendo. Ipſe quippe motus actus eſt ejus, „ quamvis, mente non conſentiente, deſit effectus. Ineſt enim homini „ malum, & præter iſtum actum, id eſt, præter hunc motum, unde „ ſurgit hic motus, quem motum dicimus deſiderium. Non enim ſem-„ per eſt deſiderium contra quod pugnemus; ſed ſi tunc non eſt, quan-„ do non occurrit quod concupiſcatur, ſive animo cogitantis, ſive ſen-„ ſibus corporis, fieri poteſt ut inſit qualitas mala, ſed nullâ ſit tenta-„ tione commota; ſicut ineſt timiditas homini timido, & quando non „ timet." Utramque concupiſcentiam, & permanentem & actualem, apertè diſtinguit Apoſtolus Rom. VII, cùm dicit *peccatum*, id eſt, concupiſcentiam permanentem, *occaſione acceptâ per mandatum*, *operatum eſſe omnem concupiſcentiam*, id eſt, quælibet actualia deſideria peccatorum.

Itaque concupiſcentia vel eſt permanens, vel actualis & tranſiens: utraque vel eſt voluntaria vel involuntaria: involuntaria non eſt peccatum propriè dictum; voluntaria autem peccatum eſt aut habituale, aut actuale, ut ex dicendis poſteà ampliùs patebit.

Quemadmodùm autem concupiſcentia permanens adjunctam ſemper habet pravam affectionem corpori inhærentem, ita motus ejus actuales plerumque comitatur actualis quædam corporis immutatio carnaliſque delectatio. Quamobrem concupiſcentia duplicem includit delectationem, unam internam, quæ ex re concupitâ percipitur, alteram externam, quæ conſiſtit in corporis inordinatione & quaſi titillatione.

Manichæi, teſte S. Auguſtino, lib. *de Hæreſibus*, hæreſi 46, & alibi paſſim, contenderunt „ carnalem concupiſcentiam non ex vitiatâ in pri-„ mo homine naturâ nobis ineſſe infirmitatem, ſed ſubſtantiam eſſe con-„ trariam ſic nobis adhærentem, ut, quando liberamur & purgamur, ſe-„ paretur à nobis, & in ſuâ naturâ ipſa immortaliter vivat; eaſque duas „ animas vel duas mentes, unam bonam, alteram malam, in uno ho-„ mine habere inter ſe conflictum, quando caro concupiſcit adverſùs ſpi-„ ritum & ſpiritus adverſùs carnem." Hoc deliramentum multis in locis confutavit S. Doctor, oſtenditque concupiſcentiam non eſſe ſubſtantiam ſeu naturam poſitivam, ſed naturæ bonæ ægritudinem & vitium ex peccato natum. *Error Manichæorum de concupiſcentiâ.*

Quamvis concupiſcentia formaliter conſiderata ſit merus defectus & inordinatio, ſupponit tamen poſitivum aliquid, quod conſideratur ut materiale ipſius, ſcilicet converſionem ad creaturas; & ſub hoc reſpectu augetur in peccantibus, & minuitur in juſtis proficientibus, ut obſervat S. Augus- *Quid materiale, quid formale ſit in concupiſcentiâ.*

Digitized by Google

tinus lib. 1. *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 25. num. 28. „ Quæ ta- „ men concupiſcentia, inquit, quotidie minuitur in proficientibus & „ continentibus, accedente etiam ſenectute multò maximè. Qui verò ei „ nequiter ſerviunt, tantas in eis vires accipit, ut plerumque, jam ætate „ deficientibus membris,... turpiùs & procaciùs inſanire non deſinat.“ Et lib. 6. *Contra Julianum*, cap. 18. num. 56, exponens quo pacto iſtud incrementum & decrementum fieri intelligatur: „ An non, inquit, per „ concupiſcentiam caſtitatis & continentiæ quotidie carnis concupiſcen- „ tia magis magiſque minuitur? ..... Provectu concupiſcentiæ bonæ, „ quâ concupiſcentias malas.... debellat, talis efficitur (baptizatus), qua- „ lis recenti converſione nondum fuit, ut illorum in eo deſideria pecca- „ torum minùs minùſque moveantur.... Unde, obſecro, niſi quia bona „ qualitas aucta, & mala minuta eſt? Auctum eſt igitur quo bonus eſſe „ cœpit; minutum eſt quo malus fuit.“ Et cap. 16. num. 50: „ Ignoran- „ tia minuitur veritate magis magiſque lucente: concupiſcentia minui- „ tur caritate magis magiſque fervente.“

Concupiſcentiæ objectum. Superiùs dictum eſt objectum concupiſcentiæ eſſe creatum quodlibet propter ſe appetendum. Sed iſtud ampliori expoſitione ac probatione indiget. S. Paulus inter *opera carnis*, id eſt, concupiſcentiæ, non ſolas recenſet voluptates ſenſibiles, quales ſunt *fornicatio*, *immunditia*, *luxuria impudicitia*, *ebrietas*, *comeſſationes*; ſed etiam vitia ſpiritualia, videlicet *idolorum ſervitutem*, *inimicitias*, *contentiones*, *æmulationes*, *iras*, *rixas*, *invidias*, *diſſenſiones*, *ſectas* &c. 1 Corinth. III: *Cùm ſit*, inquit, *inter vos zelus & contentio*, *nonne carnales eſtis?* Rom. VII, concupiſcentiam, quam *legem peccati* appellat, opponit legi Dei, hoc ipſo innuens, ſicut objectum divinæ legis eſt omne quod bonum & juſtum eſt, ita concupiſcentiæ objectum eſſe omne quod malum, inordinatum & legi Dei contrarium eſt. Aliis plurimis in locis carnem, id eſt, concupiſcentiam opponit ſpiritui, ut ſignificet eam non minùs latè patere in malo, quàm ſpiritum in bono, atque ad eam pertinere quodcunque non eſt ex ſpiritu.

S. Jacobus, Epiſtolæ ſuæ cap. I, docet unumquemque, *cùm tentatur*, *tentari à concupiſcentiâ ſuâ*; unde manifeſtè ſequitur concupiſcentiam ad omnia quæ fiunt peccata impellere, & in omni tentatione inveniri.

Cujuslibet creaturæ propter ſe amorem ad concupiſcentiam conſtantiſſimè refert S. Auguſtinus. Sic v. g. lib. 1. *de Doctrinâ Chriſtianâ*, cap. 124, illam definit *inclinationem animæ ad fruendum inferioribus*: & lib. *de Mendacio*, cap. 7. num. 10: „ Libido ipſa, inquit, rectè definitur „ appetitus animi, quo æternis bonis quælibet temporalia præponuntur.“

S. Thomas, 1. 2. quæſt. 82. art. 3, eam pariter definit „ inordinatio- „ nem virium animæ, quæ in hoc præcipuè conſiſtit, quòd vires omnes „ inordinatè convertuntur ad bonum commutabile.“

Tria concupiſcentiæ Univerſas res creatas, quarum concupiſcentiâ peccatur, ad tria genera revocat S. Joannes, 1 Epiſt. II. 16, inquiens: *Omne quod eſt in mundo*

con-

Digitized by Google

concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. Iſtâ diſtributione nihil accuratius, nihil ſublimius, nihil divinius inveniri poteſt. *Concupiſcentia carnis*, juxta omnes ſanctos Patres, eſt appetitus inordinatus voluptatum ſenſibilium quarumlibet, id eſt, delectationum, quæ vel per guſtum, vel per auditum, vel per viſum, vel per odoratum, vel per tactum percipiuntur. *Concupiſcentiam oculorum*, etſi à multis Patribus ſumatur pro inordinato affectu divitiarum, rectiùs tamen definieris inanem curioſitatem, ſive appetitum inordinatum ſciendi & videndi quæque rara & pretioſa, propter ſolam ipſam ſciendi & videndi voluptatem. Demùm *ſuperbiam vitæ* omnes definiunt appetitum inordinatum propriæ excellentiæ, ex quo naſcuntur ambitio, cupido honorum, laudis, vanæ gloriæ, independentiæ &c. Quod attinet ad appetitum inordinatum divitiarum, non tam eſt capitalis concupiſcentia, quàm trium prædictarum famula. Ideò quippe divitiæ appetuntur, ut illarum ope earum aliquæ, vel omnes ſimul expleantur; aut, ſi quando propter ſeipſas delectant, ut ſcilicet earum ſplendore & copiâ animus blandè allicitatur, appetitus ille pertinet ad concupiſcentiam oculorum. membra, ex quibus tentationes & peccata omnia oriuntur.

Illo triplici vulnere totus homo per peccatum læſus eſt. Cùm enim totus homo conſtet ex animâ & corpore, anima autem duabus prædita ſit facultatibus, intellectu ſcilicet & voluntate, corpori quidem carnalis concupiſcentiæ, intellectui inanis & periculoſæ curioſitatis, voluntati ſuperbiæ vulnus inflictum eſt.

Ex tribus illis corruptis fontibus oriuntur omnes internæ tentationes, nullumque peccatum eſt quod ex earum aliquâ non ſurgat. Tribus quoque illis modis diabolus Chriſtum Dominum in deſerto tentare auſus eſt. Suggeſſit concupiſcentiam carnis, cùm dixit: *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Suggeſſit inanem curioſitatem, cùm dixit: *Si Filius Dei es, mitte te deorſùm; ſcriptum eſt enim, quoniam Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent* &c. Suggeſſit & ſuperbiam vitæ, quando dixit: *Hæc omnia* (regna videlicet mundi & gloriam eorum) *tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Quamobrem S. Lucas refert, *conſummatâ omni tentatione*, id eſt, omni tentationum genere, diabolum à Chriſto receſſiſſe. Notandum eſt autem Chriſtum, ſicut omnis peccati, ita & concupiſcentiæ omnino expertem, ſolâ tantùm externâ ſuggeſtione tentatum fuiſſe; ideòque, uti obſervat S. Gregorius magnus, *totam illam tentationem foris, non intus* fuiſſe: cùm è contratio diabolicas ſuggeſtiones ſequatur plerumque in nobis aliquis concupiſcentiæ motus indeliberatus, juxtà illud B. Jacobi, cap. I: *Unuſquiſque tentatur, à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus.*

Quomodò verò triplex illa concupiſcentia ex peccato primorum parentum nata fuerit, attendendum eſt. Illius triplicis concupiſcentiæ origo in

Quandiu Adamus Deo creatori ſuo humili obedientiâ caſtoque amore ad-

Digitized by Google

peccato primorum parentum.

adhæſit, deliciis fruebatur ſpiritualibus, illibataque delectatio perpetuabatur ex Deo, quem ſolum, & propter quem cætera omnia diligebat. Veritatem æternam, quantùm ei ſufficiebat, etſi non intuitivè, ut in patria, tamen abſque ullâ caligine, abſque labore ullo contemplabatur. Nullius creatæ rei indigens, totam ſuam beatitudinem ac felicitatem à ſolo Deo ſummo ſuo bono & ultimo fine expectabat.

Amiſſâ per peccatum ſanctâ illâ ſummi boni dilectione, totus ad ſeipſum reſque creatas converſus eſt, ſeque ipſo frui voluit; caſtæ Dei dilectioni ſucceſſit cæcus & inordinatus amor ſui, vehemensque appetitus ſuæ propriæ excellentiæ. Verùm brevi expertus quàm parum ſibi ad beatitudinem comparandam ſufficeret, famis & indigentiæ ſuæ ſenſu compulſus eſt priſtinæ ſuæ felicitatis jacturam per creaturarum fruitionem reſarcire, gaudiumque puriſſimum, quod ex Deo rebusque divinis tranquillâ cum pace perceperat, delectationibus ſenſibilibus ſupplere avidus, totum ſe per oculos, per aures, per guſtum, per odoratum, per tactum in corpora effudit; ſicque totus carnalis factus eſt. Hoc primum eſt inflictum vulnus, *concupiſcentia carnis.*

Vacuum ingens quod, deſertâ luce veritatis, & ab illâ juſto Dei judicio deſertus, in ſe ipſo ſenſit, inani veritatis umbrâ, futilibusque cognitionibus undequaque emendicatis explere conatus eſt: hoc ſecundum vulnus eſt, *concupiſcentia oculorum*, ſeu curioſitas, quâ homo omnia noſſe & pervadere deſiderat, exceptâ verâ & ſolidâ ſalutis ſcientiâ. *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur.* Hinc humana mens ſuperfluis & plerumque noxiis cognitionibus ſeipſam memoriamque ſuam miſerabiliter inquinat, oculos ludicris ac ſæpè infamibus ſpectaculis paſcit, & veritatis loco vanitatem, fabulationes, atque inſanias falſas proſequitur.

Demùm ſublimi gloriâ, quâ ex Dei familiaritate Angelorumque conſortio fruebatur, deſtitutus, mendaces honorum titulos ambivit, ſuis ſimilibus imperare concupivit, ſervus ipſe peccati, pompâque umbratili ignominiam ſuam cooperire ſtuduit. Hoc tertium vulnus, *ſuperbia vitæ*, vel, ut quidam codices habent, *ambitio ſæculi.*

In hâc ipſâ tamen hominis ruinâ non parva deprehenduntur primævæ illius dignitatis veſtigia, divinæque imaginis, ad quam conditus fuerat, extrema quædam lineamenta. Ex inſatiata carnalium voluptatum libidine æſtimari utcunque poteſt quanta fuerit ſpiritualium priſtini ſtatûs deliciarum integritas & plenitudo. Ex immenſa avidaque ſciendi cupiditate conjicere facilè poſſumus, quantùm ex ſupremâ veritate ſibi ſemper fulgente gaudium homo innocens perceperit, quàmque ardenti ſtudio ad intuendam illam immutabilem veritatem homo lapſus ſuſpirare debeat. Ex inexhauſto inanis gloriæ appetitu cognoſci poteſt, quanta fuerit hominis ſoli Deo ſubditi poteſtas & excellentia, quàmque perfecta futura eſt beatorum gloria, ad quam per humilitatis ſemitam obſervationemque mandatorum ſemper tendere jubemur. Demum ex triplicis concupiſcentiæ

ſame

ſame inquietâ & inexplebili apparet creaturam rationalem, ſummi boni capacem, rebus creatis bonisque finitis occupari interdum poſſe, ſatiari nunquam.

Non ex ſolâ ſummi boni deſertione manavit triplex illa concupiscentia, ſed etiam ex voluntaria & liberrima converſione ad bonum creatum. Aurem quippe præbendo verbis ſerpentis, *eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum*, mulier voluit ultrà menſuram ſuam eſſe Deo ſimilem; inde erupit plaga ſuperbiæ. Ambivit quoque ſcientiam boni & mali divinæ ſimilem, attendensque fructum vetitum *pulchrum* eſſe *oculis aſpectuque delectabilem*, illius contemplatione delectata eſt: inde nata eſt plaga curioſitatis. Demum ex fructûs conſideratione æſtimans ſuavem illum fore ad veſcendum, contra Dei vetitum de illo comedit: inde orta eſt carnis concupiscentia, effrænisque delectationum ſenſibilium libido. Hæc breviter expreſſit Julius Pomerius lib. 2. *de Vitâ contemplativâ*, cap. 19. num. 2. „ Concupiscentia carnis, inquit, ab eis impleta eſt, quòd de „ ligno vetito guſtaverunt; concupiscentia oculorum, quòd ſibi aperiri „ oculos cupierunt; & ambitio ſæculi, quòd ſe fieri poſſe quod Deus eſt „ crediderunt.“

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrùm concupiscentia ſit veri nominis peccatum in regeneratis.

DIXIMUS peccatum originale conſiſtere in reatu ac dominio concupiscentiæ, cui naſcentis hominis voluntas habitualiter conſentit, quoad usque fortiorem caritatis habitum per lavacrum regenerationis recipiat. Remiſſo peccato originali, remanet in nobis ipſa concupiscentia, minuenda quidem per continuum caritatis augmentum, non tamen omninò extinguenda, niſi in alterâ vitâ. „ Numquid enim, quia deleta eſt tota ini- „ quitas, ait S. Auguſtinus, Tract. 41. in Joannem, num. 9, nulla reman- „ ſit infirmitas? Si non remanſiſſet, ſine peccato hîc viveremus: ergo „ ſemper pugnandum eſt.“ Et Serm. 151. cap. 3. „ Ipſa concupiſcentia, „ cum quâ nati ſumus, finiri non poteſt quandiu vivimus: quotidie mi- „ nui poteſt, finiri non poteſt.“ Hanc ob cauſam non dicit Apoſtolus, non ſit, ſed, *non regnet peccatum in veſtro mortali corpore*, quia ſcilicet non regnat quando ei reſiſtitur; penitus autem conſumi non poteſt, quandiu in corpore mortis hujus vivimus. Lucta carnis & ſpiritûs.

Inde pugna illa carnis & ſpiritûs, quam deſcribit Apoſtolus, Rom. VII, &

& Galat. V. 17, ubi ait: *Caro concupiſcit adverſùs ſpiritum, & ſpiritus adverſùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut, non quæcumque vultis, illa faciatis.* „ Spiritus enim ſurſum vocat, inquit S. Auguſtinus, „ Enarrat in Pſalmum 83. num. 9, pondus carnis deorſum revocat, & „ inter duos conatus ſuſpenſionis & ponderis colluctatio quædam eſt.“ Ea tamen colluctatio non omnium eſt, ſed eorum tantummodò qui ſpiritu Dei ſaltem inchoatè moventur. „ Nam in malis, ait S. Doctor, Serm. „ 128. cap. 6. num. 8, non habet (concupiscentia) contra quam poſſit „ concupiscere: ibi enim concupiscit adverſus ſpiritum, ubi eſt ſpiritus.“ Et in lib. *de Continentiâ*, cap. 3. num. 7: „ Hanc pugnam non experiuntur in ſemetipſis niſi bellatores virtutum, debellatoreſque vitiorum: nec „ expugnat concupiscentiæ malum, niſi continentiæ bonum. Sunt autem „ qui, legem Dei omnino neſcientes, malas concupiscentias nec in hoſtibus deputant, eiſque miſerabili cæcitate ſervientes, inſuper etiam „ beatos ſe putant, ſatiando eas potiùs quàm domando.“

Al. Serm. 43 de Verbis Apoſtoli.

His præſuppoſitis, quæritur an concupiſcentia, quæ in renatis manet, peccatum ſit? Ut autem quæſtio dilucidior fiat, tollenda primùm eſt vocum ambiguitas.

Concupiſcentia ſumitur vel pro habituali inclinatione ad fruendum rebus creatis, quæ reſidet in inferiori parte animæ, vel pro actualibus ejus motibus. Hi autem motus vel indeliberati & involuntarii ſunt, vel deliberati & voluntarii. Concupiſcentiæ fomitem non eſſe peccatum propriè dictum, motus autem ejus actuales deliberatos & voluntarios peccata eſſe, omnes conſentiunt; ſi tamen excipias Joſephum, lib. 12 *Antiquitatum Judaicarum*, cap. 13; Rabbi David Kimhi, in Pſalm. LXVI. 17, alioſque Judæos, qui internos voluntatis actus peccato carere arbitrati ſunt, quando in externos actus non exeunt: quem errorem expreſſè damnat iſta Chriſti ſententia, Matth. V: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo;* & S. Paulus, Rom. VII. 7, cum dicit: *Peccatum non cognovi niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam*, id eſt, neſciebam concupiſcentiam voluntariam eſſe peccatum, *niſi lex diceret: non concupiſces.* Igitur de indeliberatis duntaxat & involuntariis concupiſcentiæ motibus quæſtio remanet.

Peccatum quoque multiplici ſenſu accipitur. Primò quidem pro verâ culpâ, quæ reum hominem facit pœnamque meretur; & ea eſt propria vocis *peccati* ſignificatio. 2°. Pro effectu peccati, ſeu pro eo quod peccato fit. Hoc ſenſu Moyſes dixit, Deut. IX. 21: *Peccatum veſtrum, quod feceratis*, id eſt, vitulum, *igne combuſſi.* 3°. Pro pœnâ peccati, ut Zachariæ cap. ultimo: *Hoc erit peccatum*, id eſt, plaga ſeu pœna *Ægypti;* & Genes. IV: *Nonne ſi benè egeris, recipies; ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum*, ſive pœna peccati, *aderit.* 4°. Pro victima oblata pro peccato. Hoc ſenſu de ſacerdotibus veteris legis dicitur, Oſeæ IV: *Pec-*

Digitized by Google

Peccata populi mei comedent; & Apoſtolus, 2 Corinth. V, dicit: *Eum qui non noverat peccatum*, id eſt, Chriſtum, *pro nobis peccatum fecit Deus*, id eſt, hoſtiam & ſacrificium pro peccatis noſtris. 58. Pro cauſâ productrice peccati, quemadmodum, ut ait S. Auguſtinus lib. 1 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 23, num. 25, „ vocatur lingua locu-
„ tio quam facit lingua, & manus vocatur ſcriptura, quam facit ma-
„ nus." Conſentiunt omnes, exceptis Pelagianis, concupiſcentiam eſſe peccatum ſecundo, tertio & quinto ſenſu, quia *& peccato facta eſt*, & *peccatum*, *ſi vicerit*, *facit*, ut loquitur S. Auguſtinus ibidem. Eò itaque reducitur quæſtio, an motus indeliberati concupiſcentiæ ſint peccata propriè dicta.

Lutherus & Calvinus docuerunt motus concupiſcentiæ quoſcunque, licet indeliberatos, vera eſſe peccata mortalia, quæ tamen fidelibus gratuità Dei miſericordiâ propter merita Chriſti non imputantur, infidelibus autem & reprobis reipſâ imputantur. Quem errorem damnavit ſynodus Tridentina, ſeſſ. V de Peccato originali, hiſce verbis: „ Mane-
„ re autem in baptizatis concupiſcentiam ſeu fomitem, hæc ſancta ſy-
„ nodus fatetur & ſentit; quæ, cùm ad agonem relicta ſit, nocere non
„ conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Jeſu gratiam reluctantibus,
„ non valet: quin imò, qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc
„ enim concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat,
„ ſancta ſynodus declarat Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe
„ peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum ſit,
„ ſed quia ex peccato eſt & ad peccatum inclinat. Si quis autem con-
„ trarium ſenſerit, anathema ſit."

Ab iſto errore non ſatis remotus fuiſſe videtur Caſſianus, Collat. 3, ubi exponens caput ſeptimum Epiſtolæ ad Romanos, dicit omnes juſtorum actiones corrumpi ac fœdari per concupiſcentiam, atque inde evadere peccata venialia.

Durandus in 2um, diſtinct. 21. quæſt. 2; Cajetanus in 1. 2. quæſt. 74. art. 3 & 4, & nonnulli alii fatentur quidem involuntarios concupiſcentiæ motus non eſſe peccata, ſed opinantur motus omnes concupiſcentiæ eſſe voluntarios, eoquòd, inquiunt, præveniri poſſunt ne ſurgant; adeòque nunquam penitus carere peccato. Differt certè hæc opinio ab errore Calvini; repudiari tamen debet ut falſa. Quamvis enim homo concupiſcentiæ motus, ſtatim atque exſurgunt, reprimere poſſit, non tamen habet in poteſtate impedire quin ſurgant.

PROPOSITIO.

Concupiſcentia non eſt peccatum propriè dictum in renatis, qui motibus ejus non conſentiunt.

PROBATUR I°. ex Scripturis.

S. Paulus, Rom. VII, deplorans concupiſcentiæ malum, quam etiam *peccatum* appellat, declarat hominem juſtum qui ei repugnat peccati non eſſe reum. Quamvis enim nonnulli Patres cenſuerint Apoſtolum eo in loco locutum eſſe in perſonâ peccatorum, qui adhuc ſub lege conſtituti, concupiſcentiæ, contra quam debilius luctantur, conſentiunt, S. Auguſtinus & plerique cæteri Patres, qui eum ſecuti ſunt, rectiùs exiſtimant locum illum Apoſtolicum intelligendum eſſe de juſtis, qui concupiſcentiæ motus debellant, hancque interpretationem tota textûs ſeries poſtulat. Cum enim dixiſſet Apoſtolus: *Non quod volo* (per voluntatem rationalem) *bonum, hoc ago* (per partem animæ inferiorem), *ſed quod nolo* (per voluntatem rationalem) *malum, illud facio* (per partem animæ inferiorem), continuò ſubdit: *Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Id eſt: Non ego malum operor, quippe qui peccato ſeu concupiſcentiæ ad malum me impellenti reſiſto; ſed ſola in me habitans concupiſcentia, me invito ac repugnante, illud operatur. Et ſub finem capitis: *Igitur*, inquit, *ego ipſe mente ſervio legi Dei; carne autem legi peccati:* id eſt, non ego, ſed ſola, quæ mihi adjacet, caro ſive concupiſcentia ſervit legi peccati, dum ipſe ſervio legi Dei. Quamobrem, cap. VIII. 1, ſic concludit: *Nihil ergo damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto, qui non ſecundùm carnem ambulant;* id eſt, qui, licet concupiſcentiam in ſeipſis habeant, deſideriis ejus non obſequuntur. Porro ſi nihil in eis eſt damnatione dignum, utique rei non ſunt; ſiquidem omne peccatum damnationem pœnamve aliquam meretur. Notanda eſt iſta particula, *ergò*, quâ indicatur ideò, juxta Apoſtolum, *nihil damnationis* ineſſe renatis in Chriſto, *qui non ſecundùm carnem ambulant*, quia *mente*, ſeu voluntate rationali & deliberatâ, *ſerviunt legi Dei;* non autem ideò quòd peccatum propriè dictum intùs in ipſis vivens a Deo non imputetur.

S. Jacobus, Epiſt. cap. I: *Unuſquiſque*, ait, *tentatur, à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus: deinde concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum.* Poteſtne motus concupiſcentiæ expreſſius diſtingui a peccato? Ut enim obſervat S. Auguſtinus lib. 6 *contra Julianum*, cap. 15 num. 47: „ Profectò in his verbis partus à pariente diſtinguitur. Pariens „ enim

„ enim eſt concupiſcentia, partus peccatum; ſed concupiſcentia non pa-
„ rit, niſi conceperit; nec concipit, niſi illexerit, hoc eſt, ad malum
„ perpetrandum obtinuerit volentis aſſenſum. Quod ergo adverſus eam
„ dimicatur, hoc agitur ne concipiat pariatque peccatum."

Probatur II°, ex Patribus, inter quos S. Auguſtinum duntaxat profe-
ram, tum quia illius præſertim auctoritate novatores hæreſim ſuam tue-
ri conantur, tum quia iſtud argumentum ex inſtituto tractavit.

Sic loquitur S. Doctor lib. 1 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 23.
num. 25: „ Ipſa quidem concupiſcentia jam non eſt peccatum in rege-
„ neratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur, atque ut ea
„ perpetrent, reginâ mente, membra non dantur; ut, ſi non fit quod
„ ſcriptum eſt, *non concupiſces*, fiat ſaltem quod alibi legitur: *poſt con-
„ cupiſcentias tuas non eas*."

Lib. 6 *Oper. imperf.* cap. ultimo: „ Nec hujus concupiſcentiæ rea-
„ tus, niſi in renaſcentibus, ſolvitur, ut eo poſt hanc abſolutionem
„ non inquinetur, niſi qui ad perpetrandum opus malum, ſpiritu ad-
„ verſus eam vel non concupiſcente, vel non fortiùs concupiſcente,
„ conſentit." Idem docet lib. *de Perfectione juſtitiæ*, cap. ultimo; lib.
1 *de Geſtis Pelagii*, cap. 4. num. 12; lib. 1 *contra duas Epiſtolas Pela-
gianorum*, cap. 13. num. 27; lib. 2 *contra Julianum*, cap. 9. num. 32,
& cap. 10. num. 33, ubi dicit: „ Quantum ad nos attinet, ſine pec-
„ cato ſemper eſſemus, donec ſanaretur hoc malum, ſi ei nunquam con-
„ ſentiremus." Non dicit S. Doctor concupiſcentiam, etſi reipſâ pec-
catum ſit, à Deo fidelibus non imputari, ſed contegi & condonari; ſed
dicit abſolutè illam peccatum non eſſe, niſi illi conſentiatur.

Hinc, Pelagianis dicentibus parentes regeneratos non poſſe in filios
tranſmittere peccatum, reſpondet ideò tranſmittere, quia in eis remanet
concupiſcentia, quæ, licet in ipſis peccatum non ſit, eoquòd reatus ejus
per regenerationis gratiam ſolutus fuerit, reos tamen infantes tenet,
quoadusque in eis quoque reatus ejus per baptiſmum aboleatur.

Objiciebant etiam Pelagiani ex doctrina Catholicorum, aſſerentium
concupiſcentiam eſſe per ſe malam, neceſſariò conſequi peccatum non
penitus tolli per baptiſmum. Quid verò ad id reſponderit S. Doctor,
attendamus. Sic loquitur lib. 2. *Op. imperf.* cap. 71: „ Aliud eſt pecca-
„ tum; aliud concupiſcentia peccati, cui non conſentit qui per gratiam
„ Dei non peccat; quamvis & ipſa concupiſcentia peccati vocatur pec-
„ catum, quia peccato facta eſt, ſicut ſcriptura quælibet manus ejus
„ dicitur, cujus manu facta eſt." Et lib. 6. *contra Julianum*, cap. 16.
num. 49: „ Tu autem, qui putas quod, ſi malum eſſet concupiſcentia,
„ careret eâ qui baptizatur, multùm erras: omnino quidem peccato ca-
„ ret, non omni malo. Quod planius ita dicitur: omni reatu omnium
„ malorum caret, non omnibus malis."

Abſurdum videbatur Juliano dici concupiſcentiam eſſe malam, & tamen

 non

non eſſe reipſâ peccatum. Quapropter S. Auguſtinum arguebat, lib. 1. Op. imperf. cap. 71, hiſce verbis: „ Quod quaſi acutulè poſuiſti, legem qui-
„ dem peccati eſſe in membris noſtris, ſed tunc habere peccatum, quan-
„ do conſentimus; tunc verò ſolùm prælium ſuſcitare, quando non con-
„ ſentimus, & indicere miſeriam pace turbatâ, quis non prudens pugnare
„ perſpiciat? Nam ſi lex peccati, id eſt, peccatum & neceſſitas peccati
„ membris eſt inſerta naturaliter, quid prodeſt non ei præbere conſen-
„ ſum, cùm propter hoc ipſum quod eſt neceſſe ſit ſubire ſupplicium?
„ Aut ſi eſt lex quidem peccati, ſed, quando ei non conſentio, non pec-
„ cat, inæſtimabilis potentia voluntaris humanæ, quæ (ſi dici permittat
„ abſurditas) cogit ipſum non peccare peccatum. Sed revertitur eò, ut
„ quod dicit aſyſtaton ſit“ (id eſt, non poſſit ſimul conſiſtere). „ Nam ſi
„ non peccat, nec lex peccati eſt; ſi lex peccati eſt, peccat; ſi verò pec-
„ cat ſolùm quia eſt, quomodò ei obſiſti poteſt, ut non peccetur, quæ
„ repelli non poteſt, ut à peccati opere non deſinatur?” In his Juliani verbis cernere eſt Pelagianos, errore licet contrario, eodem tamen ac Calvinum principio nixos fuiſſe; nempe concupiſcentiam non poſſe malam eſſe, quin eo ipſo peccatum ſit propriè dictum. Inde concludebant Pelagiani concupiſcentiam non eſſe malam, utpote quæ ex ſeipſâ peccatum non ſit; inde ex oppoſito concluſit Calvinus concupiſcentiam ex ſeipſâ eſſe peccatum, quia ex ſe mala eſt. Utroſque debellat S. Auguſtinus, evertendo principium utriſque commune. „ Lex peccati dicitur, inquit
„ ibidem, quia ſuadet peccata, &, ut ita dixerim, jubet, & ſi ei conſen-
„ tiatur, ſine dubitatione peccatur. Peccatum dicitur, quia ex peccato
„ facta eſt, appetitque peccare. Reatus ejus regeneratione ſolutus eſt,
„ conflictus ejus ad agonem relictus eſt. Malum eſt, clarum eſt, ...
„ Debellandum hoc malum eſt, non negandum; vincendum, non defen-
„ dendum.“

Plura referre ſuperfluum eſt, cùm ipſemet Calvinus, lib. 3 *Inſtitutionum*, cap. 3. § 10, fateri coactus fuerit non tantum cæteros Patres, ſed etiam S. Auguſtinum ipſi adverſari. „ Neque opus eſt, inquit, multùm
„ inveſtigando laborare quid hic veteres ſentiant, quando unus Augus-
„ tinus ſufficere ad id poteſt, qui fideliter magnâque diligentiâ omnium
„ ſententias collegit. .. Porro illum inter & nos hoc diſcrimen eſt, quòd
„ ipſe quidem concupiſcentiæ morbum peccatum vocare non audeat, ſed
„ ad illum deſignandum infirmitatis nomine contentus, tum demum pec-
„ catum fieri docet, ubi vel opus, vel conſenſus accedit: nos autem il-
„ lud ipſum pro peccato habemus, quòd aliquâ omninò cupiditate homo
„ titillatur.“

Probatur III° rationibus Theologicis.

Prima petitur ab efficaciâ baptiſmi, quo peccatum omne deleri ſcriptura, traditio, omniumque Chriſtianorum fides docent, quamvis concupiſcentia ipſa non tollatur. Inde enim manifeſtè ſequitur concupiſcentiam,

tiam, quæ remanet in baptizatis, non eſſe peccatum. Porro ſi concupiſcentia habitualiter manens in baptizatis peccatum non eſt, nec motus ejus indeliberati ſunt peccata; eadem quippe affectionum permanentium & affectionum actualium ratio & conditio eſt. Proinde ſi concupiſcentia permanens, cui voluntas non conſentit, habitualiter, peccato caret, motus quoque ejus, quibus voluntas reſiſtit actualiter, non ſunt peccata actualia.

Secunda ſumitur à naturâ ipſâ peccati, ad quam requiritur ut ſit voluntarium. Quemadmodum enim bonâ voluntate homo bonus eſt, ita malâ voluntate malus eſt. Propterea Chriſtus dicit, Matth. XV. 18, *quæ de corde exeunt, ea eſſe quæ coinquinant hominem*; & S. Auguſtinus, lib. *de Verâ Religione*, cap. 14: „ Usque adeò, inquit, peccatum voluntarium malum eſt, ut nullomodò ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.“ Porro motus concupiſcentiæ minimè ſunt voluntarii, quoties voluntas eos reprobat & reſpuit.

Tertia. Soli actus humani, qui ab ipſo homine fiunt, poſſunt ipſi imputari. Atqui concupiſcentiæ motus indeliberati, quibus voluntas reſiſtit, non ſunt actus humani, nec ab homine humano modo agente fiunt; quemadmodum dicit ipſe Apoſtolus, Rom. VII: *jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Ergo illi motus non ſunt peccata propriè dicta, nec homini imputanda.

Objiciunt. Quidquid adverſatur legi Dei, peccatum eſt: motus autem concupiſcentiæ adverſantur huic præcepto legis: *Non concupiſces*; nec non primo & maximo mandato: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Quotieſcunque enim concupiſcentia motus ſuos exerit, Deus non diligitur perfectè & ex toto corde, ut ſæpè docet S. Auguſtinus. Ergo motus omnes concupiſcentiæ ſunt peccata.

Primùm diſtinguo majorem. Quidquid adverſatur legi Dei eſt peccatum, ſi ſit voluntarium, concedo: ſi non ſit voluntarium, ſubdiſtinguo: peccatum eſt latè ſumptum, id eſt, malum, vitioſum, inordinatum, concedo; eſt peccatum propriè dictum, nego majorem. Concupiſcentia adverſatur quidem legi divinæ, ideòque mala eſt; ſed non ei adverſatur tanquam perſonæ, ad quam præceptum dirigatur, nec tanquam actio voluntaria, quæ ab ipſo homine eliciatur rationiſque imperio fiat. **Expoſitio præcepti: *Non concupiſces.***

Deinde minorem ſimiliter diſtinguo. Concupiſcentia adverſatur præcepto: *non concupiſces*; concupiſcentia, inquam, deliberata & voluntaria, concedo; concupiſcentia indeliberata & involuntaria, ſubdiſtinguo: adverſatur tanquam malum nobis inſitum, adverſus quod pugnare ſemper tenemur, concedo; adverſatur tanquam actio illicita, quæ peccatum ſit & hominem reum faciat, nego minorem.

Duobus modis intelligi poteſt iſtud præceptum: *Non concupiſces.* Plurimi SS. Patres nihil aliud eo præcepto vetari dicunt, quàm ne concupiſcentiæ motibus conſentiamus. Hic ſenſus planus eſt atque intellectu facilis. Cùm enim lex divina non ad carnem, ſed ad hominem ipſum;

 non

non ad partem animæ inferiorem, ſed ad voluntatem rationalem dirigatur, id ſolum vetare cenſetur quod voluntarium eſt, quod ab ipſâ voluntate fit vel imperatur. At S. Auguſtinus præceptum hoc profundiùs meditatus, docet lib. *de Spiritu & litterâ*, cap. ultimo; lib. *de Naturâ & gratiâ*, cap. 62; lib. *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 8, & alibi paſſim, concupiſcentiam ipſam illo damnari; non quòd ipſa peccatum ſit in repugnantibus, ſed tanquam malum contra quod luctari continuò jubemur. Dilucidè admodùm id explicat Bellarminus, lib. 5 *de Amiſſione Gratiæ*, cap. 10: „ Sciendum eſt, inquit, in præceptis interdum ſignificari ſolùm media ad aliquem finem, ut cùm dicitur: pugna contra hoſtes; fac medicinam ægroto;... interdùm autem ſignificari finem & media, ut ſi quis dicat: vince hoſtes, ſana ægrotum. Hic enim non ſolùm imperatur pugna & curatio, quæ ſunt media, ſed etiam indicatur finis, victoria & ſanitas. Cæterùm obligatio præcepti propriè in mediis quæ imperantur conſiſtit, non in fine: & prævaricator eſt qui media negligit, non qui finem non aſſequitur. Neque enim peccat cui dicitur: vince hoſtes, ſi non vincat, modò viriliter pugnet: neque is peccat cui dictum eſt: ſana ægrotum, etiamſi ſanari non poſſit, modò curet appoſitè ad ſanandum. Finis enim in præcepto indicari poteſt, propriè imperari non poteſt. Præceptum igitur, *non concupiſces*, ejus generis eſt, ut ſimul media & finem comprehendat. Media ſunt reſiſtere concupiſcentiis.... Atque ita obligant, ut qui non fecerit, continuò reus exiſtat. Finis eſt funditùs concupiſcentias extirpare, atque id efficere ut nullus in carne motus oriatur contra rationem; hunc autem finem lex proponit, ut intelligatur quò ſit nobis, Deo juvante, tendendum; non ut rei ſimus, ſi id non faciamus quod facere in noſtrâ poteſtate non eſt, & quod ad felicitatem futuram, non ad obligationem præſentis, pertinet.

Idem dici debet de præcepto caritatis, quo jubemur diligere Deum *ex toto corde noſtro*. Tria quippe ſunt ad quæ maximo illo præcepto obligamur. Primum eſt, ut amori Dei nihil præponamus, eumque ſuper omnia diligamus: alterum, ut nihil diligamus niſi propter Deum finem noſtrum ultimum: tertium, ut ſtudeamus in dilectione Dei ſemper magis ac magis proficere, eiſque omnibus obſiſtere quæ caritatis perfectioni impedimento ſunt. Nimirùm, ut obſervat idem Bellarminus lib. 2. *de Monachis*, cap. 13: „ Quantùm ad particulam, *ex toto corde*, ſunt „ etiam duæ Patrum opiniones. Una eſt ſanctorum Auguſtini, Bernardi „ & Thomæ, qui docent illud, *ex toto*, ſignificare imperare nobis hoc „ mandatum omnes gradus caritatis, ita ut ſemper Deum amemus, & „ non ſit in nobis ullus motus cupiditatis, neque voluntarius, neque in„ voluntarius, cum Dei amore pugnans. Unde rectè deducunt hoc man„ datum in hac vita impleri non poſſe...... Iidem Patres affirmant hoc „ præceptum, licet perfectè impleri non poſſit in hac vita, non tamen „ facere prævaricatores, ſi non impleatur.“

Inſtant.

Inſtant. **Ex Apoſtolo, Chriſtus** ***tentatus eſt per omnia, pro ſimilitudine, abſque peccato,*** id eſt, ſolo excepto peccato: tentatus autem non eſt per concupiſcentiam: ergo concupiſcentia eſt peccatum.

Nego conſequentiam. Nam concupiſcentia, quamvis ex ſe non ſit peccatum, ex peccato tamen nata eſt, & ad peccandum interiùs impellit; ideòque Chriſtus illius omninò, ſicut & peccati, expers fuit.

Inſtant rurſus. S. Hieronymus, in Matth. cap. 5, ad illa verba, *qui viderit mulierem* &c; S. Gregorius magnus, in Epiſtolâ ultimâ ad Anglorum epiſcopum; S. Thomas in 2um, diſtinct. 21. quæſt. 1. art. 2, & part. 3 Summæ, quæſt. 41. art. 1, & 1. 2. quæſt. 74. art. 3. ad 2um; S. Bonaventura in 2um, diſt. 21, & alii, docent concupiſcentiæ motus nunquam eſſe abſque aliquo peccato, ſaltem veniali.

Reſpondeo Sanctos illos nihil aliud intellexiſſe, niſi vel motus illos ex ſe ſemper malos & inordinatos eſſe, vel in cauſâ eſſe cur juſti hac in vita non ſint ſine peccato, vel negligentiæ noſtræ plerumque tribuendum eſſe quòd ſurgant, aut non ſtatim reprimantur.

Cur concupiſcentia non ſit peccatum in non conſentientibus.

Quæres cur concupiſcentia, quæ ante baptiſmum peccatum eſt damnatione dignum, poſt baptiſmum ne veniale quidem peccatum ſit in non conſentientibus?

Reſpondeo cauſam eſſe, quòd ante baptiſmum concupiſcentia ſola ſit in homine, ideoque hominem totum occupet, eique propter habitualem voluntatis conſenſum dominetur; poſt baptiſmum autem, caritate in corde prædominante, non amplius regnet, ſed ſuperetur. Quamvis enim cum caritate tum habituali, tum actuali ſtare poſſit habitus, vel actus peccati venialis, v. g. tenuis amor vanitatis, divitiarum, domûs vel cujuslibet aliûs rei creatæ propter ſe dilectæ, ideo tantùm hujuſmodi habitus vel actus non caret peccato veniali, quia voluntarius eſt; ideòque voluntarius, quia caritas ad eum debellandum non applicatur. Videlicet caritas in corde reſidens ex ſe quidem contraria eſt cuilibet amori inordinato, ſed non ſemper contra illum vires ſuas exerit, eique repellendo occupatur. Exempli cauſâ, dum propono aliquem pietatis actum exercere, immiſcet ſe interdum motus inanis gloriæ, qui, ſi ſtatim reſpuatur, nullomodò peccatum eſt, quia caritas fortior ei repellendo actu applicatur. Si verò eum ſtatim rejicere negligam, peccatum eſt veniale, quia, licet caritas habitualis odio ſemper habeat omnem inanem gloriam, motum tamen illius hic & nunc non debellat. Quæ autem eſt actuum, eadem & habituum venialium ratio eſt.

QUÆS-

QUÆSTIO TERTIA.

An concupiſcentia ſit ex ſe mala & inordinata.

MANICHÆI contenderunt concupiſcentiam eſſe ſubſtantiam naturâ ſuâ malam, particulamque mali principii Deo coæterni nobis permixtam. E contrario Pelagiani aſſeruerunt concupiſcentiam non eſſe malam, nec inordinatam, ſed naturalem eſſe appetitum ex ſe bonum, cujus exceſſus vel pravus uſus tantummodò malus eſt.

Inter Scholaſticos non pauci cum Pelagianis in eo conſentiunt, quòd exiſtiment ex unione corporis & animæ conſequi naturaliter, ut homo pronus ſit ad bona ſenſibilia, caroque non ſubdatur rationi. Ab illis autem diſcrepant, agnoſcendo primum hominem, quandiu innocens fuit, per gratiæ originalis donum ab illâ carnis rebellione, alioquin naturali, immunem fuiſſe. Cæteri Theologi conſtanter docent concupiſcentiam non eſſe humanæ naturæ appendicem, ſed vitium, ac proinde ex ſe malam; cum quibus ſit:

PROPOSITIO.

Concupiſcentia eſt per ſe mala & inordinata.

PROBATUR I° ex dictis ſuperiùs. Illud quippe profectò per ſe malum ac vitioſum eſt, quod hominem peccati reum facit, quandiu reatus ejus per regenerationis gratiam non eſt ſolutus, & quo peccatum originale in naſcentes trajicitur. Porro probatum eſt ſuprà peccatum originale conſiſtere in dominio & reatu concupiſcentiæ; probatum eſt inſuper per concupiſcentiam, quæ in parentibus etiam regeneratis remanet, peccatum originale transfundi in prolem. Ergo concupiſcentia eſt ex ſe mala & vitioſa. Pag. 195, & ſeq. Pag. 135, & ſeq.

Probatur II° multiplici argumento ex ſcripturis ducto.

Docent 1° ſcripturæ concupiſcentiam eſſe pudendam, & membra corporis, in quibus vim ſuam potiſſimùm exerit, pudenda facere. Cum enim, Geneſis II. 25, de primis parentibus adhuc innocentibus dictum fuiſſet:

Digitized by Google

ſet: *Erat autem uterque nudus, Adam ſcilicet & uxor ejus, & non erubeſcebant.* Poſt admiſſum peccatum dicuntur de ſuâ nuditate erubuiſſe, ibidem III. 7: *Cùm cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficûs, & fecerunt ſibi perizomata*, ſeu cinctoria. Porrò, quidquid pudendum eſt, non poteſt non eſſe malum & inordinatum.

Hoc argumentum ſæpiſſimè objecit Pelagianis S. Auguſtinus. Sic lib. 1. *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 2: „ Hæc, inquit, ab impudentibus „ impudenter laudatur pudenda concupiſcentia." Et lib. 1 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 16. num. 33: „ Culpâ ſuâ ſibi accidens „ malum natura humana permittatur agnoſcere, ne cogatur, quod eſt „ impudentiſſimum, de his ſuis motibus non erubeſcere, aut, quod eſt „ ingratiſſimum, de ſui creatoris operibus erubeſcere." Idem inculcat lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 22. num. 36; lib. 5 *contra Julianum*, cap. 2. num. 5 & 6, & lib. 2 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 9. num. 22: quo poſtremo in loco ſic loquitur: „ Itane verò...... „ pudeat hominem alicujus operis, quod non homo, ſed Deus facit in „ homine? Sed profectò illud nos pudet quod puduit primos illos ho„ mines, quando pudenda texerunt...... Hujus nos pudet, & meritò „ pudet. Nam ſi hoc non eſſet, quid nobis eſſet ingratius, quid irre„ ligioſius, ſi in membris noſtris non de vitio, vel de pœnâ noſtrâ, ſed „ de Dei confunderemur operibus?" Eò ſanè irreligioſior foret iſta confuſio, quòd, ut ibidem obſervat, „ omnes opifices, quantum poſſunt, la„ bore & induſtriâ id agant, ne de ſuis operibus erubeſcant.

1 Corinth. XII. 23, Apoſtolus declarat quædam corporis noſtri membra inhoneſta eſſe, non aliam procul dubio ob cauſam, quàm quòd in eis maximè concupiſcentiæ fœditas vigeat. *Quæ putamus*, inquit, *ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus, & quæ inhoneſta ſunt noſtra* (græcè, ἀσχήμονα, indecentia), *abundantiorem honeſtatem habent*, id eſt, diligentiori curâ conteguntur & occultantur. Unde autem membra illa inhoneſta ſunt, niſi ex aliquo malo ac pudendo illis inſito? „ Nullomodò enim, ait S. Auguſtinus lib. 4. *contra Ju„ lianum*, cap. 16. num. 80, Deus, &, quod eſt pejus, ante peccatum „ aliquid faceret in membris humani corporis inhoneſtum."

Docet 2° ſcriptura concupiſcentiam eſſe legem peccati, hominem ſeducere & occidere, impellere ad peccatum, ad malum inclinare, & à bono avertere.

Geneſ. VIII. 21: *Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ.* Illa autem pronitas ad malum, fatentibus adverſariis, nihil aliud eſt quàm concupiſcentia.

Rom. VII. 5: *Cùm eſſemus in carne*, id eſt, cùm concupiſcentiæ obſequeremur, *paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti.* Et v. 8: *Peccatum*, quo nomine hic concupiſcentia intelligitur, *occaſione acceptâ per mandatum, operatum*

ratum eſt in me omnem concupiſcentiam, ſeu omne genus pravorum deſideriorum. Et v. 11 & ſeq: *Peccatum* (concupiſcentia ſcilicet), *occaſione acceptâ per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem bona, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum...... Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem, ut fiat ſupramodùm peccans peccatum per mandatum.* Id eſt, concupiſcentia, quam peccati nomine hic deſignat Apoſtolus, adeò prava eſt & peccatorum ferax, ut, nedum per legem bonam & ſanctam Judæis datam repreſſa fuerit, inde etiam amplius peccandi occaſionem ſumpſerit. Propter quod addit: *Scimus quia lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum*, per concupiſcentiam mihi inhærentem, *venumdatus ſub peccato.*

Galat. V. 19, 20 & 21: *Manifeſta ſunt*, inquit idem Apoſtolus, *opera carnis*, ſive concupiſcentiæ, *quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes*, & his ſimilia. Ex fructu arbor cognoſcitur: quomodò ergo poſſet non eſſe mala & peſſima arbor, ex quâ tot ac tanta mala naſcuntur?

Epheſ. II. 3, tota infidelium iniquitas in eo ponitur, quòd concupiſcentiæ deſideria ſequantur, *faciantque voluntatem carnis & cogitationum.*

S. Jacobus Apoſtolus, Epiſt. II. 14: *Unusquiſque*, ait, *tentatur à concupiſcentiâ ſuâ, abſtractus & illectus: deinde concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum.* Quonam autem pacto malum non eſſet, quod non concipit nec parit niſi peccatum?

Qui tot concupiſcentiæ characteribus non agnoſcit eam ex ſe malam eſſe, cæcus ſit neceſſe eſt. Audiamus S. Auguſtinum hujus argumenti pondere Pelagianos opprimentem. Sic loquitur lib. 4 *contra Julianum*, cap. 2. num. 7: „ Utique deſiderium mali malum eſt, etiamſi ei non „ conſentiatur...... Quòd facit ipſa concupiſcentia, ſive ad licitum, ſive „ ad illicitum indifferenter ardeſcere, utique malum eſt.“ Et num. 10: „ Rogo, ſi eſt in vobis ullus ſenſus humanus, num poteſt & malum „ eſſe peccatum, & bonum eſſe deſiderare peccatum?“ Et lib. 6. cap. 15. num. 48: „ Quis ita ſit imprudens atque impudens, ita procax, perti„ nax, pervicax, ita poſtremò inſanus & demens, qui, cùm peccata ma„ la eſſe fateatur, neget eſſe malam concupiſcentiam peccatorum, etiam„ ſi, adverſus eam concupiſcente ſpiritu, peccata concipere ac parere non „ ſinatur? Tale porro ac tam magnum malum &c.“ Et lib. 1 *Oper. imperf.* cap. 71: „ Videant qui legunt, utrùm reſpondendum ſit homini, „ qui in tantam progreditur inſaniam, ut, cùm fateatur malum eſſe pec„ catum, bonam eſſe dicat concupiſcentiam peccatorum.“

Non minùs validè telum iſtud in Pelagianos vibrat auctor *Hypognoſticon*, lib. 4. cap. 8. „ Stulti, inquit, aliquando jam ſapite, & no„ lite de tanto malo gloriari, neque mendaces eſſe adverſùs veritatem, „ quæ per os ſanctorum ſuorum laudabilem dilectamque veſtram concu-

„ piſ-

Digitized by Google

„ piſcentiam, malam & libidinem ponit immundam. Ex his enim diverſæ tentationes oriuntur, quibus per momenta, cùm Deo placere contendimus, præpedimur, ut ait Apoſtolus Jacobus, &c...... Videte dilectam veſtram ſemine laudum veſtrarum concipientem dolorem, parturientem peccatum, generantem mortem &c.“

Duo ad hæc reſpondent adverſarii. Primum, (quod reſpondebat pariter Julianus, apud S. Auguſtinum, lib. 2 contra ipſum, cap. 5. num. 13) allatis ſcripturæ textibus rectè quidem probari concupiſcentiæ exceſſum malum eſſe, non autem ipſam per ſe, ſi moderata ſit & moderatè illâ utamur. Sed quid aliud iſta reſponſio ſignificat, niſi malum non eſſe peccare, ſi moderatè id fiat? Siquidem in ſcripturis voluntariè concupiſcere & peccare, unum & idem ſunt. Verùm, etſi concederemus ſolum concupiſcentiæ exceſſum in vitio eſſe, quid inde proficerent adverſarii, cùm hujusmodi exceſſus divelli prorſus nequeat à concupiſcentiâ, quæ ex ſe nullum modum tenet, nec rationi obtemperat, nec dicit unquam, ſatis eſt? „ Quaſi verò, ait ibidem S. Auguſtinus, modum ſibi ipſa conſtituat, & non ſpiritus qui adverſùs ejus impetum concupiſcit, adverſùs quem fortiter ſtabat ille qui dicebat: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Iſte repugnantis impetus, ſi laxetur, in quæ declinabit immunda, in quæ pertrahet & præcipitabit abrupta?“ Rom. VII.

Equidem ſi concupiscentia eſſet rationi ſubdita, nec inclinaret ad quidquam inordinatum & perverſum, ejus forſitan exceſſus ab illâ alienus foret. Verum ita ſe habet, ut rationem prævertat & turbet, ut ei reluctetur, ut impellat ad inhærendum rebus creatis abſque ordine ad Deum; quod omnino perverſum eſt. Quamobrem S. Paulus ait, Rom. VIII, illam *legi Dei non eſſe ſubjectam, nec enim poſſe.* Lege S. Auguſtinum, lib. 4 *contra Julianum*, cap. 1. num. 2, cap. 2 & cap. 13. num. 27, nec non lib. 4 *Oper. imperf.* cap. 41.

Alterum, quod reſpondent adverſarii poſt Julianum, hoc eſt: rectè quidem ex allatis ſcripturæ locis concludi poſſe malum eſſe concupiscentiæ obſequi, ſed immeritò inde inferri ipſam ex ſe malam eſſe, cùm è contrariò virtutis exercitio ſæpè inſerviat. Hanc quoque inanem reſponſionem exſufflat S. Doctor lib. 1 *Oper. imperf.* cap. 106: „ Suſcepta tua (concupiscentia), inquit Julianum alloquens, tam tibi grata eſt, ut, cum ab ea in conſenſionem quisque non trahatur, ipſam putes eſſe laudandam; quaſi malum non ſit res quæ impellit in malum, ſi non ei cedit, ſed reſiſtat ille qui impellitur: quamvis tamen, etiamſi ei conſentiatur, illum qui cecidit, non illam quæ impellit, illum qui attractus eſt, non ipſam quæ attraxit, illum qui illectus eſt, non ipſam quæ illexit, magno vaniloquio contendas eſſe culpandum; quia nempe, ut definis, malè uſus eſt bono. Habes quippe tam malum ſpiritum, ut concupiscentia bona tibi videatur, quâ caro concupiſcit

 „ ad-

„ adverſùs ſpiritum.“ Et lib. 5. cap. 19: „ Tua magna depravatio „ eſt, cùm à te non culpatur ad id quod non licet impellens. Quando „ enim ad id quod non licet impellit, profectò, niſi pravitati ejus re- „ pugnetur, excurrit...... Malum eſt ergo & quod impellit in malum, „ ſed ſi non excurrit, repugnante ſibi ſpiritu, non vincitur homo à „ MALO.“ Et certè, ſive concupiſcentiæ conſentiatur, ſive reſiſtatur, ipſa ſemper nititur in vetitum, & nedum ex ſeipſâ virtutis exercitium ſit, à virtute, quantùm poteſt, retrahit; ita ut præcipuum virtutis exercitium ſit adverſùs illam continuò luctari. „ Non igitur, inquit „ idem S. Doctor lib. 4 *contra Julianum*, cap. 2 num. 7, quid boni de „ concupiſcentiâ carnis fiat, ſed quid mali ipſa faciat, cogitandum eſt.“

Docent 3° ſcripturæ concupiſcentiam & ſpiritum ſibi invicem adverſari. Galat. V. 16 & 17, ait Apoſtolus: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit adverſùs ſpiritum, ſpiritus autem adverſùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis.* Iſta pugna carnis & ſpiritûs iterum deſcribitur ab eodem Apoſtolo, Rom. VII. 15 & ſeq., his verbis: *Non enim quod volo bonum* (per voluntatem rationalem gratiâ Chriſti ſanatam), *hoc ago* (per partem animæ inferiorem); *ſed quod odi malum, hoc facio* (per eamdem animæ partem inferiorem). *Si autem quod nolo, illud facio, conſentio legi quoniam bona eſt; nunc verò jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt, in carne meâ bonum. Nam velle adjacet mihi* (id eſt, per voluntatem gratiâ Chriſti ſanatam deſidero legem perfectè implere), *perficere autem bonum non invenio...... Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam malum mihi adjacet. Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati.*

Exponitur textus Apoſtoli, Rom. VII.

Adeò manifeſtum eſt carnem, de quâ ibi loquitur Apoſtolus, eſſe malam, ut ipſe Julianus id fateri coactus fuerit; ſed aſſerebat carnis nomine eo loci, non concupiſcentiam, ſed pravam peccandi conſuetudinem intelligendam eſſe. Iſtam autem interpretationem rejicit S. Auguſtinus; & quamvis, dum adhuc junior eſſet, textum illum de peccatore adhuc ſub lege conſtituto, & ſecum ipſo luctante, olim intellexiſſet in libro *Octoginta Quæſtionum*, in *Expoſitione quarumdam propoſitionum Epiſtolæ ad Romanos*, prop. 44 & 45, *in Epiſtolam ad Galatas*, cap. 5. num. 47, lib. 1 *ad Simplicianum*, quæſt. 1. num. 7 & 9, poſteà tamen, re maturiùs ac diligentiùs expenſâ, conſtanter aſſeruit & demonſtravit intelligi illum textum debere de juſtis per gratiam Dei renovatis, &, quandiu in mortali corpore vivunt, contra concupiſcentiam viriliter dimi-

Digitized by Google

dimicantibus, ut videre eſt lib. 1 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 27 & 28; lib. 1 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 8 & ſeq; lib. *de Gratiâ Chriſti*, cap. 39. num. 43; lib. 4 *contra Julianum*, cap. 26. num. 61, & lib. 6. cap. 23. num. 70, ubi iſtam interpretationem confirmat auctoritate SS. Hilarii, Ambroſii & Gregorii Nazianzeni. Eadem quoque eſt interpretatio S. Hieronymi in lib. 2 *Dialogorum adverſùs Pelagianos*, ubi Pelagium aliter exponentem ſic repellit: „ Et quis „ tibi hoc concedet, ut ex perſonâ peccatoris hoc loquatur Apoſtolus? „ Si enim ex perſonâ peccatoris hoc accipit, dicere debebat: *miſer ego* „ *peccator*, & nôn, *miſer ego homo!*"

Sic autem Apoſtolum intelligendum eſſe, his potiſſimùm argumentis probat S. Auguſtinus: 1°. Quòd hæc verba bis repetita, *jam non ego operor illud* (malum), *ſed quod habitat in me peccatum*, planè indicent non ibi agi de peccatore vi malæ ſuæ conſuetudinis in malum abrepto, ſed de homine juſto pravis concupiſcentiæ motibus reluctante. 2°. Quòd ex his verbis: *Conſentio legi quoniam bona eſt;..... condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem;..... ego ipſe mente ſervio legi Dei*, perſpicuè pateat ſermonem eſſe de homine interiùs renovato, in quo mens ſeu voluntas rationalis condelectatur & ſervit legi Dei, ſola autem caro ſervit legi peccati. 3°. Quòd initio capitis ſequentis declaret Apoſtolus loqui ſe de juſtis in Chriſto renatis & ſanctè viventibus, in quibus nihil eſt damnatione dignum. *Nihil ergo nunc*, inquit, *damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.*

Igitur Pelagianos inter & S. Doctorem conveniebat illud, de quo ſermo eſt in Epiſtolæ ad Romanos cap. VII, malum & perverſum eſſe: atqui ex ipſo textu Apoſtolico manifeſtum eſt illud malum eſſe ipſammet concupiſcentiam: ergo concupiſcentia ex ſeipſâ mala & perverſa eſt.

Ex eadem luctâ carnis & ſpiritûs aliud etiam argumentum deducebat S. Auguſtinus, lib. 4 *contra Julianum*, cap. 2. num. 13. „ Quod „ repugnat voluntati bonæ, inquit, non eſt bonum, imò malum eſſe „ quis neget, niſi qui non habet voluntatis bonum, cui quod repugnat „ fateatur malum?" Et lib. 5. cap. 7. num. 28: „ Rogo te, oculos „ aperi, & cerne quæ aperta ſunt. Nulla pugna eſt ſine malo. Quando „ enim pugnatur, aut bonum pugnat & malum, aut malum & malum; „ aut ſi duo bona inter ſe pugnant, ipſa pugna magnum malum eſt." Demum lib. 4. cap. 13. num. 64: „ Duo bona, quæ à Patre ſunt, inter „ ſe pugnare non poſſunt: pugnant autem inter ſe continentia & con„ cupiſcentia. Quid horum à Patre magis velis eſſe reſponde. Video „ quas patiaris anguſtias. Faves quidem concupiſcentiæ, ſed erubeſcis „ continentiæ: vincat pudor tuus, eoque vincatur error tuus."

Reſpondebat Julianus pugnam illam malum non eſſe, eoquòd homo idoneus ſit motibus ſuis ingenitis dare leges. At contra S. Doctor, ibid.: „ Quæro ſanè, inquit, qualibus ingenitis ſibi motibus hominem dica-

„ tis eſſe idoneum dare leges? Utrùm bonis, an malis: ſi bonis, ad-
„ verſus bonum ergo ſpiritus concupiſcit, & duo bona invicem ſibi ad-
„ verſantur in homine; quod ſi ita eſſet, iſta duorum bonorum inter ſe
„ adverſitas bona eſſe non poteſt. Si autem malis, fatere igitur inge-
„ nitos eſſe homini motus malos, contra quos caſtitas dimicat."

Docet 4° ſcriptura concupiſcentiam odio eſſe habendam, expugnandam, crucifigendam, mortificandam. Loca referemus in Quæſtione ſequente. Porro illud ſolum eſt odio habendum & expugnandum, quod malum eſt. Audiatur iterum S. Auguſtinus hoc telo Pelagianorum errorem confodiens, lib. 3 *contra Julianum*, cap. ultimo. „ Ita ne, in-
„ quit, habere tecum libido & amicitiam meretur & bellum, ut abs te
„ & expugnetur in te, & defendatur adverſum me? Bellum veſtrum la-
„ tet; amicitia patet: ex hoc quod patet, ſuſpectum eſſe facis quod la-
„ tet. Quid enim vis credamus de bello quod geritis in operto, quo-
„ tum amicitiam cernimus in aperto? Quomodo vis ut arbitremur ad-
„ verſus aculeum te dimicare libidinis, cum libros impleas laude libi-
„ dinis?" Et lib. 4. cap. 1. num. 1: „ Hoc malum contra me laudan-
„ do adverſarius meus videris; ſed in te debellando meus teſtis es: ſi
„ autem non debellas, tuus hoſtis es." Et cap. 2. num. 6: „ Vic-
„ toria de te mea, illo malo tecum pugnante, ſecura eſt.... Ego con-
„ cupiſcentiam, contra quam pugnas, malum dico, tu bonum: ſed
„ pugna tua malum fatetur, quod bonum lingua mentitur."

Cùm verò Julianus dixiſſet ſanctos poſt reſurrectionem non ampliùs corpus ſuum lividum facturos, nec in ſervitutem redacturos, ſic illum proprio ſuo gladio feriebat S. Doctor, ibidem lib. 6. cap. 15. num. 46:
„ Reſponde ergo cur iſta faciat qui omni malo in baptiſmate caruit?
„ Cur audet lividum facere templum Dei? Nonne membra ejus mem-
„ bra ſunt utique templi Dei? Cur ergo non ſuavi odore, ſed pædore
„ templi ejus, aut inviiat præſentiam, aut impetrat miſericordiam, aut
„ placat iram ejus? Nihil ne mali caſtigat, domat, vincit, opprimit
„ in templo Dei, etiam livore & pædore ipſius templi Dei? Nonne
„ attendis, nonne perſpicis quia tam vehementer corpus ſuum perſe-
„ quens, ſi nihil ibi perſequitur quod diſplicet Deo, fruſtra perſequen-
„ do templum ejus facit injuriam magnam Deo? Quid tergiverſaris?
„ Quid cunctaris apertiùs confiteri? Illud profectò in carne ſuâ perſe-
„ quitur, unde dicebat Apoſtolus: *Scio quia non habitat in me, hoc eſt,*
„ *in carne meâ bonum.*"

5°. Scriptura expreſſè declarat concupiſcentiam eſſe malam. Omitto ea loca in quibus concupiſcentia appellatur *peccatum*, *iniquitas*, quatuorque duntaxat textus commemoro. Rom. VII. 18: *Scio quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum, quoniam mihi malum adjacet.* Coloſſ. III. 5: *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, avaritiam, concupiſcentiam malam.* Matth. VI. 13: *Libera*

nos

Digitized by Google

nos à malo. Hâc quippe oratione poſtulari à Deo liberationem à concupiſcentiâ, docet in multis locis S. Auguſtinus: v. g. lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 4, ubi ſic loquitur: „ Si deſideriis concupiſcentiæ carnis illicitâ voluntatis inclinatione conſenſimus, ad hoc ſanandum dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra......* Ut autem non ei „ conſentiamus, deprecamur adjutorium, dicentes: *& ne nos inferas in* „ *tentationem......* Deinde addimus, quod perficietur in fine:... *ſed* „ *libera nos à malo.* Tunc enim nulla erit talis concupiſcentia, cum quâ „ certare, & cui non conſentire jubeamur.“ Et paulò poſt tres easdem petitiones breviter ſic explicat: „ Ignoſce nobis ea in quibus abs- „ tracti ſumus à concupiſcentiâ: adjuva ne abſtrahamur à concupiſcen- „ tiâ: aufer à nobis concupiſcentiam.“ Ex illis autem adeò diſertis ſcripturæ ſacræ oraculis meritò concludit S. Doctor, lib. 4 *Op imperf.* cap. 69, „ ſanandum eſſe hoc malum divinâ bonitate, non humanâ va- „ nitate, iniquitate, impietate laudandum.“

Probatur II° ex diſceptatione Eccleſiæ cum Pelagianis, quarum ſpecimen exhibent illa omnia, quæ modò ex S. Auguſtino, Eccleſiæ ipſius nomine agente contra illos hæreticos, protulimus.

Fatetur Moraïnes (Martinon) *in Anti-Janſenio*, diſp. 13. num. 87, S. Doctorem reverâ ita ſenſiſſe, ſed modum excedendo. Eam verò audaciam quis patienter ferat? Ita ne modum excelliſſe cenſendus eſt Doctor cautiſſimus ac moderatiſſimus, eo in dogmate, quod tanquam indubitatam Eccleſiæ Catholicæ fidem contra Pelagianos conſtanter aſſeruit? Talem eſſe doctrinam quam hîc defendimus, evidenter demonſtrant allati hactenus S. Auguſtini textus. His tamen unum & alterum addam. Dicebat Julianus, *concupiſcentiæ naturalis qui modum tenet, bono benè uti; qui modum non tenet, bono malè uti.* Quid verò ad hæc S. Doctor? „ Ego verò, inquit lib. 3 contra ipſum, cap. 21. num 42, ſic ad tua iſta reſpondeo: „ Concupiſcentiæ carnalis qui modum tenet, malo benè „ utitur: qui modum non tenet, malo malè utitur: qui autem etiam „ ipſum modum ſanctæ virginitatis amore contempſerit, malo meliùs „ non utitur...... In hac controverſiâ de benè utendo iſto, UTRÙM „ BONO, AN MALO, tota inter nos cauſa verſatur.“ Eam autem ad fidem pertinere indubitanter affirmat ibidem, lib. 5. cap. 12. num. 48, ubi, propoſitis quinque quæſtionibus, quarum tertia hæc eſt: *Utrùm malum non ſit, cui repugnanti conſentiendum non eſt, ne in ſuum pergat exceſſum*, ſic concludit: „ Hoc inter nos differitur. In his quæſtionibus „ CATHOLICA VERITATE ANTIQUITUS TRADITA veſtra impia „ novitas ſuffocatur.“

Probatur III° rationibus Theologicis.

1°. Remedium non adhibetur, niſi contra morbos ac vitia. Contra concupiſcentiam autem adhibetur matrimonii remedium, juxta illud Apoſtoli, 1 Corinth. VII. 8: *Si non ſe continent, nubant; meliùs eſt enim nubere*

Digitized by Google

nubere quàm uri; idque Julianus ipſe confiteri cogebatur, apud S. Auguſtinum lib. 3 contra ipſum, cap. 15. num. 21, & cap. 21. num. 42. Concupiſcentia igitur eſt morbus & vitium. Quamobrem, inquiebat S. Auguſtinus ibidem, cap. 15: „ Si agnoscis remedium, agnosce morbum: „ ſi negas morbum, nega remedium. Rogo, cede aliquando etiam per „ os tuum tibi loquenti veritati. Nemo remedium providet ſanitati."

2°. Alteram rationem petit S. Doctor ex illis qui perpetuam continentiam profeſſi ſunt. „ Neque connubii deſiderium, inquit ibid. lib. 4. cap. 2. „ num. 9, in illâ continentiæ profeſſione poteſt eſſe non malum. Quid „ ergo illic agit, ubi malum eſt quidquid agit, ac, ſi ei conſentiatur, „ & peragit?"

3°. Quod diabolum auctorem habet, non poteſt non eſſe malum: porro concupiſcentia auctorem habet diabolum ſuaſorem peccati, ex quo illa nata eſt; ideoque cum diabolo vincit aut vincitur. „ Conſidera, inquit S. Doctor lib. 5 *contra Julianum*, cap. 7. num. 28, cum quo vin„ cat, cum quo vincatur. Quando enim libido vincit, vincit & diabolus: „ quando libido vincitur, vincitur & diabolus. Quem ergo vincit libi„ do & à quo vincitur, ejus hoſtis eſt; cum quo autem vincit & vinci„ tur, ejus auctor eſt."

4°. Adverſa opinio eò tendit ut tota morum diſciplina evertatur. Nam ſi concupiſcentia malum non eſt, nec malum eſt motibus ejus obſequi: ſi bona, bonum eſt illi obtemperare. Si in medio quodam eſt, ut nec bona, nec mala ſit, indifferens quoque eſt ei conſentire aut non conſentire. Hæc autem conſectaria quis verè Chriſtianus non exhorreat? Hinc fidei ac morum vindex S. Doctor Pelagianis dicebat, lib. 5 *contra Julianum*, cap. 6. num. 24: „ Vos eſtis ruina morum, qui ipſius „ fidei, ſuper quam mores ædificandi ſunt, molimini fundamenta ſub„ vertere. Vos pudoris interitus, quos laudare non pudet contra quod „ pugnat & pudor."

QUÆSTIO QUARTA.

An licitum ſit in aliquibus concupiſcentiæ obſequi, ſeu an liceat res creatas amare propter ſeipſas.

HUJUS quæſtionis ſolutio ex præcedente pendet. Si enim concupiſcentia ex ſe bona ſit vel indifferens, deſideriis ejus obtemperare bonum eſt, aut ſaltem indifferens: ſi verò mala eſt, ei conſentire, reſque crea-

creatas quaslibet propter ſe amare, utique malum eſt. Hinc Pelagiani, qui concupiſcentiam malam eſſe negabant, conſequenter docebant licitum eſſe illius motibus obſequi, modò abſit exceſſus. Pariter non pauci recentiores ex eodem fœtido fonte fœtidiorem hunc rivum derivarunt. Eſcobar, Tract. 2. Exam. 2, aſſerit nullum eſſe peccatum comedere & bibere uſque ad ſatietatem, propter ſolam voluptatem, modò ſanitati corporis non obſit, eò videlicet quòd licitum ſit appetitui naturali frui actibus ſuis; allegatque Joannem Sancium idipſum ſentientem. Pirot, in *Apologia pro Caſuiſtis*, pag. 136, affirmat eam opinionem eſſe ſaltem probabilem. Meratius, tom. 2. tract. *de Gratiâ*, diſput. 1. ſect. 4, pronuntiat *creaturam aliquam non modò ſine peccato, ſed etiam honeſtè & meritoriè diligi & appeti poſſe propter ſe.* Alius ex eâdem Societate, ut cæteros omittam, inter plures propoſitiones in theſi publicâ aſſertas, & ab Epiſcopo Ruthenenſi (de Thourouvres) cenſurâ confixas, pariter docuit *concupiſcentiam poſſe licitè frui actibus ſuis.*

Quamvis adeò perniciosus error ex dictis hactenus abundè confutatus maneat, quoniam tamen moralis diſciplinæ fundamentum ſubvertit, operæ pretium eſt peculiaribus argumentis illum profligare.

P R O P O S I T I O.

Nunquam licitum eſt obſequi concupiſcentiæ, nec licet res creatas quaslibet amare propter ſeipſas, ſeu illis frui velle.

Duæ ſunt Propoſitionis partes mutuo inter ſe nexu conjunctæ: ſingulas ſigillatim adſtruemus.

Prima pars, nunquam licitum eſſe concupiſcentiæ obſequi, probatur 1° ex Scripturis, quæ generatim & abſque ullâ exceptione docent concupiſcentiam debellandam, expugnandam, mortificandam eſſe.

Matth. XVI. 24, & Luc. IX. 23, Chriſtus ait: *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum*, id eſt, concupiſcentiæ ſuæ deſideria.

Rom. VI, Apoſtolus dicit: *Vetus homo noſter* (concupiſcentia ſcilicet) *ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultra non ſerviamus peccato...... Non regnet peccatum* (ſeu concupiſcentia) *in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus; neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo.* Veteris hominis & peccati nominibus concupiſcentiam hic ſignificari omnes conſentiunt. Porro declarat Apoſtolus nunquam licitum eſſe illi obedire, aut propter illam ope-

operari, ſed omnia & ſingula corporis noſtri membra ſoli Deo & juſtitiæ ſervire debere.

Idem Apoſtolus, Rom. VIII. 1, ait *nihil damnationis eſſe iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant*, id eſt, qui concupiſcentiæ deſideriis non conſentiunt, ſed viriliter reſiſtunt. Et paulò poſt: *Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt; qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritûs ſentiunt. Nam prudentia carnis mors eſt, prudentia autem ſpiritûs vita & pax; quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt. Qui autem in carne ſunt* (id eſt, qui carni obtemperant), *Deo placere non poſſunt...... Ergo debitores ſumus, non carni, ut ſecundùm carnem vivamus. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Duo tantùm actionum humanarum principia hìc agnoſcit Apoſtolus, nempe *ſpiritum*, ſeu gratiæ impulſum, & *carnem*, ſive concupiſcentiam, docetque ſecundùm carnem ſapere & operari, id eſt, concupiſcentiæ obedire ejuſque deſideria ſequi, pravum eſſe, Deo exoſum, divinæ legi contrarium, animæ mortiferum; uno verbo ea ſola bona eſſe & peccato carere, quæ ſpiritûs Chriſti impulſu propter Deum fiunt.

Idem docet, Galat V. 16: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis:* & v. 24: *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Et Coloſſ. III. 9 & 10: *Exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum.* Quid enim eſt ille vetus homo quem exſpoliare debemus, ut novum induamus, niſi concupiſcentia?

Novo Teſtamento vetus etiam concinit. Non quippe aliud his Decalogi verbis, *non concupiſces*, nobis præcipitur, niſi ut concupiſcentiæ motibus non conſentiamus. Hinc S. Auguſtinus, lib. *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 5. num. 11, totam legem divinam ad duo iſta præcepta revocat, non concupiſcendi, & Deum diligendi. „ Generalis prohibitio eſt, „ inquit, *non concupiſces*, & generalis juſſio, *diliges*."

Eccleſiaſtici quoque XVIII. 30: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tuâ avertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.*

Inaniter reſpondent concupiſcentiæ patroni nihil aliud in allatis ſcripturæ textibus culpari, niſi concupiſcentiæ exceſſum, quo videlicet illicita perpetrantur, vel licita ultra debitum modum uſurpantur. Nuſquam enim ullum hujuſmodi reſtrictionis veſtigium in tota ſcriptura reperient. E contrario ſermo divinus generatim culpat eos omnes qui concupiſcentiæ obtemperant, qui eam non mortificant, qui ſpiritu Dei non aguntur. Aliunde concupiſcentiæ proprium eſt, ut jam diximus, nullum habere modum, ac ſemper aut ad illicita provocare, aut licitis malè frui velle.

Probatur 2° ex S. Auguſtino, qui totum hominis officium in eo collocat, ut omnibus concupiſcentiæ motibus reſiſtat, nullique conſentiat. „ Hoc eſt opus noſtrum in hac vita, inquit Serm. 156, cap. 9, ac- „ tio-

Al. Serm. 13 de Verbis Apoſtoli.

Digitized by Google

„ tiones carnis ſpiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, fræna-
„ re, interimere. Quàm multa enim proficientes jam non delectant,
„ quæ anteà delectabant! Quando ergo delectabat, & non ei conſentie-
„ batur, mortificabatur: quia jam non delectat, mortificatum eſt. Cal-
„ ca mortuum, tranſi ad vivum: calca jacentem, conflige cum reſiſten-
„ te. Mortua eſt enim delectatio una, ſed vivit altera, & illam, dum
„ non conſentis, mortificas. Hæc eſt actio noſtra, hæc eſt militia noſ-
„ tra.“ Et lib. 4 *Op. imperf.* cap 48: „ Chriſti virtus hæc erat, eam
„ non habere; noſtra virtus eſt, ei non conſentire, & in hoc illum imi-
„ tari, ut, quemadmodum ipſe peccatum non fecit, eam non habendo,
„ ita nec nos faciamus, non ei conſentiendo.“

Probatur 3° ratione manifeſtâ. Concupiſcentia ab Apoſtolo appellatur *lex peccati*, quia ſuadet & quodammodò jubet peccare: ab eodem dicitur *peccatum*, quia ad peccatum inclinat, & peccatum, ſi vicerit, facit. Definitur à S. Auguſtino *deſiderium peccandi.* Nunquam ergo ei obtemperari ſine aliquo peccato poteſt.

Altera pars Propoſitionis eſt, nunquam licere res creatas quaslibet amare propter ſeipſas, ſive ſimpliciter amare. Quamvis enim amari aliquo ſenſu dicuntur etiam illa quæ non propter ſe appetuntur, ſed tanquàm media ad finem conſequendum aſſumuntur, tamen, propriè loquendo, *quod non propter ſe amatur, non amatur*, uti obſervat S. Auguſtinus lib. 1 *Soliloquiorum*, cap. 13. num. 22, eo quòd non ad illud, ſed ad finem ipſum voluntatis motus terminatur.

Probatur 1° ex ſcripturis.

S. Joannes, 1 Epiſt. II. 15, dicit: *Filioli, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo: quoniam omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ; quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.* Eodem ſenſu Chriſtus in Evangelio jubet nos mundo renuntiare, non eſſe de mundo, ſegregari à mundo, id eſt, ab eis qui temporalia & peritura diligunt, qui de mundo gaudent, ſperant, timent, dolent. *Quem enim dicit mundum*, inquit S. Auguſtinus, Concione 3 in Pſalmum 30, num. 2? *Amatores mundi.*

1 Corinth. XII. 29, hæc dicit Apoſtolus: *Tempus breve eſt: reliquum eſt ut qui habent uxores, tanquàm non habentes ſint; & qui flent, tanquàm non flentes; & qui gaudent, tanquàm non gaudentes; & qui emunt, tanquàm non poſſidentes; & qui utuntur hoc mundo, tanquàm non utantur: præterit enim figura hujus mundi.* „ Quid eſt autem, *quaſi non utantur* (verba ſunt S. Auguſtini, lib. 5 *contra Julianum*, cap. 16. num. 60),
„ niſi, non diligant quo utuntur, quoniam tale eſt ut benè aliter non
„ utantur? Et hoc quidem etiam in eis rebus obſervandum eſt, quæ in
„ hoc mundo etiam ſic bonæ ſunt, ut eas tamen diligi non oporteat.“

Probatur 2° auctoritate ſanctorum Patrum.

S. Clemens Alexandrinus in toto ferè lib. 2 *Pædagogi* in hoc aſſerendo verſatur. Cap. 1° de cibo tractat; in 2° de potu, in 8° de odoribus, in 9° de lecto & ſomno, in 10° de voluptatibus tactûs. Iſta autem omnia intra neceſſitatis limites ita conſtringit, ut damnet tanquam vitioſum, turpe ac rationi contrarium, quidquid ex illis propter ſolam voluptatem appetitur. Et lib. 3 *Stromatum*, pag. 450: „ In ſummâ, inquit, & generaliter procedat nobis oratio de matrimonio, nutrimento „ & aliis, ut nihil faciamus ex cupiditate, velimus autem ea ſola quæ „ ſunt neceſſaria...... Eum qui uxorem duxit pro liberorum procreatione, exercere oportet continentiam, ut ne ſuam quidem concupiſcat uxorem, quam debet diligere honeſtâ & moderatâ voluntate, dans „ operam liberis.“

Pag. 397. Origenes, lib. 8 *contra Celſum*, negat licitum eſſe comedere propter ipſam comedendi delectationem.

Pag. 33. Idem inculcat S. Cyrillus Hieroſolymitanus in quarta Catecheſi.

S. Baſilius, in *Regulis fuſioribus*, quæſt. 16 & 17, appetitum voluntatis in rei qualiſcunque uſu peccatum eſſe definit. Et in Pſalmum 44: „ Hoc, inquit, quod dicit, *ex toto corde*, diviſionem in alia nullam „ admittit. Quantum enim dilectionis in hæc inferiora inſumpſeris, „ tantum neceſſe eſt ut ei adimas quod totum eſt.“ (Edit. Pariſ. anni 1618, pag. 261.)

S. Leo magnus, Serm. 5 de Jejunio ſeptimi menſis, cap. 3: „ Æternis „ bonis, inquit, inſeparabiliter inhærendum: temporalibus verò tranſeunter utendum eſt: ut, peregrinantibus nobis, & ad patriam redire „ properantibus, quidquid de proſperitatibus mundi hujus occurrerit, „ viaticum ſit itineris, non illecebra manſionis.“

Theodoretus, Quæſt. 3 in Deuteronomium, exponens hæc verba: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ſic loquitur: „ Ex hoc „ loco docemur dilectionem non ſcindere in dilectionem Dei & uxorum, „ dilectionem Dei & liberorum, ſed totam dilectionis vim creatori Deo „ conſecrare: deinde ſecundùm creatorem quæ unicuique ſunt utilia impertiri, velut liberis, fratribus, amicis &c; ſiquidem pertinet etiam „ ad dilectionem Dei hæc præſtare.“

S. Fulgentius in Epiſtolâ ad Ferrandum Diaconum de baptiſmo Æthiopis, cap. 4: „ Illi rei, inquit, quiſque vivit, quam diligit, & illi ſe „ exhibet mortuum, cujus in ſe mortificavit affectum. Terrena ergo „ ſapiunt qui terrena diligunt, & Deum ſibi ventrem faciunt, qui gulæ delectationibus illecebroſam ſui cordis mancipant ſervitutem.“

S. Maximus Abbas, in *Centoriis*, de Caritate, art. 86: „ Alimenta, inquit,“ (de cæteris rebus creatis idem ſentiendum eſt) „ duas „ ob cauſas creata ſunt; ad nutriendum & ad curandum. Qui igitur „ alium in finem iis utuntur, tanquam deliciis dediti condemnantur, „ qui rebus ad uſum ſuum conceſſis abutuntur: abuſus omnibus in rebus peccatum eſt.“

S.

Digitized by Google

S. Anſelmus, *Monologii* cap. 66: „ Nihil eſt apertius, inquit, quàm „ rationalem creaturam ad hoc eſſe factam, ut ſummam eſſentiam amet „ ſuper omnia, ſicut ipſa eſt ſummum bonum: imò ut nihil amet niſi „ illam aut propter illam, quia illa bona eſt per ſe, & nihil eſt aliud „ bonum niſi per illam."

S. Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus, Epiſt. 10, dicit „ veritati nihil magis noxium eſſe, quàm voluptatis admixtionem in conceſſis."

S. Bernardus, Epiſt. 385 ad quoſdam noviter converſos, num. 7: „ Ipſa bona temporalia, inquit, ſunt, ſi non amantur, licita; ſi amantur, illicita: ſive autem amentur, ſive non amentur, non multùm „ expediunt, quia quâdam ſuâ dulcedine cor poſſidentis citò ſubvertunt."

S. Antoninus, part. 4. titulo 6. cap. 1. § 2: „ Cùm complacet ſibi, „ inquit, in cibi & potûs uſu propter ipſam delectationem, non propter ſuſtentationem, ibi eſt peccatum; ſive cùm comedit & bibit principaliter propter ipſam delectationem, ſive cùm comedit propter ſuſtentationem, ſed in ipſo eſu & potu jam tunc tentatur comedere propter ipſam delectationem."

Regulam illam generalem applicant SS. Patres rebus ſingulis, quibus indiget humana mortalitas, alimentis, odoribus, ſaporibus, veſtimentis, domibus, pecuniæ, ſuppellectili, lecto, hortis, deambulationibus, amicorum colloquiis, muſicæ &c; definiuntque illis omnibus pro ſolâ neceſſitate vel utilitate utendum eſſe, nunquam autem propter ipſam voluptatem fruendum. Singula percurrere infinitum foret ac planè ſuperfluum. Ex uno cætera facilè æſtimabuntur. Sit ergo, inſtar omnium, actus conjugalis, quem propter ſolam voluptatem licitè exerceri poſſe contendunt nonnulli moderni Theologi. Contra verò SS. Patres uno conſenſu affirmant illum actum, ſi non ad prolis procreationem, ſed ſolius voluptatis causâ fiat, peccato ſaltem veniali nunquam carere, etiamſi nihil extrinſecùs admittatur quod præſcriptas connubii leges transgrediatur. Hæc doctrina eſt non tantùm S. Auguſtini, lib. *de Peccato originali*, cap. 38; lib. 1 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 4. num. 5, & cap. 14. num. 16; lib. 1 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 16. num. 33; lib. 3 *contra Julianum*, cap. 16. num. 30; lib. 1 *Oper. imperf.* cap. 68, & lib. 4. cap. 39; in Pſalmum 80. num. 21, & in 146, num. 2; Serm. 351, cap. 3. num. 5; in *Enchiridio*, cap. 78; in lib. *De bono conjugali*, cap. 6, 10 & 23: verùm etiam S. Clementis Alexandrini, lib. 2 *Pædagogi*, cap. 10; Conſtitutionum Apoſtolicarum, lib. 6. cap. 7; S. Cyrilli Hieroſolmyitani, Catecheſi 4, pag. 33; S. Ambroſii, lib. de Philoſophiâ, apud S. Auguſtinum lib. 2 *contra Julianum*, cap. 7. num. 20; S. Fulgentii in Epiſtolâ de debito conjugali, cap. 3 & 4; S. Gregorii magni, lib. 12, Epiſt. 10 ad interrogata Auguſtini monachi & majoris Britanniæ Apoſtoli; Jonæ Aurelianenſis, lib. 2 *Viæ rectæ & antiquæ*, cap. 6; S. Anſelmi, Comment. in Epiſt. 1ª ad Corinthios cap. 7um; Ma-

 giſtri

giſtri Sententiarum, lib. 4, diſtinct. 31; Alexandri Alenſis, Summæ part. 2. quæſt. 147. memb. 2; Alberti magni, in 4um Sentent. diſt. 31, art. 21; S. Thomæ ibidem, quæſt. 3; quin etiam ipſiusmet Sanchez, tom. 3. lib. 2. disput. 11. num. 4. concl. 2, ubi ait *actum conjugalem ſolius voluptatis gratiâ exercitum, nec fines matrimonii transgredientem, eſſe culpam venialem*, idque quinquaginta doctorum, tam antiquorum, quàm modernorum, teſtimoniis confirmat.

Probatur 3° ex S. Auguſtino ſpeciatim, qui hanc materiam copioſiſſimè pertractavit, plurimisque munimentis fulcivit.

Primò quidem expreſſis verbis docet illicitum eſſe creaturam quamlibet amare propter ſe. Sic lib. 1 *de Libero arbitrio*, cap. 15. num. 30: „ Æterna lex, inquit, jubet avertere amorem à temporalibus, & eum „ mundatum convertere ad æterna.“ Lib. *de Moribus Eccleſiæ Catholicæ*, cap. 20. num. 37: „ Amandus ſolus Deus eſt: omnis verò iſte mun„ dus, id eſt, omnia ſenſibilia contemnenda: utendum verò his ad vi„ tæ hujus neceſſitatem.“ Et ibid. cap. 21. num. 39, hanc temperantiæ definitionem luminoſiſſimam tradit: „ Habet vir temperans in hu„ jusmodi rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam utroque Teſta„ mento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per ſe appetendum pu„ tet; ſed ad vitæ hujus atque officiorum neceſſitatem quantum ſat „ eſt uſurpet, utentis modeſtiâ, non amantis affectu.“ Et tract. 2 in Epiſtolam 1 Joann. num. 11: „ Quare, inquit, non amem quod Deus „ fecit? “ Sic autem reſpondet: „ Spiritus Dei ſit in te, ut videas quia „ hæc omnia bona ſunt; ſed væ tibi, ſi amaveris condita, & deſerueris „ conditorem!.... Ne ſubrepat vobis ſatanas dicens quod ſolet dicere: „ benè ſit vobis in creatura Dei: quare illa fecit, niſi ut vobis benè „ ſit? Et inebriantur, & pereunt, & obliviſcuntur creatorem ſuum; „ dum non temperanter, ſed cupidè utuntur creatis, creator contem„ nitur..... Non te prohibet Deus amare iſta, ſed non diligere ad beatitudinem, ſed approbare & laudare ut ames creatorem.... Ad hoc „ utique dat arrham ſponſus, ut in arrha ſua ipſe ametur: ergo, dedit „ tibi Deus omnia iſta, ama illum qui dedit.“ Et num. 12: „ Quan„ do dicitur, nolite iſta diligere, numquid hoc dicitur ut non mandu„ cetis, aut non bibatis, aut filios non procreetis? Non hoc dicitur: „ ſed ſit modus propter creatorem, ut non vos illigent iſta dilectio„ ne, nec ad fruendum hoc ametis, quod ad utendum habere debetis.“ His in locis S. Doctor non eum duntaxat amorem reprehendit, quo creatori creatura præponitur, ſed eum omnem qui ad creaturam terminatur, nec refertur ad creatorem: eum autem reprobat tanquam æternâ lege vetitum, temperantiæ regulis adverſum, & cum aliquo creatoris contemptu vel neglectu ſemper conjunctum.

Cupiditas quid ſit. Docet 2° rei cujuslibet propter ſe amorem eſſe vitioſam illam cupiditatem à Deo reprobatam. Sic lib. 3 *de Doctrinâ Chriſtianâ*, cap. 10. num.

num. 15: „ Non præcipit ſcriptura niſi caritatem, nec culpat niſi cu-„ piditatem, & eo modo informat mores hominum.“ Quid verò ſit culpanda illa cupiditas, ſtatim exponit num. 16: „ Cupiditatem voco, „ inquit, motum animi ad fruendum ſe, & proximo, & quolibet cor-„ pore non propter Deum.“ Et lib. 1 *de Libero arbitrio*, cap. 4, cùm dixiſſet „ omnia malè facta non ob aliud mala eſſe, niſi quòd libidine, „ id eſt, improbandâ cupiditate fiant,“ addit num. 10, „ culpabilem „ cupiditatem, quæ libido nominatur, eſſe earum rerum amorem, quas „ quisque invitus poteſt amittere;“ id eſt, creaturarum quarumlibet. Eamdem definitionem confirmat lib. 83 *Quæſtionum*, quæſt. 36. num. 1. „ Eſt cupiditas, inquit, amor adipiſcendi vel obtinendi temporalia.“ Quid ergo? Numquid non licet creaturas diligere? immo licet, modò debitus ordo ſervetur, ut videlicet illa dilectio ad Deum ſolum finem ultimum referatur. Ut enim ait lib. 9 *de Trinitate*, cap. 8. num. 13: „ Si ad creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, ſed caritas „ erit. Tunc enim eſt cupiditas, cùm propter ſe amatur creatura: tunc „ non utentem adjuvat, ſed corrumpit fruentem.“

Hujus doctrinæ fundamentum altiùs repetit Tract. 10 in Epiſt. 1 B. Joannis, num. 5; nempe Deum eſſe ſolum finem ultimum, ad quem per ſingulos actus noſtros tendere debemus. „ Quære finem, inquit: „ ſalutem corporis quæris; adhuc noli ibi remanere..... Quære illam, „ ne impediat fortè morbida valetudo bona opera tua. Ergo non eſt „ ibi finis, quia propter aliud quæritur. Quidquid propter aliud quæ-„ ritur, non eſt ibi finis. Quæris honores: fortè ad aliquid agendum „ quæris,.... ut placeas Deo. Noli ipſum honorem amare, ne ibi re-„ maneas. Quæris laudem: ſi Dei quæris, benè facis; ſi tuam quæris, „ malè facis, remanes in viâ. Sed ecce amaris tu, laudaris: noli gratu-„ lari quando in te laudaris: laudare in Domino, ut cantes: *in Domi-„ no laudabitur anima mea.* Sermonem aliquem bonum dicis, & lauda-„ tur ſermo tuus: non laudetur quaſi tuus; non eſt ibi finis..... Sed „ quomodò laudetur? Quomodò dicit Pſalmus: *in Deo laudabo ſermo-„ nem, in Deo laudabo verbum.*

Quid ſit uti, quid ſit frui: Deo ſolo fruendum.

Docet 3° ſolo Deo fruendum eſſe, cæteris autem quibuscunque utendum tantummodò propter Deum. Hic autem obſervandum eſt verbum *frui* nonnunquam ſumi latiùs pro delectatione & pro fructu quæ ex re aliquâ percipiuntur, etiamſi fructus ille ad aliud tanquam ad finem referatur. Hoc ſenſu Apoſtolus dicit, Rom. XV: *Si vobis primùm ex parte fruitus fuero* (in Græco, *expletus fuero*): ad Philemonem v. 20: *Ego te fruar in Domino:* 1 Timoth. VI: *Qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum*, id eſt, ad uſum. Eadem uſurpatio apud ſcriptores Eccleſiaſticos ipſumque S. Auguſtinum non infrequens eſt. Verum ea vox à S. Auguſtino, & à cæteris poſt ipſum Patribus, & à Theologis in lib. 1um Sententiarum, diſtinct. 1, ſtrictiùs ſumi ſolet; ita nimirum, ut

frui

frui ſit alicui rei inhærere propter ſe, in eâque tanquam in amoris termino quieſcere; *uti* verò ſit rem aliquam aſſumere in ordine ad aliud tanquam finem. Audiamus S. Auguſtinum iſta duo diſtinguentem ac definientem lib. 1 *de Doctrinâ Chriſtianâ*, cap. 4: „ *Frui*, inquit, eſt amo„ re alicui rei inhærere propter ſeipſam: *uti* autem, quod in uſum ve„ nerit, ad id quod amas obtinendum referre: ſi tamen amandum eſt; „ nam uſus illicitus abuſus potiùs vel abuſio nominandus eſt.“

Hâc definitione poſitâ, totam vitæ noſtræ normam in eo collocat S. Doctor, ut nec fruamur utendis, nec fruendis utamur. Omnis nam„ que humana perverſio eſt, inquit lib. 83 *Quæſtionum*, quæſt. 30, „ quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, & utendis frui.“ Et rurſùs: „ Omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui & „ utendis uti.“ Iterùm lib. 10 *de Trinitate*, cap. 4. num. 13: „ Non eſt „ alia vita hominum vitioſa atque culpabilis, quàm malè utens & malè „ fruens.“ Non enim omnibus rebus promiſcuè utendum vel fruendum eſt; ſed, ut ait idem S. Doctor lib. 1 *de Doctrinâ Chriſtianâ*, cap. 3: „ Res „ aliæ ſunt quibus fruendum eſt, aliæ quibus utendum, aliæ quæ fruun„ tur & utuntur. Illæ, quibus fruendum eſt, beatos nos faciunt: iſ„ tis, quibus utendum eſt, tendentes ad beatitudinem adjuvamur & „ quaſi adminiculamur, ut ad illas, quæ beatos nos faciunt, perveni„ re atque his inhærere poſſimus. Non verò, qui fruimur & utimur, „ inter utraſque conſtituti, ſi eis quibus utendum eſt frui voluerimus, „ impeditur curſus noſter, & aliquando etiam deflectitur, ut ab his „ rebus, quibus fruendum eſt, obtinendis vel retardemur, vel etiam „ revocemur, inferiorum amore præpediti.“

Porro ſolum Deum eſſe quo frui debeamus, cætera verò omnia talia eſſe quibus uti duntaxat oporteat, ut eorum ope ad Deum ſummum bonum noſtrum perveniamus, declarat ibidem, cap. 5: „ Res igitur, „ inquit, quibus fruendum eſt, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.“ Et in lib. 83 *Quæſtionum*, quæſt. 30: „ Fruendum honeſtis, utendum „ verò utilibus..... Nec uti quiſque poteſt eâ re, quæ quò referenda „ ſit neſcit..... Quare abuti rectiùs dici ſolent quæ non benè utuntur: „ non enim cuiquam prodeſt id quod malè utitur, & quod non pro„ deſt, non utique utile eſt..... Perfecta igitur hominis ratio, quæ „ virtus vocatur, utitur primò ſeipſâ ad intelligendum Deum, ut eo „ fruatur à quo etiam facta eſt. Utitur autem cæteris animantibus „ rationalibus ad ſocietatem, irrationalibus ad eminentiam. Vitam au„ tem ſuam ad id refert, ut fruatur Deo: ita enim beata eſt. Ergo „ & ſeipſâ utitur, quæ profectò inchoat miſeriam per ſuperbiam, ſi „ ad ſeipſam, non ad Deum, referatur. Utitur etiam corporibus quibuſ„ dam vivificandis ad beneficentiam; ſic utitur ſuo corpore: quibuſdam „ aſſumendis vel reſpuendis ad valetudinem, quibuſdam tolerandis ad „ patientiam, quibuſdam ordinandis ad juſtitiam, quibuſdam conſi-

„ de-

„ derandis ad aliquod veritatis documentum: utitur etiam iis à quibus „ ſe abſtinet ad temperantiam..... Judicat autem de omnibus quibus „ utitur; de ſolo Deo non judicat, quia ſecundum Deum de cæteris „ judicat, nec eo utitur, ſed fruitur: neque enim ad aliquid aliud Deus „ referendus eſt; quoniam omne quod ad aliud referendum eſt, infe„ rius eſt quàm id ad quod referendum eſt.“ Ex his apertè liquet ſolum Deum propter ſe amandum eſſe, cætera autem, quæcunque ſint, nonniſi propter Deum.

Probatur 4° multis rationibus, quas SS. Patres nobis ſuppeditant.

Creaturæ ſoli gloriæ divinæ, ad quam conditæ ſunt, inſervire debent.

1°. Creaturæ quælibet in eum finem aſſumi debent, propter quem conditæ ſunt. Quis enim non videat abuſum eſſe culpabilem, ſi rebus à Deo creatis, & ad uſum nobis liberaliter conceſſis, aliter utamur quàm ipſe vellt? Porro Deus omnia propter ſemetipſum operatus eſt, vultque omnia ad gloriam & honorem ſuum dirigi. Res creatas nobis munificè largitus eſt, ut eis adjuvemur ad conſequendam beatitudinem, non ut illis beati ſimus, ſeque ipſum nobis ſervet velut unicum bonum quo felices eſſe poſſimus. Ergo lege æternâ & immutabili tenemur creaturarum uſum ad creatorem referre, nec in eis bonum noſtrum quærere; ſed eis uti duntaxat tanquam mediis, ut ad ſummum bonum noſtrum perveniamus. Hunc vero ſapientiſſimum ordinem pervertit quisquis res creatas propter ſe diligit; ſiquidem hujusmodi amore in eis tanquam in fine ſuo quieſcit, idque eò iniquius eſt, quòd voluptatis ſenſus, quem occaſione rerum illarum ſenſibilium percipimus, Philoſophis ipſis docentibus, non ab objectis ipſis ſenſibilibus producantur, ſed ab ipſo Deo, qui ſolus animam rationalem intimè afficere, delectare, ac beare poteſt.

Creaturas eo modo amare debemus, quo amantur à Deo.

2°. Homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus, immutabili lege tenetur divinum illud exemplar, quantum poteſt, exprimere. Huic autem legi adverſatur quisquis res creatas propter ſeipſas amat, cùm Deus, quidquid amat, in ſeipſo & propter ſeipſum amet. Aliunde ea vis amoris eſt, ut amantem amato aſſimilet. Si Deum amamus, Deo; ſi terrena, terræ ſimiles efficimur. Hinc S. Auguſtinus, tract. 2 in 1 Epiſt. Joannis, dicit: „ Talis quisque eſt, qualis ejus dilectio. Terram diligis? „ Terra eris. Deum diligis? Quid dicam? Deus eris? Non audeo di„ cere ex me: ſcripturas audiam &c. Et lib. 9 *de Civitate Dei*, cap. 17: „ Si Deo quantò ſimilior, tantò fit quisque propinquior, nulla eſt ab „ illo alia longinquitas, quàm ejus diſſimilitudo: incorporali verò illi, „ æterno & incommutabili tantò eſt anima hominis diſſimilior, quantò „ rerum temporalium mutabiliumque cupidior.“ Cùm igitur Chriſtus, Matthæi VI, nobis præcipit ut *perfecti* ſimus, *ſicut Pater* noſter *cæleſtis perfectus eſt*, omnem excludit creaturarum propter ſeipſas dilectionem.

Creaturæ non niſi pro modo

3°. Cum diligendi cauſa ſit rei dilectæ bonitas, non rectè amatur niſi quod bonum eſt, & eâ ratione quâ bonum eſt. Porrò ſolus Deus

 per

Digitized by Google

ſuæ bonitatis amandæ ſunt. per ſe & abſolutè bonus eſt; juxtà illud Evangelicum, Matth. X. 18: *Nemo bonus, niſi unus Deus.* Creaturæ autem quælibet, ſicut à ſe non ſunt, ita nec à ſe bo æ ſunt, nec bonitatem habent niſi mutuatam & participatam. Ergo ſolus Deus propter ſe & abſolutè amandus eſt, creaturæ verò nonniſi propter ipſum, à quo habent ut ſint & ut bonæ ſint. Qui verò creaturam aliquam propter ſeipſam amat, illam dilectionem ſub eo reſpectu ei impendit, qui ſoli Deo debetur. Propterea pecuniarum amor ſeu avaritia dicitur ab Apoſtolo *idolorum ſervitus*, & *venter* dicitur Deus illorum quos comeſſationes delectant.

Præceptum diligendi Deum ex toto corde excludit quamlibet creaturarum propter ſe dilectionem

4°. Jubemur diligere Deum *ex toto corde.* Ergo amor noſter, ut rectus ſit, totus in Deum tendere debet. Quamobrem S. Auguſtinus, lib. 10 *Confeſſionum*, cap. 29. num. 40: „ Minùs te amat, Domine, ait, „ qui tecum aliquid amat quod non propter te amat.“ Et Cardinalis Bona, *Manuductionis in cœlum* cap. 1. num. 3: „ Non patitur lex amo- „ ris quidquam cum Deo amari, niſi in Deo & propter Deum.“ Hanc rationem pleniùs evolvemus Lib. IV, diſſert. 2. cap. 1, ubi probabimus nullam eſſe actionem omni ex parte bonam, nullamque veram virtutem, niſi ex amore Dei ſaltem inchoato emanet.

Creaturarum propter ſe amor naturalem ordinem pervertit, hominemque rebus ipſo inferioribus ſubjicit.

Ille amor eſt illicitus, qui naturalem rerum ordinem pervertit, hominemque rebus ipſo inferioribus ſubjicit. „ Lex quippe æterna jubet ut omnia ſint ordinatiſſima, ut ait S. Auguſtinus lib. 1 *de Libero arbitrio*, cap. 6: ideòque ab eodem, lib. 22 contra Fauſtum, cap. 27, definitur: „ divina ratio vel voluntas Dei ordinem naturalem conſer- „ vari jubens, perturbari vetans.“ Ordinem autem illum manifeſtè perturbat rei creatæ cujuslibet propter ſe amor, dum hominem rebus ipſo inferioribus ſubdendo deprimit. Anima quippe rationalis, Deum inter & creaturas ratione deſtitutas medio quodam loco poſita, ſoli Deo, qui ſupra ſe eſt, caſto amore adhærere ac ſervire debet, creaturis verò infra ſe poſitis legitimè utendo imperare, non amando ſubjici. „ Vides, in- „ quit idem S. Doctor, Epiſt. 18, al. 63, ad Cæleſtinum, num. 2, quid „ ſummè ſit, quid infimè, & tamen ſit, quid mediè, majuſque infi- „ mo, & minus ſummo ſit. Summum illud eſt ipſa beatitas: infimum, „ quod nec beatum eſſe poteſt, nec miſerum: quod verò medium, vi- „ vit inclinatione ad infimum miſerè, converſione ad ſummum beatè „ vivit. Qui Chriſto credit, non diligit infimum, non ſuperbit in me- „ dio, atque ita ſummo adhærere fit idoneus; & hoc eſt totum quod „ agere jubemur, monemur, accendimur.“ Et Serm. 368, cap. 4: „ Quidquid amaveris, aut hoc eſt quod tu, aut inferius te eſt, aut „ ſuperius te eſt. Si inferius te eſt quod amas, ad conſolandum ama, „ ad tractandum ama, ad utendum ama, non ad illigandum: v. g. au- „ rum amas, noli te illigare auro. Quantò melior es quàm aurum! „ Aurum enim terra eſt fulgens, tu autem, ut illuminareris à Domi- „ no, ad imaginem Dei factus es. Cùm aurum ſit creatura Dei, non „ ta-

Al. hom. 37 inter 50.

Digitized by Google

„ tamen Deus fecit aurum ad imaginem ſuam, ſed te. Ergo poſuit ſub „ te aurum. Amor iſte contemnendus eſt: ad uſum aſſumenda ſunt „ iſta, non ei vinculo amoris quaſi glutino hærendum eſt.“ Et ſanè quidquid propter ſeipſum amas, ab eo felicitatem tuam, aliquâ ſaltem ex parte, expectas, ac proinde tanquam ſervus quocunque te duxerit ſequeris: inde naſcuntur deſiderium, ſpes, timor, dolor, gaudium, ira, odium, aliique affectus animo dominantes. Igitur manifeſtum eſt hominem, quando rebus creatis affectu inhæret, ſeipſum deprimere & à naturæ ſuæ dignitate degenerare. „ Sicut enim ſordeſcit aliquid, cùm „ inferiori miſcetur naturæ, ait S. Auguſtinus lib. 1 *de Sermone Domi-* „ *ni in monte*, cap. 13. num. 44, ita & animus noſter terrenorum cupi- „ ditate ſordeſcit, quamvis terra in ſuo genere atque ordine munda „ ſit.... Totum enim mundum debet contemnere qui ſibi theſaurizat „ in cælo.“ Quamobrem S. Bernardus, Serm. 24 *in Cantica*, num. 6, amorem creaturarum his increpat verbis: „ Erubeſce, anima mea, di- „ vinam in pecorinam immutaſſe ſimilitudinem: erubeſce volutari in cœ- „ no, quæ de cœlo es.“

6°. Chriſtianus ad cœleſtem patriam, ad quam creatus & renatus eſt, tendere perpetuò debet, eamque ob cauſam *viator* dicitur. Porrò amor rerum creatarum impedit, aut ſaltem retardat curſum illum, quo ad patriam properare jubemur. Ut enim ait S. Auguſtinus, Enarrat in Pſalmum 121, num. 1: „ Alligata anima amore terreno viſcum habet in pennis, „ volare non poteſt: mundata verò ab affectibus ſordidiſſimis ſæculi, „ tanquam extentis pennis & duabus alis reſolutis ab omni impedimento, „ id eſt, duobus præceptis Dei & proximi, volat.“ Et Serm. 112, cap. 6: „ Amor rerum terrenarum viſcum eſt ſpiritualium pennarum. „ Ecce concupiſti: hæſiſti; quis dabit tibi pennas ſicut columbæ?“ Idem inculcat Serm. 311, cap. 4. „ Quod amas in terrâ, inquit, „ impedimentum eſt, viſcum eſt ſpiritualium pennarum, quibus volatur „ ad Deum. Capi non vis, & viſcum amas? Numquid ideò non caperis, „ quia dulciter caperis? Quantò magis delectat, tantò fortiùs ſtrangulat.“ Idem momentum adhibet princeps Apoſtolorum B. Petrus, 1 Epiſt. cap. 2, ut fideles ab amore viſibilium avocet. *Obſecro vos*, inquit, *tanquam advenas & peregrinos*, *abſtinere vos à carnalibus deſideriis*, *quæ militant adverſùs animam*.

Amor creaturarum curſum ad cœleſtem patriam impedit aut retardat.

Al. Serm. 33 de Verbis Apoſtoli.

Al. Serm. 115 de Diverſis.

7°. Adeò certum eſt creaturarum propter ſe amorem illicitum & perverſum eſſe, ut peccatum, juxtà rectiſſimam S. Auguſtini definitionem ab omnibus approbatam, nihil aliud ſit quàm averſio à Deo & converſio ad creaturas. En S. Doctoris verba, lib. 1 *ad Simplicianum*, quæſt. 2. num. 18: „ Eſt autem peccatum hominis inordinatio atque perver- „ ſitas, id eſt, à præſtantiore conditore averſio, & ad condita inferio- „ ra converſio.“ Et lib. 2 *de Libero arbitrio*, cap. 19. num. 53: „ A- „ nima averſa à communi atque incommutabili bono, & converſa ad

Peccatum conſiſtit in converſione ad creaturas.

„ proprium bonum, aut ad exterius, aut ad inferius, peccat. Ad proprium convertitur, cùm ſuæ poteſtatis vult eſſe: ad exterius, cum aliorum propria, vel quæcunque ad ſe non pertinent, cognoſcere ſtudet; ad inferius, cùm voluptatem corporis diligit.“

Nec dicas eam tantùm converſionem ad creaturas peccatum eſſe, quæ fertur ad illicita & vetita, conjunctamque habet averſionem à Deo, aut quâ ſic amatur creatura, ut creatori præponatur; non autem eam quâ rebus licitis tranſeunter inhæretur. Nam 1° ea quæ licita dicuntur, eo tantùm ſenſu dicuntur licita, quòd eorum uſus ſit licitus, non verò quòd liceat eis inhærere propter ſe. Talis enim dilectio conjunctam ſemper habet aliquam actualem averſionem à Deo, quatenùs in illo actu Deus non diligitur, ſed res aliqua creata propter ſeipſam amatur. 2°. Ex eo quòd creatura creatori non præponatur, rectè quidem concludi poteſt non peccari mortaliter; ſed minimè ſequitur nullum eſſe peccatum, dum creatura non in ordine ad Deum, ſed propter ſeipſam amatur. Atque hæc ſunt quotidiana peccata juſtorum, quæ caritatem in corde diffuſam non extinguunt, ſed minuunt, & impediunt quominus ex toto corde ſuo in Deum ſummum bonum ferantur. „Sunt alii, inquit S. Auguſtinus, Enarrat in Pſalm. 80. num. 21, qui rebus infirmitati conceſſis „ inhærent aliquandiu dilectione. Non rapit villam alienam, ſed ſic „ amat ſuam, ut, ſi perdiderit, conturbetur; non appetit uxorem alie„ nam, ſed ſic adhæret ſuæ, ut modum non ibi teneat præſcriptum ta„ bulis *liberorum procreandorum cauſâ:* non tollit aliena, ſed repetit „ ſua, & habet cum fratre ſuo judicium..... Contendit Chriſtianus pro „ rebus terrenis ampliùs quàm decet eum cui promiſſum eſt regnum „ cœlorum: non totum cor ſurſum levat, ſed aliquam partem ejus tra„ hit in terram. Denique ſi veniat tentatio vincendi martyrii, ... „ illi amantes res proprias, domos proprias, graviter perturbantur..... „ Habent ergo ligna, fœnum, ſtipulam ſuper fundamentum, ſed re„ rum conceſſarum, non illicitarum. Dico enim, fratres: poſſides fun„ damentum, hære cœlo, calca terram. Si talis es, non ædificas niſi „ aurum, & argentum, & lapides pretioſos. Cùm autem dixeris: amo „ poſſeſſionem iſtam, timeo ne pereat, & imminet damnum, & tu con„ triſtaris, non quidem præponis eam Chriſto;.... ſed tamen, quia „ diligis iſtam poſſeſſionem, & contriſtaris ſi perdis, illam ſuper funda„ mentum poſuiſti, non aurum, non argentum, non lapides pretioſos, „ ſed ligna, fœnum, ſtipulam. Salvus ergo eris cùm ardere cœperit „ quod ædificaſti, ſic tamen quaſi per ignem.“

Verùm, quamvis hujuſmodi affectiones mortiferæ non ſint, quandiu caritati non præponderant, ſi tamen negligantur, adeò paulatim creſcunt, ut, caritate refrigeſcente, demùm in corde dominentur, &, aliquâ gravi tentatione incurrente, in mortalia pertrahant.

8°. Ille amor illicitus & vitioſus eſt, qui ſeriùs ocius amantem excru-

Amor creaturarum amantem pungit & cruciat.

cruciat & dolore pungit: amoris quippe recti & legitimi ea dos eſt, ut amantem gaudio & pace afficiat. Porro amor rerum creatarum, quas inviti amittere poſſumus, mentem ſeriùs ocius cruciat. Ut enim ait S. Auguſtinus lib. 1 *de Sermone Domini in monte*, cap. 3. num. 10: „ Non relinquitur ſine dolore quod cum dilectione retinetur." Unde concludit, lib. 4 *Confeſſionum*, cap. 6, „ miſerum eſſe omnem animum „ vinctum amicitiâ rerum temporalium, & dilaniari cùm eas amittit, & tunc ſentire miſeriam quâ miſer eſt, & antequàm amittat eas."

Chriſtus exemplo ſuo jubet nos rebus creatis non adhærere.

9°. Chriſtus Dominus exemplar eſt, cui conformari debent omnes Chriſtiani, juxta illud Apoſtoli: *Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Jeſu*, cujus tota vita in terris diſciplina morum fuit. Porro Chriſtus nativitate, vitâ, morte, reſurrectione & aſcenſione ſuâ nihil magis nobis commendavit, quàm contemptum temporalium, & amorem æternorum. „ Nolite ergo amare temporalia, concludit S. Auguſtinus lib. *de Agone Chriſtiano*, cap. 11, quia, ſi benè amarentur, amaret ea homo quem ſuſcepit Filius Dei.

Oppoſitæ opinionis contradictio.

10°. Denique dicere licitum eſſe creaturas propter ſe amare, ſi moderatè id fiat, contradictionem manifeſtam implicat. Nam uſus quidem creaturarum moderatus eſſe poteſt, amor verò nequaquam. Rebus creatis moderatè utitur, qui eas non propter ſeipſas appetit, ſed aſſumit tantummodò quantùm neceſſitati ſatis eſt. At creaturarum amor ex ſeipſo neceſſitatis fines transgreditur; quis enim ſanæ mentis dicat neceſſarium eſſe illas amare propter ſe? Aliunde moderatio in eis duntaxat locum habere poteſt, quæ propter aliud aſſumuntur: quæ verò propter ſe appetuntur, in eis nullus modus eſt. Sic Deus, quia propter ſe amandus eſt, ſine modo amari debet, nec unquam poteſt nimis amari. Si ergo liceret aliquas creaturas propter ſe amare, liceret etiam eas amare ſine modo. Quid enim huic amori limites figeret? Non ipſe amor; nam amor quilibet, quantùm in ſe eſt, ad ſuî augmentum tendit: non etiam finis iſtiusmodi amoris; ſiquidem non alius ejus finis eſt, quàm res ipſa propter ſe amata.

Meritò itaque Innocentius XI, & poſt ipſum Clerus Gallicanus in Comitiis anni 1700, ſequentes Propoſitiones damnarunt: octavam: *Comedere & bibere uſque ad ſatietatem absque neceſſitate, ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis frui actibus ſuis;* & nonam: *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpâ & peccato veniali.*

Dices. Sunt quædam ex ſe licita & honeſta: ſunt etiam nonnullæ voluptates innoxiæ: cur ergo non liceret eas appetere & amare propter ſe?

Quo ſenſu nonnullæ delectationes licitæ dicantur.

Reſpondeo ea ipſa quæ ex ſe licita ſunt non rectè amari, ut jam dixi, ſi non amentur propter debitum finem ultimum. Ut enim ait S. Auguſtinus lib. 15 *de Civitate Dei*, cap. 22, „ ita ſe habet omnis creatura. Cùm enim bona ſit, & benè amari poteſt & malè: benè ſcili-

„ cet, ordine cuſtodito, malè, ordine perturbato.“ Porrò ſupremus ordo poſtulat ut bona media non amentur propter ſe, ſed propter debitum finem aſſumantur; utque ea quæ homine inferiora ſunt ipſius uſibus inſerviant, non ipſi dominentur: v. g. voluptatis ſenſus qui ex alimentis percipitur, hominis utilitati deſervit, ne ciborum amaritudine vel inſipiditate abſterritus inediâ conſumatur; ſed hominis bonum ſeu finis eſſe nequaquam poteſt. Itaque voluptate illâ ſenſibili moderatè & quantum neceſſitas poſtulat utendum eſt, non inordinatè fruendum. Ut enim egregiè dicit idem S. Doctor, lib. *de Bono conjugali*, cap. 9: „ His „ bonis, quæ propter aliud neceſſaria ſunt, qui non ad hoc propter „ quod inſtituta ſunt utitur, peccat, aliàs venialiter, aliàs damnabi- „ liter.“

Adeò verum eſt res bonas malè amari poſſe, ut non niſi perverſo rerum bonarum amore peccetur. „ Deficitur quippe non ad mala, ſed „ malè, id eſt, non ad malas naturas; ſed ideò malè, quia, contra „ ordinem naturarum, ab eo quod ſummum eſt ad id quod minus eſt.“ Verba ſunt S. Auguſtini lib. 12 *de Civitate Dei*, cap. 8. Divitiæ ſunt aliquod bonum, ſed eas propter ſe amare, peccatum eſt avaritiæ: honores ſunt aliquod bonum, ſed eos appetere propter ſe, culpabilis ambitio eſt: laudes virtuti attributæ ſunt aliquod bonum, ſed eis propter ſe delectari, & non in Domino gloriari, perverſum eſt. De cæteris omnibus rebus creatis idem dici debet. „ In talibus enim, ut ait S. Auguſtinus lib. 3 *de Doctrinâ Chriſtianâ*, cap. 12. num. 18, „ non uſus „ rerum, ſed libido utentis in culpâ eſt.“

C A P U T Q U A R T U M.

Cur, deleto per baptismum peccato originali, ignorantia, concupiſcentia, aliæque peccati pœnalitates remaneant.

PELAGIANI, ut peccati originalis fidem everterent, probarentque ignorantiam, concupiſcentiam, aliaſque hujus vitæ mortalis miſerias ad primævam humanæ naturæ inſtitutionem pertinere, objiciebant illas miſerias adeò connexas non eſſe cum originali peccato, ut poſt baptiſmum remaneant, quamvis in Chriſto regeneratio plus nobis conferat quàm Adamus nocuit.

Baptismus omnia reparat, ſed paulatim. Illius efficacia.

Reſpondebat S. Auguſtinus lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 30. num. 49, etiamſi pœnalitates illæ poſt baptiſmum remaneant, Chriſtum tamen multò plura bona nobis conferre quàm in primo paren-

rente perdidimus, „ cùm per illius peccatum temporaliter moriamur, „ per ultius autem redemptionem non ad temporalem vitam, ſed ad „ perpetuam reſurgamus." Omnia per peccatum nobis illata damna Chriſtus abundè reparat, ſed non ſimul, nec ſemel. Redemptionem noſtram in baptiſmo inchoat, in fine ſæculi conſummandam. „ Quamo- „ brem ſi à me quiſquam quæſierit, inquit S. Doctor lib. 3 *contra* „ *duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 3. num. 5, utrùm per baptiſmum „ ſalvi facti fuerimus, negare non potero, dicente Apoſtolo: *ſalvos nos* „ *fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs ſancti.* Sed ſi „ quæſierit utrum per illud lavacrum omni prorſùs modo jam nos fe- „ cerit ſalvos, reſpondebo, non ita eſt: idem quippe item dicit Apoſ- „ tolus: *ſpe enim ſalvi facti ſumus: ſpes autem quæ videtur non eſt* „ *ſpes; ..... quod enim videt quis, quid ſperat?*" Proptereà Chriſtus, Matth. XIX. 28, promittit nobis in fine ſæculi perfectam regeneratio- nem, adoptionem ac redemptionem. *In regeneratione*, inquit, *cùm ſede- rit Filius hominis in majeſtate ſuâ* &c. Et Apoſtolus, Rom. VIII. 23: *Et nos ipſi primitias ſpiritûs habentes intra nos gemimus, adoptionem filio- rum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.*

Verùm, quamvis poſt baptiſmum non ſtatim in integrum reſtituamur, non idcircò hujus ſacramenti virtus & efficacia minùs valida eſt: ſiquidem perfectio, quam poſt ſæculi finem expectamus, à baptiſmi gratia tota derivatur, ut S. Auguſtinus obſervat, lib. 1 *de Nuptiis & concupiſcentiâ*, cap. 33. num. 38. „ Eadem regeneratione, inquit, quæ „ nunc fit per ſacrum lavacrum, uſque in finem cuncta hominis mala „ purgante atque ſanante, eadem caro, per quam facta eſt anima car- „ nalis, fiet ſpiritalis etiam ipſa, nullam legi menti reſiſtentem concu- „ piſcentiam carnis habitura...... Sic enim accipiendum eſt quod ait „ idem Apoſtolus: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ,* „ *ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhibe-* „ *ret ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam,* „ *aut aliquid hujuſmodi:* ſic, inquam, hoc accipiendum eſt, ut eodem „ lavacro regenerationis & verbo ſanctificationis omnia prorſùs mala ho- „ minum regeneratorum mundentur atque ſanentur." Eodem quoque principio nixus remiſſionem peccatorum actualium, quæ per ſacramentum pænitentiæ confertur, in baptiſmi primùm collati virtute radicatam eſſe affirmat. „ Poſtremò, inquit, regni cœlorum ipſa felicitas, ubi „ non ſolùm reatus, ſed nec concupiſcentia erit ulla peccati, quorum „ erit, niſi baptizatorum?"

Hæc profectò ad confutandos Pelagianos ſatis ſuperque ſunt; ſed fideles movere poteſt cur Deus non niſi paulatim ab omni malo nos liberet, cùm unico inſtanti id præſtare poſſet, ſi vellet. His reſpondendum eſt primariam hujus œconomiæ cauſam eſſe ipſammet ſupremam Dei voluntatem, quâ decrevit hominem lapſum non aliter ad perfectam ſalu- tem

tem perducere. Sancti Patres tamen, ſine præjudicio cauſarum occultiorum, plurima commoda enumerant, quæ inde ab electis reportantur.

Plurima commoda quæ ex hujus vitæ miſeriis electis proveniunt.

Primò quidem illâ œconomiâ ſervatur fidei ac ſpei meritum, quod multò minus foret, ſi ſtatim poſt baptiſmum omnes animæ & corporis infirmitates ſanarentur. „ Plus ergo gratiæ præſtitit, inquit S. Auguſtinus lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 31. num. 50, plus „ fidelibus ſuis ſine dubitatione donavit. Quid enim magnum erat, „ videndo non mori eos qui crederent, credere ſe non moriturum? „ Quantò eſt majus, quantò fortius, quantò laudabilius ita credere, „ ut ſe credat moriturus ſine fine victurum?

2°. Hâc ſapientiſſimâ providentiâ docemur nos, non pro præſentis vitæ commodis, ſed pro futuræ vitæ beatitudine, in Chriſto renaſci & Chriſtianos fieri. Si enim, nullo temporis intervallo, cum peccati originalis remiſſione omnes ejus pœnalitates abolerentur, exiſtimari facilè poſſet non aliam mercedem poſt hanc vitam juſtitiæ reſervari. „ Sed „ parvulos videmus poſt lavacrum regenerationis diverſorum malorum „ afflictione cruciari, ait idem S. Doctor *in Enchiridio*, cap. 66. num. „ 17, ut intelligamus totum, quod ſalutaribus agitur ſacramentis, magis ad ſpem venturorum bonorum, quam ad retentionem vel adeptionem præſentium pertinere."

3°. Si baptiſmus immunitatem ab omni hujus vitæ malo ſtatim præſtaret, plurimi, propter hoc temporale beneficium potius, quàm propter ſpem hæreditatis æternæ, ad ſacrum properarent lavacrum. „ Sic nempe homines mortem iſtam timent, ut ait S. Doctor in loco mox citato „ *de Peccatorum meritis & remiſſione*, ut non ob aliud felices dicerent „ Chriſtianos, niſi quia mori omnino non poſſent: ac per hoc nemo „ propter illam vitam, quæ poſt iſtam mortem beata futura eſt, per „ virtutem etiam contemnendæ ipſius mortis ad Chriſti gratiam feſtinaret, ſed propter removendam corporis moleſtiam delicatiùs crederetur in Chriſtum."

4°. Iſtæ peccati pœnalitates admodùm utiles ſunt, ut ipſo miſeriarum, quas patimur, ſenſu plenius agnoſcamus quàm grande ſit peccatum ipſum originis, ſimulque quanta ſit gratiæ Chriſti medicinalis virtus & neceſſitas; quæ profectò multò minus apparerent, ſi per baptiſmum ab omni infirmitate continuò ſanaremur. Hæc obſervatio eſt ejuſdem S. Doctoris lib. *de Continentiâ*, cap. 8. num. 20. „ A (peccati) reatu „ jam etiam ſolutus per indulgentiam, inquit, ne leve exiſtimet eſſe „ quod fecit; adhuc cum ſuo vitio pugnat per continentiam." Et lib. 14 *de Trinitate*, cap. 17. num. 23: „ Quemadmodùm aliud eſt carere „ febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta eſt, revaleſcere: „ itemque aliud eſt infixum telum de corpore demere, aliud vulnus „ quod eo factum eſt ſecundâ curatione ſanare; ita prima curatio eſt „ cauſam removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam pecca-

Digitized by Google

„ catorum: ſecunda, ipſum ſanare languorem, quod fit paulatim pro-
„ ficiendo in renovatione hujus imaginis (Dei); quæ duo demonſtrantur
„ in Pſalmo 102, ubi legitur: *qui propitius fit omnibus iniquitatibus*
„ *tuis;* quod fit in baptiſmo: deinde ſequitur: *qui ſanat omnes languo-*
„ *res tuos;* quod fit quotidianis acceſſibus; cùm hæc imago renovatur."

5°. Apprime conveniens eſt ut homo, qui per ſuperbiam perverſam-que in ſeipſo complacentiam cecidit, infirmitatis ſuæ perpetuo experimento reparetur, nihilque habeat unde gloriari & ſuperbire poſſit. Porro nihil magis idoneum eſt hominem ad humilitatem ſuique deſpicientiam revocare, quàm quotidianarum miſeriarum tam internarum, quàm externarum ſenſus, quo admoniti clamamus cum Propheta, (Thren. III. 1): *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.*

6°. Nihil potentiùs excitat ad tremendum & ad orandum, quàm perpetuus intuitus periculorum ſpiritualium, quibus perpetuò obnoxii ſumus, & malorum ſenſibilium quibus affligimur. „ Quia in iſtâ huma-
„ nâ miſeriâ pejor hoſtis eſt cavenda ſuperbia, inquit S. Doctor toties
„ laudatus, lib. 4 *contra Julianum*, cap. 2, num. 11, ideò nimirum non
„ penitùs extinguitur in carne continentium ſanctorum iſta concupiſ-
„ centia, ut dum pugnatur adverſùs eam, periculorum ſuorum animus
„ admoneatur, ne ſecurus infletur, donec humana fragilitas ad tantam
„ perfectionem perveniat ſanitatis, ubi nulla putredo laſciviæ, nullus
„ tumor ſuperbiæ formidetur. Sic virtus in infirmitate perficitur, quia
„ & pugnare infirmitatis eſt."

7°. Inde etiam maximè elucet omnipotens gratiæ Chriſti virtus, quæ in tantâ infirmitate vitæ hujus victores nos efficit. Si enim ſtatim languor omnis ſanaretur, boni facilitatem ſibi ipſi homo attribueret, ſuumque eſſe putaret quod abſque labore ullo perficeret. At plagis ſaucius, innumeriſque circumdatus periculis, cogitur confiteri Domino miſericordias ejus in laudem gloriæ gratiæ ipſius. Propter hoc B. Paulo ter Dominum roganti ut à ſe diſcederet ſtimulus carnis ſuæ, angelus ſatanæ qui eum colaphizabat, reſponſum eſt: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus* (divina) *in infirmitate* (hominis) *perficitur* & ſplendeſcit. 2 Corinth. XII. 28. Quo reſponſo edoctus: *habemus*, inquit, *theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis.* Ibid. v. 7.

8°. Deo propoſitum fuit hominem lapſum per labores ſalvum facere, & reipſâ plurimùm decet in peccato natum non aliter ad felicitatem regredi. Quid ergo congruentius quàm ut remaneant in nobis, etiam peccati reatu dimiſſo, ignorantia nonniſi diligenti ſtudio ſuperanda, concupiſcentia per conflictum juſtitiæ debellanda, & corporis miſeriæ, quibus & patientia probetur, & peccatum puniatur?

9°. Non parum inſerviunt eædem miſeriæ ad demonſtrandam potentiam & ſapientiam creatoris, pœnam ipſam peccati convertentis in arma juſtitiæ. Tunc enim ante peccatum, ait S. Auguſtinus lib. 15 *de Civi-*

 tate

Digitized by Google

tate Dei, cap. 4, „ dictum eſt homini, morieris, ſi peccaveris: nunc „ dicitur martyri, morere ne pecces...... Quod tunc timendum fuit, „ ut non peccaretur, nunc ſuſcipiendum eſt, ne peccetur. Tunc enim „ mors eſt acquiſita peccando, nunc juſtitia impletur moriendo.“

10°. Docet S. Thomas, part. 3. quæſt. 49. art. 3. ad 3, ſatisfactionem Chriſti habere effectum in nobis in quantùm incorporamur ei ut membra capiti ſuo; oportere autem ut membra capiti ſuo conformentur. „ Et „ ideò, inquit, ſicut Chriſtus primò quidem habuit gratiam in animâ „ cum paſſibilitate corporis, & per paſſionem ad gloriam immortalitatis „ pervenit; ita & nos, qui ſumus membra ejus, per paſſionem ipſius liberamur quidem à reatu cujuslibet pœnæ, ita tamen quòd primò re- „ cipimus in animâ ſpiritum adoptionis filiorum, quo adſcribimur ad „ hæreditatem gloriæ immortalis, adhuc corpus paſſibile ac mortale ha- „ bentes; poſtmodùm verò configurati paſſionibus & morti Chriſti, „ in gloriam immortalem perducimur, ſecundùm illud, Rom. VIII: *Si* „ *filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen* „ *compatimur, ut & conglorificemur.*

DIS-

DISSERTATIO TERTIA.

De ſtatu naturæ puræ: an ſit poſſibilis.

Duos humanæ naturæ ſtatus hactenùs ſpeculati ſumus, innocentis videlicet & lapſæ. Tertius nunc ſe offert *puræ naturæ* dictus, de quo magna movetur quæſtio, utrùm ſit poſſibilis, an non: quæ quidem, etſi primâ fronte parvi momenti, imò planè inutilis videtur, tamen cùm propiùs inſpicitur, maximam cum gratiæ morumque doctrinâ connexionem habere deprehenditur.

Exponitur ſtatus Quæſtionis.

Naturæ puræ nomine Scholaſtici intelligunt naturam humanam omnibus ſuis facultatibus & potentiis naturalibus inſtructam, ſed donis ſupernaturalibus carentem, juſtitiæque & peccati ex æquo expertem. Dicunt ordinationem ad fruendum Deo, viſionemque illius beatificam, claram Dei legiſque divinæ notitiam, immunitatem ab ignorantiâ, à concupiſcentiâ, à morte aliiſque vitæ hujus ærumnis, ad ipſam hominis naturam nequaquam pertinere, ſed ordinis eſſe ſupernaturalis; adeòque hominem purum, ſi ſtatus ille daretur, eum eſſe qui à Deo crearetur, ut peccati, ita & juſtitiæ expers; qui non ordinaretur ad fruendum Deo, ſed ad fruendum donis naturalibus; qui Deum per creaturas abſtractivè tantùm cognoscendi, laudandi & glorificandi capax eſſet; qui ignorantiæ, concupiſcentiæ, morbis, morti, aliiſque hujus noſtræ vitæ ærumnis obnoxius foret.

Illo in ſtatu homini ad finem purè naturalem condito non præſcriberentur niſi præcepta naturalia virtutesque naturales, quibus ad beatitudinem illi ſtatui proportionatam pervenire poſſet, nempe ad quietam bonorum naturalium fruitionem. Illius quoque peccata ejusdem ordinis forent, nec pœnam æternam mererentur: officiis & virtutibus purè naturalibus aptaret Deus auxilia purè naturalia, eoquòd ejusmodi officia per ſolas naturæ vires, absque gratiæ ſupernaturalis adjutorio, impleri poſſent.

Statum illum à præſenti naturæ lapſæ ſtatu eo tantùm differre dicunt

cunt, quòd omnia quæ nunc homini lapſo pœnalia ſunt, forent hominis puri naturalia primordia; uno verbo hominem purum non aliter differre à lapſo, niſi quomodò homo nudus differt ab homine ſpoliato & nudato; quatenùs ſcilicet homo lapſus donis omnibus ſpoliatus eſt quæ à Deo creante acceperat, homo autem purus nunquam illa habuiſſet. Ex quo conſequitur peccatum originale in eo poſitum eſſe, quòd homo nunc naſcatur in puris naturalibus, ſpoliatuſque donis gratuitis & ſupernaturalibus primo homini conceſſis; adeò ut per illud peccatum natura ipſa læſa & vulnerata non fuerit, ſed tantummodò donis naturæ ſuperadditis deſtituta.

Ex his plurimi eorum concludunt 1° infantes qui ſine baptiſmo moriuntur, Deum quidem nunquam viſuros, ſed de illâ carentiâ minimè dolituros, naturalique beatitudine fruituros, ad quam puri homines ordinarentur.

Concludunt 2°, ſi Filius Dei incarnatus non fuiſſet ad reparanda damna per peccatum primi hominis illata, omnes Adami poſteros futuros fuiſſe in puris naturalibus, hoc tamen excepto, quòd carentia gratiæ donorumque ſupernaturalium non ſimplex negatio in eis fuiſſet, quemadmodùm in homine puro, ſed boni priùs habiti privatio. Cæterùm, inquiunt, ſublata incarnatione & morte Chriſti, non ampliùs ordinaremur ad fruendum Deo, neque ad hunc ſupremum finem tendere teneremur, neque ad actus ſupernaturales eliciendos obligaremur; atque adeò gratiæ auxilio ſupernaturali non indigeremus. Qui verò naturæ viribus auxilio naturalis ordinis adjutis virtutes naturales excoluiſſent, non ad regnum cœlorum Deique viſionem, cujus nullam notitiam, nullum deſiderium haberent, ſed ad beatitudinem naturalem pervenirent: qui autem legem naturalem transgrederentur, & in peccatis ſuis diem extremum obirent, non damnatione æternâ, quæ in præſenti rerum ordine peccatores manet, ſed aliis quibuſdam pœnis multò mitioribus plecterentur. Verùm, addunt, Deus Filium ſuum miſit in mundum, qui hominem lapſum in priſtinum ſtatum, unde exciderat, reſtitueret, denuòque ordinaret ad finem ſupernaturalem, gratiæque auxilia, ad finem illum conſequendum neceſſaria nobis promereretur & acquireret.

Concludunt 3° in præſenti rerum ſtatu gratiam eſſe neceſſariam, non quidem ad rectè & ſine peccato agendum, ſed ad agendum ſupernaturaliter; id eſt, ſine gratiâ fieri poſſe actus naturalis ordinis omni ex parte bonos, non verò actus ſupernaturales & vitæ æternæ meritorios.

Concludunt 4° hominem, ut pote non ordinatum naturaliter ad fruendum Deo, carere penitùs potentiâ naturali & phyſica operandi bona opera ſupernaturalia, & quidquid habet potentiæ reſpectu hujuſmodi operum, ei conferri per gratiæ auxilium.

Concludunt 5° hominem lapſum non teneri elicere actus ſupernaturales, niſi promptum habeat auxilium quo illos facere poſſit; adeòque pec-

Digitized by Google

peccata contra legem Evangelicam commiſſa ei imputari non poſſe, niſi gratia adfuerit ad ea vitanda ſufficiens.

Quod ut intelligatur, obſervandum eſt ab hujusce opinionis auctoribus duplicem diſtingui reſpectum in homine puro; unum quo conſideratur in illo humana natura præciſè, alterum quo conſideratur ut pura. Ratione naturæ præciſè conſideratæ, ordinatur homo ad finem naturalem per virtutes naturales & auxilia naturalis ordinis: natura verò ut pura includit inſuper negationem ordinationis ad finem ſupernaturalem, auxiliorum ſupernaturalium, & obligationis ad virtutum actus ſupernaturales. Porrò, juxta eosdem, Chriſtus reſtituendo hominem in ſtatum ſupernaturalem per auxilia gratiæ ab ipſo nobis promerita, illum quidem alterum reſpectum abſtulit, nempe negationem ordinationis ad finem ſupernaturalem, ſed primum reſpectum, ordinem ſcilicet naturalem, intactum reliquit; ita ut meritorum ipſius effectus ſit, non ut exuamus ordinem ad finem naturalem in naturâ fundatum, ſed ut ſuperinduamus ordinem ſupernaturalem.

Inde ſequitur hominem per merita Chriſti reparatum (idem de Adamo quoque juſtitiâ originali ſuperinduto ſentiunt) ordinem habere ad duplicem finem, naturalem unum, alterum ſupernaturalem; duplex habere liberum arbitrium, unum ad opera naturalia, alterum ad ſupernaturalia; virtutes quoque duplices, duplicem temperantiam, duplicem juſtitiam, duplicem fidem, duplicem amorem Dei, duplicem contritionem. Inde duplicis quoque generis peccata naſci, quorum alia ordini naturali, alia ſupernaturali adverſantur. Inde rurſùs duplex exurgit in alterâ vitâ damnationis ſpecies, una pro illis qui ordinem ſupernaturalem tranſgreſſi ſunt, altera pro iis qui ordinem naturalem duntaxat offenderunt. Quâ enim æquitate barbari, qui ordinem ſupernaturalem nec cognoverunt, nec violarunt, pœnis ſupernaturalibus addicerentur? Inde pariter duplex poſt hanc vitam beatitudo, una ſupernaturalis, quâ virtutes ſupernaturales, altera naturalis, quâ naturales remunerantur. Uno verbo duplex exurgit homo, duplex religio, omnia in religione duplicia.

Hoc eſt famoſum naturæ puræ ſyſtema cum omnibus ejus veluti membris & confectariis. Illud totum vulgò tuentur Jeſuitæ: plurimi alii Theologi, nonnullis ejus partibus admiſſis, cæteras omnino repudiant, quamvis cum admiſſis, ut nobis quidem videtur, arctiſſimè cohærentes.

Quænam fuerit tam ſtupendi ſyſtematis epocha, definire difficillimum eſt. Nullum certè ejus veſtigium reperire eſt apud ſanctos Patres. Nonnulla ejus ſemina in veteribus Scholaſticis occurrunt; ſed nonniſi diuturno temporis lapſu abſolutum evolutumque eſt, operâ præſertim Jeſuitarum, qui pronis ulnis illud amplexi ſunt, partiumque & confectariorum omnium adjunctione ultimam ei manum impoſuerunt. Certè fictitium illum ſtatum recens excogitatum fuiſſe fatetur ipſemet Suarez, Prolegom. 4 *de Statibus humanæ naturæ*, cap. 1. „ Antiqui Theologi,

 „ in-

„ inquit, (ſtatum viæ) in duos tantùm diſtinxerunt, nimirùm natu„ ræ integræ, & lapſæ.... Cajetanus & moderniores Theologi tertium „ conſiderarunt ſtatum, quem purè naturalium appellarunt."

Ex dictis ſequitur ſtatum naturæ puræ ſpectari poſſe vel tanquam meram hypotheſim metaphyſicam, vel ratione conſectariorum quæ ex illâ hypotheſi in præſentem naturæ humanæ ſtatum derivantur. Si ſub priori tantùm reſpectu conſideretur, ſenſus quæſtionis eſt, utrùm Deus potuerit creare hominem ordinatum ad finem naturalem à ſe diſtinctum, gratiâ deſtitutum, ignorantiæ, concupiſcentiæ, morti, cæteriſque naturæ lapſæ miſeriis obnoxium. Si autem ſub altero reſpectu ſpectetur, quæritur inſuper num peccato originali natura humana læſa & vulnerata fuerit; num parvuli ſine baptismo decedentes fruantur in altera vita naturali quadam beatitudine; num adulti teneantur agere propter finem ſupernaturalem, ſeu ex motivo caritatis; num abſque auxilio gratiæ dentur veræ virtutes, operaque omni ex parte bona; num Deus teneatur gratiam ad implenda mandata planè ſufficientem omnibus hominibus impertiri, alioquin non liberè peccaturis? Quæſtioni ſub hoc ſecundo reſpectu conſideratæ partim ſatisfactum eſt in præcedentibus, partim ſatisfiet poſteà. Nam ſuprà probatum eſt 1° peccatum originale non eſſe meram juſtitiæ originalis donorumque ſupernaturalium privationem. 2°. Parvulos ſine baptismo mortuos pœnis æternis puniri, & de excluſione à regno cœlorum graviter dolere. 3°. Ignorantiam legis naturalis pœnalem eſſe, nec à peccato excuſare. 4°. Concupiſcentiam eſſe naturâ ſuâ malam & vitioſam. 5°. Ineſſe homini, ante omnem gratiam, potentiam naturalem, veram & phyſicam, quamvis remotam, implendi divina mandata. Deinceps autem (lib. IV) probabitur 1° nullam eſſe actionem omni ex parte bonam, niſi fiat ex motivo caritatis. 2°. Proinde nullam fieri poſſe abſque auxilio gratiæ. 3°. Gratiam non omnibus dari, nec requiri ut peccata meritò imputari poſſint. Quamobrem ſolam hîc naturæ puræ poſſibilitatem impugnabimus.

Ad quæſtionis autem ſolutionem, obſervandum eſt 1° controverſiam non eſſe an gratiæ dona, & immunitas à morte aliiſque hujus vitæ miſeriis, naturæ humanæ in ſe præciſè conſideratæ debeantur; omnes quippe fatentur Deum creaturæ ſuæ nihil debere; ſed quæri an Deus ſibi ipſi ſuiſque attributis debuerit, ut hominem animâ rationali & intellectuali præditum ordinaret ad fruendum ipſo ſummo bono, & ab omnibus animæ & corporis ærumnis, quandiu in innocentia ſtaret, immunem præſtaret.

Obſervandum eſt 2° diſputationem quoque non eſſe comparatè ad omnipotentiam divinam abſolutè conſideratam, & à cæteris Dei attributis abſtractam. Cùm enim omnipotentia à cæteris Dei attributis divelli nullatenus queat, quidquid fieri non poteſt, niſi læſâ bonitate, ſapientiâ, juſtitiâ & providentiâ divinâ, abſolutè fieri non poſſe dicendum eſt; quip-

quippe cùm Deus *negare ſeipſum non poſſit*, ut ait Apoſtolus. Proinde „ quod non poteſt juſtè, non poteſt juſtus," inquit S. Auguſtinus lib. I *contra Gaudentium*, cap. 30. „Neque enim, ut dicit iterum lib. 9 *de Ge-* „ *neſi ad litteram*, cap. 11, potentiâ temerariâ, ſed ſapientiæ virtute po- „ tens eſt." Idem obſervant alii SS. Patres. S. Iſidorus Peluſiota, lib. 2, Epiſt. 117: „ Si ex nobis quæratur, inquit, an omnia Deo poſſibilia ſint, „ reſpondemus eum omnia hæc poſſe, quæ ipſius naturæ " (ſeu ipſius perfectionibus) „ conſentanea ſunt." Theodoretus, Epiſt. 144, ſic loquitur: „ Quòd ſi dixerint, *quæcumque vult facit Deus*, dicendum illis „ erit nihil eum velle facere quod naturæ ſuæ non congruat. Naturâ „ autem eſt bonus: nihil ergo vult mali. Naturâ eſt juſtus; nihil ergo „ vult injuſti. Naturâ eſt verax; mendacium ergo reſpuit. Naturâ „ eſt immutabilis; mutationem ergo non recipit." S. Anſelmus, lib. I *Cur Deus homo*, cap. 10: „ Sicut in Deo quantùmlibet parvum inconve- „ niens ſequitur impoſſibilitas, ita quamlibet parvam rationem, ſi ma- „ jori non vincatur, comitatur neceſſitas." Richardus Victorinus, part. I *de Statu interioris hominis*, cap. 23, breviter, ſed nervosè dicit „ Deum nihil quod dedecet facere poſſe." S. Thomas, part. I. quæſt. 21. art. 11. in corp: „ Non poteſt, inquit, facere aliquid Deus, quod non „ ſit conveniens bonitati & ſapientiæ ſuæ."

Obſervandum eſt 3° quæſtionem pariter non eſſe de natura quadam humana, quæ alterius generis aut ſpeciei foret quàm nunc eſt; quæ ſcilicet alias haberet inclinationes naturales, aliamque intelligendi & volendi capacitatem (utrum hujuſcemodi natura humana ſit poſſibilis, otioſis diſcutiendum relinquimus), ſed de natura humana, qualis reipsâ eſt, ſummum & infinitum bonum naturaliter appetente, mortemque & alias moleſtias naturaliter refugiente. Cùm enim naturæ puræ aſſertores doceant naturam puram non aliter à natura lapſa differre, quàm ut nudam à nudatâ, conſequens eſt eaſdem ab ipſis inclinationes naturales, eamdem mentis capacitatem naturalem, eaſdemque repugnantias naturales attribui naturæ puræ, ac naturæ lapſæ.

His præmiſſis, exponenda jam veniunt tum Pelagianorum errores, tum variæ Theologorum opiniones.

Inter præcipuos Pelagianorum errores hic fuit: ſtatum naturæ puræ non modò eſſe poſſibilem, ſed etiam hominis primordium fuiſſe; Adamum ſcilicet in innocentia naturali creatum fuiſſe, gratiæ donis deſtitutum, ignorantiæ, concupiſcentiæ, morti, cæteriſque naturæ moleſtiis obnoxium. Addebant parvulos per baptiſmum evehi ad ſtatum ſupernaturalem, & conſequi jus ad beatitudinem ſupernaturalem regnumque cælorum; qui verò ſine baptiſmo de corpore exeunt, carere beatitudine illâ ſupernaturali, ſed aliam quamdam obtinere naturalem beatitudinem ſtatui ipſorum congruam; adultos pariter, qui virtutum officia propter Deum colunt, pro meritis ſuis per gratiam ſanctificantem pro- Errores Pelagianorum.

vehi ad ſtatum ſupernaturalem, jusque acquirere ad regnum cœlorum; qui autem honeſtate tantùm naturali & propter ſola commoda temporalia virtutes ſectantur, excludi quidem à regno cœlorum, ſed ad eamdem, ac parvulos ſine baptiſmo defunctos, beatitudinem naturalem pervenire; eos denique, qui legem naturalem transgrediuntur, æternis gehennæ ſuppliciis puniri. Eam Pelagianorum doctrinam latiùs expoſitam videre eſt ſupra, Libro I.

Variæ Theologorum ſententiæ.

Moliniani, Congruiſtæ, non pauci etiam inter Thomiſtas, fatentur quidem Adamum creatum non fuiſſe in ſtatu naturæ puræ, ſed dicunt illum eo in ſtatu creari potuiſſe, illæſâ juſtitiâ, ſapientiâ & bonitate divinâ. Plurimi tamen Thomiſtæ à ſtatu naturæ puræ, quem ut poſſibilem admittunt, concupiſcentiam penitus excludunt, aſſeruntque vires liberi arbitrii multò minores nunc eſſe poſt peccatum, quàm futuræ fuiſſent in illo naturæ puræ ſtatu.

Vasquez, part. 1. diſput. 102. num. 30 & 36, & Suarez in opuſculo *de Juſtitiâ*, ſect. 5. num. 11, docere non veriti ſunt Deum, pro ſummo ſuo in creaturas dominio, potuiſſe angelos & homines ante omne delictum æternis ſuppliciis addicere.

Idem docuerat incertus auctor libri *de Prædeſtinatione & gratiâ*, in Appendice tom. X Operum S. Auguſtini. „ Si humanum genus, inquit cap. 16, quod primitùs creatum conſtat ex nihilo, non cum „ delicto mortis & peccati origine naſceretur, & tamen ex eis creator „ omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet interitum, quis „ omnipotenti creatori diceret: quare feciſti ſic? Qui enim, cum non „ eſſent, eſſe donaverat, quo ſine eſſent habuit poteſtatem, nec dicerent cæteri cur, paribus omnium meritis, divinum diſcreparet judi„ cium; quia poteſtatem habet figulus luti ex eâdem maſſâ facere a„ liud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.“ Meritò ſanè ad marginem notam iſtam appoſuerunt Editores Benedictini: *Dura ſententia, & aliena ab Auguſtini doctrinâ.*

Auguſtiniani pluresque Thomiſtæ conſtanter aſſerunt Deum, ratione ſuæ bonitatis, ſapientiæ, providentiæ ac juſtitiæ, non potuiſſe creare hominem in puris naturalibus. Sic, inter alios, Ægidius Columna Archiepiſcopus Bituricenſis & Cardinalis, in 2um, diſtinct. 29. quæſt. 2. art. 2. dubitat. 3. His accenſendi ſunt illi qui dicunt, Deum potuiſſe quidem potentiâ abſolutâ creare hominem in ſtatu naturæ puræ, ſed hujusmodi ſtatum repugnare cæteris ejus attributis. Ita Gregorius Ariminenſis in 1um, diſtinct. 42. quæſt. 1. art. 2; Moreau in *Catenâ aureâ D. Auguſtini*, lib. 1. annulo 22; Noriſius in *Vindiciis Auguſtinianis;* Contenſonus lib. 8. diſſert. 1. ſpeculat. 2. Ut enim anteà præmonuimus, quod divinis attributis repugnat, à Deo fieri non poſſe abſolutè dicendum eſt.

PRO-

P R O P O S I T I O.

Status naturæ puræ divinis attributis repugnat, adeòque non eſt poſſibilis.

Primum Argumentum.

Illa opinio rejicienda eſt, quæ, cùm plurimis membris & conſectariis conſtet, quibus tota ferè religionis facies immutatur, nullum prorſùs neque in ſcriptura, neque in traditione fundamentum habet. Talis eſt opinio poſſibilitatis naturæ puræ. Una enim ex parte plura complectitur membra & conſectaria, quibus invehuntur alia religio à Chriſtianâ planè diverſa, alia juſtitia, alius finis ultimus, diverſi generis officia, virtutes, auxilia, præmia, peccata, peccatorumque pœnæ; ex altera verò parte omni prorſus ſive in ſcriptura, ſive in traditione fundamento deſtituitur. Ergo illa opinio penitùs rejicienda eſt.

Secundum Argumentum.

Primus homo creari non potuit eo in ſtatu, in quo nunc naſcimur, ſi natura ipſa humana non ſit integra & ſana, ſed corrupta & vulnerata. Porro res ita eſt. De libertate arbitrii ſpeciatim id probatum eſt Libro II: nunc de tota in univerſum humana natura idem probandum eſt.

1°. Parabolam illius hominis qui, Lucæ X, dicitur incidiſſe in latrones, & ab eis plagis oneratus & ſemivivus relictus, SS. Patres intellexerunt de univerſo genere humano, à dæmonibus non ſolùm gratuitis donis exſpoliato, ſed etiam in ipſis naturalibus graviſſimè ſauciato. Ita Origenes, Hom. 34 in Lucam; SS. Ambroſius & Chryſoſtomus in eumdem locum; S. Auguſtinus lib. *de Natura & gratia*, cap. 49. num. 50, aliiſque plurimis in locis; auctor Hypognoſticon, lib. 3. cap. 8; Beda & Theophylactus in cap. 10 Lucæ; Magiſter Sententiarum, lib. 2. diſt. 25. litt. H; S. Thomas in 2um Sentent. diſtinct. 30. quæſt. 1. art. 1. ad 1, & 1. 2. quæſt. 85. art. 1, & alii.

2°. SS. Patres docent naturam humanam totam per peccatum primi parentis in deterius mutatam fuiſſe. Id adverſùs Pelagianos diſertè adſtruit S. Auguſtinus lib. 3 *contra Julianum*, cap. 26, num. 60. „ Non „ attendis, inquit, peccato illo magno univerſam in deterius mutatam „ fuiſſe naturam, unde fuerat propago ducenda; ..... ſicut ex peccato „ illo, ita ex maledicto in pejus totam mutatam fuiſſe naturam: unde

Digitized by Google

„ trahitur peccatum originale, & jugum grave ſuper filios Adam." Et cap. 3. num. 9: „ Spatiaris tibi, vir diſertiſſimus, & exerces ingenium „ & linguam tuam in laude naturæ. Natura iſta in tantas tamque ma- „ nifeſtas collapſa miſerias ſalvatorem, liberatorem, mundatorem, re- „ demptorem Chriſtum habet neceſſarium, non Julianum, non Cæleſtium, „ non Pelagium laudatorem."

Fruſtra responderetur S. Doctorem aliosque Patres eo ſenſu dixiſſe naturam humanam in deterius mutatam fuiſſe, quòd per peccatum exciderit à ſtatu ſupernaturali in quo condita fuerat, non quòd in ipſis naturalibus læſa ac depravata fuerit. Nam 1°, ex S. Auguſtino, talis fuit illa naturæ in deterius immutatio, ut ex illa neceſſariò conſequatur originale peccatum. Quis autem dicat talem à Deo creari potuiſſe naturam, ex qua peccatum neceſſariò contrahatur? 2°. Aſſerit S. Doctor cujuslibet peccati proprium id eſſe, ut naturam ipſam corrumpat ac vitiet. Juliano quippe dicenti *peccato hominis non naturæ ſtatum mutari, ſed meriti qualitatem*, non respondet hoc ipſo naturam deterioris eſſe conditionis, quòd donis priùs habitis deſtituatur, ſed contendit ipſum per ſe peccatum naturæ vitium eſſe. „ Quæro, inquit lib. 1. *Op. imperf.* cap. 96, utrùm vitio careat natura peccatrix. „ Quod ſi abſurdiſ- „ ſimum eſt, habet ergo vitium. Si habet vitium, procul dubio vi- „ tiata eſt...... Quomodò ſobriè dici poteſt ſtatum naturæ in homine
Rom. VII. 14. „ non fuiſſe mutatum, qui dicit: *Lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis* „ *ſum, venumdatus ſub peccato: quod enim operor ignoro, non enim quod* „ *volo ago* &c? Cernisne vanum eſſe quod dicitis, peccato hominis non „ naturæ ſtatum mutari, ſed meriti qualitatem?" 3°. Docet S. Doctor per quodcunque peccatum, ſed maximè per pravas conſuetudines, naturam in pejus immutari. Porro mutatio, quæ naturæ ex pravis conſuetudinibus accedit, non conſiſtit in amiſſione donorum ſupernaturalium, quæ per primum mortale peccatum jam amiſſa ſupponuntur, ſed in ipſius naturæ corruptione. „ Cur non creditis, inquit ibidem, cap. 105, „ tantùm valuiſſe illud primi hominis ineffabiliter grande pecca- „ tum, ut eo vitiaretur natura humana univerſa, quantùm valet nunc „ in homine uno ſecunda natura? Sic enim à doctis appellari conſuetu- „ dinem nos commemorandos putaſti." 4°. Lib. 1 *de Nuptiis & concupiſcentia*, & alibi, ſæpiſſimè mutationem, quæ naturæ humanæ per Adami peccatum contigit, comparat mutationi oleæ in oleaſtrum; quæ certè mutatio naturam ipſam afficit.

S. Thomas pariter ex profeſſo probat, 1. 2. quæſt. 85. art. 1, peccatum ex ſeipſo diminuere bonum naturæ; & art. 3, recenſens vulnera humanæ naturæ per peccatum primi hominis inflicta, ſic loquitur: „ Omnes vires animæ remanent quodammodò deſtitutæ proprio ordine, „ quo NATURALITER ordinantur ad virtutem; & iſta deſtitutio vul- „ neratio dicitur naturæ. Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ

„ poſ-

„ poſſunt eſſe ſubjecta virtutum, ſcilicet ratio, in qua eſt prudentia; „ voluntas, in qua eſt juſtitia; iraſcibilis, in qua eſt fortitudo; con- „ cupiſcibilis, in qua eſt temperantia. In quantùm ergo ratio deſti- „ tuitur ſuo ordine ad verum, eſt vulnus ignorantiæ; in quantùm „ verò voluntas deſtituitur ordine ſuo ad bonum, eſt vulnus malitiæ; in „ quantùm verò iraſcibilis deſtituitur ſuo ordine ad arduum, eſt vulnus „ infirmitatis; in quantùm verò concupiſcibilis deſtituitur ordine ad „ delectabile moderatum ratione, eſt vulnus concupiſcentiæ." At profectò repugnat hominem creari poſſe in tali ſtatu, in quo omnes animæ potentiæ naturales deſtituerentur ordine ſuo ad bonum, ad quod à natura ipſa ordinantur.

Hanc conſequentiam expreſſè deducit S. Bonaventura in 2um, diſtinct. 30. art. 1. quæſt. 1. „ Naturam humanam, inquit, non talem crea- „ tam, qualis nunc eſt, fidei veritas prædicat, ſacræ ſcripturæ aucto- „ ritas confirmat, rationis probabilitas manifeſtat, tam ex ordine qui „ reſpicit divinam juſtitiam, quàm ex ordine qui reſpicit ſapientiam, „ & ex ordine qui reſpicit bonitatem ſummam." Addit Angelicus Doc- tor, loco mox citato, vulnera humanæ naturæ per peccatum primi ho- minis inflicta non mediocriter ingraveſcere peccatis actualibus. „ Quia, „ inquit, inclinatio ab bonum virtutis in unoquoque diminuitur per „ peccatum actuale, etiam iſta ſunt quatuor vulnera ex aliis peccatis „ conſequentia: in quantùm ſcilicet per peccatum & ratio hebetatur, „ præcipuè in agendis, & voluntas induratur ad bonum, & major dif- „ ficultas agendi accreſcit, & concupiſcentia exardeſcit."

Tandem naturam humanam peccato vitiatam & corruptam fuiſſe, inde etiam manifeſtè demonſtratur, quòd opus habeat medico, reparatore & ſalvatore. Quis autem credat talem à Deo primitùs inſtitui poſſe natu- ram, quæ medico & reparatore indigeat? Nec dicas ideò nos medico & reparatore nunc egere, quia peccatores naſcimur, utque in ſtatum ſu- pernaturalem, unde cecidimus, reſtituamur: nam peccatum veniâ quidem indiget, non autem medicinâ, ſi nullum naturæ vulnus intulit. Subli- mationem verò ad ſtatum ſuperiorem, ſi natura ipſa morbida & vitiata non ſit, ſanationem appellare nimis abſurdum eſt.

Tertium Argumentum.

Illa opinio penitùs eliminanda eſt, quæ fidem peccati originalis tanto ſtudio contra Pelagianos aſſertam ac definitam omninò evertit. Talis eſt opinio quam hic refellimus. Peccatum enim originale homini- bus ineſſe nequit, quin aliquibus indiciis & effectibus ſeſe prodat. At- qui, admiſſâ poſſibilitate ſtatûs naturæ puræ, peccatum originale nullis ſe indiciis, nullis effectibus prodit: ſiquidem in illa opinione nihil plus minùs- ve habemus, quàm haberet homo in puris naturalibus innocens creatus.

Digitized by Google

Et ſanè, in quo conſiſteret peccatum originis? In gratiæ, inquiunt, & juſtitiæ originalis privatione. At gratiæ privatio ea in opinione ex ſe peccatum non eſt; quandoquidem homo purus gratiâ careret, nec tamen eſſet peccator: neque etiam ullam naturæ depravationem importat, quæ à natura pura abeſſet.

Demum, quomodò veri nominis peccatum dici poteſt, quod nullam pœnam propriè dictam meretur, nullaque reipſâ afficitur? Porro in illo ſyſtemate peccatum originale nullam meretur pœnam, nulla reipſâ afficitur: non ignorantiâ, non concupiſcentiâ, non morte, non aliis hujus noſtræ vitæ miſeriis; his quippe omnibus, tanquam naturæ appendicibus, homo purus, tametſi innocens, pariter ſubjaceret: non damnatione æterna; nam in eo ſyſtemate infantes, qui non regenerati decedunt, eadem beatitudine in altera vita frui dicuntur, quâ fruerentur in ſtatu naturæ puræ creati: non denique excluſione à regno cœlorum; nam 1° ipſimet Pelagiani, quamvis peccatum originale negarent, fatebantur illos infantes excludi à regno cœlorum. 2°. Eadem excluſio locum pariter haberet in ſtatu naturæ puræ. 3°. Juxtà adverſarios, iſta excluſio nullam infantibus moleſtiam, nullum mœrorem affert; ac proinde non eſt pœna propriè dicta. Ex his autem ſic concludo: Juſtitia divina nullum peccatum impunitum eſſe ſinit. Atqui, poſitâ poſſibilitate ſtatûs naturæ puræ, nulla peccato originali pœna irrogatur, cui homo purus & innocens non ſimiliter ſubjiceretur. Ergo in eo ſyſtemate peccatum originale dici non poteſt veri nominis peccatum. Recolite quæ de peccati originalis notione, & de pœnis parvulorum ſine baptiſmo mortuorum ſuperiùs dicta ſunt.

Quartum Argumentum.

Alia quoque probatio petitur ab immenſa gratitudine Chriſto Redemptori debita, quam profectò iſtud ſyſtema, ſi non penitùs tollit, ſaltem plurimùm imminuit. Unde quippe maxima illa gratitudo infidelium mentibus naſcitur, niſi quòd firmiſſimè credant ſe ab ira Dei & à damnatione æterna per Chriſti merita liberari? Porro, poſitâ poſſibilitate ſtatûs naturæ puræ, fundamentum iſtud evaneſcit. In eo quippe ſyſtemate, etiamſi Filius Dei incarnatus non fuiſſet, nequaquam æternæ damnationi obnoxii fuiſſemus; ſed vel in infantia mortui omnis moleſtiæ expertes in æternum viveremus, vel ad ætatem adultam perducti, per ſolas liberi arbitrii vires naturali auxilio adjutas, peccata mortalia vitare, & omnem in altera vita pœnam effugere poſſemus, necnon beatitudinem noſtro ſtatui accomodatam & proportionatam conſequi: naturalem illam quidem & à regno cœlorum diverſam; at quid tanti refert utrùm naturali aut ſupernaturali felicitate beatus ſis, modò ſorte tua contentus in æternum vivas, nihilque amplius deſideres?

Si

Si dicas Chriſtum morte ſua beatitudinem multò excellentiorem nobis promeruiſſe, id ultrò quidem fatebor; ſed, illo in ſyſtemate, præcepta quoque nobis impoſuit multò graviora & difficiliora, eaque transgredientibus pœnas comminatus eſt multò acerbiores. Adde paucos ad illam ſupereminentem beatitudinem pervenire, in comparatione illorum qui pœnis æternis cruciabuntur, juxta iſtam ipſius Chriſti ſententiam, *multi vocati, pauci verò electi.* Proinde, in illo ſyſtemate, quanto altiùs ſpes noſtras erexit Chriſtus, tantò etiam pericula noſtra auxit; adeò ut, libratis hinc & inde commodis & incommodis, incertum maneat utrùm nobis de Chriſti adventu magis gratulandum, quàm dolendum ſit; utrùm nobis plus boni contulerit cœlum referando, ad quod pauci comparatione pereuntium perveniunt, quàm mali, ſempiternæ gehennæ cruciatibus innumeros peccatores damnando. Horrenda ſane conſecutio, quam tamen admittere non veritus eſt Sfondratus in *Nodo prædeſtinationis diſſoluto*, part. 1. § 1. num. 23, ubi docet ſortem parvulorum, qui ſine baptismo de vitâ exeunt, ſapientum omnium judicio, valde præferendam eſſe promiſſioni vitæ æternæ, comparatè cum incertitudine illam adipiſcendi, & cum periculo damnationis æternæ.

Quintum Argumentum.

Homo in præſenti naturæ ſtatu internis diſſidiis agitatus, ſecum ipſe perpetuò luctari cogitur. Naturaliter appetit ſummam beatitudinem, eam tamen aſſequi non valet: naturaliter appetit verum cognoſcere, & ſæpenumerò erroris ludibrium eſt: naturaliter vult non mori, non pati, non offendi, & invitus moritur, patitur, offenditur: naturaliter approbat bonum, & pronus eſt in malum & libidines: non facit bonum quod vult, malum quod non vult facit. An verò hujusmodi portentum tam ſibi diſſimile à Deo ſummè bono, ſummè ſapiente creari potuit? Gentiles ipſi Philoſophi, quos originale peccatum latebat, ſola ratione duce perſpexerunt internam illam diſcordiam naturæ primordium eſſe non potuiſſe, ideòque fabulas alii alias confinxerunt. Nonnulli eò cæcitatis devenerunt, ut dicerent Deum nullam curam gerere rerum humanarum, hunceque inferiorem mundum geniis quibusdam malignis producendum adminiſtrandumque commiſiſſe. Alii neſcio quam vitam anteriorem commenti ſunt, in quâ animæ rationales peccaverint, meruerintque in corpora detrudi, totque malis & inteſtinis diſſidiis torqueri. Manichæi æternam quamdam mali ſubſtantiam nobis commixtam imaginati ſunt. Solius veræ religionis proprium id eſſe debet, ut hujusmodi diſcordiam hominisque ſecum ipſo conflictum cum divina bonitate & ſapientia conciliet, eorumque cauſam & originem detegat. Hoc autem egregiè præſtat Chriſtiana religio, cum docet naturam humanam longè aliter, quàm nunc eſt, à Deo conditam fuiſſe, ejusque vitia è primi homi-

minis peccato erupiſſe. Verùm aſſertores poſſibilitatis naturæ puræ, contendendo hominem primitùs à Deo creari potuiſſe, qualis nunc eſt, præſidium illud religioni adimunt, eamque nudam & inermem impiorum aſſultibus objiciunt.

Hoc argumento eximiè uſus eſt S. Auguſtinus, ut peccati originalis fidem contra Pelagianos adſtrueret. Lib. 4 *contra Julianum*, cap. 12. num. 60, commemorat quod à Tullio dictum eſt lib. 3 de Republica, *hominem non ut à matre, ſed ut à noverca natura editum in vitam, corpore nudo, fragili & infirmo, animo autem anxio ad moleſtias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen ineſſet quaſi obrutus quidam divinus ignis ingenii & mentis:* tum ſic alloquitur Julianum: „ Quid ad hæc dicis? Non hoc iſte auctor malè viventium mo„ ribus dixit effectum, ſed naturam potiùs accuſavit. Rem vidit, cau„ ſam neſcivit. Latebat enim eum cur eſſet grave jugum ſuper filios „ Adam, ... quia ſacris litteris non eruditus ignorabat originale pec„ catum." Et cap. 15. num. 78: „ Videntur non fruſtra fidei Chris„ tianæ propinquaſſe (Gentiles Philoſophi), qui vitam iſtam fallaciæ „ miſeriæque pleniſſimam non opinati ſunt niſi divino judicio contigiſſe, „ tribuentes utique juſtitiam conditori, à quo factus eſt & adminiſtratur „ hic mundus. Quantò ergo te meliùs veritatique viciniùs de hominum „ generatione ſenſerunt, quos Cicero in extremis partibus Hortenſii „ dialogi, velut ipſâ rerum evidentiâ ductus compulſuſque, commemo„ rat!" Opinatos nimirum illa mala non ex ipſa naturæ inſtitutione deſcendere, ſed in peccatorum ab animis in anteriori vita commiſſorum pœnam retributa fuiſſe. Et ibidem, cap. & num. ultimo: „ Parvulos „ intuere, quot & quanta mala patiantur, in quantis vanitatibus, cru„ ciatibus, erroribus, terroribus creſcant. Deinde jam grandes, etiam „ Deo ſervientes tentat error ut decipiat, tentat labor aut dolor ut „ frangat, tentat libido ut accendat, tentat mœror ut ſternat, tentat „ typhus ut extollat; & quis explicet omnia feſtinanter, quibus grava„ tur jugum ſuper filios Adam? Hujus evidentia miſeriæ gentium Phi„ loſophos, nihil de peccato primi hominis ſive ſcientes, ſive creden„ tes, compulit dicere, ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore, „ pœnarum luendarum causâ nos eſſe natos, & animos noſtros corrup„ tibilibus corporibus, eo ſupplicio quo Hetruſci prædones captos affli„ gere conſueverant, tanquam vivos cum mortuis copulatos. Apoſto„ lus autem amputat opinionem, quâ creduntur ſingulæ animæ, pro me„ ritis anteactæ vitæ, diverſis corporibus inſeri. Quid igitur reſtat, „ niſi ut cauſa iſtorum malorum ſit aut iniquitas, aut impotentia Dei, „ aut pœna primi veteriſque peccati? Sed quia nec injuſtus, nec im„ potens eſt Deus, reſtat quod non vis, ſed cogeris confiteri, quòd „ grave jugum ſuper filios Adam..... non fuiſſet, niſi peccati originalis „ meritum præceſſiſſet."

Hu-

Hujus demonſtrationis evidentiæ quid addi poteſt? Videmus 1° Gentiles ipſos, etſi peccati originalis penitùs ignaros, pervidiſſe tamen præſentem hominis ſtatum ipſius primordium eſſe non potuiſſe. Videmus 2° illos non temerè, ſed ipſâ rerum evidentiâ convictos id agnoviſſe. Videmus 3° eosdem, opinando naturæ vitia pœnam eſſe ſcelerum in anteriore vita, quam ſupponebant, admiſſorum, multò rectiùs veritatique viciniùs de juſtitia divina ſenſiſſe, quàm Pelagianos contendentes hominem talem, qualis nunc eſt, ab initio creatum fuiſſe. Videmus 4° eos, qui tot ac tanta naturæ humanæ vitia hominis primordium eſſe potuiſſe afferunt, effugere non poſſe quin conſequenter dicere cogantur Deum vel impotentem eſſe, ſi tot mala à creatura ſua innocente removere non potuit, vel injuſtum, ſi, cùm potuerit, noluit. Ergo ingenitus omnium hominum ſenſus, Philoſophorum Ethnicorum conjecturæ, S. Auguſtini auctoritas, naturæ ipſius fœditas & miſeria apertè clamant ſtatum naturæ puræ non eſſe poſſibilem. Argumentum iſtud eleganter tractavit Paſcal, Sententiarum art. 3 & 21, quem conſulite. Penſées de M. Paſcal.

Sextum Argumentum.

Hucusque ſtatum naturæ puræ generatim ſpectatum conſideravimus. Nunc diſcutiendæ ſunt ſingulæ partes ex quibus conſtat adverſa opinio. Statum naturæ puræ eum eſſe dicunt, in quo homo non ordinaretur ad fruendum Deo, ſed ad finem merè naturalem; in quo gratia tum habituali, tum actuali deſtitutus crearetur; in quo ignorantiæ, concupiſcentiæ, morti, cæterisque hujus ærumnoſæ vitæ miſeriis obnoxius foret. Porro divinis attributis repugnat hominem in hujusmodi ſtatu primitùs creari. Ergo ſtatus naturæ puræ non eſt poſſibilis. Minor patebit ſingulos ſtatûs naturæ puræ caracteres ſigillatim exponendo.

I.

Divinæ ſapientiæ ac providentiæ repugnat hominem ordinari ad alium finem, quàm ad fruendum Deo.

Probatur. Providentiæ & ſapientiæ divinæ repugnat creaturam rationalem, cui vehementiſſimum ſummæ beatitudinis deſiderium indidit, ad eum finem ordinare quo beata eſſe nequeat. Atqui nullo bono naturali & creato, ſed ſola Dei fruitione creatura rationalis beata eſſe poteſt. Majorem propoſitionem ſeipſâ evidentem concedunt adverſarii: ſola itaque minor nobis probanda eſt.

1°. Sola Dei ſummi boni fruitione ſatiari & expleri poteſt naturale & innatum creaturæ rationalis deſiderium. Nemo certè beatus eſt, niſi quod amat poſſideat, & niſi illud amet quod reipſâ amandum eſt, ut præclarè docet S. Auguſtinus lib. *de Beatâ vitâ*, in diſputatione primæ diei; Sola Dei fruitione ſatiari & expleri poteſt innatum cre-

aturæ rationalis deſiderium.

dei; lib. 3 *de Trinitate*, cap. 5, 6 & 7, & lib. *de Moribus Eccleſiæ Catholicæ*, cap. 3. num. 4, ubi ſic loquitur: „ Beatè certè omnes vivere volumus...... Beatus autem, quantùm exiſtimo, neque ille dici poteſt, qui non habet quod amat, qualecunque ſit; neque qui „ habet quod amat, ſi noxium ſit; neque qui non amat quod habet, „ etiamſi optimum ſit. Nam & qui appetit quod adipiſci non poteſt, „ cruciatur; & qui adeptus eſt quod appetendum non eſt, fallitur; & „ qui non appetit quod adipiſcendum eſt, ægrotat. Nihil autem iſtorum animo contingit ſine miſeria; nec miſeria & beatitudo in homine uno ſimul habitare conſueverunt: nullus ergo illorum beatus „ eſt. Quartum reſtat, ut video, ubi beata vita inveniri queat, cùm „ id, quod hominis eſt optimum, & amatur & habetur.“ Addit ſolum Deum eſſe illud optimum, quia ſolus anima rationali præſtantior eſt.“ Deus igitur reſtat, inquit cap. 6. num. 10, quem ſi ſequimur, „ benè, ſi aſſequimur, non ſolùm benè, ſed etiam beatè vivimus.“

Idem adſtruit multis aliis in locis. Sic lib. *de Natura boni*, cap. 7: „ Tam magnum bonum eſt creatura rationalis, inquit, ut nullum ſit „ bonum quo beata ſit, niſi Deus.“ Et lib. 12 *de Civitate Dei*, cap. 1. num. 2 & 3: „ Non eſt naturæ rationalis vel intellectualis bonum, quo „ beata ſit, niſi Deus...... Magna ſunt ea mutabilia bona, quæ adhærere poſſunt, ut beata ſint, immutabili bono, quod usque adeò „ bonum eorum eſt, ut ſine illo miſera eſſe neceſſe ſit...... Quod cùm „ ita ſit, huic naturæ, quæ in tanta excellentia creata eſt, ut, licet „ ipſa ſit mutabilis, inhærendo tamen incommutabili bono, id eſt, „ ſummo Deo, beatitudinem conſequatur, nec expleat indigentiam „ ſuam niſi utique beata ſit, eique explendæ non ſufficiat niſi Deus, „ profectò non illi adhærere vitium eſt: omne autem vitium naturæ „ nocet, ac per hoc contra naturam eſt.“ Poterat ne S. Doctor apertiùs declarare non alium eſſe poſſe finem hominis quàm ipſum Deum? Hanc autem hominis excellentiam non inde repetit, quòd ſublimatus fuerit ad ſtatum ſupernaturalem, ſed à natura ipſa animæ rationalis, quæ non ſolùm Deo fruendi capax eſt, ſed etiam ſola ipſius fruitione expleri poteſt; adeò ut, ſi ab illa excludatur, neceſſariò miſera ſit.

S. Bernardus, ſeu potiùs Gaufridus Abbas Claravallenſis, in hæc Evangelii verba: *Ecce nos reliquimus omnia* &c, § 25. num. 30: „ Ad „ imaginem Dei facta anima rationalis, inquit, cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt. Capacem Dei quidquid Deo „ minus eſt non implebit.“

Idem docet S. Thomas 1. 2. quæſt. 2. art. 8. in corp. „ Impoſſibile „ eſt, inquit, beatitudinem hominis eſſe in aliquo bono creato. Beatitudo enim eſt bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum: „ alioquin non eſſet ultimus finis, ſi reſtaret adhuc aliquid appetendum: objectum autem voluntatis, quæ eſt appetitus humanus, eſt „ uni-

Digitized by Google

„ univerſale bonum, ſicut objectum intellectûs eſt univerſale verum: „ ex quo patet quod nihil poteſt quietare voluntatem hominis, niſi „ bonum univerſale, quod non invenitur in aliquo creato, ſed tantùm „ in Deo, quia omnis creatura habet bonitatem participatam.“

2°. Homo beatus eſſe nequit, niſi adepto bono quod omnes naturaliter ac neceſſariò appetimus, ſub ratione confuſa boni ſummi & univerſalis. Porro bonum illud non aliud eſt quàm ipſe Deus. Bonum quippe omnes naturaliter appetimus, quod nullis limitibus coarctetur, quod ſummum, infinitum, æternumque ſit. Hæc autem attributa ſolius Dei propria ſunt. Quamobrem S. Auguſtinus, lib. 1 *Soliloquiorum*, cap. 1, ait, „ Deum eſſe quem amat omne quod amare poteſt, ſive ſciens, ſi„ve neſciens.“ Et S. Thomas, part. 1. quæſt. 60. art. 5. ad 4 & ad 5: „ Deum, in quantùm eſt commune bonum, naturaliter amari ab om„nibus.“ Ergo creatura rationalis beata eſſe nequit, niſi Deo ipſo perfruatur.

Deus ipſe eſt bonum illud quod omnis homo naturaliter appetit ſub ratione boni univerſalis.

3°. Solâ Dei in ſeipſo intuitivè viſi fruitione naturale hominis deſiderium ſatiari poteſt, ſi expleri nullomodò queat per abſtractivam cognitionem, quâ inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Porro rem ita eſſe docet, ſexque argumentis comprobat S. Doctor, lib. 3 *contra Gentiles*, cap. 50. Primò, inquit, omne imperfectum in aliqua ſpecie naturaliter deſiderat conſequi perfectionem illius ſpeciei. Hinc qui de re aliquâ habet opinionem, quæ imperfecta eſt illius rei notitia, hoc ipſo incitatur ad deſiderandam certam & claram ejus notitiam. Porro abſtractiva Dei cognitio eſt imperfecta: in ea igitur non quieſcit naturale cognoſcendi deſiderium, ſed incitatur magis ad deſiderandam divinæ ſubſtantiæ cognitionem. 2°. Ex cognitione effectuum naturaliter exurgit deſiderium cognoſcendi cauſam. Ex hoc igitur quòd cognoſcimus Deum eſſe cauſam effectricem omnium quæ in orbe conſpicimus, non quieſcit naturale cognoſcendi deſiderium, niſi Deum ipſum conſpiciamus. 3°. Qui vident aliquid eſſe, naturaliter noſſe deſiderant quid illud ſit, ſeu illius ſubſtantiam intelligere. *Non igitur quietatur naturale ſciendi deſiderium* eâ cognitione Dei, quâ *ſcitur de ipſo ſolùm quia eſt.* 4°. „ Nihil finitum intellectûs deſiderium quie„tare poteſt; quod exinde oſtenditur, quòd intellectus, quolibet fini„to dato, aliquid ultra molitur apprehendere. Non igitur intellec„tus...... quieſcit per hoc quòd cognoſcit ſubſtantias creatas, quantùm„cunque eminentes; ſed adhuc naturali deſiderio tendit ad intelligen„dam ſubſtantiam quæ eſt altitudinis infinitæ.“ 5°. Omnibus naturis intellectualibus naturaliter inſitum eſt deſiderium ea intelligere, quæ ſibi non perſpicua ſunt. Cùm ergo ſciant divinam ſubſtantiam ſibi eſſe ignotam, *tendit naturale ipſarum deſiderium ad intelligendam divinam ſubſtantiam.* 6°. Addit S. Doctor naturale illud deſiderium multò vividius eſſe in ſubſtantiis ſpiritualibus à corpore ſolutis, quàm in eis quæ mor-

Mens humana naturaliter deſiderat claram Dei viſionem. Sex argumenta S. Thomæ.

tali corpori unitæ ſunt. „ Quantò enim, inquit, aliquid eſt fini pro-
„ pinquius, eò majori deſiderio tendit ad finem...... Intellectus au-
„ tem ſubſtantiarum ſeparatarum propiores ſunt divinæ cognitioni,
„ quàm noſter intellectus. Intenſius igitur deſiderant Dei cognitio-
„ nem, quàm nos: nos autem, quantùmcunque ſciamus Deum eſſe,....
„ non quieſcimus deſiderio, ſed adhuc deſideramus Deum per eſſen-
„ tiam ſuam cognoſcere: multò igitur magis ſubſtantiæ ſeparatæ hoc
„ naturaliter deſiderant. Non igitur in cognitione Dei prædictâ earum
„ deſiderium quietatur.“ Ex quibus omnibus ſic concludit, cap. 51:
„ Cùm autem impoſſibile ſit naturale deſiderium eſſe inane,..... ne-
„ ceſſe eſt dicere quòd poſſibile eſt ſubſtantiam Dei videri per intel-
„ lectum, & à ſubſtantiis ſpiritualibus ſeparatis, & ab animabus noſ-
„ tris.“

Porro Angelicum Doctorem non loqui in hypotheſi elevationis naturæ ad ſtatum ſupernaturalem, ſed attentâ ipſâ per ſe naturâ intellectûs creati, tum ipſius ſcopus, tum argumenta quibus utitur, tum ipſemet loquendi modus manifeſtè demonſtrant. Id quippe ibi intendit, ut ex ipſamet ratione Gentiles convincat poſſibile eſſe divinam ſubſtantiam in ſeipſa videri. Si verò ſuppoſuiſſet elevationem naturæ ad ſtatum ſublimiorem, non jam ratione, ſed auctoritate agere debuiſſet, Gentileſque omnia ejus argumenta unico verbo exſufflaſſent, negando hujuſmodi naturæ ſublimationem.

Neque verò hæc doctrina S. Thomæ peculiaris fuit, ſed & plerorumque veterum Scholaſticorum: Scoti, quæſt. 1. Prologi, & in 4um, diſtinct. 49. quæſt. 9 & 10; Durandi, ibidem, quæſt. 8; Majoris, quæſt. 6; Paludani, quæſt. 7. art. 2. concl. 2; Richardi de Mediâ Villâ, in eamdem diſtinctionem; Dominici Soto in 4um, diſtinct. 29. art. 1, quæſt. 2, aliorumque plurimorum. Fatetur ipſe Molina, quæſt 12. art. 1. diſput. 3, „ communiorem Scholaſticorum ſententiam aſſerere,
„ eſſe in nobis appetitum naturalem ad beatitudinem in particulari, at-
„ que ea de cauſa illam dicendam eſſe finem noſtrum naturalem, non
„ quoad aſſecutionem & ſimpliciter,..... ſed quoad appetitum & po-
„ tentiam paſſivam.“ Idem confitetur Suarez, Prolegom. 4 *de Gratiâ*, cap. 1. num. 6, & Bellarminus, lib. *de Gratiâ primi hominis*, cap. 7, ubi ſic loquitur: „ Reſpondeo beatitudinem (ſempiternam, quæ in
„ viſione Dei ſita eſt) finem hominis naturalem eſſe quoad appetitum,
„ non quoad conſecutionem. Neque eſt aut novum, aut hominis na-
„ turâ indignum, ut naturaliter appetat quod non niſi ſupernaturali
„ auxilio conſequi valeat. Non eſt, inquam, novum; ſiquidem ani-
„ mæ hominum ſolutæ corporibus naturalem habent ordinem & propen-
„ ſionem ad corpora quorum formæ fuerunt, nec tamen iterum conjun-
„ gi corporibus ſine ſupernaturali auxilio poterunt. Non eſt autem na-
„ turâ humanâ indignum, ſed contra potiùs ad maximam ipſius perti-

„ net

Digitized by Google

„ net dignitatem, quòd ad ſublimiorem finem condita ſit, quàm ut eum „ ſolis naturæ viribus attingere poſſit.“

Nullius rei creatæ fruitione expleri poteſt naturale hominis deſiderium mentisque capacitas.

4°. In ſola Dei fruitione ſita eſt hominis beatitudo, ſi nihil aliud, præter Deum, ſatiare poſſit naturale ipſius deſiderium mentisque capacitatem. Porro res ita eſt. Si enim alia poſſet eſſe hominis beatitudo, maximè bonorum omnium creatorum pacata & ſecura fruitio: nihil quippe medium eſt Deum inter & creaturas. Referretur quidem, ſi velis, illa beatitudo ad Deum, tanquam bonorum illorum auctorem & largitorem; ſed Deus ipſe non eſſet finis ultimus ſummumque bonum, in quo tandem quiesceret appetitus naturalis. Atqui bonorum omnium creatorum tranquilla fruitio naturale hominis deſiderium ſatiare nullomodò poteſt. Bonum enim, quod naturaliter appetimus, debet eſſe 1° immutabile & æternum, quod nunquam deficiat; alioquin metus illud amittendi anxios ac ſollicitos nos perpetuò teneret. 2°. Debet eſſe infinitum; quæcunque enim bona appetimus, nullis finibus concludi volumus, ut patet exemplo avarorum, ambitioſorum &c, qui nunquam dicunt, ſufficit. 3°. Debet eſſe ita commune omnibus, ut totum ſimul à ſingulis poſſideri queat; aliter enim beatitudo unius foret diminutio beatitudinis alterius. 4°. Debet eſſe homine præſtantius & excellentius: quod enim hominem facit beatum, hoc ipſo illum perficit; perficere autem hominem nequit niſi quod ipſo ſublimius eſt. Anima quoque rationalis ſeipſam deprimit, ſi rebus ipſâ inferioribus adhæreat, ut docet S. Auguſtinus lib. 6 *de Muſicâ*, cap. 14; lib. 1 *de Sermone Domini in monte*, cap. 12; lib. *de Verâ Religione*, cap. 20, & Conc. 2 in pſalmum 32. num 15, ubi ait: „ Cùm beatus fueris, melior utique „ eris quàm cùm miſer es. Fieri autem non poteſt ut res deterior te „ faciat meliorem. Homo es: deterius te eſt quidquid cupis, quo bea- „ tus eſſe deſideras.“ Et num. 16: „ Poteſt melius fieri corpus tuum „ per animam tuam, ut, cùm fuerit juſtus animus, ſit etiam immor- „ tale corpus tuum...... Jam ergo ſupereſt ut quæras quid ſit melius „ quàm animus tuus. Quid erit, obſecro, niſi Deus tuus?“ 5°. Debet eſſe nobis intimum, mentemque noſtram interiùs afficere. Atqui nullis rebus creatis hujusmodi dotes competunt, ſed ſolì Deo, qui ſolus eſt bonum immutabile & æternum, bonum ſummum & infinitum, bonum omnibus commune, quod totum à ſingulis participari queat, bonum naturis intellectualibus longè præcellentius, bonum mentem immediatè afficiens, nobisque *intimius intimo noſtro*, ut loquitur S. Auguſtinus. Ergo ſola Dei fruitione poteſt homo fieri verè beatus.

Veritatem iſtam ſeipſâ perſpicuam quotidiana quoque experientia comprobat. Conſtat enim hominem, quantâlibet divitiarum, voluptatum, ſcientiarum, dignitatum, amicorum copiâ affluat, non ideò eſſe beatum. Nemo certè plura aut majora bona temporalia ſperare poteſt, quàm habuit Salomon ille, in quo cumulatiſſimè congeſta fuerunt quæ-

cun-

cunque ad procreandam felicitatem conducere poſſe videntur; opes ingentes, majeſtas regia, continua cum finitimis gentibus pax, ſanum & validum corpus, fama celeberrima, ſapientia, rerumque abſtruſarum notitia, quâ majorem nemo unquam habuit. *Quis*, ait ipſemet, Eccleſ. II. 25, *ita deliciis affluet, ut ego?* Et ibid. v. 10: *Omnia quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur.* Nedum tamen tot bonorum congerie & amplitudine veram beatitudinem aſſecutus ſit, teſtatur idem ipſe, ſe in illis omnibus non reperiſſe niſi *vanitatem & afflictionem ſpiritûs.* Adeò verum eſt quod ait S. Auguſtinus initio libri 1 Confeſſionum: *Feciſti nos, Domine, ad te, & irrequietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.*

Nec dicas, propterea hominem nunc nullis bonis creatis expleri poſſe, quòd ſpeciali bonitate Dei ordinatus fuerit ad finem ſupernaturalem. Nam ſi illa ordinatio eſſet adventitia, & non in ipſa natura rationali fundata, naturalem mentis capacitatem non augeret; ac proinde, ſi naturalis capacitas intellectûs & voluntatis nullis rebus creatis expleri poteſt, idem in quocunque naturæ ſtatu æqualiter locum habere debet.

Naturali & æterna lege jubemur diligere Deum, ut ſolum bonum noſtrum finemque ultimum.

5°. Lege naturali & æternâ tenemur *diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente.* Lex illa non fundatur in elevatione quadam factitia ad ſtatum ſupernaturalem, ſed in ipſo rerum ordine immutabili. Porro eâ lege vel jubemur diligere Deum, tanquam unicum noſtrum ſummum bonum finemque ultimum, quo fruamur, & in quo tandem quieſcamus, vel tanquam medium quo ad aliud perveniamus. Nihil eſt medium: quidquid enim diligitur, aut diligitur propter ſe, aut diligitur propter aliud, quod per illud comparandum ſperatur. Atqui ſumma inordinatio eſt diligere Deum ad conſequenda ejus ope bona creata, quæ largitur aut largiri poteſt: ſic enim pluris faceremus bona creata quàm Deum ſummum bonum; nec Deum propter ſe, ſed propter aliud ab eo diſtinctum diligeremus, atque adeò propriè non diligeremus. Ut enim ait S. Auguſtinus in pſalmum 77, num. 20: „ Qui „ propter beneficia terrena Deum quærunt, non utique Deum, ſed illa „ quærunt...... Sic ergo Deus non colitur: hoc enim colitur quod di- „ ligitur.“ Et lib. 11 *de Civitate Dei*, cap. 25: „ Perverſè frui volunt „ nummo, uti autem Deo, quoniam non nummum propter Deum, „ ſed Deum propter nummum colunt.“

Reſtat igitur ut naturali & æterna lege teneamur diligere Deum propter ſe, ut unicum finem noſtrum ultimum, cujus fruitione beati ſimus. Hinc S. Auguſtinus lib. 1 *de Libero arbitrio*, cap. 15. num 32: „ Lex æterna, inquit, (id eſt, lex immutabilis & independens à qua- „ libet hypotheſi) jubet avertere amorem à temporalibus, & eum mun- „ datum convertere ad æterna.“ Et S. Fulgentius, lib. 1 *ad Monimum*, cap. 18: „ CREATURÆ RATIONALI ALIA BEATITUDO NEC PO- „ TUIT, NEC POTEST ESSE, NEC POTERIT, niſi ut agnoſcens à „ quo

„ **quo non ſolùm facta, ſed etiam rationalis eſt facta,** majorem dilec-
„ tionem exhibeat bono creatori quàm ſibi.“

Omittere non debeo quæ hanc in rem docet S. Anſelmus in Monologo, ubi, ſolâ ratione duce, demonſtrat creaturam rationalem ad hoc eſſe factam naturaliter, ut in æternum Deo perfruatur, eoque ſolo beata eſſe poſſit. Sic ille loquitur cap. 68, al. 66: „ Satis patere videtur omne rationale ad hoc exiſtere, ut, ſicut ratione diſcretionis aliquid magis vel minùs bonum, ſive non bonum judicat, ita magis aut minùs id amet aut reſpuat. Nihil igitur apertiùs quàm rationalem creaturam ad hoc eſſe factam, ut ſummam eſſentiam amet ſuper omnia, ſicut ipſa eſt ſummum bonum, immò ut nihil amet niſi illam aut propter illam, quia illa eſt bona per ſe, & nihil aliud eſt bonum niſi per illam.“ Et cap. 69: „ Dubium autem non eſt animam humanam eſſe rationalem creaturam: ergo neceſſe eſt eam eſſe factam ad hoc ut amet ſummam eſſentiam. Neceſſe eſt igitur eam eſſe factam ad hoc, ut ſine fine amet, aut ad hoc, ut aliquando vel ſponte, vel violenter hunc amorem amittat. Sed nefas eſt æſtimare ſummam ſapientiam ad hoc eam feciſſe, ut aliquando tantum bonum aut contemnat, aut volens tenere aliquâ violentiâ perdat. Reſtat igitur eam ad hoc eſſe factam, ut ſine fine amet ſummam Dei eſſentiam.“ Inde concludit animam humanam eſſe immortalem. Et cap. 70, al. 68, ſupponendo quod mox probaverat, animam humanam ad hoc factam eſſe naturaliter, ut amet ſummam eſſentiam, ſic proſequitur: „ Si juſtiſſimus & potentiſſimus nihil retribuit; amanti, non diſcernit juſtiſſimus inter amantem & contemnentem id quod ſummè amari debet, nec amat amantem ſe, aut non prodeſt amari ab illo: quæ omnia ab illo diſſonant. Retribuit ergo omni ſe amare perſeveranti. Quid autem retribuit?..... Utique nihil poteſt eſſe præmium hujus amoris, niſi quod ſupereminet in omnibus naturis. Etenim ipſum idem bonum, quod ſic ſe amari exigit, non minùs ſe ab amante deſiderari cogit. Nam quis ſic amat juſtitiam, veritatem, beatitudinem, incorruptibilitatem, ut his frui non appetat? Quid ergo ſumma bonitas retribuet amanti & deſideranti ſe, niſi ſeipſam? Nam quidquid aliud tribuat, non retribuit, quia nec compenſatur amori, nec conſolatur amantem, nec ſatiat deſiderantem: aut ſi ſe vult amari & deſiderari ut aliud retribuat, non ſe vult amari & deſiderari propter ſe, ſed propter aliud; & ſic non vult ſe amari, ſed aliud; quod cogitare nefas eſt.“ His argumentis ex ipſa creaturæ rationalis natura petitis, ſemotâ etiam, ſi velint, S. Anſelmi quamvis minimè ſpernendâ auctoritate, quid ab adverſariis reſponderi poſſit, ego certè non video.

6°. Mirum eſt à Theologis id controverti, quod ipſimet Philoſophi morales, ſolâ ratione duce, ut certum & indubitatum uno conſenſu docent. Porro inter Philoſophos Chriſtianos nullus eſt (quem ſciam) qui Philoſophorum conſenſus.

Digitized by Google

qui in Ethicâ, ubi agitur de hominis beatitudine, non doceat Deum ſolum eſſe beatitudinem noſtram objectivam, quia ſola clara Dei viſione ac fruitione expleri poteſt immenſa intellectûs amplitudo, voluntatisque capacitas. Quin etiam nonnullos ex gentibus Philoſophos, ac præſertim Platonicos, id pervidiſſe teſtatur S. Auguſtinus, lib. 8 *de Civitate Dei*, cap. 5 & 8, ubi, inter alia, hæc dicit: „ Ipſum verum ac ſummum bonum Plato dixit Deum. Unde vult eſſe Philoſophum amatorem Dei, ut, quoniam Philoſophus ad beatam vitam tendit, fruens Deo ſit beatus qui Deum amaverit." Et lib. 10. cap. 1. num. 1: „ Illud quod omnes homines appetunt, id eſt, beatam vitam, quemquam iſti (Platonici) aſſecuturum negant, qui non uni illi optimo, qui eſt incommutabilis Deus, puritate caſti amoris adhæſerit." Et cap. 3. num. 2: „ Bonum noſtrum, de cujus fine inter Philoſophos magna contentio eſt, nullum aliud eſt, quàm illi cohærere, cujus unius anima intellectualis, incorporeo, ſi dici poteſt, amplexu, veris impletur fœcundaturque virtutibus."

S Auguſtinus ex profeſſo aſſeruit contra Pelagianos, repugnare juſtitiæ divinæ hominem innocentem excludi à regno cœlorum, extra quod, inquit, non poteſt non eſſe miſer.

Probatur II° hæc pars propoſitionis ex diſputatione Eccleſiæ adverſus Pelagianos. Contendebant illi hominem nunc naſci creatumque primitùs fuiſſe in puris naturalibus, innoxium quidem, ſed juſtitiæ expertem, nec ordinari ex natura ſua niſi ad finem naturalem; ſed per baptiſmum evehi ad ſtatum ſupernaturalem, jusque conſequi ad regnum cœlorum, *quod quia vires naturæ non habent*, inquiebant, id eſt, quia ordinis eſt ſublimioris, *conferri neceſſe eſt per gratiæ largitatem*; eis verò qui in Chriſto non regenerantur, ſi peccata propria non obſint, deſtinatam eſſe beatitudinem naturalem. Igitur ſi Eccleſia Catholica ſenſiſſet hominem non ordinari naturaliter ad regnum cœlorum Deique fruitionem, S. Auguſtinus reſpondere debuit talem quidem eſſe naturam humanam, ſed ſpeciali Dei bonitate hominem creatum fuiſſe in ſtatu ſupernaturali, ordinatumque ad fruendum Deo. Si verò credidit animam rationalem ex natura ſua ordinari ad fruendum Deo, nec aliter beatam eſſe poſſe, reſpondere debuit S. Doctor, parvulos ſine baptiſmo defunctos excludi non poſſe à regno cœlorum Deique fruitione, quin hoc ipſo miſeri ſint, eamque pœnam à Deo juſto illis infligi non poſſe, ſi peccato careant. Atqui hoc altero modo ſemper reſpondit Eccleſiæ cauſam agens S. Auguſtinus.

Ac primò docet, excludi à regno cœlorum, magnam per ſe pœnam eſſe. Ipſum audiamus: ſic loquitur lib. 3 *contra Julianum*, cap. 3. num. 9: „ Verùm vos excellentiſſimi amatores illius vitæ, quæ futura eſt æterna cum Chriſto, nullam pœnam putatis eſſe imaginis Dei in æternum exulare à regno Dei; cùm, ſi parvam pœnam diceretis eſſe, non eſſet hæc vox beati amatoris illius regni, ſed miſeri contemptoris. Porro autem ſi, quod huic ſufficit cauſæ, parvam ſaltem pœnam fatemini eſſe, quæ magna eſt, ut imago Dei non ſinatur intrare in

„ reg-

„ regnum Dei, obſecro, aperite qualescunque oculos, & videte quâ „ juſtitiâ pœna iſta infligenda ſit parvulo, quem, clauſis oculis, originali „ obnoxium negatis eſſe peccato.“ Et lib. 3 *Op. imperf.* cap. 97: „ Regnum Dei non intrare imaginem Dei, nullam eſſe contumeliam deputatis. Ipſum enim regnum ſic amatis, ut non ibi eſſe, non ſaltem „ levem pœnam credatis hominis, ſed nullam.“

Eodem argumento Pelagianos urget Serm. 294, cap. 6: „ Si amatur „ patria, inquit, magna pœna: ſi autem non amatur patria, major eſt „ cordis pœna...... Si non deſiderat, pœna eſt de perverſitate: ſi autem deſiderat, pœna eſt de fraudatâ caritate. Sed ſi, quod vis, parva eſt pœna, & ipſa parva magna eſt, ſi nulla culpa eſt.“ Et lib. 6 *contra Julianum*, cap. 10. num. 32: „ Si hoc eis non erit malum, inquit, non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei: „ ſi autem amabunt, & tantùm amabunt quantùm innocentes amare „ debent regnum ejus, à quo ad ipſius imaginem creantur, nihil ne „ mali de hâc ipſa ſeparatione patientur?“ Al. Serm 14 de Verbis Apoſtoli.

His omnibus in locis apertiſſimè inculcatur parvulos à regno Dei excluſos, neceſſariò aut miſeros eſſe, aut perverſos: miſeros, ſi deſiderant regnum Dei; perverſos, ſi non deſiderant. Porro, admiſſâ poſſibilitate ſtatûs naturæ puræ, neutrum horum verum eſt. Nam illâ in hypotheſi nec miſeria eſt, nec perverſitas, non id deſiderare ad quod naturâ tuâ non ordinatus ſis. Prætereà, juxta S. Doctorem, parvuli, hoc ipſo quòd innocentes ſupponantur, non poſſunt non amare & deſiderare regnum Dei. Atqui in ſtatu naturæ puræ parvuli forent innocentes; ac proinde non poſſent non deſiderare regnum Dei.

2°. Aſſerit S. Doctor Deum injuſtum fore, ſi infantem peccati expertem excluderet à regno cœlorum.

Lib. 5 *contra Julianum*, cap. 1. num. 4, in medium adducit quempiam de multitudine Chriſtianâ, geſtantem parvulum ſuum absque baptismo mortuum, Pelagianos compellantem, & cum eis conquerentem quòd ille parvulus, nullo juxta ipſos peccato inquinatus, in regnum Dei intrare non ſinatur. „ Itane verò, inquit, tu (Juliane).... reſponſurus es homini atque dicturus: non ſolùm magna non eſt, ſed „ nulla omninò pœna eſt, imagines Dei nunquam poſſe intrare in regnum Dei? Puto quòd nec uni homini...... hoc dicere audebis. Te „ igitur ſive reſpondente quodlibet, ſive (quod magis à te exigeret, „ ſi non Chriſtiana, ſaltem humana verecundia) reticente, ingereret „ aſpectibus tuis filium ſuum, dicens: Juſtus eſt Deus; quid mali eſt „ quòd innocentem hanc ejus imaginem prohibet intrare in regnum „ ejus, ſi non hoc eſt peccatum quod per unum hominem intravit in „ mundum? Puto quòd nulla tibi aderit ſapientia, quâ tibi videaris „ illo indocto homine doctior, ſed, ſi à te receſſerit impudentia, illo „ infante remanebis infantior.“ Reſpondere tamen potuiſſet Julianus hu-

Digitized by Google

hujuſmodi parvulum, tametſi innocentem, non injuſtè excludi à regno Dei, ut pote quod ſit ordinis ſupernaturalis, neque idcircò miſerum eſſe parvulum, eoquòd aliâ beatitudine naturæ ſuæ accomodatâ in ſempiternum fruiturus ſit; eâque in reſponſione, ſi poſſibilitas naturæ puræ ſemel admittatur, nihil non verum rationique congruum fuiſſet. Verùm S. Auguſtinus è contrario indubitanter affirmat, nihil Pelagianis ſuppetere quod reſpondere queant. Adeò ipſi & Eccleſiæ, cujus cauſam tuebatur, perſuaſum fuit, ſtatum naturæ puræ, in quo homo non ordinaretur ad fruendum Deo, juſtitiæ divinæ repugnare.

Ibidem, cap. 11. num. 44: „ Cogitare non vultis, inquit, quâ illos „ (infantes) damnatione puniatis, alienando à vita Dei & à regno „ Dei tot imagines Dei...... Hæc autem injuſtè patiuntur, ſi nullum „ habent omnino peccatum; aut ſi juſtè, habent ergo originale peccatum.“ Et lib. 6. cap. 10. num. 32: „ Dicis quòd, cùm Deus parvulis „ nihil de proprio tam boni quàm mali merentibus (id eſt, in ſtatu naturæ puræ conſtitutis) gloriam regenerationis attribuit, hoc ipſo eos „ ad ſuum jus, ad ſuam curam, ad ſuum dominium pertinere docet, „ quòd eorum voluntatem ineffabilis prævenit largitate beneficii.“ En tum ſtatus naturæ puræ, tum ejus gratuita tranſlatio ad ſtatum ſupernaturalem à Pelagianis perſpicuè expoſita: attendamus nunc S. Doctoris reſponſionem: „ Quid igitur, inquit, eum offenderunt, quos pariter in- „ nocentes, mundos, à ſe ad imaginem ſuam creatos innumerabiles ab „ iſto munere alienat, nec eorum voluntatem ineffabilis hujus prævenit „ largitate beneficii, ſeparans tot imagines ſuas à regno ſuo?“ Et lib. *de Peccato originali*, cap. 30. num. 35: „ Hujus tam horribilis pœnæ“ (quâ infans ſeparatur à populo Dei) „ juſtitia ſi quæratur, nonne iſto- „ rum omnis de libero arbitrio, & laudabili ſanitate ac puritate naturæ, quantùmlibet arguta ſit, argumentatio repercuſſa & confracta diſ- „ ſiliet?“ Similia videre eſt lib. 6. *contra Julianum*, cap. 1. num. 1, cap. 7. num. 19, cap. 24. num. 81; & lib. 3 *Op. imperf.* cap. 19. Ergo S. Auguſtino fixum & immotum fuit, infantes, ſi peccato careant, non niſi injuſtè excludi poſſe à regno & fruitione Dei. Id porro frivolum & falſum eſt, ſi ſtatus naturæ puræ ut poſſibilis admittatur.

Reſpondent adverſarii S. Doctorem ita diſputaſſe, ſupponendo (quod fides docet) hominem in creationis ſuæ exordio elevatum fuiſſe ad ſtatum ſupernaturalem. Miſerum effugium. 1° Namque unde id probant, cùm in allatis textibus nullum ſit hujuſmodi ſuppoſitionis veſtigium? 2°. Hæc interpretatio admitti nequit, quin dicamus adeò eximium Doctorem, peſſimâ argumentandi methodo, id perpetuò ſuppoſuiſſe in diſputatione contra Pelagianos, quod erat in quæſtione, quodque illi hæretici præfractè negabant. Contendebant quippe Adamum creatum fuiſſe, nuncque omnes homines naſci in puris naturalibus, nec niſi per baptiſmum, vel per gratiam ſanctificantem bonis operibus promeritam evehi

hi ad ſtatum ſupernaturalem. 3°. Aſſerit S. Auguſtinus non minùs injuſtum eſſe parvulos nullum peccatum habentes excludi à regno Dei, quàm injuſtum videbatur Pelagianis peccatum primi hominis ad ejus poſteros tranſire. Sic enim Julianum alloquitur lib. 3 *Op. impeṙf.* cap. 44: „ Quod autem tibi placet ut dicat Deus: *iniquiſſimum & ſtolidum* „ *eſt ut mea res, mea imago alienis aggravetur operibus,*..... cur non „ etiam hoc facis Deum dicere: iniquiſſimum & ſtolidum eſt ut mea „ res, mea imago per infidelitatem aut negligentiam parentum, vel „ quorumlibet inter quos vivit, vel per quamcunque neceſſitatem ſine „ baptiſmo de corpore exeat, & ad regnum meum non admittatur, nec „ vitâ vivat, quia carnem ſanctam non manducavit, neque ſanguinem „ bibit?“ Porro, independenter à qualibet hypotheſi, Pelagiani docebant iniquum eſſe ut Adami peccatum ad ejus poſteros tranſmittatur: ergo, pariter independenter à qualibet hypotheſi, S. Auguſtinus aſſerebat iniquum eſſe imaginem Dei nullo peccato fœdatam excludi à regno Dei. 4°. Si S. Doctor, diſputando adverſus Pelagianos, ſuppoſuiſſet elevationem primi hominis ad ſtatum ſupernaturalem, tunc ſola ſcripturarum auctoritate pugnare contra illos debuiſſet; ſiquidem elevationem illam non niſi per divinam revelationem nobis innoteſcere poſſe contendebant illi hæretici. Atqui S. Doctor è contrario affirmat, etiam ſemotâ fide, nullomodò defendi poſſe juſtitiam Dei parvulos innoxios à regno ſuo excludentis. Sic namque loquitur Serm. 294, cap. 5 & 6: „ Quo- Al. Serm. 14 de Verbis Apoſtoli.
„ niam vos aliquando contra evidentiſſimam auctoritatem ratiocinatio „ humana delectat, proferte ipſam regulam rationis veſtræ, & aſſerite „ quantis valueritis viribus unde vincatur iſte, qui parvulis propter „ merita innocentiæ, propter nullam, ſicut dicitis, culpam, hoc eſt, „ originale peccatum, dare voluerit etiam non baptizatis, non ſolùm vitam æternam, verùm etiam regnum cœlorum“ (hoc eſt, non beatitudinem tantùm naturalem, ſed etiam ſupernaturalem): „ iſtum vin- „ cite.“ En quæſtio Catholicos inter & Pelagianos, non ſcripturæ ſacræ oraculis, ſed humanâ argumentatione definienda. Eam autem ſic reſolvit S. Doctor ibidem. „ Ecce, inquit, exiſtit neſcio quis, & dicit: „ Parvulus non habens ullum omninò peccatum..... habebit & vitam „ æternam, & regnum cœlorum. Reſpondete, vincite hominem reſiſ- „ tentem vobis, qui aliter dividitis. Vos enim dicitis: vitam quidem „ habebit iſte non baptizatus æternam, ſed non habebit regnum cœlo- „ rum. Ille contra: immo & vitam, & regnum cœlorum. Quare enim „ patrimonium regni cœlorum abripis innocenti? A quo regnum cœlo- „ rum non acquiritur, profectò magno bono fraudatur. Quæ eſt iſta „ juſtitia? dic quare. Quid offendit parvulus non baptizatus, nullam „ habens culpam, nec ſuam, nec de parente tractam? Quid offendit, dic „ mihi, ut non intret in regnum cœlorum, ut ſeparetur à ſorte ſanc- „ torum, ut ſit exul à ſocietate angelorum? Videris enim tibi miſeri-

„ cors, quia non aufers ei vitam: damnas tamen quem ſeparas à regno „ cœlorum. Damnas; non eum percutis, ſed in exilium mittis. Nam „ & qui exulant vivunt, ſi ſani ſunt: in doloribus corporis non ſunt, „ non torquentur, non tenebris carceris affliguntur: hæc illis ſola pœ„ na eſt non eſſe in patria...... Hic defende juſtitiam Dei...... „ Reſponde, ſi potes, ſed rationem affer: hâc enim te gloriari delec„ tat.“ Et poſteà: „ Sed tu, bellator, hoc eſt, fortis ratiocinator, „ huic reſponde qui tibi dicit: Prorſus innocens parvulus & immunis „ ab omni peccato, & proprio & originali, non ſolum vitam æternam „ habebit, ſed etiam regnum cœlorum.... . Sed ſcio, inquis. Unde „ ſcis? Quia Dominus dixit. Tandem veniſti. Non ergo quia tu ra„ tiocinaris, ſed quia Dominus dixit. Laudo planè hoc, ſanum eſt: „ ſicut homo non inveniſti rationem, fugis ad auctoritatem.“ Idem abſolutè, & ſepoſitâ pariter ſcripturæ auctoritate, urget lib. 1 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 30. num. 59: „ Nunquam explicant „ iſti, inquit, quâ juſtitiâ nullum peccatum habens imago Dei ſepa„ retur à regno Dei.“ Vide etiam lib. 3 *contra Julianum*, cap. 12. num. 25.

Manet ergo demonſtratum S. Auguſtinum, Eccleſiæ nomine Pelagianos debellantem, conſtanter docuiſſe, independenter à quacunque hypotheſi, & ſemotâ revelatione, hominem creari & ordinari non potuiſſe ad alium finem, quàm ad fruendum Deo. Quis verò ſanæ mentis, nec impudens, dicere audeat Doctorem eximium, à SS. Pontificibus toties tamque ſolemniter commendatum, Eccleſiæ doctrinam vel ignoraſſe, vel malè defendiſſe?

II.

Divina bonitas & ſapientia creare hominem non potuit gratiâ ſive caritate deſtitutum.

Ut omnis calumniandi ſeu cavillandi occaſio præcludatur, denuò præmonendum eſſe cenſeo, ſenſum hujus propoſitionis non eſſe, gratiam ſeu caritatem fuiſſe dotem naturalem hominis à Deo primitùs conditi, aut naturæ humanæ in ſeipſa conſideratæ debitam, ſed Deum ſibi ipſi ſuæque ſummæ ſapientiæ debuiſſe, ut hominem, ad fruendum ſummo bono naturaliter ordinatum, gratiæ donis inſtrueret ad finem ſuum ultimum conſequendum neceſſariis.

Probatur 1°. ex modò demonſtratis. Ideò quippe aſſertores poſſibilitatis naturæ puræ dicunt hominem ſine gratiâ creari potuiſſe, quia negant hominem ex natura ſua ordinari ad fruendum Deo. Atqui modò probatum eſt hominem naturaliter ordinari ad illum ſupremum finem. Reſtat ergo ut ſine gratia ad finem illum adipiſcendum neceſſaria creari à Deo ſummè ſapiente non potuerit.

2°. Cer-

2°. Certum eſt, & ſupra lib. III probatum hominem creari non potuiſſe peccatorem. Porro homo gratia & caritate deſtitutus nonniſi peccator eſt. Quomodò enim peccato carere cenſendus eſt, qui Deum non diligit, cùm dicat S. Joannes, 1 Epiſt. III. 14: *Qui non diligit, manet in morte?* Deum autem amari non poſſe ſine gratiâ, lib. IV probabimus. Unicum hìc proferam S. Auguſtini textum expreſſiſſimum ex lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 18. num. 30: „ Voluntas, „ inquit, mirum ſi poteſt in medio quodam conſiſtere, ut nec bona, „ nec mala ſit: aut enim juſtitiam diligimus, & bona eſt, & ſi magis „ diligimus, magis bona, ſi minus, minus bona eſt. Quis verò du- „ bitet dicere voluntatem nullomodò juſtitiam diligentem, non modò „ eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem. Si ergo voluntas aut „ bona, aut mala eſt, & utique malam non habemus à Deo, reſtat „ ut bonam voluntatem habeamus ex Deo.“ Conſtat ergo voluntatem, ſi juſtitiam non diligat, hoc ipſo eſſe malam; voluntatem autem bonam, ſeu juſtitiam diligentem, non haberi niſi ex Deo per gratiam.

Idem confirmat doctiſſimus Boſſuetus in tractatu *de Concupiſcentiâ*, cap. 11. „ Hæc eſt, ait, creaturæ rationalis rectitudo, hic ordo, hæc „ juſtitia, hæc pulchritudo, ut diligat Deum ex toto corde, amore „ perfecto & propter ipſum; ſe verò in ipſo & propter ipſum diligat: „ & cùm Deus ſit ipſamet bonitas & pulchritudo, creatura facta ad „ ejus imaginem non poteſt non eſſe pulchra:“ ac proinde creari non poteſt ſine dilectione Dei propter ipſum & ſuper omnia, adeòque ſine gratiâ & caritate.

Et ſanè omnes ferè Theologi, poſt SS. Patres, ut probent primum hominem creatum fuiſſe in gratia, hoc potiſſimùm nituntur ſacro textu (Eccleſ. VII. 30): *Fecit Deus hominem rectum*, eamque rectitudinem nihil aliud fuiſſe dicunt, quàm gratiam ipſam ſanctificantem. „ *Fecit Deus*, inquit S. Auguſtinus lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 11, „ ſicut „ ſcriptum eſt, *hominem rectum*, ac per hoc voluntatis bonæ. Non „ enim eſſet rectus non habens voluntatem bonam.“ Duplex inde argumentum exurgit. Nam 1° rectè inferri non poſſet ex verbis Eccleſiaſtæ Adamum creatum fuiſſe in gratia ſanctificante, ſi abſque gratia *rectus* eſſe potuiſſet, rectitudine nimirum naturali. 2°. Juxta S. Auguſtinum, non fuiſſet homo rectus ſi non habuiſſet bonam voluntatem, id eſt, ut omnes interpretantur, caritatem divinitùs infuſam.

3°. His accedit luculentum S. Athanaſii teſtimonium, in Oratione *de Incarnatione Verbi*, cap. 11. „ Deus, inquit, cùm hominum genus „ per proprium Verbum creavit, ejus naturæ infirmitate perſpectâ,.... „ miſertus ejus, ut pote bonus, ſuî cognitione vacuos eos noluit di- „ mittere, ut ne fruſtrà exiſterent. Quid enim utilitatis rebus factis „ poſſet eſſe, ſi ſuum opificem ignorarent?..... Certè nulla in re differrent „ homines à brutis animantibus, ſi nihil præter terram cognoſcerent. In edit. Pariſ. anni 1627. tom. 1. pag. 63.

Digitized by Google

„ Quapropter, cùm bonus ſit, ne id fieret, propriæ imaginis Domini „ noſtri Jeſu Chriſti illos participes reddidit, ut hujuſmodi gratiæ ope „ imaginem Patris, videlicet Verbum, animo concipiente, Patris co- „ gnitionem per ipſam aſſequi poſſent, & creatorem cognoſcendo feli- „ cem ac verè beatam vitam vivere poſſent.“ Ex his verbis manifeſtum eſt, juxta S. Athanaſium, repugnare divinæ voluntati hominem gratiâ deſtitutum creare. Repugnat quippe hominem creari fruſtra, talemque ut finem ſuum ultimum aſſequi nequeat. Porro, ex S. Athanaſio, talis fuiſſet homo, ſi Deus illum gratiâ deſtitutum creaſſet. Nec dicas S. illum Doctorem gratiam illam originariam ad Dei beneficium retuliſſe. Quis verò id neget? Sed cùm, ex eodem, tanta ſit humanæ naturæ imbecillitas, ut, ſi gratiâ deſtituta ſit, non poſſit non eſſe miſera & *fruſtrà* creata, quemadmodùm divinæ bonitatis eſt quòd eam è nihilo eduxerit, ita ipſius beneficentiæ fuit quòd naturæ donis gratiam adjunxerit; hoc tamen cum diſcrimine, quòd Deus hominis creationem nec homini, nec ſibi ipſi debuerit, gratiæ verò beneficium, ſine quo ad ſui creatoris cognitionem & dilectionem homo aſſurgere nequit, tum ſibimetipſi ſuiſque attributis, tum etiam aliquo ſenſu homini à ſe condito debuerit. Potuit enim Deus hominem non creare, ſed miſerum creare non potuit. Nihilominùs gratia ſemper eſt gratia, quia nec naturæ pars eſt, nec ei in ſe præciſè conſideratæ debetur, nec ullis meritis redditur, ſed ex gratuito creationis beneficio conſequitur.

4°. Idem demonſtrat diſputatio Eccleſiæ cum Pelagianis. Dicebant illi naſci infantes in puris naturalibus, ſicut peccati, ita & juſtitiæ expertes: ex illis autem alios per baptiſmum juſtitiam conſequi, alios ſine baptiſmo morientes excludi à regno cœlorum, ſed beatitudinis cujuſdam naturalis ordinis compotes fieri. Hunc errorem duplici argumento confutavit S. Auguſtinus. Primum eſt infantes, ſi peccati ſint expertes, citra injuſtitiam excludi non poſſe à regno Dei. Textus ſuprà protulimus. Hoc autem argumentum caſſum & inane foret, niſi infantes, hoc ipſo quòd peccato careant, participes eſſent juſtitiæ, quæ ſola, fatentibus adverſariis, jus præbet ad regnum cœlorum. Alterum argumentum eſt, infantes, ſi peccati expertes ſint, non indigere baptiſmo ut ſancti ſint, quod manifeſtè ſupponit nihil eſſe medium peccatum inter & juſtitiam. Sic loquitur S. Doctor Serm. 294, cap. 17: „ Dic mihi, obſecro te, parvulis baptizatis Chriſtus aliquid prodeſt, an nihil prodeſt? „ Neceſſe eſt ut dicat prodeſſe: premitur mole matris Eccleſiæ. Fortè „ quidem vellent hoc dicere; nam ratiocinationes eorum ad hoc viden- „ tur compellere; ſed auctoritate reprimuntur Eccleſiæ.“ Et lib. 3 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 13. num. 22: „ Id agit illa diſ- „ putatio (Pelagianorum negantium peccatum originale), ut infantes „ omnino ſuperflue baptizari videantur; ſed apertè hoc non dicitur, ne „ tam ſalubriter firmata Eccleſiæ conſuetudo violatores ſuos ferre non- „ poſ-

Alliàs Serm. 14 de Verbis Apoſtoli.

„ poſſit.“ Ruit quoque iſtud argumentum, ſi, ut volunt aſſertores poſſibilitatis naturæ puræ, aliquis poſſet eſſe ſtatus medius inter juſtitiam & peccatum.

Fruſtra reſpondetur S. Doctorem ita loqui, eoquòd, cùm Adamus ſingulari Dei beneficio creatus fuerit in ſtatu juſtitiæ, ejusdem juſtitiæ participes eſſent ejus poſteri, ſi naſcendo peccatum non contraherent. Cùm enim negarent Pelagiani hominem eo in ſtatu creatum fuiſſe, probandum illud erat, non ſupponendum. Sed inane hoc effugium expreſſè præcluſit S. Doctor, ubi aſſerit, poſito quòd infantes, licet peccato non inquinati, indigeant tamen ſanctificari in Chriſto, nullum eorum ab ejusmodi ſanctificatione ſub Deo juſto & omnipotente excludi poſſe. Sic namque loquitur lib. 2 *Contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 7. num. 14: „ De illo autem fine baptiſmate mortuo, cùr ei defuerit ſacramen„ tum, quod & vos fatemini omnibus ætatibus neceſſarium, & quid „ iſto modo in eis fuerit vindicatum, vos videritis, qui non vultis eſſe „ originale peccatum.“ Et lib. 3 *Op. imperf.* cap. 364: „ Si eos nul„ la culpa inquinat, cur non omnes ſanctificantur?“ Et ibidem, lib. 1. cap. 53: „ Cur eis non datur illuminatio ſpiritualis, adoptio filiorum „ Dei, municipatus Jeruſalem cœleſtis, ſanctificatio, atque in membra „ Chriſti translatio, & poſſeſſio regni cœlorum? Hæccine munera tam „ neceſſaria tot imaginibus ſuis nullum, ſecundùm vos, peccatum ha„ bentibus negaret Deus, penes quem ſumma poteſtas eſt, cùm hoc „ beneficium non à ſe prohibeat voluntas contraria parvulorum?..... „ Non igitur eam (gratiam) Dei omnipotentis æquitas negaret innu„ merabilibus parvulis, qui ſine hac ſub ejus omnipotentia moriuntur, „ ſi nihil mali in ejus occulto judicio mererentur.“ Quaſi diceret: Contenditis parvulos nullo peccato inquinari, non tamen eſſe juſtos, ideòque indigere baptiſmo ut ſanctificentur in Chriſto. Eſto, ſi vultis; nec boni naſcantur, nec mali: verum ſi non mali, quare non omnes ſanctificantur, cùm in eorum voluntate nihil ſit quod huic ſanctificationi contrarium ſit? Quid in eis vindicatur? Pro certo ergo tenebat adeò impoſſibile eſſe Deum creare hominem innocentem gratiâ deſtitutum, ut, etiamſi poſſibile eſſet hominem aliquandiu exiſtere peccati & juſtitiæ expertem, illum ſine dubio ex illa, ut ita dicam, ignobilitate extraheret, gratiâque donaret. Non ergo ex hypotheſi præcedentis elevationis ad ſtatum ſupernaturalem, ſed abſolutè argumentabatur adverſùs Pelagianos.

III.

Deus ſummè bonus, ſapiens, omnipotens & juſtus non potuit creare hominem cum ignorantia quâcum naſcimur.

Ignorantia homines facit miſeros.

Probatur I°. Sub Deo juſto neminem miſerum eſſe poſſe, niſi peccato id mereatur, paulò poſt oſtendemus. Atqui ignorantia, quâcum naſcimur, miſeros homines facit. Tanta eſt enim, ut, quamvis homo naturaliter ſcire deſideret, ad veritatis tamen qualemcunque notitiam abſque multo & acri labore pervenire nequeat. Mentem aggravat corpus corruptibile, aggravat ipſa intellectûs cæcitas, aggravant res omnes ſenſibiles, quibus animus ferè continuò diſtrahitur. Quàm improbo ſtudio adoleſcentibus opus eſt, ut offuſas menti ſuæ tenebras aliquantulâ luce depellant? Quot minis, increpationibus, verberibus erudiuntur, ut pauculas cognitiones ſæpè vanas, timidas, incertas, multisque etiam graviſſimis erroribus permixtas aſſequantur? Hinc S. Auguſtinus, lib. 3 *Op. imperf.* cap. 44, aſſerere non dubitat non minùs repugnare divinæ juſtitiæ, ut creatura innocens huic ignorantiæ ſubjaceat, quàm repugnare videbatur Juliano peccatum primi hominis tranſire ad ejus poſteros. „ Quod autem tibi placet, inquit, ut dicat Deus: iniquiſſi-„ mum & ſtolidum eſt, ut mea res, mea imago alienis aggravetur ope-„ ribus, cur non quæris unde ſit juſtum, ut anima, carne de parentibus tractâ, & ipſius Dei gravetur operibus? Corpus enim corruptibile aggravat animam, & puto te agnoſcere opus Dei eſſe etiam corruptibile corpus. Quid igitur meruit imago Dei, ut ad impedimentum rerum ſciendarum corruptibili corpore gravetur, ſi non eſt originale peccatum? Vide ejusdem Operis lib. 1. cap. 54.

Præter difficultates & impedimenta cognoſcendæ veritatis omnibus hominibus communia, plurima ſunt quæ aut nullo prorſùs, aut penè nullo labore ſuperari poſſunt. Quid enim ſi cæcus quis, ſurdus ac mutus naſcatur, qui docentem nec videre, nec audire, nec interrogare queat? Quid ſi fatuus naſcatur, quod vitium morte ipſâ luctuoſius declarat Eccleſiaſticus, XII. 13, cùm ait: *Luctus mortui ſeptem dies, fatui autem & inſani omnes dies vitæ illorum.* Quapropter S. Auguſtinus dicere non dubitat hominem non magis creari poſſe fatuum, quàm peccatorem. „ Ita conſtat, inquit lib. 3 *Op. imperf.* cap 161, „ Deum „ bonum malos non creare, quemadmodum conſtat Deum ſapientem „ fatuos non creare. Si enim dixeris: creat ſapiens fatuos, reſponde-„ bitur tibi: cur non ergo & bonus malos? Unde factus intentus, cùm „ quæſieris unde naſcantur fatui, quos tamen Deus creat, ibi fortè „ invenies originis vitium, qui fateri non vis originale peccatum." Et lib. 6 *contra Julianum*, cap. 1. num. 2, de iisdem loquens: „ Non „ tamen eis, ait, ſub Deo juſto unde id acciderit inventurus es, ſi nul-

Digitized by Google

„ nulla ex parentibus trahuntur mérita filiorum...... Bonus eſt Deus: „ juſtus eſt Deus: extranea prorſus mali eſt nulla natura, quæ noſtræ „ naturæ, ſecundùm Manichæos, credatur admixta. Unde ſunt, non „ dico in moribus, ſed in ipſis ingeniis, cum quibus naſcuntur, tanta „ hominum mala, ſi non eſt humana origo vitiata, non eſt maſſa dam- „ nata?" Videri poteſt etiam lib. 3. cap. 4. num. 10.

Præterea nullus hominum eſt qui non naturaliter appetat non falli, ut obſervat idem S. Doctor, lib. 4 *de Trinitate*, cap. 15, & lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 25. Hinc lib. 10 *Confeſſionum*, cap. 23. num. 33: „ Beata vita, inquit, eſt gaudium de veritate...... Hanc vitam bea- „ tam omnes volunt: hanc vitam, quæ ſola beata eſt, omnes volunt: „ gaudium de veritate omnes volunt. Multos expertus ſum qui vel- „ lent fallere, qui autem falli, neminem." Et num. 34: „ Sic amatur „ veritas, ut quicunque aliud amant, hoc quod amant velint eſſe ve- „ ritatem; & quia falli nolunt, nolunt convinci quòd falſi ſint." Porro homo in puris naturalibus creatus errorem nullatenùs poſſet effugere. Eamdem quippe ignorantiam haberet quâ nos laboramus. Talis autem in nobis eſt ignorantiæ profunditas, ut in plurimos errores etiam periti incidamus. Inde Philoſophorum Gentilium, tametſi ſtudioſorum veritatis exquiſitorum, graviſſimæ aberrationes: inde tot hæreſeon portenta: inde in ipſa morum diſciplina tam fœda perverſarum opinionum colluvies. Inde Eccleſiaſtes, III. 11, generatim pronuntiat Deum *tradidiſſe mundum diſputationi* hominum, *ut non inveniat homo opus quod operatus eſt Deus.* Et v. 17: *Intellexi*, inquit, *quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem*, *eorum quæ fiunt ſub ſole; & quantò plus laboraverit ad quærendum, tantò minùs inveniat: etiamſi dixerit ſapiens ſe noſſe*, *non poterit reperire.* Ita loquebatur Rex ille ſapientiſſimus, quo nemo unquam rerum naturam magis perſpectam habuit, & qui de ſeipſo veraciter dixit, VII. 30: *Quis talis ut ſapiens eſt*, *& quis cognovit ſolutionem verbi?*

Probatur II°. Repugnat ſummæ bonitati ac ſapientiæ Dei creare hominem eo in ſtatu, in quo non poſſit non peccare. Talis autem eſt ſtatus naturæ puræ. Ut enim ait S. Auguſtinus lib 1 *Op. imperf.* cap. 105, „ neceſſe eſt ut peccet à quo ignoratur juſtitia." Porro quantumcunque ſtudium homo lapſus adhibeat (de homine puro idem dicendum eſt), nunquam illum ſolis naturæ viribus integram juſtitiæ legiſque ipſius naturalis notitiam aſſequi poſſe, expreſſè docet S. Auguſtinus lib. *de Naturâ & gratiâ*, cap. 40. num. 47. „ Confiteatur (Pe- „ lagius), inquit, eſſe miſerabiles tenebras in animo humano, qui ſcit „ quemadmodum debeat leonem domare, & neſcit quemadmodum vi- „ vere. An & hoc ut ſciat ſufficit ei liberum arbitrium, lexque na- „ turalis?" Et in *Enchiridio*, cap. 81. num. 22: „ Profectò vincimur, „ niſi divinitus adjuvemur, ut videamus quid faciendum ſit." Et S. Inno-

Ignorantia mater peccatorum.

Inter Auguſtinianas Epiſt. 181.

Innocentius Papa I in Epiſtola ad Concilium Carthaginenſe, num. 7: „ Quotidiana præbet ille (Deus) remedia, quibus niſi freti confiſique „ nitamur, nullatenùs humanos vincere poterimus errores.“ Cùm ergo in ſtatu naturæ puræ nullum foret gratiæ ſupernaturalis adjutorium, homo in illo creatus ignorantiam legis naturalis penitùs depellere, adeòque peccatis ignorantiæ carere nequaquam poſſet.

Et certè homo purus teneretur Deum creatorem ſuum ſuper omnia diligere, ad ipſum totis voluntatis ſuæ viribus tendere, eumque tanquam Deum glorificare: hæc quippe officia in ipſa rerum natura fundantur. Quomodò autem homo purus, rebus ſenſibilibus perinde ac nos totus immerſus, ad Dei inviſibilis notitiam aſſurgeret? Certè ſi gentes omnes ſibi ipſis dimiſſæ unum & verum Deum non cognoverunt, ſed mònſtruoſas de Divinitate opiniones confinxerunt, quis non intelligat hominis puri majoribus auxiliis non adjuti eamdem ſortem futuram fuiſſe? Supponamus tamen hujuſmodi hominem ſolis naturæ viribus ad unius & veri Dei cognitionem pertingere: num idcirco intelliget totam beatitudinem ſuam in eo cognoſcendo ac diligendo poſitam eſſe; maximè cùm nulla quæſtio ſit, circa quam ethnici Philoſophi magis caligaverint; adeò ut, S. Auguſtino teſte, Varro plusquàm 280 eorum de ſummo hominis bono diſcordantes opiniones numeraverit? Demùm, quamvis nonnulla vitæ moralis officia, alii alia, iidem Philoſophi cognoverint, nullus tamen eorum eſt qui non aliquibus veris multa falſa & erronea miſcuerit. Quamobrem de omnibus hominibus gratiæ lumine deſtitutis, ac proinde de homine quem purum vocant, generatim dicitur Pſalm. XIII & LII: *Deus de cœlo reſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum.* Et Sapient. IX. 13 & ſeq: *Quis enim hominum poterit.... cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ...... Difficilè æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt invenimus eum labore..... Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritùm ſanctum tuum de altiſſimis; & ſic correctæ ſint ſemitæ eorum qui ſunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines? Nam per ſapientiam ſanati ſunt quicunque placuerunt tibi, Domine, à principio.*

Ex S. Auguſtino, ignorantia & concupiſcentia non poſſunt eſſe naturæ primordia.

Probatur III° auctoritate S. Auguſtini tum Manichæos, tum Pelagianos debellantis.

Lib. 3 *de Libero arbitrio* contra Manichæos, cap. 18. num. 51, cùm præmiſiſſet ignorantiam & concupiſcentiam cauſas eſſe plurimorum peccatorum, inde concludit neutram illarum ad naturalem hominis conditionem pertinere, nec homini, cùm primùm à Deo creatus eſt, ineſſe potuiſſe.“ Hæc omnia, inquit, hominum ſunt ex illa mortis damna„ tione venientium: nam ſi non eſt iſta pœna hominis, ſed natura, „ nulla

„ nulla iſta peccata ſunt. Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus eſt, ita ut melius eſſe non poſſit, ea quæ debet facit, cùm hæc facit. Si autem bonus homo eſſet, aliter eſſet; nunc „ autem, quia ita eſt, non eſt bonus, nec habet in poteſtate ut bonus „ ſit, ſive non videndo qualis eſſe debeat, ſive videndo, & non valendo eſſe qualem debere eſſe ſe videt. Pœnam iſtam eſſe quis dubitet? „ Omnis autem pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur: ſi autem injuſta eſt pœna, quoniam pœnam eſſe nemo ambigit, injuſto aliquo dominante homini impoſita eſt. Porro quia de „ omnipotentia Dei & juſtitia dubitare dementis eſt, juſta hæc pœna „ eſt, & pro peccato aliquo penditur..... Relinquitur ergo ut hæc „ juſta pœna de damnatione hominis veniat.“ Et num. 52: „ Nam „ ſunt reverà omni peccanti animæ duo iſta pœnalia, ignorantia & difficultas“ (ex concupiſcentia proveniens). „ Ex ignorantia dehoneſtat error; ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falſa pro „ veris, ut erret invitus, &, reſiſtente atque torquente dolore carnalis „ vinculi“ (ſeu concupiſcentiæ), „ non poſſe à libidinoſis operibus „ temperare, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.“ Ibi ex ſola ratione humana probat S. Auguſtinus ignorantiam & concupiſcentiam non pertinere ad naturam hominis, ſed pœnam eſſe: quo certè oſtenditur hominem inſtitui non potuiſſe his vitiis obnoxium. Porro idem illud teſtimonium memorat & confirmat lib. *de Natura & gratia*, cap. 67. Vide lib. 1 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 36. num. 66.

Probatur IV° conſenſu Patrum Græcorum, quorum omnium inſtar erit S. Gregorius Nyſſenus in opuſculo *De iis qui immaturè abripiuntur*, tom. 3. pag. 326, ubi ſic loquitur: „ Efficientia reſpiciendi ad Deum „ nihil aliud eſt, quàm vita intellectuali naturæ conveniens & accommodata. Quemadmodum enim terrena corpora terrenis conſervantur „ cibis,..... ita ponere oportet eſſe quamdam etiam mentis intellectu „ comprehenſibilem & intelligibilem vitam, per quam in ſua eſſentia „ natura conſervatur..... Deum autem videre vita animæ eſt. Quoniam autem ejus, quod verè bonum eſt, ignorantia, veluti nebula „ quædam, perſpectivæ animæ facultati tenebras offudit, nebula verò „ denſata nubes facta eſt, adeò ut per profunditatem ignorantiæ radius „ veritatis penetrare non poſſit, neceſſariò unà cum privatione lucis „ etiam vita ipſius defecit...... Quoniam igitur vitam quidem animæ „ Dei participationem eſſe ſermo (divinus) dicit, eaque participatio in „ eo verſatur, ut, quantùm ei licet & capit, ſcientiâ prædita ſit; ignorantia autem non alicujus ſubſtantia, ſed ejus quæ per ſcientiam fit „ actionis interitus atque peremptio eſt, neceſſariò conſequitur ut, ubi „ participatio Dei non exercetur, privatio & alienatio vitæ ſit.“ Certè bonitate divinâ indignum eſt creare animam vitâ naturæ ſuæ intellectuali convenienti privatam. Porrò, juxtà S. Gregorium Nyſſenum, per

 igno-

ignorantiam anima privatur vita naturæ ſuæ intellectuali conveniente, quæ quidem in cognitione & participatione Dei conſiſtit. Ergo bonitate divinâ indignum eſt creare animam cognitione & participatione Dei deſtitutam, qualis foret in ſtatu naturæ puræ.

IV.

Divinæ bonitati, ſanctitati ac ſapientiæ repugnat creari hominem concupiſcentiæ obnoxium.

Probatur I° ex ante dictis, ubi oſtendimus concupiſcentiam ex ſeipſâ malam, vitioſam & inordinatam eſſe. Conſtat enim nihil ex ſe malum & inordinatum naturæ à Deo inſtitutæ primordium eſſe poſſe.

Probatur II° ex ſcriptura. Nam, 1 Joann. II. 15 & 16, dicitur: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo: quoniam omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ; quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt*, id eſt, ex diabolo mundi principe. Porro quidquid naturale eſt auctorem habet Deum naturæ conditorem. Ergo concupiſcentia non eſt naturæ humanæ appendix, ſed vitium.

Nec dicas eo ſenſu concupiſcentiam dici non eſſe ex Deo, quòd Deus primum hominem concupiſcentiæ expertem præſtiterit, non verò quòd illum creare non potuerit concupiſcentiæ obnoxium. Hâc enim reſponſione tota evertitur Apoſtoli ratiocinatio. Probat quippe Apoſtolus mundum diligi non oportere, quia *ſi quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo:* dilectionem autem mundi ſtare non poſſe cum dilectione Dei, inde probat quòd concupiſcentia, quæ ad diligendum mundum impellit, non ſit ex Deo, ſed ex diabolo mundi principe; unde maniſeſtè ſequitur concupiſcentiam nullomodò poſſe eſſe ex Deo. Quamobrem iſtud teſtimonium ſæpiſſimè oppoſuit Pelagianis S. Auguſtinus. „ Quolibet prurıtu, inquit lib. 2 *Op. Imperf.* cap. 31, libidinem, id eſt, „ concupiſcentiam carnis laudes, dicit eam Joannes Apoſtolus non eſſe „ à Patre, ſed à mundo eſſe, propter quam rectè dicitur diabolus prin- „ ceps mundi eſſe.“ Idem inculcat lib. 4 ejuſdem operis, cap. 21 & 23, & lib. 4 *contra Julianum*, cap. 2. num. 6.

S. Jacobus Apoſtolus, Epiſt. I. 13: *Nemo*, inquit, *cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat. Unusquisque verò tentatur à concupiſcentia ſua, abſtractus & illectus.* Ibi Apoſtolus probat neminem à Deo tentari, ex eo quòd unusquisque tentatur à concupiſcentia ſua: ergo concupiſcentia quâ tentamur non eſt à Deo. Deus autem non modò non tentat quemquam, ſed nec tentare poteſt: ergo concupiſcentia non modò non eſt, ſed nec poteſt eſſe à Deo.

Pro-

Probatur III° ex SS. Patribus.

S. Auguſtini hanc doctrinam eſſe ultrò confitentur plurimi ex adverſariis: Molina in 1. 2. quæſt. 109. art. 2, Moraines, & alii. Eam reverâ S. Doctor frequentiſſimè ac diſertiſſimè aſſerit. Præter loca ſuperius allata, in quibus ex profeſſo probat concupiſcentiam ſeipſâ malam eſſe, docet lib. 1 *de Doctrina Chriſtiana*, cap. 24, naturalem ordinem poſtulare ut caro rationi ſit ſubdita, quod idem eſt ac ſi diceret concupiſcentiam, ut pote rationi non ſubditam, naturali ordini repugnare, adeòque naturalem eſſe non poſſe. „ Spiritus, inquit, concupiſ„ cit adverſus carnem, ut concupiſcentiam ejus faciat ſpiritui ſubju„ gatam, quod naturalis ordo deſiderat."

Ex S. Auguſtino, ſi concupiſcentia ad naturam hominis pertineret, vincerent Manichæi.

Sed omittere non debeo aliud invictum argumentum, quo S. Doctor ſæpiſſimè obtrivit Pelagianos, nempe vinci non poſſe Manichæos, ſi concupiſcentia ſit homini naturalis. Sic ille loquitur lib. 3 *Op. imperf.* cap. 170: „ Malam eſſe concupiſcentiam non proprio dogmate Mani„ chæi dicunt, quod vident qui cæci non ſunt & Apoſtolos dicere; „ ſed Manichæorum propriam viroſamque ſententiam error veſter adju„ vat, qui concupiſcentiam carnis...... negatis de peccato accidiſſe na„ turæ, quam Deus condidit bonam." Et poſteà: „ Ita adjuvatis (Ma„ nichæos), ut faciatis invictos, niſi & vos cum illis eâ, quæ verè „ invicta eſt, catholicâ veritate vincamini." Idem argumentum urget ibidem, cap. 176, 177 & 205, & lib. 4. cap. 64, lib. 5. cap. 30, ubi ſic iterum loquitur: „ Concupiſcentiam, qua caro concupiſcit adverſus „ ſpiritum, negando malam eſſe, & de vitiata natura noſtra eſſe, faci„ tis ut illi (Manichæi) ex aliena eſſe concludant; ac ſic & hæretici „ novi eſtis, & hæreticos veteres, quos perverſè fugitis, adjuvatis." Et in fine lib. 6: „ Vos, ait, negando mala eſſe quæ mala ſunt, eo„ rumque originem non ad primi hominis referendo peccatum, non ut „ ea mala non ſint efficitis, ſed ut ex malâ naturâ Deo æterno coæ„ terna eſſe credantur, deteſtabili cæcitate ſuffragamini Manichæis, cos„ que accuſatis inaniter, quia miſerabiliter adjuvatis." Igitur, ex S. Auguſtino, adeò evidens eſt concupiſcentiam eſſe malam & vitioſam, ut ſi ante omne peccatum ineſſet homini, Manichæi obtinerent extraneam mali naturam à malo principio nobis eſſe permixtam.

S. Ambroſius, lib. *de Sacramento regenerationis*, apud S. Auguſtinum lib. 2 *contra Julianum*, cap. 8. num. 21, ait „ principem & dominam „ carnis naturaliter animam eſſe." Atqui per concupiſcentiam contrarium evenit. Ergo concupiſcentia ad naturam hominis non pertinet, ſed vitium eſt naturæ.

S. Fulgentius, in Epiſt. *de Conjugali debito*, cap. 3: „ In illis, in„ quit, bonis, quæ fecit Deus, invenitur caſta copulatio uxoris & vi„ ri, in quibus Dei operibus libido non poteſt inveniri, nec aliquan„ do juſtitiæ congruit, quæ non hominibus ex dono conditionis, ſed

 „ pec-

Digitized by Google

„ peccatoribus ex vitio primæ prævaricationis acceſſit." Ergo, juxta S. Doctorem, non modò concupiſcentia non eſt à Deo, ſed nec eſſe poteſt, nec aliam originem habere potuit quàm peccatum.

Julianus Pomerius, lib. 3 *de Vitâ contemplativâ*, cap. 2: „ Piis conatibus noſtris, ait, reſiſtit ipſa concupiſcentia vitioſa, non naturalis, ſed naturæ noſtræ indita pœnaliter & inſerta, quæ peccato facta eſt, & peccatum, ſi vicerit, facit." Quid dici poteſt expreſſius?

Non minùs disertè loquitur S. Bernardus in ***Exhortatione ad Milites Templi***, cap. 11. num. 24. „ Carnis traducem, inquit, carnalis teſtatur concupiſcentia, & peccatum, quod in carne ſentimus, manifestè probat quòd ſecundum carnem de carne peccatoris deſcendimus." Addit tam rectè ex concupiſcentia probari peccatum originis, quàm ex caritatis infuſione probatur ſpiritualis adoptio filiorum.

Probatur IV° ex Theologis.

S. Thomas in 2um, diſt. 30: „ Quòd vis concupiſcentiæ in ſuum objectum tendit infrænatè, inquit, hoc non eſt naturale ſibi, in quantum eſt humana, ſed contra naturam ejus, in quantùm hujusmodi." Et ibidem, ad 4um: „ Vis concupiſcibilis hoc habet naturale, ut tendat in delectabile ſecundum ſenſum; ſed, ſecundum quòd eſt vis concupiſcibilis humana, habet ut tendat in ſuum objectum ſecundùm regimen rationis." Idem docet in *Quæſt. diſputatis*, quæſt. 4 *de Malo*, art. 2. ad 1um, & confirmat in ſua Summa, 1. 2. quæſt. 82. art. 3. ad 1. „ Quia, inquit, in homine concupiſcibile naturaliter regitur ratione, in tantùm concupiſcere eſt homini naturale, in quantùm eſt ſecundùm ordinem rationis. Concupiſcentia autem, quæ tranſcendit limites rationis, ineſt homini contra naturam, & talis eſt concupiſcentia originalis peccati." Et quæſt. 85, art. 3. ad 3: „ Sicut ſupra dictum eſt, concupiſcentia in tantum eſt naturalis homini, in quantùm ſubditur rationi: quòd autem excedat limites rationis, hoc eſt homini contra naturam" Conſtat autem concupiſcentiam, qualis eſt in homine lapſo, & qualis foret in homine puro, tranſcendere limites rationis; ac proinde, juxta Doctorem Angelicum, nedum ſit homini naturalis, contra naturam eſt.

Innocentius V, in 2um, diſt. 30. quæſt. 1. art. 1. ad 6: „ Aliud, inquit, habent vires appetitivæ ſenſibiles à natura generali, ſcilicet quòd tendant in objecta ſua, aliud à naturâ ſpeciali in quantum hominis, ſcilicet ut tendant ſecundùm regimen rationis. Cum ergo in eis inſit à natura appoſitum, ineſt eis ex culpâ contrarietas ad ſpiritum."

Petrus Aureolus in 2um, diſt. 30. art. 2: „ Habitantis rebellio appetitûs ſenſitivi, inquit, non eſt in nobis natura appetitûs ſenſitivi tantùm. Hoc dico, addit, propter opinionem quorumdam, qui dicunt quòd appetitus relictus puræ naturæ ſuæ adhuc haberet in ſe habitualem illam rebellionem."

Gre-

Digitized by Google

Gregorius Ariminenſis in 2um, diſt. 30. quæſt. 1. art. 2, probat hanc eſſe doctrinam S. Auguſtini, Magiſtri Sententiarum, multorumque tum antiquiorum, tum ſui temporis Theologorum.

Bellarminus, lib. 6 *de Amiſſione gratiæ*, caput ſextum ſic inſcribit: *Oſtenditur contra Pelagianos concupiſcentiam eſſe malam.* Inter alia verò argumenta iſtud affert: „ Malum eſt ut inferiora ſuperioribus reluctentur; id enim contra æquitatem & rectam rationem eſt: at propter concupiſcentiam pars animæ inferior ſuperiori, id eſt, rationi repugnat, legi mentis non paret, ſpiritui adverſatur. Quis igitur ambigat an ea mala ſit appellanda?“ Quis pariter ambigat an hujusmodi tam evidens malum Deus naturæ à ſe conditæ inſerere potuerit?

Idem docet Macedo ex Ordine Minorum, lib. 4 *de Clavibus B. Petri*, cap. 20. §. 2.

Sic etiam eam in rem loquitur Joannes Bagotius Jeſuita, lib. 5 *Demonſtrationis dogmatum Chriſtianorum*, disput. 8. cap. 1. ſect. 3: „ Abſit ut quisquam Catholicus Deum rei tam fœdæ, & ad malum imporτunè incitantis auctorem credat, cùm tamen ſi hominem, nullo præcedente peccato, cum illo peccati fomite condidiſſet, tam ejus quàm naturæ humanæ, & omnium naturalium qualitatum facultatumque auctor eſſet exiſtimandus.

Idem afferunt Contenſonus, tom. 5 *de Gratiâ*, diſſert. 1; Serry, *Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis*, lib. 5. ſect. 7, multique alii celebres S. Thomæ diſcipuli.

Eadem quoque conſtans doctrina eſt Auguſtinianorum, quos inter eminent Noriſius, Belelli & Berti. Noriſius, *Vindiciarum Auguſtinianarum* cap. 13. § 2, naturæ puræ poſſibilitatem funditùs evertit. Ob id aliaque ſimilia ab æmulis multoties impetitus, toties Sedis Apoſtolicæ judicio ab omni erroris ſuſpicione abſolutus eſt. Berti verò, in *Auguſtiano ſyſtemate de gratiâ ab iniquâ Baianiſmi & Janſeniani erroris inſimulatione vindicato* (quod quidem opus, impellente S. Pontifice Benedicto XIV, compoſitum, eodemque jubente publici juris factum eſt), ex profeſſo demonſtrat doctrinam, quæ naturæ puræ poſſibilitatem negat, non modò nullâ cenſurâ Pontificiâ notatam fuiſſe, verùm etiam inſignes ſemper habuiſſe atque etiamnum habere aſſertores.

His addi poſſunt plurimæ Theſes quæ Romæ, in tota Italia, in Germania, aliisque regionibus Catholicis palam ac liberè ſingulis ferè annis propugnantur, in quibus eadem doctrina tanquàm certa & inconcuſſa aſſeritur.

Probatur V° rationibus Theologicis.

Primam jam ſæpiùs attigimus, quòd nimirùm per concupiſcentiam accidat ut caro, quæ rationi ſubdita eſſe debet, contra naturalem rerum ordinem ei repugnet. Ut enim S. Auguſtinus ait, lib. 1 *de Libero arbitrio*, cap. 8. num. 18: „ Non ordo rectus, aut ordo appellandus eſt om-

„ omnino, ubi deterioribus meliora ſubjiciuntur.“ Et lib. 5 *contra Julianum*, cap. 4. num. 16: „ Si prudenter hic ſaperes, profectò eſſe ini-
„ quitatem videres, quâ pars inferior hominis repugnat ſuperiori atque
„ meliori.“

2°. Concupiſcentia miſerum hominem facit, quod ſub Deo juſto nemini, niſi mereatur, accidere nequit. Cùm enim concupiſcentia & ſpiritus ſibi invicem adverſentur, vel homo concupiſcentiæ obſequendo peccat, quæ ſumma miſeria eſt; vel ei repugnando inteſtino bello ſecum ipſe luctatur. Unde Apoſtolus, Rom. VII. 24, exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et S. Auguſtinus, lib. 6 *Oper. imperf.* cap. 14, Julianum alloquens: „ An dicturus es, prorſus
„ & concupiſcentiam talem habebat (Adam), & miſer non erat? Ita
„ ne oblitus es quis dixerit: *Video aliam legem in membris meis repug-*
„ *nantem legi mentis meæ;* & poſt hujusmodi verba ſubjecerit; *miſer*
„ *ego homo?*.... Quomodò ergo non erat miſer homo,.... & habebat
„ liberam voluntatem, ſi, concupiſcente adverſus ſpiritum carne, teſte
„ ipſo Apoſtolo, non faciebat utique quod volebat?“

Quàm frequenter etiam vexamur & perturbamur concupiſcentiâ aliorum hominum, quibuscum vivimus? *Unde* namque *bella & lites in vobis*, ait B. Jacobus, IV. 1? *Nonne hinc, ex concupiſcentiis veſtris quæ militant in membris veſtris?* Ergo homo, quem purum ſupponunt, absque ullo ſuo merito miſer eſſet; quod ſummæ Dei juſtitiæ omnino repugnare paulò poſt probabitur.

3°. Sanctitati Dei repugnat hominem creari peccatorem. Atqui ſi homo crearetur concupiſcentiæ obnoxius, ſimulque gratiâ deſtitutus, crearetur peccator. Ideò quippe Adami poſteri naſcimur peccatores, quia concupiſcentiam contrahimus in nobis dominantem, nec gratiâ ſuperatam, & quia parentes non ſine concupiſcentiæ interventu prolem generant, ut ſupra probatum eſt agendo de peccato originali. Porro utrumque perinde eſſet in ſtatu quem fingunt naturæ puræ. Ergo homo purus crearetur ac naſceretur peccato ſubditus.

Saltem in illo ſtatu homo vitare diu non poſſet peccatum mortale, nec tamen peccati reus cenſeri poſſet. Ac primò quidem homo purus non poſſet vitare diu peccatum mortale. Nam, ex adverſariis, nun majores haberet vires quàm homo lapſus: homo autem lapſus, eisdem fatentibus, non poteſt absque auxilio gratiæ totam legem naturalem, neque præcepta ejus difficiliora diu ſervare, quin peccet mortaliter, contrariumque ſentire *hæreſim in fide* appellare non dubitat ipſemet Molina in *Concordia*, quæſt. 14. art. 3. diſput. 17. Cum ergo in ſtatu naturæ puræ nullum foret gratiæ adjutorium, mortale peccatum eo in ſtatu diu vitari non poſſet. Fruſtra reſpondent nonnulli Deum, ad præveniendum iſtud incommodum, majora auxilia ſubminiſtraturum fuiſſe: nam illa majora auxilia vel forent ſupernaturalia, & tunc natura non jam foret pura; ſi au-

autem forent naturalia, lex naturalis illorum ope diu ſervari non poſſet absque ullo mortali peccato. Deinde verò homo purus, peccando mortaliter, non tâmen rectè cenſeretur reus peccati. Nam, juxta S. Auguſtinum, lib. 3 *de Libero arbitrio*, cap. 16. num. 45: „ Ex eo quod „ non accepit, nullus reus eſt: ex eo verò quòd non facit quod debet, „ juſtè reus eſt. Debet autem, ſi accepit voluntatem liberam & ſufficientiſſimam facultatem.“ Cum ergo homo purus ſupponatur ante ullum peccatum, & absque ullo merito ſuo carere ſufficientiſſimâ facultate, & auxilio gratiæ, ſine quo mandata legis naturalis obſervari diu non poſſunt, hoc ipſo illa transgrediendo peccati reus non eſſet. Hinc idem S. Doctor, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 11. num. 32, dicere non dubitat, „ ſi adjutorium gratiæ vel angelo vel homini, cùm primum „ facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, quæ ſine „ divino auxilio poſſet manere ſi vellet, non utique ſuâ culpâ illos caſuros fuiſſe; adjutorium quippe defuiſſet ſine quo manere non poſſent.“

Adeò validum eſt iſtud argumentum, ut Honoratus Tournely aliter ſe ab illo expedire nequiverit, quàm dicendo, tom. I *de Gratiâ*, pag. 95, „ per illud impugnari quidem directè perpetuitatem ſtatûs naturæ „ puræ, non verò ejus poſſibilitatem. Non enim, ait, quæritur an „ homo potuerit ſemper permanere in ſtatu naturæ puræ, omni auxilio „ gratiæ ſemper derelictus, ſed an potuerit in illo ſtatu primitùs pro- „ duci.“ Id reſpondere, quid aliud eſt quàm victum ſe profiteri? Si enim Deus poteſt hominem illo in ſtatu primitùs producere, cur non in eodem conſervare pariter poſſet? Si autem divina attributa non patiuntur hominem conſervari in ſtatu naturæ puræ, cur paterentur eum in illo produci? An Deus creaturam ſuam mancam & informem producere poteſt, quam poſteà corrigere & in melius reformare teneretur. Præterea nomine *ſtatûs* ab omnibus intelligitur naturæ conſtitutio ſtabilis & permanens. Si igitur creaturam rationalem repugnat diu ſtare poſſe in puris naturalibus, pura naturalia nequaquam poſſunt ſtatum ipſius conſtituere.

4°. Si concupiſcentia naturæ humanæ ita conſentanea eſt, ut homo cum illa primitus creari potuerit, conſequenter licitum foret ei conſentire & obſequi. Conſecutionem iſtam ſic urget contra Pelagianos S. Auguſtinus, lib. 5 *contra Julianum*, cap. 7, num. 29: „ Nec times ne tibi „ potiùs admoneas eſſe dicendum quod ad flagitia concites homines, „ ne reſiſtant concupiſcentiæ, quam ſicut bonum naturale commen- „ das...... Quam tu, cùm bonam naturaliter dicis, aſtutè illi ſemper „ conſentiendum eſſe decernis, ne reniſu improbo repugnetur naturali „ bono...... Non eſt enim quomodò faciat quod non licet, quando „ licet quidquid libet, quia bonum eſt quod naturaliter libet. Si ergo „ adſunt, voluptatibus perfruatur. Si autem non adſunt, ipſis carum

„ co-

„ cogitationibus, ſicut Epicuro viſum eſt, oblectetur, & erit ſine peccato, nec ſe ullo fraudabit bono: nec cujuscunque doctrinæ opinionibus reſiſtat naturalibus motibus, ſed, ſicut ait Hortenſius, *tunc obſequatur naturæ, cùm ſine magiſtro ſenſerit quid natura deſideret.* Non enim poteſt quæ bona eſt deſiderare quod malum eſt, aut negandum eſt bonæ aliquod bonum. Fiat itaque totum quod deſiderat libido bona, ne ipſe ſit malus qui reſiſtit bono.“ Vide etiam lib. 4. cap. 14. num. 73.

V.

Divinæ bonitati, ſapientiæ, juſtitiæ & omnipotentiæ repugnat, hominem primitùs creari mortis neceſſitati, aliisque hujus ærumnoſæ vitæ miſeriis ſubjectum.

Duæ ſunt partes propoſitionis: una ſpectat cæteras mortalis hujus vitæ miſerias, altera mortis ipſius neceſſitatem. De utraque ſeorſim agemus.

Probatur itaque prima pars.

S. Auguſtinus docet Deum injuſtum fore, ſi innocentibus mala inferri fineret.

Docet ſcriptura alienum omnino eſſe à juſtitia & omnipotentia divina, permittere homines affligi innocentes & abſque ullo ſuo merito. Sic enim legimus Sapient. XII. 15 & 16: *Cùm ergo ſis juſtus, juſtè omnia diſponis: ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æſtimas à tua virtute*, id eſt à tua potentia, *virtus enim tua juſtitiæ initium eſt*, id eſt, indivulſa eſt à ſumma juſtitia, nec poteſt quidquam quod juſtitiæ adverſetur.

Hoc inconcuſſo principio nixus S. Auguſtinus conſtanter aſſeruit, ſive contra Manichæos, ſive contra Pelagianos decertando, Deum injuſtum fore, ſi creaturam innocentem miſeram eſſe permitteret. Omiſſis eis quæ contra Manichæos diſputàvit, & quæ legi poſſunt in Collationibus primâ & ſecundâ contra Fortunatum, ea tantum commemorabo quæ Pelagianis objecit.

Nullo argumento frequentiùs uſus eſt, ad demonſtrandum adverſus illos originale peccatum, quàm eo quod petitur à multiplicibus hujus vitæ miſeriis, quæ hominis primordium fuiſſe vel eſſe potuiſſe, citra creatoris injuriam, dici profectò nequeunt. Lib. 1 *Op. imperf* cap. 49: „ Quis, inquit, non videat, ſi habent parvuli, qualem prædicas, innocentiam“ (id eſt merè naturalem, non aliam enim in parvulis non baptizatis admittebant Pelagiani), „ in gravi jugo eorum Dei non eſſe juſtitiam? Porro quia in gravi jugo eorum Dei juſtitia eſt, non eſt in eis talis, qualem prædicas, innocentia.“ Addit Julianum non aliter ſe inde extricare poſſe, quàm dicendo Deum velle quidem, quia juſtus eſt, tot ac tanta mala ab innocentibus repellere, ſed non poſſe: unde ſic concludit: „ Deus igitur tuus in tot & tantis malis, quæ parvuli

„ vuli patiuntur, aut juſtitiam, aut omnipotentiam, aut ipſam curam „ rerum humanarum perditurus eſt.“ Idem argumentum urget cap. 52.

Ibidem, lib. 2. cap. 104: „ Si ſano cerebro conſiderares humanæ vi-„ tæ miſerias, à primis fletibus naſcentium uſque ad extremos gemitus „ morientium, videres profectò quòd...... ille Adam fuerit caput ho-„ rum & cauſa malorum, quod nolens videre, clauſis oculis clamas „ juſtum Dei eſſe judicium, & non eſſe originale peccatum: quæ duo „ inter ſe quantum ſint contraria procul dubio cerneres, ... ſi ſanum „ caput haberes.“ Et cap. 144: „ Ipſa te convincit in parvulis æqui-„ tas Dei, quoniam magna eſt iniquitas, ſi gravi jugo premuntur & „ parvuli ſine ullo merito vinculoque peccati.“

Lib. 3 ejuſdem Operis, cap. 48: „ Prorſus quomodò juſtum oſten-„ datis Deum non invenitis, ſi & in naſcentibus nulla peccata invenit, „ & eos tamen corruptibili corpore, & tot tantiſque inſuper calamitati-„ bus aggravat.“ Idem inculcat lib. 2 *contra Julianum*, cap. 10. num. 33; lib. 3. cap. 3. num. 9, & cap. 5. num. 12; lib. 6. cap. 5. num. 11, & cap. 10. num. 31; lib. 1. *Op. imperf.* cap. 3. 25 92. 120. 122; lib. 2. cap. 16. 67. 74. 87. 95. 117. 119. 139 & 141; lib. 3 cap. 5. 7. 8. 49. 67. 68. 77. 109. 126. 134. 201. 202. 211; lib. 5. cap. 6 & 7; lib. 6. cap. 23 & 24; & Serm. 240. cap. 3. Al. Serm. 139 de tempore.

Adeò certa fuit S. Auguſtino hæc doctrina, ut dicere non dubitet Deum à culpa excuſari non poſſe, ſi miſerias quas patimur, nullo præcedente peccato, nobis inferret, vel inferri ſineret. Sic enim loquitur lib. 3 *Op. imperf.* cap. 135: „ Nulla crimina capit Deus: ideò nec hoc, „ quod ei vos impingitis, capit, ut ſine ullius originalis peccati meri-„ to mala parvuli tot & tanta, ipſo vel faciente, vel permittente, pa-„ tiantur.“ Et lib. 5, cap. 64, Juliano objicienti peccatum Deo adſcribi, ſi Adami transgreſſio ad ejus poſteros tranſire dicatur, ſic reſpondet: „ Sed quid eſt pejus dicere; peccat & Deus, quia peccavit „ homo quem fecit Deus, quod ego non dixi; an ita negare peccatum „ originale, ut pœna parvuli injuſta nihil aliud ſit quàm peccatum Dei? „ Quod ſi in Deum cadere non poteſt, juſta ergo parvuli pœna eſt; ſi „ autem juſta eſt, pro peccato eſt. Nemo igitur poteſt in tot tantiſ-„ que malis parvulorum prædicare Deum juſtum, negans originale „ peccatum. Tu autem utrum non inſanias, ſi non valde inſanis, at-„ tende, qui non malum pœnale, quod juſtum eſt, ſed malum quod „ vocatur iniquitas dicis Deum facere. Quid enim aliud facit, ſi nul-„ lomodò reis parvulis tanta mala vel ingerit, vel ingeri ſinit?“

Adeò clarum eſt hanc conſtantem eſſe S. Auguſtini Pelagianos debellantis doctrinam, ut non pauci ex adverſariis id fateri cogantur; ſed S. Doctorem hac in materia modum exceſſiſſe dicunt, hæreticoſque juxta privatam ſuam opinionem confutaſſe. At 1° quanta audacia eſt, erroris aut exceſſûs arguere doctrinam à tam inſigni Eccleſiæ Doctore tam S. Auguſtinus exceſſûs argui non poteſt.

 per-

perſpicuè traditam, tam crebrò inculcatam, tam confidenter & aſſeveranter propoſitam? Quis ſanæ mentis ſibi perſuadebit Doctorem ſapientiſſimum & cautiſſimum, tot encomiis ab Eccleſiæ principibus celebratum, proprias ſuas opiniones pro ipſius Eccleſiæ doctrinâ perpetuò venditaſſe? 2° Reverâ S. Doctor hanc doctrinam non ut ſibi peculiarem, neque ut ingenii ſui fœtum, ſed tanquam concordiſſimam univerſæ Eccleſiæ fidem, conſtanter ac nemine contradicente aſſeruit. Sic namque loquitur lib. 5 *contra Julianum*, cap. 1. num. 4: „ Neque alia cauſa eſt „ cur novitatem veſtram deteſtetur etiam multitudo Chriſtiana,..... „ niſi quia Deum & hominum conditorem, & juſtiſſimum cogitant, & „ ſuorum tantos cruciatus conſpiciunt parvulorum, ut ſub Deo creatore „ optimo atque juſtiſſimo nullomodò imago ejus in illa ætate tanta „ mala pateretur, ſi non eſſet originale peccatum.“ Et lib. 2 *Op. imperf.* cap. 22: „ Pelagianam illaturus es (argumentationem), non Catholi- „ cam. CATHOLICA ILLA EST, quæ oſtendit juſtum Deum in tot „ ac tantis pœnis & cruciatibus parvulorum.“

Non etiam hypotheticè, ſed abſolutè locutus eſt.

Reſpondent alii S. Auguſtinum in diſputatione cum Pelagianis ſuppoſuiſſe, quod fides docet, primum hominem creatum fuiſſe in ſtatu & juſtitia ſupernaturali, atque ex illâ hypotheſi ſemper locutum fuiſſe. Sed gratis, imò contra ipſammet textuum evidentiam id fingunt. Quamvis enim S. Doctor non rarò Pelagianos refellat, ex eo quòd miſeriæ quas nunc patimur in paradiſo voluptatis non extiterint, luce clarius eſt illud argumentum ab eo quod à nobis modò propoſitum eſt toto cœlo differre, quo nempe demonſtratur hujus vitæ miſerias non tantùm humanæ naturæ primordium non fuiſſe, ſed nullatenùs eſſe potuiſſe. Textus autem allatos abſolutè accipiendos eſſe, non hypotheticè, multa evincunt.

Ac 1° quidem, ſi non abſolutè locutus fuiſſet S. Doctor, illud ipſum ſuppoſuiſſet quod erat in controverſia, quodque Pelagiani palam negabant: quo vitio nullum in diſputationibus abſurdius & intolerabilius eſt. 2°. S. Auguſtinus centies affirmat Deum fore injuſtum, ſi creaturæ innocenti miſerias ingereret, aut ingeri pateretur. Porro quod Deus non poteſt juſtè, nullomodò poteſt, neque abſolutè, neque ex aliquâ hypotheſi. Enimverò ſi quæram ab adverſariis an Deus foret injuſtus, ſi hominem primitùs creaſſet tot miſeriis obnoxium, negabunt illico, quia ſentiunt ſtatum hujuſmodi eſſe poſſibilem: è contrario autem S. Auguſtinus expreſſè docet, & centies inculcat Deum injuſtum fore, ſi miſeriæ hujus vitæ peccatum omne præcederent. Ergo illorum opinio è diametro adverſatur doctrinæ S. Auguſtini. 3°. Affirmat Pelagianis naturæ puræ aſſertoribus nullum ſuppetere poſſe medium, quo juſtitiam Dei in tot parvulorum calamitatibus defendere queant. Sic quippe loquitur lib. 4 *Op. imperf.* cap. 136: „ Æquitatem divinam negare cogitur quiſquis deceptus fuerit à vobis; quoniam tot vitia vel cor- „ po-

„ poris, vel ingeniorum, cum quibus naſcuntur homines, ſi nullius „ peccati dicuntur trahere meritum, procul dubio Dei negatur juſtum „ eſſe judicium." Et lib. 2. cap. 119: „ Quod etſi ſcriptura non di- „ ceret (ſcilicet eſſe peccatum originale), quis tam cæcus eſt mente, „ ut non videat miſeriam generis humani à fletibus incipere parvulo- „ rum?" Ergo independenter à quacunque hypotheſi, & ſemotâ etiam ſcripturarum auctoritate, loquitur S. Doctor. Hinc eos qui, cùm teſtes ſint miſeriarum humanæ vitæ, negant tamen originale peccatum, non tantùm hæreticos, ſed & horribiliter cæcos eſſe pronuntiat, lib. 3 ejuſdem operis, cap. 57. „ Quod (magnum peccatum), inquit, indicat „ humani generis tanta miſeria, quæ, à primis ploratibus vagientium, „ usque ad expirantium noviſſimos halitus, omnibus nota eſt; ita ut „ qui eam negant, majorem partem ſibi vindicent humanæ miſeriæ tam „ horribili & incredibili cæcitate." 4°. Contendit non minùs injuſtum eſſe innocentes pati, quàm injuſtum videbatur Pelagianis peccatum primi hominis tranſire ad ejus poſteros; ut videre eſt lib. 1 *Op. imperf.* cap. 27 & 31; & lib. 2. cap. 124. Atqui Pelagianis abſolutè injuſtum eſſe videbatur peccatum Adami ad ejus poſteros transfundi. Ergo abſolutè pariter, & independenter à quacunque hypotheſi, aſſeruit S. Auguſtinus injuſtum eſſe parvulos calamitatibus affici, ſi peccato careant. 5°. Injuſtitiam illam non inde repetit, quòd Deus primum hominem aliter inſtituerit, ſed quòd ſub Deo juſto repugnet innocentiam & miſeriam ſimul ſtare, ut patet ex lib. 5 *Op. imperf.* cap. 64. „ Injuſtum „ eſt, inquit, ut mala ingerantur bonis. Dic ergo quâ juſtitiâ par- „ vuli tanta mala patiuntur. *Non creantur*, inquis, *mali*...... Quâ „ igitur juſtitiâ premuntur gravi jugo?" Et lib. 6. cap. 36: „ Omnis „ pœna hominis quid eſt, niſi pœna imaginis Dei? Quæ ſi infertur in- „ juſtè, procul dubio à quo infertur injuſtus eſt... Quis porro dubitet „ quòd injuſtè inferatur pœna imagini Dei, niſi hoc culpa meruerit?" Et lib. 1 *de Libero arbitrio*, cap. 6. num. 15: „ Quid, illa lex, inquit, „ quæ ſumma ratio nominatur,..... per quam mali miſeram, boni bea- „ tam vitam merentur, poteſt ne cuipiam intelligenti non incommu- „ tabilis æternaque videri?" Non ergo ex hypotheſi naturæ ad ſtatum ſupernaturalem elevatæ, ſed abſolutè loquitur S. Doctor. 6°. Declarat adeò manifeſtum eſſe repugnare divinæ juſtitiæ, ut innocentes miſeros eſſe ſinat, ut, juxta ipſum, Pelagiani, innocentiam & miſeriam in parvulis ſimul admittendo, Manichæos invictos redderent. „ Ipſa verò „ hæreſis veſtra, inquit lib. 6 *contra Julianum*, cap. 21. num. 67, „ quantùm Manichæos adjuvet jam quidem ſæpè monſtravi, ſed ne hîc „ quidem eſt omittendum. Enumerant Manichæi mala quæ in parvu- „ lis monſtrant, atque concludunt dicentes: Cùm ſit juſtus atque om- „ nipotens Deus, unde iſta mala patitur imago ejus in parvulis, niſi „ quia vera eſt, inquiunt, quam nos aſſerimus, duarum naturarum,

 „ boni

Digitized by Google

„ boni ſcilicet malique commixtio? Hos catholica redarguit veritas,
„ confitens originale peccatum...... Vos autem negantes originale
„ peccatum, profectò aut cogimini dicere Deum vel invalidum, vel in-
„ juſtum, ſub cujus poteſtate imago ejus in parvulis, ſine ullo vel pro-
„ prii, vel originalis peccati merito, tantis affligitur malis,..... aut,
„ quia Deum vel impotentem, vel iniquum dicere non poteſtis, Mani-
„ chæi contra vos errorem ſuum nefarium de duarum inter ſe inimica-
„ rum ſubſtantiarum permixtione firmabunt." Idem in eos telum vibrat lib. 2 *Op. imperf.* cap. 110, & lib. 3. cap. 95, ubi inter alia hæc dicit: „ Quid eis (Manichæis) respondebit hæreſis veſtra, niſi huma-
„ nam, quamvis ſub Deo creatore & artifice, hanc tamen eſſe natu-
„ ram?..... O abominabilem & damnabilem vocem!" Vide etiam ibidem, cap. 102, lib. 4. cap. 75, lib. 5. cap. 4, lib. 6. cap. 5 & 9, ubi eamdem Pelagianorum reſponſionem appellat *abſurdiſſimam & deteſtabiliſſimam.* His in locis S. Doctor in medium producit pugiles duos, unum Pelagianum, Manichæum alterum. Ambo dicebant naturam humanam talem ab initio fuiſſe, qualis nunc eſt, certabantque tantummodò de cauſa malorum ac miſeriarum, quibus natura humana ſubjacet. Manichæus contendebat mala illa exurgere ex commixtione duarum contrariarum in homine naturarum, bonæ videlicet ac malæ: Pelagianus ex adverſo dicebat (quod in ſimili diſputatione dicerent quoque aſſertores poſſibilitatis naturæ puræ) hujuſmodi miſerias naturæ humanæ appendices eſſe. Quid verò pronuntiat S. Auguſtinus? Definit reſponſionem Pelagianorum *abominabilem & damnabilem*, *abſurdiſſimam & deteſtabiliſſimam* eſſe, nec declinari ab eis Manichæorum impietatem, niſi ruendo in aliam, Deumque vel injuſtitiæ, vel impotentiæ arguendo. 7°. Adeò verum eſt S. Doctorem locutum fuiſſe abſolutè, non ex aliquâ hypotheſi, ut lib. 22 *de Civitate Dei*, cap. 22. 23 & 24, diſputans adverſus Paganos, contra quos non ſcripturarum auctoritate, ſed ratione ſolâ pugnandum erat, ex iiſdem miſeriis demonſtret naturam humanam peccatricem eſſe.

Neque hujus vitæ mala ſpectavit ut pœnalia, ſed in ſeipſis.

Demum nonnulli reſpondent S. Auguſtinum, in locis memoratis, hujus vitæ miſerias non in ſeipſis conſideraſſe, ſed prout pœnales ſunt, ita ut ſenſus ſit Deum fore injuſtum ſi inſontes puniret. Verùm iſtud effugium præcludunt momenta modò allata. Si enim S. Doctoris ea mens fuiſſet, quam ipſi affingunt, nullatenùs Pelagianos attigiſſet. Illi enim vitæ hujus miſerias naturæ humanæ ſequelas eſſe contendebant, pœnales verò eſſe omnino negabant, ultroque fatebantur injuſtum fore pœnam propriè dictam, & ſub ratione pœnæ, innocentibus infligi. Aërem ergo verberaſſet Doctorum maximus, ſi tanto cum apparatu probandum illud ſuſcepiſſet, quod nemo inficiebatur. Mens ergo illius non eſt mala quæ patimur peccatum ſupponere, quia pœnalia ſunt, ſed mala illa eſſe pœnalia, quia fieri nequit ut Deus omnipotens & juſtus creaturam innocen-

Digitized by Google

nocentem miſeram eſſe ſinat. Et certè qui ſic effugere nituntur, ultro fatentur juſtitiæ Dei repugnare, ut pœnam propriè dictam creaturæ innocenti inferat. Porro omnis miſeria eſt pœna propriè dicta. Pœnam quippe inferre, quid aliud eſt quàm dolores immittere, bonis ſpoliare, cruciatibus torquere? Ergo abſurdum eſt miſerias, quibus ipſi etiam parvuli affliguntur, à pœna propriè dicta eximere; adeòque cùm conſtet Deum ſummè juſtum inſontes punire non poſſe, conſtat etiam illum non poſſe innoxios miſeriis, quales parvuli patiuntur, ſubjicere.

S. Auguſtino conſentiunt cæteri SS. Patres.

Alii SS. Patres S. Auguſtino conſentiunt.

S. Gregorius Nyſſenus, lib. *de Animâ & reſurrectione*, tom. 3 pag. 252: „ In prima vita, inquit, cujus Deus ipſe auctor fuit, *conveniebat* ut „ neque ſenectus eſſet, neque infantia, neque ea, quæ per varias infir- „ mitates ac morbos accidunt, incommoda, neque ulla alia moleſtia „ atque ærumna corporea. *Neque* enim *decebat*, *aut par erat* Deum cjus- „ modi res creare;..... hæc enim omnia unà cum ingreſſu vitioſitatis „ in nos invaſerunt & eruperunt."

Auctor *Hypognoſticon*, lib. 5. cap. 3, commemoratis parvulorum miſeriis, ſic Pelagianos aggreditur: „ Quæ ſi minimè ſtimulo peccati pro- „ toplaſtorum percuſſi, ex quorum peccatrice carne caro peccati ſunt, „ patiuntur, ſecundùm errorem veſtrum Deus talem fecit naturam, ut „ pœnalibus anima paſſionibus convexetur; aut certè injuſtus, ut inno- „ centiam ſanctam & nullius prorſus erroris obnoxiam tantis permittat „ ingeri periculis, & in ipſis nonnunquam vitâ privari. Quod niſi eos „ peccati originalis cauſâ pati credideritis, ſine dubio Deum, qui val- „ de bona omnia fecit, arguitis. Sed abſit ut ſit iniquus inferens iram, „ immò juſtus judicia faciens (pœna enim peccati eſt), ut pœnis plec- „ tantur, non in actu, ſed ortu parvuli peccatores."

S. Proſper, lib. *contra Callatorem*, cap. 9. num. 26, parvulorum cruciatibus peccatum originale evidenter demonſtrari aſſerit. „ Niſi fortè „ dicatur, inquit, in Adæ poſteros pœnam tranſiiſſe, non culpam: quod „ omnino falſum dicitur. Nimis enim impium eſt hoc de Dei ſentire „ juſtitia, quòd à prævaricatione liberos cum reis voluerit eſſe damna- „ tos. Patet ergo culpa, ubi non latet pœna." Et in Carmine *de Ingratis*, Semipelagianis exprobrans quòd Pelagianiſmum inſtaurarent, ſic loquitur, cap. 23:

Corporeo tantùm decurrere tramite pœnam
Peccati perhibete, animi nihil imminuentem:
Vulnere transfixos abſolvite crimine, & ipſam
Juſtitiam accuſate Dei tranſire ſinentis
Supplicium, quò non vultis tranſire reatum.

Et cap. 24:

„ *Sed non injuſtus Deus eſt; manifeſtaque Pauli*
„ *Vox docet uno omnes homines cecidiſſe ruente.*“

S. Gelaſius Papa, Epiſt. 7 ad Epiſcopos per Picenum: „ Ideò, inquit, „ (homo) de felicitatis ſuæ claritate ſecluſus, atque ad ſpinas & tribulos, miſeriasque multiplices cœleſti voce damnatus eſt, quæ utique pœna juſti judicii tam gravis & aſpera in bono perſeveranti nullatenùs eſſet inflicta, & niſi malo non convenienter illata probaretur.“ Ibi S. Pontifex affirmat non modò multiplices hujus noſtræ vitæ miſerias locum habituras non fuiſſe, ſi homo non peccaſſet, ſed etiam *conveniens* non eſſe, ac proinde alienum à Deo, ut aliis quàm *malis* & peccatoribus inſerantur.

S. Anſelmus in lib. *de Conceptu Virginis & originali peccato*, cap. 13: „ Eâdem ipſâ ratione, inquit, quâ non debuit Deus Adam facere „ niſi juſtum, nec aliquo debito ſive incommodo gravatum, apertè mens „ rationalis cognoſcit eum, quem ſimiliter propriâ voluntate ac virtu„ te procreat“ (qualis foret quilibet homo qui peccati expers crearetur, aut naſceretur), „ alicui malo ſubditum fieri non debere, quo„ niam nimis inconveniens eſt omnipotenti & ſapienti Dei bonitati, ta„ lem facere rationalem naturam, ſolâ propriâ voluntate, de materiâ „ in qua nullum eſt peccatum. Quod qui non intelligit, non cognoſcit „ quid Deo * non conveniat.

* Al. conveniat.

Idem docent plerique inſignioris notæ Theologi.

S. Thomas adverſam quidem opinionem, quæ tunc in Scholis obtinere cœperat, dum junior eſſet, ſecutus fuiſſe videtur in lib. 1um Sent. diſt. 31. quæſt. 1. art. 2. ad 3um; ſed ætate & doctrinâ provectior illam revocavit, aut certè mentem ſuam apertiùs declaravit lib. 4 *contra Gentiles*, cap. 52, ubi peccati originalis traducem ex præſentis hujus vitæ miſeriis demonſtrat. Ipſum audiamus: „ Cùm Deus, inquit, „ humanorum actuum ſic curam gerat, ut bonis operibus præmium, & „ malis pœnam retribuat, ex ipſa pœna poſſumus certificari de culpa. „ Patitur autem communiter genus humanum diverſas pœnas, & cor„ porales & ſpirituales.“ Deinde præcipuam adverſariorum objectionem ſibi proponit his verbis: „ Poſſet tamen aliquis dicere hujusmodi „ defectus tam corporales, quàm ſpirituales, non eſſe pœnales, ſed „ naturales defectus ex neceſſitate materiæ conſequentes. Neceſſe eſt „ enim corpus humanum, cùm ſit ex contrariis compoſitum, corrup„ tibile eſſe, & ſenſibilem appetitum in ea quæ ſunt ſecundùm ſenſum „ delectabilia moveri, quæ interdum ſunt contraria rationi &c.“ Sic autem reſpondet: „ Sed tamen ſi quis rectè conſideret, ſatis probabili„ ter poterit æſtimare, divinâ providentiâ ſuppoſitâ, quæ ſingulis per„ fectio-

„ fectionibus congrua perfectibilia coaptavit, quòd Deus ſuperiorem na-
„ turam inferiori ad hoc conjunxit, ut ei dominaretur; & ſi quod hu-
„ jus dominii impedimentum ex defectu naturæ contingeret, ejus ſpe-
„ ciali & ſupernaturali beneficio tolleretur, ut ſcilicet, cùm anima ra-
„ tionalis ſit altioris naturæ quàm corpus, tali conditione credatur cor-
„ pori eſſe conjuncta, quòd in corpore aliquid eſſe non poſſit contra-
„ rium animæ per quam corpus vivit: & ſimiliter, ſi ratio in ho-
„ mine appetitui ſenſuali conjungitur, & aliis ſenſitivis potentiis, quòd
„ ratio à ſenſitivis potentiis non impediatur, ſed magis eis dominetur.
„ ..... Sic igitur hujusmodi defectus quamvis naturales homini videan-
„ tur, abſolutè conſiderando naturam humanam ex parte ejus quod eſt
„ in eâ inferius, tamen conſiderando divinam providentiam & dignita-
„ tem ſuperioris partis humanæ naturæ, ſatis probabiliter probari po-
„ teſt hujusmodi defectus eſſe pœnales, & ſic colligi poteſt humanum
„ genus peccato aliquo originali eſſe infectum."

Gregorius Ariminenſis in 1um, diſt. 42. quæſt. 1. art. 2. concl. 2, docet Deum, quamvis poſſit *de potentia abſoluta*, & abſtracta à cæteris ejus attributis, creare hominem in puris, ut aiunt, naturalibus, id tamen *non poſſe de juſtitia*, ac proinde reipsâ non poſſe: ut enim ſupra ſæpè præmonuimus, *quod non poteſt juſtè, non poteſt juſtus.*

Bellarminus, lib. 6 *de Amiſſione juſtitiæ*, cap. 15, multis pro adverſa ſententia in medium prolatis, ſic demum concludit: „ Omnino veri-
„ ſimile eſt non fuiſſe Deum optimum, & noſtri generis amantiſſimum,
„ conditurum hominem tam miſerum, quàm nunc eſt, niſi peccati noſ-
„ tri magnitudo tale ſupplicium meruiſſet."

Noriſius, *Vindiciarum Auguſtinianarum* cap. 3. § 3, latè probat impoſſibilitatem ſtatûs naturæ puræ, aitque, „ licet ſit poſſibile potentiæ,
„ non eſſe poſſibile juſtitiæ talem condi hominem, qualis nunc naſcitur."

Fulgentius Belelli in opere inſcripto, *Mens S. Auguſtini de ſtatu creaturæ rationalis ante peccatum*, lib. 3, abſolutè ſtatuit multisque argumentis evincit *impoſſibilem* eſſe *ſtatum naturæ puræ.*

Idem abſolutè quoque pronuntiat Laurentius Berti in *Auguſtiniano ſyſtemate de gratiâ..... vindicato*, Romæ apud typographum Vaticanum excuſo, impellente ac palam protegente S. P. Benedicto XIV. „ Id ergo pronuntio, ait Berti diſſert. 2. cap. 2. pag. 241: *Status naturæ puræ*
„ *impoſſibilis eſt.*" Et aliquantò poſt, § 6. num. 2. pag. 251: „ Sup-
„ ponit (adverſarius) damnatum errorem eſſe eorum ſententiam, qui
„ docent impoſſibilitatem ſtatûs puræ naturæ. Ignorat ne ſententiam
„ ipſam ab omnibus Auguſtinianis Theologis ſemper ad hanc usque
„ diem propugnatam fuiſſe in Univerſitate Lovanienſi, nec non in Vien-
„ nenſi, approbantibus Univerſitatis utriusque Præſidibus & Rectori-
„ bus, propugnatam in ſingulis Inſtituti noſtri Italiæ, Belgii & Germa-
„ niæ gymnaſiis?" Et cap. 3. § 6. pag. 265: „ Hæc propoſitio: *Im-*

„ poſ-

Digitized by Google

„ *poſſibilis eſt ſtatus puræ naturæ*, à Noſtratibus inculpatè ſemper in
„ Belgio, in Germaniæ Provinciis, in Italia, in Galliarum quoque ly-
„ cæis, tum publicis theſibus ab Univerſatum Rectoribus approbatis,
„ tum libris Romæ, Neapoli, Veronæ, Lovanii, Toloſæ, Norimber-
„ gæ, aliisque in locis cum cenſorum judicio & ſuperiorum auctori-
„ tate procuſis, propugnata hactenùs fuit."

Neque in Auguſtinienſium duntaxat Ordine viget hæc doctrina, ſed & in cæteris pleriſque Religioſis Ordinibus communiſſimam eam eſſe demonſtrant Theſes publicæ quàmplurimæ, quæ in tota paſſim Italia aliisque Catholicis regionibus frequentiſſimè propugnantur. Vide librum cui titulus: *Collectio Theſium in diverſis Univerſitatibus ac Scholis orbis Catholici propugnatarum, à paucis abhinc annis, circa præcipua Theologiæ ac Juris Canonici dogmata.* Pariſiis 1768.

Probatur denique hæc prima pars propoſitionis rationibus Theologicis.

Prima, eaque capitalis, eſt quòd, ut S. Auguſtinus docet lib. 1 *Oper. imperf.* cap. 39, & alibi ſæpè repetit, *ſub Deo juſto miſer eſſe quisquam, niſi mereatur, non poſſit.* Hæc veritas omnium hominum mentibus adeò altè infixa eſt, ut eam præcipuè ob cauſam Philoſophi gentiles varias in partes abierint, ad detegendam originem malorum quibus hac in vita premimur. Alii ſcilicet finxerunt animas in aliqua anteriore vita peccaſſe, ideòque in corpora detruſas fuiſſe; alii contenderunt Deum nullam curam gerere rerum humanarum; alii fatum neſcio quod aſſignarunt tanquam tot malorum cauſam; alii eam rejecerunt in materiam, ut dicebant, increatam, quâ Deus opus habuit ad producendum hominem; alii alias opiniones pro arbitrio ſuo excogitarunt. Nonnulli veteres hæretici, quales fuerunt Marcion, Manichæi & Priſcillianiſtæ, malum aliquod imaginati ſunt Deo coæternum, à quo mala naturæ noſtræ inſerta & commixta fuerint. Adeò perſpicuum eſt tot ac tantas miſerias Deum optimum auctorem habere non poſſe.

Reſpondent adverſarii fieri quidem non poſſe ut Deus creaturæ innocenti mala inferat præter naturæ ordinem; ſed nihil obſtare quominùs ea contingere permittat, quæ ex ipſa naturæ conditione ſponte fluunt. Verum S. Auguſtinus aliique SS. Patres hujusmodi diſtinctionem nunquam agnoverunt, ſed abſolutè & absque ulla exceptione pronuntiant ſub Deo juſto neminem quocunque modo miſerum eſſe poſſe, niſi mereatur. Et certè non de miſeriis, quæ præter naturæ ordinem accidunt, diſputatio erat cum Pelagianis, ſed de illis quæ naturales dicuntur. Aliunde iſta adverſariorum reſponſio vix differt ab errore quorumdam gentilium Philoſophorum, qui miſeriarum omnium cauſam refundebant in materiam, quam Deus adhibuit ad producendos homines, niſi quòd illi Philoſophi materiam Deo coæternam eſſe contenderent, noſtri vero Scholaſtici credant & confiteantur eam à Deo creatam fuiſſe. At cur non inde potiùs concludunt materiam creatori ſuo deſervientem ejus volun-

Digitized by Google

luntati in omnibus obſequi? Demùm S. Auguſtinus, lib. 83 *Quæſtionum*, quæſt. 82, commemoratis tribus opinionibus, ſeu erroribus de cauſâ malorum: 1° eorum qui Deum injuſtitiæ arguebant: 2° eorum qui providentiam negabant: 3° eorum qui dicebant Deum „ ſemel ſtatuiſſe neceſſitates fatorum, contra quas nec ipſe aliquid facit, ne ordinem rerum à ſe diſpoſitum inconſtantiâ ſuâ turbare credatur," hanc tertiam opinionem, à quâ non multùm recedit adverſariorum opinio (per neceſſitates enim fatorum non aliud eo loci intelligitur, quàm *ordo rerum ſemel à Deo diſpoſitus*), ſic refellit: „ Si verò propterea gravia „ perpeti juſtos ſineret, quia contra ordinem rerum à ſe diſpoſitum nollet „ venire, nec ipſe juſtus eſſet; non quia diſpoſitionem ſuam ſervare non „ vult, ſed quia ita diſpoſuit ipſum ordinem rerum, ut immeritis pœ„ nis juſti affligantur." Ergo, juxta S. Auguſtinum, etiamſi miſeriæ quas patimur ex naturæ conſtitutione & ordine ſequerentur, non ideò Deus non eſſet injuſtus vel impotens, qui talem naturæ ordinem pro creatura innocente inſtituiſſet.

2ª Ratio. Si Deus pro ſuo ſummo dominio poteſt creaturam innocentem omnibus miſeriis, quibus nunc affligimur, ſubjicere, eodem jure poſſet illam in flammis & cruciatibus æternis creare. Conſequens admittunt Suarez, Vasquez & alii nonnulli; ſed contra negantes probandum eſt. Naſcatur infans orbatus oculis ac pleriſque aliis ſenſibus, qui doloribus acutiſſimis per multos annos vexetur, luctuoſamque vitam trahat in continuo malorum ſenſu. Id, juxta adverſarios, locum pariter haberet in ſtatu naturæ puræ: hæc enim omnia dicunt eſſe naturæ appendices, & ex defectu materiæ provenire. Hoc poſito, quæro cur idem infans in medio flammarum creari non poſſet? Sic enim ſummum Dei in creaturas ſuas dominium magis eluceret. Præterea, ſi miſeria peccatum nullum ſupponit, cujus pœna ſit, nihil vetat quin illa magis ac magis augeatur. Si verò dicas intenſiorem miſeriæ gradum, nullo peccato præcedente, injuſtum fore, cur non pariter gradus inferior injuſtus foret? Igitur, ſi innocentia & miſeria citra ullam injuſtitiam ſimul conſiſtere poſſunt, non repugnat maximam miſeriam, & tantam quanta eſt damnatorum, cum innocentia conjungi. De duratione miſeriæ idem dici debet ac de illius intenſione. Si enim creatura innocens per aliquot annos miſera eſſe poſſet, cur non poſſet per centum, per mille annos, per plura annorum millia? Cur non ſine fine? Porrò ratio ipſa apertè clamat iſtud valde injuſtum eſſe. „ Omnes fatentur, ait „ S. Auguſtinus lib. *De duabus animabus*, cap. 12. num. 17, & malas „ animas juſtè, & eas quæ non peccaverunt injuſtè damnari." Et lib. 11 *de Geneſi ad litteram*, cap. 28: „ Cuilibet occurrit, & verum eſt at„ que manifeſtum, juſtitiæ ipſi eſſe contrarium ut, nullo præcedente „ merito, hoc ipſum in quoquam Deus damnet, quod in eo ipſe crea„ verit." Ipſi etiam Pelagiani naturæ puræ fabricatores non adeò de-

ſipiebant, ut putarent innoxios igni æterno addici poſſe. Inde illud Pelagii dictum: *Sine baptiſmo parvuli morientes quò non eant ſcio, quò eant neſcio;* quia nimirum, ut obſervat S. Auguſtinus lib. *de Peccato originali*, cap. 21, dicere non audebat eos in mortem æternam ire, quos & hic nihil mali geſſiſſe cernebat, & originale peccatum traxiſſe negabat.

Probatur altera pars propoſitionis de morte ſpeciatim.

Ex dictis, nemo, niſi meruerit, ſub Deo juſto miſer eſſe poteſt. Porro quis neget moriendi neceſſitatem magnam eſſe miſeriam? Profectò miſer eſt qui, quod naturaliter appetit, conſequi non poteſt; & qui, quod naturaliter pati non vult, pati cogitur. Atqui omnis homo naturâ duce appetit non mori. Hinc Apoſtolus, Hebr. II. 13. 14 & 15, ait Chriſtum participaſſe carni & ſanguini, *ut per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.* Idem Apoſtolus in perſona omnium fidelium loquens, 2 Corinth. IV: *Nolumus*, inquit, *exſpoliari* (corpore), *ſed ſuperveſtiri* immortalitate. Ad hunc naturalem mortis metum alludens Chriſtus dicebat Petro, Joann. XXI. 18: *Cùm ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Quin & ipſe Chriſtus ſenſum illum timoris in ſeipſo excitare voluit, & verbis exprimere, cùm in horto Patrem oravit ut, ſi poſſibile eſſet, tranſiret ab eo calix paſſionis ac mortis.

Et ſanè non moraliter tantùm anima regit corpus, ſicut gubernator navim, de quâ parum eſt ſollicitus, ſed tanquam ſibi intimè & phyſicè conjunctum, quocum in unam naturam coaleſcit. Unde fit ut *nemo carnem ſuam odio habeat*, ſed unuſquiſque *eam foveat & nutriat*, ejuſque diſſolutionem inſtinctu quodam innato & inſuperabili reformidet. Igitur timor mortis, ut pote apprimè naturalis, in homine puro pariter foret, eumque, tametſi innocentem, cruciaret. Quid verò demonſtrat innatum illud non moriendi deſiderium, ab ipſo Deo naturæ conditore homini inditum, niſi mortis neceſſitatem naturæ humanæ primitus inſtitutæ omnino repugnare? Numquid enim Deus ſummè bonus ac ſapiens duo ſibi invicem contraria in homine conjungere poſſet, naturale deſiderium à ſeipſo impreſſum fruſtrare, hominem innoxium & invitum moriendi neceſſitati ſubjiciendo?

Hoc argumento demonſtrabat S. Auguſtinus mortem corporis non niſi peccati pœnam eſſe poſſe. „ Quoniam, inquit lib. 2 *Op. imperf.* cap. 186, „ mortem niſi æternam non vis eſſe pœnalem, ſi mors pœnalis „ non eſt, quæ animam à corpore ſeparat, cur eam ſic timet natura, „ quam ſic laudas ut neges eſſe vitiatam? Quid cauſæ eſt ut infans, „ ubi paululùm ab infantia progredi cœperit, jam formidet occidi? Cur „ non ita ut in ſomnum ſenſus eſt proclivis in mortem?...... Si ergo „ fruſtrà mors timetur, ipſe timor ejus eſt pœna. Si autem anima ſe- „ parari à corpore naturaliter non vult, ipſa mors pœna eſt, quamvis

„ eam

Digitized by Google

„ eam in uſum bonum gratia divina convertat.“ Vide ejusdem libri cap. 226.

Idem confirmat ibidem, lib. 6. cap. 37, his Apoſtoli verbis, 1 Corinth. XV. 26: *Noviſſima inimica deſtruetur mors*, obſervatque non tantum mortem æternam, ſed temporalem quoque, quæ in ultima reſurrectione deſtruetur, hoc ipſo quòd eſt *inimica* naturæque contraria, infligi non poſſe niſi in peccati pœnam. „ Porro, inquit, inimica quomodò eſſet, „ ſi naturalis ita eſſet, ut pœnalis non eſſet? Pœnalis autem ſub juſto „ & omnipotente judice nullo pacto eſſet, niſi meritis peccati accidiſſet.“

Advertendum eſt inſuper in ſtatu naturæ puræ nullam futuram fuiſſe reſurrectionem mortuorum, cùm reſurrectio ſit ſupra virtutem omnem naturæ. Porro S. Thomas, lib. 4 *contra Gentiles*, cap. 79. num. 3 & 4, probat repugnare divinæ ſapientiæ eum naturæ humanæ ſtatum, in quo nulla futura eſſet corporum reſurrectio; tum quia eſt *contra naturam animæ absque corpore eſſe, nihil autem quod eſt contra naturam poteſt eſſe perpetuum;* tum quia naturale eſt homini appetere beatitudinem perfectam], quam aſſequi nequit, niſi anima corpori denuò conjungatur. „ Felicitas ultima, inquit, eſt felicis perfectio. Cuicunque igitur aliquid „ deeſt ad perfectionem, nondum habet felicitatem perfectam, quia nondum ejus deſiderium totaliter quietatur. Omne enim imperfectum „ perfectionem conſequi naturaliter cupit: anima autem à corpore ſeparata eſt aliquo modo imperfecta, ſicut omnis pars extra ſuum totum „ exiſtens. Non igitur homo poteſt ultimam felicitatem conſequi, niſi „ anima iteratò corpori conjungatur.“ Tum denique quia præmia vel pœnæ homini debentur ratione boni vel mali, quod non per animam tantùm, ſed, corpore quoque ipſo miniſtrante, geſſit. „ Igitur, inquit, „ neceſſarium eſt ponere iteratam animæ ad corpus conjunctionem, ut „ homo in corpore & animâ præmiari & puniri poſſit.“

Probatur 2° auctoritate Conciliorum.

Epiſcopi Africani in Sardiniâ pro fide Chriſti exules, in lib. *de Incarnatione & gratia* operâ B. Fulgentii ſcripto, cap. 14, expreſſè definiunt Deum injuſtum fore, ſi parvulos nullo obligatos peccato mortis neceſſitati ſubjiceret. „ Si qui ergo, inquiunt, mortem ſolam, & non „ etiam peccatum, ex homine primo tranſiiſſe in genus humanum nitantur aſſerere, mirum ſi non intelligunt quibus ſententiæ ſuæ laqueis „ obligantur. Primò, quia Deum dicunt injuſtum, in eo quòd mori „ facit parvulos, quos nullâ volunt iſti peccati originalis contagione „ pollutos, quosque manifeſtè conſtat infantili ætate aliquid actualis „ peccati propriâ non poſſe voluntate contrahere; cùm mortem ſtipendium eſſe peccati Apoſtolus definiat, & rurſum aculeum mortis eſſe „ peccatum...... Quâ igitur juſtitiâ parvulus ſubjicitur peccati ſtipendio, ſi nulla eſt in eo peccati pollutio?“

Idem definit concilium Arauſicanum ſecundum, can. 2. „ Si quis, ait,

Digitized by Google

„ ait, ſoli Adæ prævaricationem ſuam, & non ejus propagini aſſerit no-
„ cuiſſe, aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati eſt, non
„ autem & peccatum, quod mors eſt animæ, per unum hominem in
„ omne genus humanum tranſiiſſe teſtatur, injuſtitiam Deo dabit.“

His canonibus adjungendum eſt Reſcriptum Honorii Imperatoris adverſus Pelagianos, Ravennæ datum ultimâ die Aprilis 418; quod quidem Reſcriptum, Epiſcopis Catholicis dirigentibus, confectum fuiſſe nulli dubium eſt. In illo quippe eo potiſſimùm nomine illos hæreticos damnat, quòd „ Deo tam trucem inclementiam ſævæ voluntatis aſſignarent, „ ut, cùm formandi mundi opificem curam ſumeret,...... mortem præ- „ mitteret naſcituro: non hanc inſidiis vetiti fluxiſſe peccati, ſed egiſſe „ penitus legem immutabilis conſtituti.“ Igitur, Epiſcoporum Catholicorum judicio, Deus injuſtus foret & inclemens, ſi hominem nullius peccati reum mortis neceſſitati ſubjeciſſet.

Duobus autem præmiſſis canonibus percelluntur Pelagiani quidam mitiores, qui, cùm fateri cogerentur Adamum ita creatum fuiſſe, ut, ſi non peccaſſet, non moreretur, nec niſi peccando mortis neceſſitatem incurriſſe, negabant ejus peccatum ad ejus poſteros tranſire, ſeu privationem juſtitiæ originalis in infantibus veram peccati rationem habere (illos enim hæreticos privationem juſtitiæ originalis in infantibus agnoviſſe inde apparet, quòd eos baptiſmo indigere confiterentur), & tamen Deum propter, primi parentis prævaricationem, omnes ejus poſteros morti aliiſque vitæ hujus ærumnis ſubjeciſſe. Contra illos verò decernunt ambæ ſynodi injuſtum fore Deum, ſi, peccato ipſo non tranſeunte, peccati pœna ad poſteros tranſiret. Inde autem duplex exurgit argumentum inviĉtiſſimum.

Nam primò non magis injuſtum eſt Adami poſteros, tametſi peccato ejus non obligatos, in pœnam tamen illius peccati dimitti puris ſuis naturalibus, donisque gratuitis ſpoliari, quàm omnes homines, nullo præcedente peccato, in puris naturalibus creatos eſſe. Atqui adverſarii contendunt nullam in Deo futuram fuiſſe injuſtitiam, ſi ante ullum peccatum hominem in puris naturalibus mortique obnoxium creaviſſet. Ergo à fortiori ſentire debent nullam in Deo injuſtitiam futuram fuiſſe, ſi propter primi parentis peccatum totam ejus progeniem, etſi peccato non inquinatam, in puris naturalibus, mortique obnoxiam naſci decreviſſet. Porro concilia è contrario definierunt injuſtitiam Deo adſcribi, ſi, peccato ipſo non tranſeunte, mors cæteræque corporis miſeriæ in Adami poſteros tranſire dicantur. Ergo à fortiori pro certo ſtatuerunt juſtitiæ Dei repugnare, hominem ante ullum peccatum mortis neceſſitati addici.

2°. Aſſertores poſſibilitatis ſtatûs naturæ puræ in omnibus ferè conſentiunt cum hæreticis in duobus illis conciliis damnatis. Fatebantur illi hæretici Adamum ita fuiſſe creatum, ut, ſi non peccaſſet, non more-

reretur, coque peccante, peccatum ipſius poſteris ejus nocuiſſe, quatenus in illius pœnam morti cæteriſque corporis miſeriis obnoxii naſcuntur. Fatebantur infantes naſci juſtitiâ originali exutos, ideòque opus habere renaſci in Chriſto: in hoc uno à noſtris Scholaſticis diſcrepabant, quòd negarent carentiam illam juſtitiæ parvulis in peccatum imputari, cùm è contrario Scholaſtici noſtri agnoſcant, ſaltem vocetenùs, privationem illam juſtitiæ in naſcentibus rationem habere peccati originalis. Ex his autem ſic argumentor: Opinio poſſibilitatis naturæ puræ omnino rejici debet, ſi includit quidquid à conciliis, quorum definitiones modò prolatæ ſunt, reprobandum viſum eſt, atque etiam aliquid deterius. Atqui illa opinio reipſâ includit quidquid à conciliis memoratis reprobandum viſum eſt, imò aliquid deterius. Tota enim, inter aſſertores iſtius opinionis & Pelagianos mitiores à conciliis damnatos, differentia in eo conſiſtit, quòd iſti quidem ſentiant carentiam juſtitiæ originalis in parvulis naſcentibus peccatum eſſe, illi autem id negaverint. Atqui hæc differentia nedum tollat id quod conciliis damnandum viſum eſt, tanquam juſtitiæ divinæ detrahens, includit aliquid multò iniquius. Quid enim iniquius videri poteſt, quàm naſcentem puerulum peccatorem reputare, propter carentiam quæ nec ex ſeipſâ mala ſit, nec ullâ ejus voluntate contracta? Atqui ſi poſſibilitatis naturæ puræ aſſertoribus credamus, carentia juſtitiæ non eſt ex ſe mala, ſiquidem homo purus juſtitiâ pariter careret, nec tamen eſſet peccator: aliunde carentia illa non propriâ naſcentium voluntate contrahitur. Ergo opinio quam refellimus includit quidquid in dictis Pelagianis reprobandum viſum eſt, atque etiam aliquid deterius; ac proinde penitùs eſt eliminanda.

Probatur 3° ex Patribus.

Theophilus ſecundo ſæculo Episcopus Antiochenus, lib. 2 *ad Autolycum*, num. 27 (al. pag. 103), inde probat primum hominem creatum non fuiſſe morti obnoxium, „ quòd, inquit, ſi Deus mortalem „ illum formaſſet, videretur Deus cauſa illius mortis eſſe.“ (Inter opera S. Juſtini.)

Origenes, lib. 5 in Epiſt. ad Romanos, ad hæc verba, *unius delicto mors regnavit per unum:* „ Oſtendit (Apoſtolus), inquit, quia per de- „ lictum morti regnum datur, nec poteſt regnare in aliquo, niſi jus „ regni accipiat ex delicto...... Anima enim quæ peccat, ipſa morie- „ tur. Ipſa denique anima clamat per Prophetam, *in pulverem mortis* „ *deduxiſti me;* quod utique ei niſi ex delicto non potuiſſet accidere.“

S. Chryſoſtomus, Hom. 11 ad Populum Antiochenum, num. 2, refellens blaſphemias infidelium & quorumdam hæreticorum, negantium corpus humanum à Deo creatum fuiſſe, eoquòd, inquiebant, *ſordes, & ſudores, & lacrymæ, & labores, & alia corporis omnia indigna ſint creatione Dei*, non dicit nihil horum repugnare bonitati ac ſapientiæ divinæ, ut pote quæ naturæ ſint appendices; ſed, ad vindicandam juſtitiam Dei, respondet hominem non ita primitùs inſtitutum fuiſſe, il- (Tom. 2 novæ edit. & tom. 1 edit. Pariſ. 1636, pag. 128.)

 la-

laque omnia ex peccato manaſſe. „ Ne mihi proponas, inquit, hunc „ hominem prævaricatum, honore privatum, damnatum: ſed ſi vis „ diſcere quale nobis ab initio Deus finxerit corpus, in paradiſum eamus, & ab initio factum hominem videamus. Non enim ſic erat „ corpus illud corruptibile & mortale, ſed tanquam aurea ſtatua de „ fornace progreſſa recenter & ſplendidè fulgens, ſic omni tali corruptione illud corpus abſolutum erat: & neque labor vexabat, neque „ ſudor nocebat, nec curæ inſidiabantur; non obſidebant triſtitiæ, neque aliud quidquam quod læderet patiebatur. Poſtquàm autem non „ moderatè felicitatem tulit, ſed benefactorem homo contumeliâ affecit,..... tunc profectò, tunc & per ipſa Deus opera ipſum erudiens, „ corruptibilem & mortalem reddidit, & his multis obvinxit neceſſitatibus."

Auctor *Hypognoſticon*, lib. 5. cap. 1: „ Dic ergo quærenti mihi, „ inquit, ſi peccatum parvulus nullum carnaliter natus attraxit, cur „ brevis dierum ſorte mortis adſtringitur; quia ubi peccatum non eſt, „ utique mors eſſe non debet? Non enim, me fingente, ſed, Apoſtolo „ prædicante, dictum eſt, *per peccatum mors:* ac per hoc, ſecundùm „ errorem veſtrum, iniquus Deus, ut mori parvulum patiatur non habentem peccatum, per quod poſſit vitâ privari."

S. Anſelmus, lib. 2 *Cur Deus homo*, cap. 2, ait „ ſapientiæ & juſtitiæ (Dei) repugnare, ut Deus cogeret mortem pati ſine culpa, quem „ juſtum fecit ad æternam beatitudinem." Et lib. 1. cap. 9, cùm quæſiiſſet num, „ ſi homo nunquam peccaſſet, deberet pati mortem, aut deberet Deus hoc ab illo exigere, reſpondet: „ Deo nequaquam æſtimabis convenire, ut (rationalem creaturam), quam fecit juſtam ad „ beatitudinem, cogat ſine culpâ eſſe miſeram: hominem enim invitum „ mori miſerum eſt. Patet quia, ſi non peccaſſet homo, non deberet „ Deus ab eo mortem exigere."

Theologorum ſuffragia hìc producere ſuperfluum eſt. Videri illa poſſunt tum apud Noriſium *in Vindiciis Auguſtinianis*, tum præcipuè apud Berti in *Syſtemate Auguſtiniano...... vindicato.* Unum duntaxat proferam Joannem Bagotium Jeſuitam, qui lib. 5 *Demonſtrationis dogmatum Chriſtianorum*, diſp. 8. cap. 5. ſect. 2, expendit *an foret injuſtus Deus, ſi cogeret hominem ſine reatu peccati mori.* Sic autem quæſtionem reſolvit: „ S. Auguſtinus & alii ejus diſcipuli, ipſique Patres canonum „ Arauſicanæ ſynodi, aiunt Deum non potuiſſe hominem, niſi culpæ „ reum, neceſſitati moriendi addicere, voluntque, ſi id Deus faceret, „ injuſtum fore, quia pœnam non merenti infligeret." Et cap. 7. ſect. 3: „ Fateor quoque Deum de potentia per bonitatem & ſapientiam ordinata, nullo peccato permiſſo, non potuiſſe velle hominem morti obnoxium, & cum pravitate concupiſcentiæ carnis creare."

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Objiciunt 1°. Quæcunque mala nunc patimur ſunt naturæ humanæ appendices, ſi per peccatum primi hominis naturalia corrumpi non potuerunt. Porro res ita eſt. Nam 1° ſi peccatum illud naturam corrumpere potuiſſet, actualia quoque peccata illam depravarent: quod dici nequit. 2°. S. Thomas, parte 1. quæſt. 95. art. 1. in corp. expreſſè docet naturalia non fuiſſe corrupta per peccatum. „ Manifeſtum eſt, inquit, „ quòd illa ſubjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad ra- „ tionem, non erat naturalis; alioquin poſt peccatum manſiſſet, cùm „ etiam in dæmonibus data naturalia poſt peccatum remanſerint, ut „ Dyoniſius dicit lib. 4 *de Divinis nominibus.*"

Diſtinguo minorem. Peccatum primi hominis non potuit corrumpere naturalia phyſica & eſſentialia, concedo: non potuit corrumpere naturalia moralia, ſine quibus naturæ humanæ eſſentia ſubſiſtit, nego. Naturalia phyſica & eſſentialia appello ea, ſine quibus homo non amplius eſſet homo, ſeu animal rationale, qualia ſunt corpus & anima, intellectus, voluntas, & aliæ corporis & animæ facultates. Naturalia moralia appello ſtatum illum, in quo creaturam innocentem creari decet, comparatè ad divinam providentiam, ſapientiam, juſtitiam & bonitatem. Porro abundè probavimus attributa illa divina poſtulare, ut homo ſummæ beatitudinis capax ordinetur ad fruendum Deo, ut gratiæ auxiliis ad aſſequendum finem ſuum ultimum neceſſariis non deſtitutus ſit, ut, quandiu in bono perſeverat, miſer non ſit, ut ignorantiæ, concupiſcentiæ, doloribus, morti non ſit obnoxius. Hæc ſola naturalia moralia per peccatum primi parentis amiſimus, remanentibus naturalibus phyſicis & eſſentialibus, corpore ſcilicet & animâ, intellectu, voluntate, aliiſque naturæ humanæ facultatibus, quanquam graviſſimè vulneratis, tum propter corporis corruptionem defectuſque multiplices, tum propter difficultatem cognoſcendi & faciendi bonum. Quo ſenſu naturalia manſerunt integra poſt peccatum.

Ad primam probationem reſpondeo 1°, ex eo quòd naturalia per Adami prævaricationem corrupta fuerint, minimè conſequi ea pariter per actualia peccata neceſſariò corrumpi debere; ſed conſequi duntaxat ea peccatis quoque actualibus corrumpenda fore, ſi jam corrupta non eſſent. Quemadmodum enim, ſi quis uno vulnere oculorum uſum ſemel amiſit, novis vulneribus non eum denuò amittit, ita, etiamſi per peccata actualia naturalia non corrumperentur, inde malè concluderetur naturalia per primi hominis adeò grande peccatum corrupta non fuiſſe: ideò quippe non corrumperentur, quia jam gravi & profundo vulnere in deterius mutata ſunt. Reſpondeo 2° falſum eſſe peccatis noſtris actualibus bonum naturæ non corrumpi. Nam quantò gravius & frequentius peccatur, tantò magis intellectûs cæcitas, voluntatis pravitas, concupiſcentiæ rebellio, pronitas in malum, ac bonum agendi difficultas augen-

gentur. „ Anima quoties peccat, ait Origenes, hom. 8 in cap. 13 Numerorum, toties vulneratur. Et, ne dubites peccatis eam velut „ telis & gladiis vulnerari, audi Apoſtolum monentem *ut aſſumamus* „ *ſcutum fidei, in quo poſſimus*, inquit, *omnia tela maligni ignita ex-* „ *tinguere.* Vides ergo peccata eſſe maligni jacula, quæ in animam di- „ riguntur.“ Et poſteà: „ O ſi poſſemus per unumquodque peccatum „ videre quomodo homo noſter interior aſſiduè vulneretur, quomodò „ ſermo malus vulnus inſligat!..... Vulneratur ergo per linguam ani- „ ma, vulneratur & per cogitationes, & per concupiſcentias malas; „ frangitur autem & conteritur per opera peccati. Quæ ſi omnia videre „ poſſemus, & vulneratæ animæ ſentire cicatrices, certum eſt quòd „ usque ad mortem reſiſteremus adverſùs peccatum. Sed nunc, ſicut ii „ qui...... mente alienati ſunt, non ſentiunt ſi vulnerentur, quia „ naturalibus ſenſibus carent; ita & nos vel cupiditatibus ſæculi amen- „ tes effecti, vel vitiis inebriati, ſentire non poſſumus quanta vulnera, „ quantas contritiones animæ peccando conquirimus.“

Ad alteram probationem dico Angelicum Doctorem manifeſtè loqui de naturalibus eſſentialibus, quæ reipſâ remanſerunt poſt peccatum, non verò de moralibus. Id patet ex eo quòd dicit in dæmonibus naturalia remanſiſſe, qui tamen boni poſſibilitatem penitùs amiſerunt. Patet inſuper ex 1. 2. quæſt. 85. art. 1, ubi ex profeſſo probat bonum naturæ diminui per peccatum; cùmque ſibi objeciſſet dictum illud pſeudo-Dyoniſii, *bona naturalia in dæmonibus manent integra poſt peccatum*, reſpondet, ad 1, Dionyſium *loqui de bono primo naturæ, quod eſt eſſe, vivere & intelligere, ut patet*, inquit, *verba ejus intuenti.* Quin etiam in 2um, diſt. 30. quæſt. 1. art. 1. ad 3, monet *naturalia* duplici illo ſenſu accipi ſolere. „ Bona naturalia, inquit, dicuntur dupliciter: vel prout ſunt „ conſiderata ſecundùm quòd naturæ debentur ex propriis principiis“ (id eſt, ſecundùm quòd ſunt eſſentialia), „ & ſic nec homo, nec ange- „ gelus per peccatum aliquid naturalium amiſit, vel in aliquo diminu- „ tus eſt; vel ſecundùm quòd ordinantur ad finem ultimum, & hoc „ modo in utroque bona naturalia quidem diminuta ſunt, non penitùs „ amiſſa, in quantùm uterque factus eſt minùs habilis, & magis diſtans „ à finis conſecutione.“

Objiciunt 2° contra ordinationem hominis ad fruendum Deo. Homo creari potuit absque ordine ad finem ſupernaturalem: hoc ipſo enim quòd finis eſt ſupernaturalis, naturaliter ad eum non ordinamur. Porro viſio & fruitio Dei ſunt finis ſupernaturalis. Ergo &c.

Quo ſenſu fruitio Dei dicatur finis ſupernaturalis creaturæ rationalis.

Nego majorem. Non enim eo ſenſu finis dicitur ſupernaturalis, quòd ad eum naturaliter non ordinemur, ſed quòd per ſolas naturæ vires, & ſine adjutorio gratiæ ad eum pervenire, eumque conſequi non valeamus, ut ſuprà expoſuimus. Certè cùm Deus infinitè ſuperet naturam quamlibet creatam, certum eſt hominem ad ipſius fruitionem propriis na-

naturæ ſuæ viribus aſſurgere nequaquam poſſe, atque opus habere adjutorio divino, non generali tantùm, qui concurſus communis dicitur, ſed ſpeciali & eminentiori, quo Deus mentem noſtram intimè afficiat, ſeque ut ſummum bonum cognoſci & diligi faciat; ſed nullatenus inde ſequitur hominem non ordinari ipſâ naturæ ſuæ excellentiâ ad fruendum ſummo illo bono. Nam, ut ait S. Thomas *in Boetii librum de Trinitate*, quæſt. ult. ad 5um: „ Quamvis homo naturaliter inclinetur in fi-„ nem ultimum, non tamen poteſt illum naturaliter conſequi, ſed ſo-„ lum per gratiam, & hoc propter eminentiam illius finis." Scotus pariter in Prolegom. quæſt. 1. num. 12, dicit „ Deum eſſe finem na-„ turalem hominis, licet non naturaliter adipiſcendum, ſed ſupernatu-„ raliter:" quod etiam confirmat ibidem, num. 25. Similiter Dominicus Soto, in 4um, diſt. 49. art. 1. concl. 1: „ Concedimus, inquit, na-„ turam noſtram adeò eſſe ſublimem, ut ad eum finem naturaliter in-„ clinetur, quem non niſi per auxilium Dei aſſequi poſſumus." Quapropter diſtinguenda eſt minor propoſitio. Viſio & fruitio Dei finis eſt ſupernaturalis quoad conſecutionem, concedo: quoad ordinationem, nego.

Inſtant. Si homo ordinaretur naturaliter ad fruendum Deo intuitivè cognito, naturaliter id appeteret, adeòque poſſibile eſſe cognoſceret. Porro homo ſibimet relictus ne quidem cognoſcit viſionem Dei intuitivam eſſe poſſibilem: ſiquidem, ex Apoſtolo, 1 Corinth. II. 9, *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.*

Diſtinguo majorem. Homo id naturaliter appeteret & cognosceret, appetitu & cognitione ſaltem confuſis & implicitis, concedo: id naturaliter appeteret & cognoſceret diſtinctè & explicitè, nego. Minorem ſimiliter diſtinguo. Fatemur hominem ſibi ipſi relictum & abſque revelatione divina non appetere viſionem Dei beatificam diſtinctè & explicitè cognitam; ſed ſuprà probatum eſt bonum illud, quod ſub ratione generali ſummi boni ab omnibus naturaliter & neceſſariò appetitur, non aliud eſſe, nec eſſe poſſe quàm Deum ipſum, idque, ſolâ ratione magiſtrâ, agnoverunt Platonici, quamvis neque illi, neque nos ipſi, quos fides illuſtrat, diſtinctè noverimus quo pacto ſumma Dei eſſentia in ſeipſâ videnda ſit.

Inſtant iterum. S. Thomas, 1. 2. quæſt. 62. art. 1. in corp, duplicem diſtinguit beatitudinem: „ Unam quidem proportionatam naturæ „ humanæ, ad quam ſcilicet homo pervenire poteſt per principia ſuæ „ naturæ: aliam quæ naturam hominis excedit, ad quam homo ſola „ virtute divina pervenire poteſt, ſecundum quamdam divinitatis par-„ ticipationem...... Et quia hujusmodi beatitudo proportionem huma-„ næ naturæ excedit, principia naturalia hominis, ex quibus procedit „ ad benè agendum ſecundùm ſuam proportionem, non ſufficiunt ad

Digitized by Google

„ ordinandum hominem in beatitudinem prædictam. Unde oportet „ quòd ſuperaddantur homini aliqua principia, per quæ ita ordinetur „ ad beatitudinem ſupernaturalem, ſicut per principia naturalia ordina- „ tur ad finem connaturalem, non tamen abſque adjutorio divino: & „ hujuſmodi principia dicuntur virtutes Theologicæ.“ Ergo, ex S. Thoma, homo non ordinatur naturaliter ad finem ſupernaturalem.

Nego conſequentiam. Non enim ait Angelicus Doctor hominem non ordinari naturaliter ad finem ſupernaturalem: ait tantummodò hominem per ſola ſua principia non poſſe pervenire ad finem ſupernaturalem, ſed opus habere ut ei ſuperaddantur divinitùs aliqua principia, ſcilicet virtutes Theologicæ animæ ipſius infuſæ; quod profectò valdè diverſum eſt. Mens ergo S. Doctoris eſt hominem, quamvis ex natura ſua ordinatum ſeu deſtinatum ad finem ſupernaturalem, non tamen eam conſequi poſſe per ſola principia ſua naturalia, quod ultro concedimus; ſed neceſſe eſſe ut ipſi infundantur à Deo virtutes, quarum ope ad ſupremam illam beatitudinem pervenire poſſit. Quòd verò homo ex natura ſua ordinetur ad fruendum Deo, quamvis propriâ ſuâ virtute finem illum conſequi non valeat, certum eſt apud Angelicum Doctorem: verbi gratiâ, 1. 2. quæſt. 2. art. 8. in corp. „ Nihil, inquit, poteſt „ quietare voluntatem hominis, niſi bonum univerſale, quod non in- „ venitur in aliquo creato, ſed ſolùm in Deo. Unde ſolus Deus vo- „ luntatem hominis implere poteſt, ſecundùm quòd dicitur in Pſalmo „ 102: *Qui replet in bonis deſiderium tuum.*“ Et quæſt. 3. art. 8 probat „ ultimam & perfectam beatitudinem non poſſe eſſe niſi in viſione „ divinæ eſſentiæ“ Et part. 3. quæſt. 9. art. 2. ad 3: „ Viſio beata, „ inquit, eſt quodammodò ſupra naturam animæ rationalis, in quantùm ſcilicet propriâ voluntate ad eam pervenire non poteſt; alio verò „ modo eſt ſecundùm naturam ipſius, in quantùm ſcilicet ſecundùm „ naturam ſuam eſt capax ejus, prout ſcilicet eſt ad imaginem Dei „ facta.“

Objiciunt 3°, ut probent hominem creari potuiſſe ſine gratiâ: Gratia eſt omnino gratuita: atqui gratia jam non foret gratuita, ſi homo ſine gratia creari non poſſet.

Quo ſenſu gratia dici queat homini innocenti debita.

Nego minorem. Tunc enim gratia eſt planè gratuita quando nullis meritis præcedentibus datur. Porro, etſi Deus ratione ſuæ bonitatis & ſapientiæ hominem creare non potuerit gratiâ deſtitutum, nihilominùs gratia nullis præcedentibus meritis redditur, nec ipſi humanæ naturæ in ſe præciſè conſideratæ debetur: nihil ergo gratuitati gratiæ in doctrina noſtra detrahitur. Quin etiam S. Auguſtinus expreſſè docet gratiam ſemper eſſe gratuitam, etiamſi aliquo ſenſu naturæ rationali deberetur, modò nullis præcedentibus operibus retribuatur. Juliano quippe dicenti *bonam eſſe hominum naturam, quæ talis gratiæ opitulationem mereatur*, ſic reſpondet lib. 4 contra ipſum, cap. 3. num. 15: „ Quod „ gra-

Digitized by Google

„ gratanter audirem, ſi hoc, propterea quòd rationalis natura eſt, dice-
„ res; neque enim gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum
„ lapidibus, aut lignis, pecoribusve præſtatur; ſed quia imago Dei
„ eſt, meretur hanc gratiam; non tamen ut ejus bona voluntas poſſit
„ præcedere præter gratiam, ne vel ipſa prior det, ut retribuatur
„ illi, ac ſic gratia non ſit gratia, dum non datur gratuita, ſed redditur
„ debita." Idem docet Alvarez, disput. 78 *de Auxiliis*, cap. 4. „ Ra-
„ tio gratiæ, inquit, tunc tantùm evertitur, quando datur propter
„ aliquod opus naturæ, ſecundùm illud quod ait Apoſtolus: *Si ex ope-*
„ *ribus, jam gratia non eſt gratia.*"

Inſtant. S. Auguſtinus non ſolum negat gratiam operibus præceden-
tibus retribui, ſed etiam naturæ deberi. Sic enim loquitur lib. 2 *con-
tra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 2. num. 3: „ Gratiam Chriſti ſi-
„ mul oppugnant (Manichæi & Pelagiani). Nam Manichæi meritis
„ naturæ bonæ, Pelagiani autem meritis voluntatis bonæ perhibent di-
„ vinitus ſubveniri. „ Et lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 8. num. 9:
„ Numquid ergo hominum duæ naturæ ſunt (bona ac mala)? Abſit.
„ Si duæ naturæ eſſent, gratia ulla non eſſet. Nulli enim daretur gra-
„ tuita liberatio, ſi naturæ debita redderetur."

Diſtinguo propoſitionem. Negat S. Auguſtinus gratiam naturæ deberi,
ſenſu Manichæorum, concedo: negat abſolutè, nego. Manichæi dice-
bant gratiam ſeu liberationem naturæ bonæ deberi, in eoque multipli-
citer errabant: 1° aſſerendo remanere etiamnum in homine lapſo natu-
ram bonam, cui gratia debeatur; 2° dicendo naturam illam, quam bo-
nam appellabant, boni principii, ſeu Dei particulam eſſe, ac ſeipſâ me-
reri gratiam velut ſtricto jure ſibi debitam; 3° addendo per merita bo-
næ naturæ intelligendos eſſe conatus ac labores ejus, ad excludendam
naturam malam ſibi permixtam, atque ita ad Pelagianos errores acce-
dendo. Hoc ultimum conſtat ex S. Auguſtino, qui poſt verba nobis ob-
jecta, ſtatim ſubdit: „ Illi (Manichæi) dicunt: debet hoc Deus labo-
„ ribus membrorum ſuorum. Iſti (Pelagiani) dicunt: debet hoc virtu-
„ tibus ſervorum ſuorum. Utriſque ergo merces non imputatur ſecun-
„ dum gratiam, ſed ſecundum debitum."

Verum, etiamſi S. Auguſtinus abſolutè negaret gratiam deberi naturæ
innocenti, nihil inde contra propoſitionem noſtram inferri poſſet. Ne-
que enim dicimus gratiam deberi homini innocenti, tanquam illam
aliquo pacto merenti; ſed dicimus Deum ſibi ipſi, ſuæ providentiæ,
ſapientiæ ac bonitati debere, ut hominem ad imaginem ſuam conditum,
ſeque ipſo fruendi capacem non creet gratiâ deſtitutum: quod nedum
neget S. Doctor, è contrariò diſertiſſimè affirmat pluribus in locis ſupra
allatis.

Objiciunt 4°. S. Auguſtinus, lib. 3 *de Libero arbitrio*, cap. 14, ex- *Solvitur diffi-*
preſſe docet, etiamſi ignorantia & boni difficultas eſſent in nobis abſque *cultas ex li-*
bro tertio

 pec-

Digitized by Google

S. Auguſtini *de Libero arbitrio.*

peccato, non ideò Deum culpandum fore, ſed potiùs laudandum; idque confirmat lib. 1 *Retractationum*, cap. 9. num. 6, ubi ſic loquitur: „ Ad miſeriam juſtæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam „ patitur omnis homo ab exordio nativitatis ſuæ;..... quam miſeriam „ Pelagiani nolunt ex juſtâ damnatione deſcendere, negantes originale „ peccatum, quamvis ignorantia & difficultas etiamſi eſſent primordia „ hominis naturalia, nec ſic culpandus Deus, ſed laudandus eſſet, ſicut „ in eodem libro tertio diſputavimus." Idem repetit in libro *de Dono perſeverantiæ*, cap. 11. num. 26 & 27. Inde ſic argumentantur: Ille ſtatus non repugnat divinis attributis, quem ſi Deus inſtituiſſet, non ideò culpandus, ſed potiùs laudandus foret. Atqui S. Auguſtinus expreſſè docet Deum non culpandum, ſed laudandum fore, etiamſi ignorantia & difficultas, aliæque humanæ miſeriæ eſſent primordia hominis naturalia. Ergo ſtatus naturæ puræ nequaquam repugnat divinis attributis.

Reſpondeo 1° abſurdum fore textum iſtum unicum & obſcurum, qui nobis adverſari primâ fronte videtur, præferri velle tot textibus ſole clarioribus ſupra memoratis, quibus noſtra propoſitio invictiſſimè adſtruitur. Sic itaque exponendus eſt, ut à certiſſima S. Doctoris doctrina non diſſentiat. Neque id erit difficile, modò attendamus quis ſcopus, quæ mens fuerit S. Auguſtini in illis *de Libero arbitrio* libris contra Manichæos ſcriptis. Itaque:

2°. Diſtinguo minorem. Dicit S. Auguſtinus Deum non culpandum, ſed laudandum fore, etiamſi ignorantia & difficultas eſſent hominis primordia, nullo peccato præcedente, abſque ordinatione hominis ad fruendum Deo, & abſque adjutorio gratiæ ad finem illum conſequendum, nego minorem. Etiamſi ignorantia & difficultas eſſent hominis primordia, ſed ſuppoſito peccato primi parentis, & ſtante ſemper ordinatione hominis ad fruendum Deo per gratiæ adjutorium, diſtinguo iterum: dicit Deum non culpandum, ſed laudandum fore, id eſt, nullatenus auctorem fore peccatorum, quæ per ignorantiam & boni difficultatem committuntur, concedo minorem: id eſt, citra ullam injuſtitiam creaturam innocentem tot, quæ patimur, malis ſubjectam fore, nego minorem.

Ad rectam hujus loci intelligentiam, obſervandum eſt hypotheſim à S. Doctore inſtitutam planè diverſam eſſe ab hypotheſi eorum quos refellimus. Hi contendunt ignorantiam & concupiſcentiam, cæteraque hujus vitæ incommoda poſſe eſſe naturæ humanæ primordia, 1° nullo prorſùs peccato præcedente; 2° hominem in illo ſtatu non ordinari ad fruendum Deo; 3° omni proinde adjutorio gratiæ deſtitui ad conſequendum præcelſum illum finem. Contra verò, in hypotheſi à S. Auguſtino facta, 1° ſupponitur peccatum primi omnium hominum parentis; 2° homo ordinatur ad fruendum Deo ultimo ſuo fine; 3° gratiæ auxilio adjuvatur ad conſequendum ſummum hunc finem.

Aa

Digitized by Google

Ac primò quidem hypotheſis S. Doctoris includit peccatum primi hominis, tanquam omnium malorum ſubſequentium cauſam. Cùm enim, cap. 18 libri tertii *de Libero arbitrio*, dixiſſet peccata, quæ nunc ex ignorantia & boni difficultate committuntur, vera eſſe peccata, eoquòd illa vitia ex juſta damnatione proveniant, ſtatim addit: „ Cum autem „ de libera (id eſt, expedita) voluntate rectè faciendi loquimur, de il- „ la ſcilicet, in qua homo factus eſt, loquimur.“ Initio cap. 19 inquirit quare, Adamo & Evâ peccantibus, eorum proles ignorantiæ, cæcitati & boni difficultati obnoxia naſcatur; & cap. 20 respondet iſtud fieri, quia Adamus peccando totam humanam naturam in ſeipſo vitiavit. „ Jam verò, inquit, ut meliores gigneret quàm ipſe eſſet, non „ erat æquitatis.“ Deinde ulteriùs pergens, expendit cur peccati conſectaria à corporibus ad animas ipſas tranſeant, easque à boni proſecutione impediant, aut ſaltem retardent; atque, ad ſolvendam iſtam quæstionem, quatuor de origine animarum hypotheſes proponit. Prima eſt, animas, non ſecùs ac corpora, naſci ex traduce, id eſt, alias ex aliis; eâque in hypotheſi cùm animæ ſupponantur in primo parente peccaſſe, tota tollitur difficultas. Secunda eſt, animas quotidie de novo creari, ut corporibus infundantur: quo poſito, S. Doctor ait illas defectibus corporum naturaliter affici debere. Tertia eſt, animas in aliquo ſecreto priùs exiſtentes, & jam peccatrices, immitti ad informanda corpora quorumcunque naſcentium: eâque in hypotheſi cenſet eas ex carne peccato Adami vitiatâ ignorantiam & boni difficultatem contrahere. Quarta denique eſt, animas priùs exiſtentes ſponte ſuâ venire in corpora: quo ſuppoſito, dicit eas propria ſua voluntate ignorantiæ & boni difficultati obnoxias fieri. Evidens eſt in quatuor illis hypotheſibus ſupponi peccatum: in prima quidem non tantùm primi parentis, ſed & ipſarum animarum; in tribus verò reliquis peccatum ſaltem primi hominis, quo per vitiatum corpus anima ipſa ignorantiæ, concupiſcentiæ, cæterisque miſeriis ſubjicitur.

Porro S. Auguſtinum, cùm libros illos adverſùs Manichæos ſcripſit, pro certo tenuiſſe primum hominem creari à Deo non potuiſſe concupiſcentiæ obnoxium, conſtat ex eis quæ docet ibidem, lib. 1. cap. 6. num. 15. Aſſerit quippe concupiſcentiam adverſari *legi æternæ atque incommutabili, quâ juſtum eſt ut omnia ſint ordinatiſſima*, neque aliunde oriri potuiſſe, quàm ex voluntate perverſâ. Et cap. 7. num. 16, nec non cap. 8. num. 18, addit hominem „ in ſeipſo eſſe ordinatiſſimum, ſi „ (mens) dominetur atque imperet cæteris quibuscunque homo conſtat; appetitum (autem inferiorem), cùm rationi ſubditus non eſt, „ miſeros facere...... Rationem ergo, vel mentem, vel ſpiritum, cùm „ irrationales hominis motus regit, id ſcilicet dominari in homine, „ cui dominatio lege debetur eâ, quam æternam eſſe comperimus.“ Ex quibus ſic concludit num. 21: „ Ergo relinquitur ut nulla res alia

„ mentem cupiditatis comitem faciat, quàm propria voluntas & libe-
„ rum arbitrium.“ Non igitur ex Deo, neque ex natura ipſa poteſt eſſe concupiſcentia, ſed ex perverſo uſu voluntatis & liberi arbitrii, qui præceſſit in primo parente.

2°. In hypotheſi Auguſtinianâ homo ordinatur ad fruendum Deo, tanquam fine ſuo ultimo. Nam, ejusdem lib. 3. cap. 20. num 57, ait S. Doctor animas à Deo immiſſas in corpora, corpus „ caſtigando per „ virtutes,... etiam ipſas comparaturas ordine atque tempore opportuno „ cæleſtis incorruptionis locum“ Et poſteà, „ ignorantiam & diffi- „ cultatem (fore) in ipſis januam miniſterii, ad reparandam corporis incorruptionem.“

3°. Denique ſupponit hominem in illâ hypotheſi non deſtitui auxilio gratiæ, ad aſſequendum finem ſuum ultimum neceſſario. Ibidem enim, num. 56, dicit animam eo in ſtatu poſitam gratias agere debere Deo, quòd „ facultatem habet, ut; adjuvante creatore, ſeipſam excolat, & „ pro ſtudio poſſit omnes acquirere & capere virtutes.“ Et num. 55 ait „ rectiſſimè placuiſſe ſummo Deo, ut in ortu hominis originaliter „ appareret juſtitia punientis, & in provectu miſericordia liberantis.“ Addit, num. 57, „ Deum dediſſe viam fidei in oblivionis cæcitate,...... „ ad..... opem à creatore implorandam, ut conantem adjuvet, qui vel „ intrinſecus lege, vel in intimis cordis allocutione conandum eſſe præce- „ pit, & præparat civitatis beatiſſimæ gloriam triumphantibus de illo „ (diabolo).“ Et certè in toto illo libro ſupponit hominibus præſtò eſſe omnia adjutoria, quæ nunc habemus per gratiam Chriſti.

Igitur hypotheſis S. Auguſtini omnino diverſa eſt ab opinione poſſibilitatis puræ naturæ. Id enim in illa opinione præcipuè reprehendimus, quòd ejus aſſertores velint Deum poſſe, nullo prorſus præcedente peccato, ignorantiam & concupiſcentiam homini inſerere, ad alium finem ultimum quàm ad ſuî fruitionem eum ordinare; gratiæ auxilio deſtitutum creare, innumeriſque miſeriis, quas nunc patimur, innocentem ſubjicere. Et verò hypotheſis S. Auguſtini omnibus illis incommodis vacat; ac proinde, etiamſi illa hypotheſis admitti poſſet, non ideò minùs poſſibilitas puræ naturæ rejicienda foret.

His addendum eſt, cùm dicit S. Auguſtinus in quatuor illis hypotheſibus Deum non culpandum fore, ſed laudandum, mentem ejus non eſſe, Deum, illæſis ſuâ providentiâ, ſapientiâ & juſtitiâ, poſſe animam innocentem ignorantiæ, concupiſcentiæ, cæteriſque hujus vitæ miſeriis ſubdere; ſed, ſuppoſito ſemel peccato primi hominis, per quod humana natura corrupta & vitiata eſt, Dei ſubſtantiam inculpatam manere, Deumque nullomodò auctorem eſſe peccatorum, quæ illa anima ex ignorantia & concupiſcentia committeret. Nimirum ibi diſputabat contra Manichæos, qui Dei ſubſtantiam per malam ſubſtantiam & per peccata creaturarum inquinari delirabant, illudque impium commentum refel-

fellendum ſuſceperat. Statum quæſtionis ipſemet exponit ibidem, cap. 19. num. 53, his verbis: „ Hic occurrit illa quæſtio, quam inter ſe „ murmurantes homines rodere conſueverunt, qui quodlibet aliud in „ peccando quàm ſe accuſare parati ſunt.“ Multis deinde eam in rem diſputatis, ſic concludit, cap. 22. num. 63: „ Quoquo modo ſe iſtud „ habeat“ (id eſt, quælibet hypotheſeon modò memoratarum vera ſit),.... „ præſens tamen quæſtio non impeditur, quominùs appareat „ integerrimâ & juſtiſſimâ, & inconcuſſâ atque incommutabili majeſta- „ te & ſubſtantiâ creatoris, ſupplicia peccatorum ſuorum animas luere: „ quæ peccata, ut jam diu diſſeruimus, nonniſi propriæ voluntati ea- „ rum tribuenda ſunt, nec ulla ulterior peccatorum cauſa quærenda.“ Eamdem diſputationem recenſens lib. 1 *Retractationum*, cap. 9. num. 2: „ Ita multa diſſerta ſunt, inquit, ut.... ad hoc ratiocinatio noſtra „ concluderetur, ut quodlibet eorum verum eſſet, laudandus credere- „ tur, vel etiam oſtenderetur Deus. Propter eos quippe diſputatio iſta „ ſuſcepta eſt, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem „ duci, & Deum, ſi ita eſt, creatorem omnium naturarum culpandum „ eſſe contendunt; eo modo volentes, ſecundum ſuæ impietatis erro- „ rem (Manichæi enim ſunt), immutabilem quamdam & Deo coæ- „ ternam introducere naturam.“ Quæſtionem dilucidius adhuc expo- nit in Epiſt. 166, al. 28, ad S. Hieronymum, cap 3. num. 7. „ Id „ maximè agebam, inquit, ut creatoris inculpabilem inviolabilemque „ naturam à creaturæ vitiis & labe ſecernerem, cùm illi à ſubſtantia „ mali..... ipſam boni Dei ſubſtantiam, ex parte quâ capta eſt, corrup- „ tam & oppreſſam, & ad peccandi neceſſitatem perductam eſſe conten- „ dant.“ Et cap. 7. num. 19: „ Inculpatam ſubſtantiam creatoris, „ & à noſtrorum peccatorum ſocietate remotiſſimam nitebar oſtendere.“ Similia videre eſt lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 11. num. 26 & 27.

Igitur hoc unum eo in loco ſibi propoſuit S. Doctor, ut oſtenderet peccata, quæ nunc ex ignorantia & concupiſcentia committuntur, non Dei peccata eſſe, ſed noſtra; Deique ſubſtantiam inculpatam & inviolatam ſemper eſſe, imò potiùs Deum laudandum eſſe, quòd, peccante primo homine, naturam humanam perire non permiſerit, quòd nos boni capaces fecerit, quòd liberum arbitrium nobis indiderit, quòd gratiæ auxilium petentibus non deneget, quòd propriâ ſuâ voluntate peccantibus pœnas meritas infligat: in quibus omnibus nihil eſt quod aſſertoribus poſſibilitatis naturæ puræ patrocinari poſſit.

Immò in hoc ipſo libro 3 *de Libero arbitrio*, cap. 18. num. 51, immediatè ante verba quæ nobis objiciuntur, expreſſe docet S. Doctor ignorantiam & boni difficultatem, quas nunc patimur, non potuiſſe eſſe in homine ante peccatum. „ Hæc omnia, inquit, (peccata ignoran- „ tiæ & difficultatis) hominum ſunt ex illâ mortis damnatione venien- „ tium. Nam ſi non eſt iſta pœna hominis, ſed natura, nulla iſta pec-

„ cata

Digitized by Google

„ cata ſunt. Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus eſt, ut meliùs eſſe non poſſit, ea quæ debet facit, cum hæc facit. Si autem bonus homo eſſet, aliter eſſet: nunc autem quia ita eſt, non eſt bonus, nec habet in poteſtate ut bonus ſit, ſive non videndo qualis eſſe debeat, ſive videndo, & non valendo eſſe, qualem debere eſſe ſe videt. Pœnam iſtam eſſe quis dubitet? Omnis autem pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur. Si autem injuſta eſt pœna, quoniam pœnam eſſe nemo ambigit, injuſto aliquo dominante homini impoſita eſt. Porro quia de omnipotentia Dei & juſtitia dubitare dementis eſt, juſta hæc pœna eſt, & pro peccato aliquo penditur."

Inſtant. Saltem ſupponit S. Auguſtinus ignorantiam, cæteraſque hujus vitæ miſerias in nobis Adami poſteris eſſe poſſe, præcedente quidem Adami peccato, ſed absque ullo peccato originali nobis inhærente; dixitque in illa hypotheſi Deum non fore culpandum. Cenſuit ergo hominem innocentem miſerum eſſe poſſe absque ullo malo merito ſuo.

Diſtinguo antecedens. S. Doctor id ſupponit ex hypotheſi impoſſibili, concedo: ex hypotheſi poſſibili, nego. Hypotheſim enim illam omnino repugnare divinæ juſtitiæ, centies aſſeruit S. Auguſtinus; v. g. lib. 2 *Op. imperf.* cap. 63 & 66, ubi dicit: *Sentis quàm ſit iniquum ſine merito, ſine crimine tranſiiſſe ſupplicium.* Idem docent alii Patres & Concilia, quorum textus ſupra protulimus."

Certè ex verbis S. Doctoris non magis concludi poteſt eum cenſuiſſe hypotheſim illam eſſe poſſibilem, quàm ex eo quòd dicat in eodem lib. 3° *de Libero arbitrio*, Deum culpandum non fore ſi talem crearet hominem, qui non poſſet non peccare, inferri poteſt talem hominem reverâ creari à Deo poſſe. En ipſius verba, cap. 16. num. 46: „ Quòd ſi neque ſuâ, neque alienâ naturâ quis peccare cogitur, reſtat ut propriâ voluntate peccetur. Quod ſi tribuere volueris conditori, peccantem purgabis, qui nihil præter ſui conditoris inſtituta commiſit; qui ſi rectè defenditur, non peccavit: non eſt ergo quod tribuas conditori. Laudemus ergo conditorem, ſi poteſt defendi peccator: laudemus, ſi non poteſt. Si enim juſtè defenditur, non eſt peccator; lauda ergo creatorem: ſi autem defendi non poteſt, in tantum peccator eſt, in quantum ſe à creatore avertit: lauda ergo creatorem." Quis autem dixerit hujusmodi hypotheſim eſſe poſſibilem? Idem quoque hic dicendum eſt. Hinc S. Doctor, in Epiſtola jam citata ad S. Hieronymum, obſervat quæſtionem à ſe in libris *de Libero arbitrio* planè ſolutam non fuiſſe. Nam, „ cum ad pœnas ventum eſt parvulorum, inquit, magnis, mihi crede, coarctor anguſtiis, nec quid reſpondeam prorſus invenio. Non ſolum eas pœnas dico, quas habet poſt hanc vitam illa damnatio,.... ſed eas ipſas quæ in hac vita dolentibus nobis verſantur ante oculos...... Deus bonus eſt, Deus juſtus eſt, Deus omni-

Digitized by Google

„ nipotens eſt. De hoc dubitare omnino dementis eſt. Tantorum er-
„ go malorum, quæ fiunt in parvulis, juſta cauſa dicatur. Nempe cum
„ majores iſta patiuntur, ſolemus dicere aut, ſicut in Job, merita exa-
„ minari, aut, ſicut in Herode, peccata puniri.... De parvulis autem
„ quid reſpondeamus ediſſere, ſi pœnis tantis nulla ſunt in eis punien-
„ da peccata. Nam utique nulla eſt in illis ætatibus examinanda juſti-
„ tia." Et cap. 7. num. 18: „ Ego quidem...... de pœnis parvulo-
„ rum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in libris illis (*de Li-
„ bero arbitrio*): quod quale ſit; & cur mihi in iſta, quam habemus
„ in manibus, quæſtione non ſufficiat, intimabo." Vide ibidem, cap. 19 & 20.

Inſtant iterum. Habemus ſaltem ex illa ad S. Hieronymum Epiſtola, juxta S. Auguſtinum, adultis mala inferri poſſe, non tantùm ad peccata punienda, ſed etiam ad probandam & examinandam juſtitiam. Idem docet lib. 6 *Op. imperf.* cap. 36. „ Et quid eſt juſtè, inquit, niſi me-
„ rito peccatorum, vel examinatione virtutum?"

Reſpondeo mala hujus vitæ inſervire quidem ad examinandam juſtitiam, exercendamque patientiam adultorum; verum iſtam cauſam priori cauſæ ſemper eſſe ſubordinatam: id eſt, propterea Deum variis tribulationibus uti, ad probandam perficiendamque virtutem juſtorum, quia peccati ſaltem originalis meritum præceſſit. Nec alius eſt S. Auguſtini ſenſus in locis objectis. In Epiſtola ad S. Hieronymum manifeſtè præſupponitur peccatum originale. Ibi namque agitatur quæſtio de origine animarum, utrùm ſcilicet naſcantur ex traduce, an verò ſingulæ creentur pro ſingulis corporibus. Porro in utraque opinione ſupponitur peccatum originale, tanquàm prima cauſa malorum omnium, quæ in hac vita ſive parvulis, ſive adultis eveniunt. Ideò quippe S. Doctor incertus hærebat inter utramque opinionem, quòd concipere nequiret quâ juſtitiâ anima innocens, nullo ſuo malo merito præcedente, creari poſſit à Deo in corpore immundo, cujus ſocietate ſtatim peccatrix evadat, multiplicibusque miſeriis implicetur. Fatetur quidem hunc nodum ſolvi forſitan aliquatenùs poſſe, quando de adultis agitur, qui miſeriarum tolerantiâ probantur & excoluntur; ſed, ubi de parvulis agitur, quorum nec virtutes probari, nec voluntates admoneri poſſunt, nihil ſibi ſuppetere quod ſatisfaciat. In altero quoque loco è lib. 6 *Op. imperf.* ſupponitur pariter originale peccatum; nam ſtatim poſt iſta verba: *Et quid eſt juſtè, niſi merito peccatorum, vel examinatione virtutum?* ſubditur: „ Ita ut, remiſſis etiam peccatis, pignus, quod renati accipiunt,
„ vitæ æternæ in futurum eis ſæculum proſit; hîc autem ſolvant quid-
„ quid in hujus ſæculi pœnalis vanitate & malignitate ſolvendum eſt."

Et ſanè S. Doctori indubitatum ſemper fuit, virtutes juſtorum igne tribulationum nequaquam probandas fore, niſi peccatum præceſſiſſet, propter quod hoc pacto probari meruerint. Cùm enim Julianus diceret:

Digitized by Google

ret : *Si propter hoc maledicitur terræ , ut ille qui peccaverat affligatur , ... cur non eâ conditione etiam , ſi quid ærumnarum naturæ noſtræ poſt peccatum primi hominis doceretur illatum , ſequeretur tamen non ideo miſeros eſſe naſcentes , ut rei convincerentur , ſed ut , commemoratione peccati primi , afflictio ſuccidanea his , quos reos non fecerat , imitationis malæ indiceret cautionem ;* ſic illum refellit , lib. 6 *Op. imperf.* cap. 27 : „ Nec ego dico , ideò ſunt miſeri naſcentes , ut convincantur „ rei ; ſed dico potiùs , ideò convincuntur rei eſſe , quoniam ſunt miſe„ ri. Juſtus eſt enim Deus, quod aſſiduè contra te dicis, & neſcis : „ juſtus eſt , inquam , Deus, & ideò naſcentes non faceret , nec fieri „ ſineret miſeros , niſi nôſſet reos.“ Et poſteà : „ Sed quomodolibet „ hoc dicas, quis non videat ſtudio defendendæ opinionis tuæ omnino „ te attendere nolle quid dicas? Ideò ne fuerunt , quæſo te , homines in„ nocentes plectendi miſeriâ , non quòd ullum peccatum haberent , ſed „ ut non haberent ?...... Placet enim tibi ut pœnis præcedentibus pec„ cata caveantur, non ut ſequentibus vindicentur ; ac ſic inverſè , non „ quia peccatum eſt , ſed ne peccetur , non reatus , ſed innocentia pu„ niatur. Corrige , obſecro , perverſam præpoſteramque ſententiam.“

Hinc in *Expoſitione inchoata Epiſtolæ ad Romanos*, num. 12, loquens de cruciatibus & morte martyrum, hæc habet : „ Quòd etiam juſti ho„ mines & pii tamen exſolvant iſta ſupplicia , de juſto Dei judicio ve„ nire credendum eſt. Ipſa eſt quæ in ſcripturis ſacris etiam diſciplina „ nominatur, quam nemo juſtorum effugere ſinitur. Neminem quip-
Hebr. XII. 6. „ pe excepit cùm diceret : *Quem enim diligit Dominus corripit , flagellat „ autem omnem filium quem recipit.*“ Id etiam confirmat tum exemplo beati Job, qui *pœnas pro peccatis ſuis ſe exſolvere ſæpè teſtatur* : tum auctoritate B. Petri, cujus hæc verba ſunt , 1 Epiſt. IV. 17: *Tempus eſt ut incipiat judicium à domo Dei. Si autem primùm à vobis , quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio? Et ſi juſtus in terra recipit , impius & peccator ubi parebunt?* Quibus, ait S. Doctor, manifeſtè oſtendit (Apoſtolus) ipſas paſſiones , quas juſti patiuntur, ad judicium Dei „ pertinere: quod inchoari dicit ex domo Dei , ut inde conjiciatur quan„ tæ impiis futuræ ſerventur.“ Tum denique S. Pauli teſtimonio, qui ſcribens ad Theſſalonicenſes, 2 Epiſt. I. 4 : *De vobis*, inquit, *gloriamur in Eccleſiis Dei, pro veſtra patientia & fide in omnibus perſecutionibus veſtris, & preſſuris quas ſuſtinetis, in exemplum juſti judicii Dei.*

Idem docet S. Thomas, 1. 2., quæſt. 87. art. 7 in corp. „ Hoc ipſum, „ ait, quòd oportet humanæ naturæ medicinas pœnales adhibere , eſt „ ex corruptione naturæ, quæ eſt pœna originalis peccati. In ſtatu „ enim innocentiæ non oportuiſſet aliquem ad profectum virtutum in„ ducere per pœnalia exercitia: unde hoc ipſum, quod eſt pœnale in ta„ libus, reducitur ad originalem culpam, ſicut ad cauſam.“

Inſtant 3°. Calamitates B. Job immiſſæ non fuerunt pœna peccati, ſed tan-

Digitized by Google

tantùm virtutis ejus probatio, ut patet ex cap. VI. 2 & 3, ubi vir ille ſanctus dicit: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitates quas patior, in ſtaterâ! Quaſi arena maris hæc gravior appareret.* Pariter cùm Apoſtoli, de homine qui cæcus natus fuerat, à Domino quæſierunt *quis peccaviſſet, ipſe aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur*, reſpondit Chriſtus: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Ergo peccatum non eſt ſemper cauſa malorum quæ patimur. Joann. IX. 2 & 3.

Diſtinguo conſequens. Peccatum non eſt ſemper cauſa proxima malorum quæ patimur, concedo: non eſt ſemper cauſa ſaltem remota, nego. Enimverò omnes homines, quantùmvis barbari, ſemper pro certo tenuerunt neminem eſſe miſerum, niſi peccato aliquo illud meruerit. Hinc Pagani in rebus adverſis ad numen placandum confugiebant, perſuaſi omnia mala ab offenſis Diis infligi. Hinc Jonæ I legimus nautas, tempeſtate ſæviente, miſiſſe ſortes, ut explorarent quisnam peccatis ſuis in tantum diſcrimen eos adduxiſſet. Hinc, cùm S. Paulus, apud Melitenſes tempeſtate jactatus, à vipera in ſarmentis deliteſcente correptus fuiſſet, *dicebant barbari: utique homicida eſt homo hic, qui, cùm evaſerit de mari, ultio non ſinit eum vivere.* Hinc etiam Apoſtoli, viſo homine à nativitate cæco, quærebant quis peccaſſet, ipſe, aut parentes ejus. Adeò natura ipſa docet mala quæ patimur alicujus peccati pœnam eſſe, peccatumque aliquod vindicandum ſupponere. Verum plerique homines, divinæ ſapientiæ altitudinem ſecretamque œconomiam æſtimare non valentes, vulgò arbitrantur magnis calamitatibus non puniri niſi peccata quædam graviora. Ita ſentiebant amici Job, ideòque ex maximis, quibus eum affligi videbant, doloribus concludebant eum graviſſimè deliquiſſe. E contrario vir ſanctus fatebatur quidem neminem ſub Deo juſto miſerum eſſe, niſi propter peccatum, ſeque nihil pati quod non meruiſſet. *Verè ſcio*, inquit (IX. 2), *quòd ita ſit, & non juſtificetur homo compoſitus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere unum pro mille.* Et verò, *ſi juſtificare me voluero, os meum condemnabit me; ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit.* Sed contendebat, cap. 21, & meritò ſanè, valde temerarium & injuſtum eſſe, ex malorum temporalium gravitate concludere, eum majora peccaſſe qui magis affligitur, cùm non rarò contingat ut mali ducant in bonis dies ſuos, ſerventurque in futurum pro meritis ſuis puniendi. Idem confirmat Chriſtus Dominus, Luc. XIII. 1 & ſeq. Cùm enim ipſi nuntiatum fuiſſet Pilatum miscuiſſe ſanguinem plurimorum Galilæorum cum ſacrificiis eorum: *Putatis*, ait, *quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non, dico vobis, ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Sicut illi decem & octo, ſuper quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos, putatis quia & ipſi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jeruſalem? Non, dico vobis,* Act. XXVIII. 4.

ſed ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Hoc ſenſu Job dixit calamitatem quam patiebatur multò graviorem apparere, quàm peccata quibus iram meruerat, habitâ ſcilicet ratione vindictæ, quam Deus in hac vita expetere conſuevit. Notandum eſt inſuper ſanctum illum virum frequenter loqui in perſona ipſius Chriſti, cujus typum gerebat, quique ſolus inter filios hominum, quæ non rapuit, exſolvit. Eodem quoque modo intelligendum quod Chriſtus de cæco nato dicit, ſcilicet cauſam proximam cur cæcus natus fuiſſet, non eſſe peccatum peculiare ipſius, aut parentum ejus, *ſed ut manifeſtarentur opera Dei in illo*; quæ ſane reſponſio non excludit cauſam aliam remotiorem ductam ab originali peccato.

Objiciunt 5° doctrinam noſtram damnâtam fuiſſe à Pio V, in Conſtitutione adverſus articulos vulgò Baii dictos, quos inter hi ſunt: 21us: *Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, ac proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.* 55us: *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.* Et 78us: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.*

Solvitur objectio ex Bulla Pii V.

Reſpondeo 1° intolerabile eſſe tanquam errorem ab Eccleſia reprobatum traduci ab adverſariis eam doctrinam, quam plurimi doctiſſimi & ornatiſſimi Theologi palam & apertè profitentur, tum Romæ & in tota paſſim Italia, tum in aliis Catholicis regionibus, ſummis ipſis Pontificibus non modò non obſtantibus, ſed etiam apertè protegentibus.

2°. Certum eſt Bullam Pii V pro fidei regula haberi nullomodò poſſe; maximè cùm propoſitiones in ea damnentur in globo & reſpectivè, ſub pluribus notis ſeu qualificationibus valde disparatis, nulli ſpeciatim propoſitioni applicatis.

3°. Ex ipſamet Bulla habemus non omnes propoſitiones in ea contentas, tanquam falſas, erroneas ac reprobandas damnatas fuiſſe, ſed *earum nonnullas aliquo pacto ſuſtineri poſſe in rigore, & proprio verborum ſenſu ab auctoribus intento.* Cum vero quænam illæ ſint SS. Pontifices non declaraverint, poſtulat profectò reverentia Pio V debita, ut ſentiamus illas eſſe quæ SS. Patrum doctrinam exprimunt, quales procul dubio ſunt quæ naturæ puræ ſtatum ſpectare videntur. Quin imo in ſanctum illum Pontificem multò meliùs contumelioſi ſunt, qui contendunt eam doctrinam, tam ſolidis fundamentis innixam, ab illo fuiſſe damnatam. Quis v. g. niſi nimis præoccupatus, credat propoſitionem 55am: *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*, damnari potuiſſe ut falſam? Quaſi verò Deus potuiſſet ab initio creare hominem peccatorem, qualis nunc naſcitur.

Jam verò propoſitiones 21 & 78 plurimum à noſtra differunt. Non enim dicimus gratiam ſanctificantem primo homini, ſive humanæ naturæ debitam fuiſſe; ſed dicimus Deum providentiæ ac ſapientiæ ſuæ debuiſ-

buiſſe, ut hominem ad imaginem ſuam factum, ſeque fruendi capacem gratiâ ornatum crearet. Neque etiam dicimus gratiam illam dici debere naturalem, cùm conſtet è contrario eam multiplici ſenſu dicendam eſſe ſupernaturalem. Pariter non dicimus immortalitatem beati illius ſtatûs à naturali corporis conditione manaſſe, atque ultro ſubſcribimus iſtis B. Auguſtini verbis, lib. 6. *de Geneſi ad litteram*, cap. 25: „ Gratia magna ibi erat, ubi terrenum & animale corpus beſtialem libidinem non habebat, & poſſe non mori præſtabatur Adamo de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ, mortaliſque homo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio creatoris." Sed cum eodem dicimus divinam juſtitiam obſtare quominùs creatura innocens mortis neceſſitati ſubjaceat.

Idem judicium ferri debet de propoſitione 23ª: *Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam ſupernaturali & gratuito ſupra conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, ut fide, ſpe & caritate Deum ſupernaturaliter coleret*, ac de 24ª: *A vanis & otioſis hominibus, ſecundùm inſipientiam Philoſophorum, excogitata eſt ſententia, quæ ad Pelagianiſmum rejicienda eſt, hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuæ ſuperaddita largitate conditoris fuerit ſublimatus, & in filium Dei adoptatus.* Quid enim iſtis propoſitionibus commune eſt cum noſtra, quâ expreſſe diſtinguimus in prima hominis creatione dona gratiæ à donis naturæ, ſicque aſſerimus Deum, habitâ ratione providentiæ & ſapientiæ ſuæ, non potuiſſe angelos & hominem, ipſius poſſidendi capaces, primitùs inſtituere gratiâ & caritate deſtitutos; ut non idcircò gratiam cum naturâ confundamus, ſed agnoſcamus cum S. Auguſtino Deum ſimul in eis *& condidiſſe naturam, & largitum eſſe gratiam.* Addunt plurimi (quod valde probabile eſt) iſtas propoſitiones, non tam propter doctrinam in eis contentam damnatas fuiſſe, quàm propter acerbitatem cenſuræ, quâ illarum auctor adverſam opinionem multis tunc in ſcholis invaleſcentem percellebat.

4°. Quidquid ſit de mente Pii V, quæ, cùm ab ipſo nunquam declarata fuerit, nobis certò innoteſcere non poteſt, hoc certè omnibus notum eſt, etiam poſt emiſſam illam Bullam, poſſibilitatem ſtatûs naturæ puræ à compluribus celeberrimis Theologis palam & liberè rejectam fuiſſe, & quotidie rejici. Tres tantùm commemoro, Noriſium, Belelli & Berti. Noriſius in *Vindiciis Auguſtinianis* opinionem illam validiſſimè exagitavit, eamque ob cauſam ab æmulis ad S. Officium ter delatus, non tantum à Romanis judicibus ter abſolutus eſt, verùm etiam, ob inſignia merita doctrinæque copiam, in Cardinalium collegium ab Innocentio XII cooptatus. Cùm verò, multos poſt annos recrudeſcentibus adverſantium conatibus, Noriſiana ſcripta in Indicem Hiſpanum librorum prohibitorum ab Inquiſitore relata fuiſſent, audaciam illam pa-

patienter non tulit Benedictus XIV, nec priùs deſtitit Inquiſitorem Hiſpanum urgere, quàm illatam tanto viro contumeliam reſarciſſet. Similiter Belelli, in *Mente S. Auguſtini de ſtatu creaturæ rationalis ante peccatum*, eamdem opinionem potenter expugnavit, omniaque illius fundamenta dejecit. Ipſius liber examini S. Officii bis ſubjectus fuit anno 1717, ſedente Clemente XI, biſque illæſus & intactus evaſit. Demùm, cùm duo Galliarum Archipræſules (*de Saleon* Viennenſis, & *Languet* Senonenſis) ejuſdem Belelli & Laurentii Berti ſcripta Theologica, inſtaurati Baïaniſmi nomine, acriter inſimularent, nihilque non molirentur apud Sedem Apoſtolicam, ut eorum damnationem quoquo pacto extorquerent, non tantùm importunæ illorum petitioni non ceſſit glorioſæ memoriæ Pontifex Benedictus XIV, ſed etiam, poſt maturum iteratumque illorum ſcriptorum examen, Laurentiò Berti, qui tum in vivis erat, præcepit ut doctrinæ ſuæ Apologiam conſcriberet, atque in publicum emitteret. Illa autem in Apologia demonſtrat Berti pleroſque melioris notæ Theologos, qui de Bullâ Pii V diſſeruerunt, ſic illam interpretatos fuiſſe, ut doctrina impoſſibilitatis ſtatûs naturæ puræ ſartatecta & inconcuſſa ſervetur.

Objiciunt 6°. Ignorantia, concupiſcentia, moriendi neceſſitas, aliæque hujus vitæ miſeriæ ſponte ſuâ fluunt ex ipſa naturæ humanæ conditione. Nam corpus humanum, cùm ex elementis conſtet ſibi invicem oppoſitis, ex ſeipſo corruptioni partiumque ſuarum diſſolutioni ſubjacet: appetitus quoque ſenſitivus ex natura ſua fertur in ſenſibilia, rationemque prævenit. Adeò autem certum eſt omnes alias vitæ hujus miſerias naturæ appendices eſſe, ut belluæ, quamvis peccati expertes, doloribùs & morti obnoxiæ ſint.

Quo ſenſu hujus vitæ miſeriæ naturales dici queant.

Reſpondeo maximam æquivocationem ineſſe hiſce vocibus, *natura* & *naturale*, eaſque ratione adjunctorum multiplici ſenſu accipi, uti jam obſervavimus, ubi de gratia & immortalitate primi hominis actum eſt. Eò, ſi lubet, recurrite. Porrò valde abſurdum foret exiſtimare (quod tamen adverſarii ſibi fingere videntur) naturam humanam, quantùm in ipſa fuit, primi hominis felicitati obſtitiſſe, ideòque opus fuiſſe auxilio quodam ſupernaturali, quo ejus reſiſtentia vinceretur: quaſi verò Deus naturæ inſtitutor, & natura ab ipſo condita, ſibi mutuò quodammodò repugnaſſent in pacato illo innocentiæ ſtatu; quod profectò non tantùm ſanæ Theologiæ, ſed & ipſi rectæ rationi adverſatur, docentibus naturam nihil aliud eſſe, quàm ſummam & omnipotentem voluntatem Dei, res omnes à ſe conditas certis legibus, quas liberè poſuit, adminiſtrantis, uti hiſce verbis declarat S. Auguſtinus, lib. 6 *de Geneſi ad litteram*, cap. 13. num. 24: „ Deo hoc eſt natura, quod fecerit.“ Et lib. 12 *de Civitate Dei*, cap. 17. num. 1: „ Neque ipſa (prodigia), ſi uſitato „ naturæ curriculo gignerentur, prodigia dicerentur.“ Igitur cum Deus

Supra, pag. 7 & ſeq.

eâ

Digitized by Google

eâ lege primum hominem condiderit, ut, quandiu in juſtitia ſtaret, omnis miſeriæ & mortis expers permaneret, perſpicuum eſt ſtatum illum eo ſenſu fuiſſe naturalem.

Hoc poſito, in fumum abeunt omnes adverſariorum cavillationes. Naturam humanam illi æſtimant ex iis quæ nunc experimur in pœnam peccati, quo natura ipſa vitiata in pejus mutata eſt. Tenendum autem eſt cum S. Thoma, 1. 2. quæſt. 85. art. 3. ad 3, „ concupiſcentiam „ (ſeu appetitum ſenſibilem) in tantùm eſſe homini naturalem, in „ quantum eſt ſecundùm ordinem rationis: (quòd verò nunc) trans- „ cendat limites rationis, ineſſe homini contra naturam." Quod verò de belluis dicunt, jamdudum à Pelagianis objectum eſt, apud S. Auguſtinum, lib. *de Peccato originali*, cap. 40; lib. 4 *Op. imperf.* cap. 38 & ſeq. & alibi, atque à S. Doctore eleganter ac feſtivè repulſum. Julianum quippe dicentem beſtias quoque, quando pariunt, dolores pati, ſic irridet lib. 6 *Op. imperf.* cap. 26: „ Non quidem tibi dixerunt ani- „ malia utrùm ille gemitus ſit canentium, vel dolentium." Philoſophi Carteſiani probabilibus momentis nixi aſſerunt nullum in belluis eſſe ſenſum propriè dictum, nullum dolorem, nullum gaudium, nullum appetitum; ſed omnes eorum motus produci à Deo ſecundùm certas ſibi cognitas leges, abſque ullius animæ ſentientis interventu. Verùm, omiſſâ quæſtione illâ Philoſophicâ, reſpondeo cum S. Auguſtino ibidem: „ Quid „ mihi opus eſt in hac re ſcrutari obſcura naturæ, cùm inde cauſa noſtra „ non pendeat? Prorſùs, ſi muta animalia nihil doloris patiuntur, argu- „ mentum tuum nullum eſt; ſi autem patiuntur, ea ipſa pœna eſt ima- „ ginis Dei, conditioni pecorum comparari: pœna autem imaginis Dei, „ niſi culpâ præcedente, juſta eſſe non poteſt."

Quod de doloribus dicit S. Doctor, potiori jure dicendum eſt de concupiſcentia. Supponendo enim pecudes concupiſcere, ideò in illis vitium non foret, quia carent ratione cui concupiſcentia adverſetur: contra verò in homine caro ſpiritui adverſatur, adeòque non poteſt non eſſe vitioſa, & naturæ contraria. Unde S. Auguſtinus, lib. 4 *Op. imperf.* cap. 41: „ Cur, inquit, libido ſpiritui reſiſtit in homine, quod non „ facit in pecore, niſi quia pertinet ad naturam pecoris, ad pœnam „ verò hominis?" Vide etiam ibidem, cap. 38 & 43. Quamobrem cap. 56 concludit S. Doctor: „ Sic ergo in libidine agnoſce & pecoris „ naturam, & hominis pœnam, ſi animam non habes aſininam. Tan- „ tæ (quippe) excellentiæ in comparatione pecoris eſt homo, ut vitium „ hominis ſit natura pecoris," ut ait iterum lib. *de Peccato originali*, cap. 40. num. 46. Conſule hunc locum, & lib. 4 *contra Julianum*, cap. 5. num. 35.

DIS-

DISSERTATIO QUARTA.

De Œconomiâ reparationis naturæ lapſæ, nec non de variis humani generis ſtatibus, ante legem & ſub lege.

INGENTI ruinâ in primo parente cecidimus omnes, peccati ac dæmonis ſervituti addicti ſimul ac nati. „ Factum eſt genus humanum, „ ait S. Auguſtinus, Concione 1 in Pſalmum 70. num. 15, tanquam maſſa „ peccatorum profluens de peccatoribus.“ Igitur, quemadmodùm *Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, ita etiam potuiſſet juſtitiam ſuam vindicem in omnes Adami poſteros ſempiterno univerſorum ſupplicio demonſtrare. Verum Deus optimus & clemens, qui cognovit figmentum noſtrum, bonitatem ſuam in vaſis miſericordiæ demonſtrare voluit, ſicque dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, cujus fide reparemur, gratiâ liberemur, ſpiritu vivificemur. Unus enim eſt redemptor noſter, unus medicus, unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, ſine quo nemo à peccato liberari, nemo ſanari, nemo reconciliari Deo poteſt, aut potuit, aut poterit unquam. Hoc fidei Chriſtianæ fundamentum, tanquam inconcuſſum, ultro ſupponerem, ad alia feſtinans, niſi à multis hodie impugnaretur, quibus nihil in religione tam ſanctum, tam immotum eſt, quod ſubvertere non conentur. Poſteà de duabus humani generis ſtatibus, qui Chriſti Domini incarnationem præceſſerunt, dicturus ſum, nimirum ante legem Moſaïcam, & ſub illâ lege.

CAPUT PRIMUM.

An fides & gratia Chriſti mediatoris omnibus hominibus poſt Adami lapſum abſolutè neceſſaria ſit ſemperque fuerit, ad juſtitiam ſalutemque æternam conſequendam.

MULTI diverſis temporibus hoc fidei capitale dogma aut negarunt, aut in dubium revocarunt.

Pri-

Digitized by Google

Primo & ſecundo ſæculis Simonis Magi diſcipuli & Gnoſtici antiquos Philoſophos, Pythagoram, Platonem, Ariſtotelem, aliosque fide Chriſti penitùs deſtitutos, tanquam ſanctos colebant, eorumque imagines venerabantur, teſtibus S Irenæo, lib. 1 *adverſùs Hæreſes*, cap. 24; S. Epiphanio, hæreſi 21; S. Auguſtino & Theodoreto in libris *de Hæreſibus & de Hæreticis fabulis.* Multiplices hac de re errores.

V° ſæculo Pelagiani docuerunt ad ſalutem aſſequendam ſuffeciſſe primis temporibus ſolam naturam, & poſteà adjutorium legis ſcriptæ, eosque omnes, qui ante adventum Chriſti ſanctitate floruerunt, ſolis naturæ viribus aut legis doctrinâ juſtitiam ſibi comparaſſe.

Idem aſſeruit ſæculo VI Fauſtus Semipelagianus, lib. 2 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 6. 7. 8. 9 & 10.

IX° ſæculo presbyter quidam Moguntinus, Probus nomine, ſatyram ſcripſit (ſeriò, an joco, incertum), quâ adſtruere nitebatur Ciceronem, Virgilium, aliosque Ethnicos, qui honeſtè vixerunt, electorum beatitudine frui. Hunc pro meritis caſtigavit Lupus Abbas Ferrarienſis in Epiſtolâ 20. Edit. Baluzii pag. 42 & 43.

Zuinglius, ſæculo XVI, in fidei profeſſione, quam morti proximus ad regem Franciscum I miſit, Herculem, Theſeum, Socratem, Ariſtidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones & Scipiones cum Chriſto, Patriarchis, Apoſtolis, aliisque ſanctis promiscuè in cœlorum regno collocavit.

Eraſmus in quodam Colloquio ſub aliena perſona ſcripſit vix ſeſe abſtinere poſſe, quin benè ominaretur ſanctis animis Maronis & Flacci, & quin interdum exclamaret: *Sancte Socrates, ora pro nobis.*

Caſaubonus & nonnulli alii de grege Proteſtantium non veriti ſunt aliquos ex Philoſophis gentilibus Chriſtianos denominare, eisque ſalutem æternam attribuere.

Sfondratum quoque non puduit eumdem errorem tueri in *Nodo prædeſtinationis diſſoluto*, part. 1. § 11. num. 19. „ Vides, inquit, (ante „ promulgatum Evangelium) nullam fieri incarnationis mentionem, ſo„ lamque ad æternam vitam cognitionem exiſtentis & providentis Dei „ ſufficere. Poſt promulgatum verò Evangelium, an fides explicita in „ Chriſtum ſit abſolute neceſſaria, disputant Theologi, ſi tamen admit„ tamus neceſſariam eſſe &c.“

Plurimos alios prætermitto, qui ad eumdem ſcopulum offenderunt. Inter illos eminent potiſſimùm Jeſuitæ. Martinez de Ripalda, tom. 3 *de Ente ſupernaturali*, diſtinct. 20. ſect. 10, aſſerit fidem in unum Deum creatorem, id eſt, unius veri Dei cognitionem, quæ per ſolas naturæ vires comparari poteſt, ſufficere ad facienda opera meritoria, ſalutemque æternam conſequendam. Idem docuere Profeſſores Spoletani. De Lovanienſibus quoque idem teſtatur Havermans Præmonſtratenſis in Epiſtola ad Innocentium XI. Id etiam Lovanii docuit Arſdekin in The-

Theſibus anni 1673, poſitione 13, cujus propoſitio 23 eſt inter damnatas ab Innocentio XI, iterumque confixa eſt à Clero Gallicano in Comitiis anni 1700.

His adde multos alios Jeſuitas, qui, Sinenſium mores cultumque deſcribendo, non dubitarunt eos, tametſi à fide Chriſti planè alienos, velut verè pios ac ſanctos commendare. Hos inter præcipuè memorandus eſt Le Comte, in libro inſcripto: *Nouveaux Memoires ſur l'état préſent de la Chine*, tom. 2. pag. 134 & ſeq. editionis 1ᵃ & 3ᵃ Pariſienſis. Ait ille Sinenſes habuiſſe templum omnium antiquiſſimum, Deo creatori ſacra feciſſe per duo annorum millia & ampliùs, moralis diſciplinæ integritatem, morum ſanctitatem, rectam fidem, internum externumque unius & veri Dei cultum, ſacerdotes, ſacrificia, ſanctos & à Deo inſpiratos viros, miracula, intimum religionis ſenſum, caritatem puriſſimam, ipſumque Dei ſpiritum apud illos viguiſſe. Doctrinam adeò perverſam damnavit die 18 Octobris anni 1700 Facultas Theologica Pariſienſis, tanquàm *falſam*, *temerariam*, *ſcandaloſam*, *impiam*, *verbo Dei contrariam*, *hæreticam*, *Chriſtianæ fidei & religionis everſivam*, *virtutem paſſionis Chriſti & crucis ejus evertentem*. Eamdem magna ſaltem ex parte damnavit Clemens XI Bullâ datâ 20 Novembris 1704, poſt diuturnum & maturum examen. Eadem tamen doctrinæ pernicies renovata eſt anno 1729 in libello cui titulus: *Idée générale du gouvernement & de la morale des Chinois, tirée particulierement des ouvrages de Confucius.*

Illos omnes impietate ſuperavit Berruyerus, *& ſcandali menſuram implevit*, ut verbis utar Clementis XIII. Hic ſodalem magiſtrumque ſuum Harduinum ſecutus, inter plurimos alios peſtiferos errores, aſſerit (*tutò*, inquit, *& conſtanter asſeveramus*), præter religionem Chriſtianam, quâ Deum per Chriſtum mediatorem colimus, dari alteram *religionem veram*, omnibus temporibus, omnibus legibus, omnibus nationibus communem, quâ gignuntur Deo filii, & quæ veram juſtitiam confert: iſtam alteram religionem non cultu duntaxat externo, ſed *eſſentiâ ſuâ totâ diſtinctam eſſe* à religione per Chriſtum introductâ: fundari illam, non in revelatione divina, ſed in ipſa *lege naturali*, ex qua *ſpiritus fidei, ſpei & caritatis*, *ſpiritus adoptionis derivantur*, ſeu, ut ad fucum faciendum paſſim loquitur, in fide ſolâ naturâ duce acquiſita, in unum verum Deum, cognitum ut juſtum, judicem, remuneratorem ac vindicem: religionem illam naturalem ſolam in toto terrarum orbe viguiſſe ab origine mundi uſque ad Chriſtum in cruce paſſum & mortuum: per illam, non verò per gratiam Chriſti, per fidem in ipſum, per anticipatam meritorum ipſius applicationem, placuiſſe Deo filioſque Dei effectos fuiſſe Patriarchas, Moyſen, Prophetas, Joannem ipſum Baptiſtam, & quotquot alii, ante conſummatam Chriſti paſſionem ac mortem, ab exordio mundi juſti extiterunt. Ex his concludit Chriſtum non eſſe ſervatorem omnium hominum, ſed eorum tantummodò qui poſt ipſius ad-

Digitized by Google

adventum naſcituri erant, fructumque paſſionis ejus nulli hominum applicatum fuiſſe, immò nec applicari potuiſſe, priusquàm *actu exercito jam ſatisfeciſſet*; ac proinde ſanctos omnes qui Chriſti adventum præceſſerunt, ab ipſo alienos eſſe, per gratiam ſanctificantem non fuiſſe effectos ipſius cohæredes, nec *in ejus perſona adoptatos*, nec fœderis ejus ſanguine ſanciti participes; atque adeò beatitudinem quidem æternam in altera vita conſequi, ſed ordinis multò inferioris illâ, quâ homines Chriſto uniti & in ipſo adoptati donandi ſunt. Conſequenter docet religionem à Chriſto inſtitutam novam eſſe, neque ullo modo extitiſſe antequàm Chriſtus in mundum veniſſet; ejusque dotem & caracterem non in eo conſiſtere, quòd homines faciat juſtos ac filios Dei, ſiquidem per aliam veterem religionem in ſola lege naturali fundatam id aſſequi poterant, ſed ut juſtitiam nobiliorem, cultum perfectiorem, novam adoptionem conferat excellentiorem eâ, quæ per religionem naturalem comparari poterat: unde fit ut, ſi ei credamus, minimus Chriſtianorum, per initam cum Chriſto ſocietatem, fruatur juſtitiâ ordinis longè ſuperioris, quàm illa ad quam Patriarchæ & Prophetæ, ipſeque Joannes Baptiſta per legem Moſaïcam pervenerunt, ideòque gloriâ multò eminentiore in cœlo potiantur. Addit veterem illam religionem etiam nunc, poſt novam à Chriſto introductam, ſubſiſtere in gratiam eorum hominum, qui de Chriſto & Evangelicâ prædicatione nihil audierunt. Enormem illam tot errorum colluviem nitidè expoſitam, ab auctoris fallacibus artibus extricatam, & validiſſimè obtritam videre eſt in Documento Paſtorali Illuſtr. Ducis de Fitzjames Epiſcopi Sueſſionenſis, contra Harduini & Berruyeri errores, part. 2. ſect. 5. cap. 3. art. 2 & ſequentibus, in Documento Paſtorali Illuſtr. de Montazet Archiepiſcopi Lugdunenſis contra eosdem, art. 1. pag. 9 & ſeq., nec non in graviſſima Cenſura à Facultate Pariſienſi lata.

Adversùs omnes illos errores nobis probandum eſt 1° gratiam & fidem Chriſti mediatoris abſolutè neceſſariam eſſe, neceſſitate medii, ad juſtitiam & ſalutem conſequendam, nullumque hominum, poſt primi parentis lapſum, aliâ viâ juſtificari ac ſervari poſſe, aut aliquando potuiſſe. 2°. Fidem hanc in Chriſtum non eſſe meram divinæ providentiæ cognitionem, quæ lumine naturali comparari poſſit, ſed veram fidem in revelatione divina firmatam & verbo Dei innixam. *Status quæſtionis.*

Obſervandum autem eſt quæſtionem non eſſe utrùm carentia fidei in Chriſtum peccati rationem habeat in hominibus, qui ſive ante, ſive poſt adventum Chriſti de Evangelio nihil audierunt. Omnes quippe conſentiunt illos non idcirco damnari, quòd in Chriſtum ſibi non annuntiatum non credant. Nam, ut ait Apoſtolus, Rom. X. 14: *Quomodò credent ei quem non audierunt? Quomodò autem audient ſine prædicante?* Hinc duplex diſtinguitur infidelitas, una poſitiva, negativa altera. Infideles poſitivi dicuntur, qui Evangelio ſibi prædicato, certis-

 que

que credibilitatis motivis firmato, credere detrectant. Infideles autem negativi ſunt, ad quos Evangelii prædicatio nullatenùs pervenit, quales fuerunt, exceptis Iſraëlitis, cæteræ gentes ante prædicationem Apoſtolorum, & quales ſunt etiamnum nonnullæ remotæ & barbaræ nationes, ſedentes in tenebris & umbra mortis.

Infidelitatem poſitivam verum eſſe peccatum, damnationemque mereri, nemo Chriſtianus ambigere debet: negativam autem non imputari in peccatum, declarat ipſe Chriſtus, Joann. XV. 21, ubi ait: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum* (infidelitatis, quo nolunt in me credere) *non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Verùm, quamvis infidelitas negativa peccatum non ſit, eſt tamen pœna peccati, juſtoque Dei judicio privantur infideles negativi medio abſolutè neceſſario, cui juſtitiam & ſalutem alligare Deo placuit. Unde, ſicut infantes non baptizati, quamvis carentia baptiſmi in eis peccatum non ſit, tamen hujus ſacramenti defectu pereunt, propter originale peccatum, quod in ipſis nonniſi ſalutari lavacro ſolvi poteſt, ita infideles negativi, quamvis in reatum eis non deputetur quòd in Chriſtum non credant, certiſſimè tamen pereunt, quia juſtè privantur medio abſolutè neceſſario, ſine quo veram juſtitiam ſuorumque peccatorum remiſſionem conſequi nequeunt.

Obſervandum eſt 2°, quidquid nonnulli cæcæ commiſerationis motu ſibi fingant de ſorte illorum hominum, qui abſque fide Chriſti, ſine qua nulla vera virtus & juſtitia eſt, vixerunt & diem poſtremum obierunt, ſortem illam non ex noſtris humanis temerariiſque opinionibus, ſed ex ſupremo, immutabili & juſtiſſimo Dei judicio pendere. Quid porro juvat veteres quoſdam Philoſophos, ſuperbiâ ac vanitate tumidos, qui divinam ſententiam jam dudùm exceperunt, abſolvi ab hominibus? *Laudantur ubi non ſunt*, ait S. Auguſtinus, *cruciantur ubi ſunt.* Quantùm verò ſibimetipſis aliiſque nocent, qui, ſolâ præcipiti & arrogante ratione magiſtrâ, præcipuum religionis fundamentum ſubruunt, humilitatiſque & gratitudinis motiva penitùs tollunt, aut ſaltem plurimùm extenuant!

His præmiſſis, dogma catholicum duabus propoſitionibus aſſeremus, quarum prima gratiæ Chriſti, altera fidei in Chriſtum abſolutam neceſſitatem adſtruet.

PRI-

PRIMA PROPOSITIO.

Poſt Adami lapſum nemo prorſùs liberari, juſtitiamque & ſalutem conſequi unquam potuit ac poterit, niſi per gratiam Chriſti medicinalem.

HUJUS & ſequentis propoſitionis probationi præmittendum cenſeo luculentiſſimum eâ de re concilii Tridentini decretum, Seſſ. VI *de Juſtificatione*. Sic loquuntur Patres in proœmio: „ Sacroſancta......
„ Synodus...... exponere intendit omnibus Chriſti fidelibus veram ſa-
„ namque doctrinam ipſius juſtificationis, quam ſol juſtitiæ Chriſtus
„ Jeſus, fidei noſtræ auctor & conſummator, docuit, Apoſtoli tradide-
„ runt, & Catholica Eccleſia, Spiritu ſancto ſuggerente, perpetuò re-
„ tinuit: diſtrictiùs inhibendo ne deinceps audeat quiſquam aliter cre-
„ dere, prædicare aut docere, quàm præſenti decreto ſtatuitur ac de-
„ claratur."

Tum capite 1: „ Primùm declarat ſancta Synodus, ad juſtificationis
„ doctrinam probè ac ſincerè intelligendam, oportere ut unuſquiſque
„ agnoſcat & fateatur, quòd, cùm omnes homines in prævaricatione
„ Adæ innocentiam perdidiſſent, facti immundi &, ut Apoſtolus in-
„ quit, *naturâ filii iræ*, ... usque adeò ſervi erant peccati, & ſub
„ poteſtate diaboli ac mortis, ut non modò gentes per vim naturæ,
„ ſed ne Judæi quidem per ipſam etiam litteram legis Moyſi inde li-
„ berari aut ſurgere poſſent."

Cap. 2: „ Quo factum eſt ut cœleſtis Pater...... Chriſtum Jeſum
„ Filium ſuum, & ante legem & legis tempore multis ſanctis Patribus
„ declaratum ac promiſſum, cùm venit beata illa plenitudo temporis,
„ ad homines miſerit, ut & Judæi qui ſub lege erant, & gentes quæ non
„ ſectabantur juſtitiam, juſtitiam apprehenderent, atque omnes adop-
„ tionem filiorum reciperent."

Cap. 3: „ Verùm, etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes
„ tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii duntaxat quibus meri-
„ tum paſſionis ejus communicatur. Nam, ſicut reverà homines, niſi
„ ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti, cùm
„ eâ propagatione per ipſum, dum concipiuntur, propriam injuſtitiam
„ contrahant; ita, niſi in Chriſto renaſcerentur, nunquam juſtificaren-
„ tur, cùm eâ renaſcentiâ per meritum paſſionis ejus gratia, quâ juſti
„ fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apoſtolus gratias nos
„ ſemper agere hortatur Deo Patri, qui *dignos nos fecit in par-* Coloſſ. I.

Digitized by Google

„ *tem ſortis ſanctorum in lumine, & eripuit nos de poteſtate tenebrarum,*
„ *tranſtulitque in regnum Filii dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptio-*
„ *nem per ſanguinem ejus & remiſſionem peccatorum.*"

Cap. 4: „ Quibus verbis juſtificationis impii deſcriptio inſinuatur, „ ut ſit tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, „ in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam „ Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum. Quæ quidem tranſlatio, poſt „ Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis aut ejus voto „ fieri non poteſt." Addit, capite ſequenti, ſacrum illud lavacrum eſſe *ſacramentum fidei, ſine qua* (fide), inquit, *nulli unquam contigit juſtificatio.*

Doctrinâ catholicâ ſic ex poſtremo œcumenico Concilio expoſitâ & declaratâ, nunc ad propoſitionis noſtræ probationem veniendum eſt.

Probatur itaque 1° ex Scripturis.

Docent 1° ſcripturæ Chriſtum Jeſum omnibus, qui quocunque tempore juſti ſunt aut fuerunt, unicam juſtitiæ cauſam eſſe, quemadmodùm Adamus peccati & mortis cauſa eſt omnibus ab ipſo propagatis. Id inculcat S. Paulus toto fere capite V Epiſtolæ ad Romanos. „ *Sicut*, inquit v. 8, *per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ita per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ;* quia nimirùm, ut exponit S. Auguſtinus, Epiſt. 157, al. 89, ad Hilarium, cap. 3. num. 13: „ Omnes qui renaſcuntur in juſtificationem, non niſi per „ Chriſtum renaſcuntur: ſimul omnes qui naſcuntur in condemnatio- „ nem, non niſi per Adam naſcuntur. Nemo quippe eſt in illa gene- „ ratione, præter Adam; nemo in iſta regeneratione, præter Chriſ- „ tum."

Idem Apoſtolus, 1 Corinth. XV. 2: *Sicut in Adam omnes moriuntur,* „ *ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* „ Non quia nemo damnabitur, „ uti obſervat S. Auguſtinus, Epiſt. 179, al. 25, ad Joannem Jeroſoly- „ mitanum, num. 6, ſed quia nemo aliter (niſi in Chriſto) liberabi- „ tur: quia, ſicut nulli, niſi per Adam, filii hominis, ita nulli, niſi „ per Chriſtum, filii Dei. Idem docet Epiſt. 190, al. 157, ad Opta- „ tum, cap. 2. num 8.

Hinc S. Petrus, Act. IV. 12, quamlibet aliam, præter Chriſtum, juſtitiæ & ſalutis viam penitùs excludit his verbis: *Non eſt in alio aliquo ſalus; nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Et Act. XV. 10, in Concilio Jeroſolymitano decernens Moſaïcæ legis jugum gentibus imponendum non eſſe, ſic loquitur: *Quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervicem diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos ferre potuimus? Sed per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodùm & illi* veteres ſancti Patres. Unde S. Auguſtinus, Epiſt. 190, al. 159, ad Optatum, cap. 2. num. 5, concludit „ manifeſtum eſſe, quòd hæc gratia Domini „ Jeſu etiam antiquos juſtos fecit vivere ex fide."

2°. Idem

Digitized by Google

2°. Idem demonſtrant tituli Chriſto Domino in ſcripturis attributi.

Dicitur unicus *mediator.* 1 Timoth. II. 5: *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Igitur nemo Deo reconciliari, nemo acceſſum habere ad Deum, nemo gratiam recipere unquam potuit, niſi ipſo mediante, ejusque meritorum interventu.

Dicitur *pax noſtra*, Epheſ. II. 14 & ſeq., *qui fecit utraque* (Judæos ſcilicet & Gentiles) *unum*,..... *ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo;..... quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in uno ſpiritu ad Patrem.*

Dicitur *via*, & quidem unica, quâ itur ad Patrem. *Ego ſum*, ait ipſemet Chriſtus, Joann. XIV. 6., *via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem niſi per me*: tanquam ſi diceret, ut interpretatur S. Auguſtinus, tract. 22 in Joannem, num. 8: „ Ambulare vis? Ego ſum via. Falli „ non vis? Ego ſum veritas. Mori non vis? Ego ſum vita. Non eſt „ quò eas, niſi ad me: non eſt quà eas, niſi per me.“ Extra viam quid eſt, niſi aberratio? Extra veritatem quid, niſi falſitas & mendacium? Extra vitam quid, niſi mors?

Dicitur *medicus* & *ſalvator*, qui *venit quærere*, ſanare, *ſalvum facere quod perierat*, *cujus livore ſanati ſumus.*

Dicitur *redemptor* & *liberator*, *in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus* (Epheſ. I. 7), qui *per mortem deſtruxit eum qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum* (Hebr. II. 14), qui ſolus diabolo fortior *intravit in domum fortis armati*, in mundum ſcilicet, in quo omnes homines ſub poteſtate dæmonis captivi tenebantur, ipſum *tenuit & alligavit, univerſa arma ejus abſtulit, & ſpolia ejus diſtribuit* (Luc. XI. 21 & 22), & *exſpolians principatus & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo* (Coloſſ. II. 15).

Dicitur *oblatio* & *propitiatio pro peccatis noſtris*, nec pro noſtris tantùm, qui poſt ipſius adventum in carne vivimus, ſed etiam *propter remiſſionem præcedentium delictorum* (Rom. III. 25), utpote *agnus occiſus ab origine mundi* (Apocal. XIII. 8).

Dicitur *caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo ejus qui omnia in omnibus adimpletur* (Epheſ. I. 22), à quo ſcilicet omnes juſti ab exordio mundi, quidquid juſtitiæ habent, tanquam membra à capite recipiunt, *de cujus plenitudine omnes accepimus* (Joann. I. 16), & ex *quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum creſcit in augmentum Dei* (Coloſſ. II. 19).

Dicitur, 1 Corinth. I. 30, *factus eſſe nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, ut, quemadmodùm ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur*, utque *efficiamur juſtitia Dei in ipſo* (2 Corinth. V. 21).

Digitized by Google

Hi omnes caractères, pluresque alii quos omitto, ita proprii Chriſti ſunt, ut nulli alii competant, eique competant non tantùm reſpectu temporum quæ ejus incarnationem ſubſecuta ſunt, ſed eorum pariter quæ præceſſerunt. Igitur nemo unquam ad juſtitiam ſalutemque pervenit, niſi per gratiam Chriſti mediatoris Deo reconciliatus, juſtificatus, vivificatus, ſanatus, erutus de poteſtate tenebrarum, Chriſtique corpori myſtico tanquam membrum inſertus per eum creverit, & tanquam palmes in vera vite fructificaverit. Quamobrem S. Auguſtinus, lib. 1 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 23. num. 33, rectè concludit: „ Ab „ hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hac ira Dei...... nemo liberat, „ niſi agnus Dei qui tollit peccata mundi, non niſi medicus qui non „ venit propter ſanos, ſed propter ægrotos, non niſi ſalvator, de quo „ dictum eſt generi humano: *Natus eſt vobis hodie ſalvator;* non niſi „ redemptor, cujus ſanguine deletur debitum noſtrum."

Probatur II° conſenſu ſanctorum Patrum.

Al. in edit. Commel. 1593, pag. 165. S. Juſtinus martyr, in *Dialogo cum Tryphone*, num. 3, ait *funiculum coccineum*, per quem exploratores Joſue demiſſi ſunt è domo Rahab, ut mortem effugerent, quique in feneſtra ſuſpenſus manſit, „ ſanguinis „ Chriſti ſignum præ ſe tuliſſe, per quem qui olim mœchi & iniqui „ erant ex gentibus omnibus ſalvantur, remiſſionem peccatorum adepti, „ nec jam ampliùs peccantes." Et in Epiſtola ad Diognetum, num. 9:

Al. ibid. pag. 385. „ Cùm ad cumulum, inquit, malitia noſtra perveniſſet,..... adveniſſet„ que tempus à Deo præſtitutum ad ſuam deinceps bonitatem ac poten„ tiam declarandam,....., proprium ipſe Filium pretium redemptionis „ pro nobis dedit, ſanctum pro eis qui legem tranſgreſſi erant,..... „ juſtum pro injuſtis, corruptionis neſcium pro obnoxiis corruptioni, „ immortalem pro mortalibus. Quid enim aliud potuit peccata noſtra „ tegere, quàm ejus juſtitia? In quo alio nos iniqui & impii pro juſtis „ haberi poſſumus, quàm in ſolo Dei Filio?"

S. Irenæus, lib. 3 *de Hæreſibus*, cap. 20. num. 3, al. cap. 22: „ Ipſe „ Dominus erat (Emmanuel), inquit, qui ſalvabat eos, quia per ſe„ metipſos non habebant ſalvari. Et propter hoc Paulus infirmitatem „ hominis annuntians ait: *Scio quia non habitat in carne mea bonum*, ſi„ gnificans quia non à nobis, ſed à Deo eſt bonum ſalutis noſtræ. Et „ iterum: *Miſer ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Dein„ de infert liberatorem: *Gratia Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Hoc autem „ idem & Iſaias: *Confortamini*, inquit, *manus reſolutæ*,..... *Deus ip„ ſe veniet, & ſalvabit nos:* hoc quoniam non à nobis, ſed à Dei ad„ jumento (per gratiam Chriſti) habuimus ſalvari." Et cap. 22. num. 4, al. cap. 33: „ Primogenitus mortuorum natus Dominus, & in ſinum „ ſuum recipiens priſtinos Patres, regeneravit eos in vitam Dei, ipſe „ initium viventium factus, quoniam Adam initium morientium factus „ eſt."

S. Cle-

S. Clemens Alexandrinus, lib. 1 Pædagogi, cap. 9: „ Jure ergò, inquit, Pag. 125.
„ qui ægrotamus, ſervatore opus habemus; qui autem aberravimus, eo
„ qui nos deducat; & qui cæci ſumus, eo qui nos ad lucem reducat;
„ & qui ſitimus, fonte vitali, cujus qui ſunt participes non ampliùs
„ ſitiunt; & qui mortui ſumus, vitâ egemus; qui oves, paſtore; &
„ qui pueri, pædagogo; quin etiam univerſa natura humana, Jeſu;
„ ne qui inſolentes & peccatores ſumus, incidamus in finem damnationis;
„ à paleis autem ſegregemur, & in apothecam paternam recondamur."

S. Cyprianus, lib. 2 *Teſtimoniorum ad Quirinum*, num. 27, his Chriſti verbis: *Ego ſum oſtium; per me ſi quis introierit, ſalvabitur*, probat „ perveniri non poſſe ad Deum Patrem, niſi per Filium ejus Jeſum Chriſ-
„ tum."

S. Athanaſius, in *Oratione 2 contra Arianos*, docet gratiam in Adamo amiſſam, in Chriſto deinceps eſſe repoſitam, præter quem ad juſtitiam redire nequaquam poſſumus. „ Per quem autem, inquit, & à Edit. Pariſ. 1627, tom. 1. pag. 357 & 359.
„ quo tandem conveniens erat Spiritum ſanctum donari, niſi per Fi-
„ lium, cujus Spiritus eſt? Quando autem nos recipere potuiſſemus;
„ niſi cùm Verbum, prout ab Apoſtolo dictum eſt, homo erat factum?
„ Neque fieri potuiſſet ut liberaremur aut exaltaremur, niſi is qui de
„ formâ Dei erat formam ſervi accepiſſet...... Primo enim homine
„ mutato, & morte per peccatum in mundum introductâ, neceſſe om-
„ nino fuit ſecundum Adam immutabilem eſſe, quo, ſi denuò ſerpens
„ eum invaderet, impoſtura illius vim nullam aut efficaciam haberet."
Et in Orat. *de Incarnatione Verbi*, num. 13 & 14, poſt deſcriptam humanæ naturæ in Adamo collapſæ ſummam infirmitatem, & juſtitiæ recuperandæ impotentiam, hæc addit: „ Non decebat eos divinæ ſemel Ibid. pag. 66 & 67.
„ imaginis conſortes in exitium abire. Quid igitur Deo conveniebat ut
„ faceret, niſi ut exemplar imaginis renovaret, ut per id denuò ipſum
„ homines cognoſcere poſſint? Id autem quomodò confici potuit, niſi
„ ipſa imago Dei ſalvator noſter Chriſtus ſuperveniret?" Oſtendit deinde neque purum hominem, neque angelum id præſtare potuiſſe, quia illius ſolius eſt imaginem Dei inſtaurare, qui eam primò effinxit, & quia nulla creatura poteſt animam interiùs afficere ac mutare.

S. Macarius Abbas Ægyptius, hom. 20: „ Tam graviter læſus eſt Pag. 28.
„ homo, inquit, ut nullus præter ſolum Dominum ſanare illum poſſit.
„ Huic ſoli poſſibile eſt. Nam ipſe veniens abſtulit peccatum mundi,
„ hoc eſt, impurum fontem illum cogitationum animæ exſiccavit."

S. Gregorius Nyſſenus, Oratione Catechiſticâ, cap. 15: „ Opus habe- Tom. 3. pag. 69.
„ bat medico natura noſtra, quæ morbo laborabat: opus habebat eo
„ qui ipſum erigeret homo qui ceciderat: opus habebat eo qui vivifica-
„ ret, qui à vita exciderat; opus habebat eo qui ad bonum reduceret,
„ qui defluxerat à boni participatione; opus habebat lucis præſentiâ,
„ qui erat incluſus in tenebris. Quærebat redemptorem captivus, ad-

„ jutorem vinctus, liberatorem is qui jugo premebatur ſervitutis.“ Quis verò alius hæc omnia nobis præſtat, quàm Chriſtus Jeſus?

Hoc fidei caput adverſùs gratiæ Chriſti inimicos ſtrenuè aſſeruit S. Auguſtinus. Sic loquitur lib. 6 *Op. imperf.* cap. ultimo: „ Ex quo „ per liberum arbitrium Adam commiſit illud grande peccatum, & om- „ ne genus humanum in commune damnavit, ab hac communi damna- „ tione quicunque liberantur, nonniſi divina gratia & miſericordia libe- „ rantur.“ Quæ quidem verba eo pluris æſtimanda ſunt, quòd poſtrema ſint S. Doctoris eo in Opere, quod morte præventus imperfectum reliquit. Quænam autem ſit illa gratia, definit in Epiſtola 174, al. 252, ad Joannem Jeroſolymitanum, cap. 6. „ Hâc gratiâ Dei, inquit, „ per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum omnes liberantur, quicunque „ liberantur: quia nemo, præter ipſum, quolibet alio modo liberari po- „ teſt.“ Et lib. 10 *de Civitate Dei*, cap. 32. num. 2: „ Præter hanc „ viam (quæ Chriſtus eſt), quæ partim cum hæc futura prænuntia- „ bantur, partim cùm facta nuntiantur, nunquam generi humano de- „ fuit, nemo liberatus eſt, nemo liberatur, nemo liberabitur.“ Hanc verò doctrinam non tantum ut fidei catholicæ dogma, verùm etiam ut totius fidei fundamentum proponit Serm. 30. cap. 4. num. 5. „ Ipſa „ fides eſt, inquit, ipſa veritas, hoc eſt, fidei chriſtianæ fundamen- „ tum, unus & unus: unus homo per quem ruina, alius homo per „ quem ſtructura.“

Al. Serm. 12 de Verbis Apoſtoli.

Auctor Hypognoſticon eisdem veſtigiis inſiſtens, lib. 3. cap. 12, ſic loquitur: „ Dono autem gratiæ Dei Patris & Chriſti ejus, ſanctique „ Spiritûs, juſtos, qui fuerunt ante legem vel ſub lege, tam electos „ quàm gubernatos fuiſſe, ex multis (ſcripturæ) teſtimoniis accipe „ pauca:“ quæ ſtatim exhibet.

S. Proſper, Epiſt. ad Rufinum, cap. 12: „ Naturam humanam, ait, „ natura humana non liberat. Extra unum mediatorem Dei & homi- „ num, hominem Jeſum Chriſtum, nemini ſalus eſt.“

S. Leo magnus, Serm. 1 *de Paſſione Domini*, cap. 1, divinâ diſpenſatione decretum eſſe dicit, „ ut, poſt illam primæ prævaricationis pri- „ mam & univerſalem ruinam,..... nemo damnationem diaboli, nemo „ vinculum diræ captivitatis evaderet, nec cuiquam aut reconciliatio „ ad veniam, aut reditus pateret ad vitam, niſi coæternus & coæqualis „ Deo Patri Filius Dei etiam filius hominis eſſe dignaretur, veniens „ quærere & ſalvare quod perierat, ut, ſicut per Adam mors, ita „ per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſſet reſurrectio mortuorum.“

Auctor librorum *de Vocatione Gentium*, lib. 2. cap. 5: „ Cùm in „ illo populo (Judaïco), inquit,..... nemo niſi gratiâ juſtificatus ſit „ per ſpiritum fidei, quis ambigat eos qui, de quibuscunque nationi- „ bus, quibuslibet temporibus Deo placere potuerunt, ſpiritu gratiæ „ Dei fuiſſe diſcretos?“

Su-

Digitized by Google

Superfluum foret Patrum poſteriorum textus commemorare, maximè cùm hæc propoſitio ex dicendis in ſecunda magis ac magis confirmanda ſit. Conſule etiam quæ libro IV de gratiæ Chriſti ad omnia & ſingula bona opera neceſſitate dicentur.

Probatur III° ex concilio Tridentino, quod hanc ſaluberrimam doctrinam ſub anathematis pœnâ credendam eſſe decernit, Seſſ. VI *de Juſtificatione*, can. 1, his verbis: „ Si quis dixerit hominem ſuis operibus, „ quæ vel per naturæ humanæ vires, vel per legis doctrinam fiant, „ abſque divina per Jeſum Chriſtum gratia poſſe juſtificari coram Deo, „ anathema ſit.“

Accedit etiam invictiſſima ratio ab Apoſtolo Paulo indicata, nempe, ſi per legem, aut per naturalem ſapientiam, aut quocunque alio modo, quàm per gratiam Chriſti, ad juſtitiam perveniri poteſt, ergo *gratis Chriſtum mortuum eſſe*: quod vel cogitare ſummæ impietatis eſt.

SECUNDA PROPOSITIO.

Poſt Adami lapſum nemo juſtitiam conſequi unquam potuit abſque fide in Chriſtum mediatorem, neque ſuſſecit unquam fides qualiſcunque in Deum unum, creatorem, remuneratorem ac vindicem.

HUJUS quoque propoſitionis argumentis ſpecialibus præmittemus declarationem centum Galliæ Epiſcoporum, promulgatam anno 1720. Sic illa ſe habet, att. 1: „ C'eſt une vérité que l'on doit ſuppoſer „ comme le fondement de toute la doctrine Chrétienne, que depuis la „ chute d'Adam nous ne pouvons plus être juſtifiés, ni parvenir au ſa„ lut que par la foi au Redempteur. *Il n'y a*, comme dit l'Apôtre, *qu'un* „ *ſeul médiateur de Dieu & des hommes*, comme il n'y a de ſalut qu'en „ lui ſeul, *parce qu'il n'y a point d'autre nom ſous le ciel par lequel* „ *nous puiſſions être ſauvés.*

Doctrina Epiſcoporum Galliæ.

1 Timoth. II. 5. Act. IV. 12.

„ Cette importante vérité, marquée dans toute la ſuite des Ecritu„ res, s'applique à tous les tems, avant la loi & ſous la loi: car la „ doctrine Chrétienne ne laiſſe pas lieu de douter, dit S. Auguſtin, „ que ſans la foi du Médiateur les anciens n'ont pu être juſtifiés ni „ purifiés de leurs péchés. *Tous les ſaints*, dit S. Leon, *qui ont précé*„ *dé le tems du Sauveur, ont été juſtifiés par la foi en J. C. Dieu &* „ *homme, & par ce myſtere ſont devenus le corps du Chriſt, attendant* „ *par celui qui devoit deſcendre d'Abraham la redemption générale des* „ *croyants.* Tel eſt le langage & la doctrine de toute la tradition.

Lib. de Pecc. orig. cap. 24. num. 28.

Serm. 29. cap. 7.

Digitized by Google

„ L'erreur des Juifs charnels, qui s'attribuoient la juſtice de la loi, „ ſans la foi & ſans la grace du Redempteur, a paru ſi pernicieuſe dès la „ naiſſance du Chriſtianiſme, que S. Paul s'eſt particulierement appliqué „ à la refuter dans les Epitres aux Romains, aux Galates & aux Hebreux.

„ Le Clergé de France, aſſemblé en 1700, a cenſuré comme hérétiques & injurieuſes à la qualité de rémunerateur qui appartient à Dieu, „ & à celle de médiateur qui eſt propre a J. C., des propoſitions qui reduiſoient la foi néceſſaire pour la juſtification à la ſeule foi en Dieu.

„ Ainſi la foi au Médiateur a pu être tantôt moins diſtincte & moins „ claire, & tantôt plus diſtincte & plus claire, ſelon la diſtinction des „ perſonnes & des tems. MAIS LA FOI FONDÉE SUR UNE RÉVÉLATION, ET NON SUR UNE CONNOISSANCE NATURELLE DE LA PROVIDENCE, A TOUJOURS ÉTÉ NÉCESSAIRE POUR „ LE SALUT. C'eſt ſur ce fondement que les Peres de l'Egliſe ont enſeigné QUE LA RELIGION A TOUJOURS ÉTÉ LA MÊME, *obſervée*, dit S. Auguſtin, *ſous differents noms, dans les differents temps* „ *du monde, tantôt plus clairement, tantôt d'une maniere moins claire,* „ *embraſſée d'abord par un petit nombre, pratiquée dans la ſuite par un* „ *plus grand nombre de fideles.* Elle a toujours ſubſiſté pure dans ſes „ mœurs & dans ſa doctrine, & elle a toujours formé de vrais adorateurs du vrai Dieu. En effet, *comme nous croyons au véritable Fils* „ *de Dieu qui s'eſt incarné, les anciens croyoient au même Fils de Dieu* „ *qui devoit s'incarner un jour.* C'eſt pour cette raiſon que les Peres „ ont mis AU NOMBRE DES CHRÉTIENS par anticipation les juſtes „ qui ont vécu avant & apres Moyſe.

Epiſt. 102. quæſt. 2. num. 12.

„ La fin principale de l'ancien Teſtament étoit de préparer les hommes à la venue de J. C. C'étoit dans cette préparation que conſiſtoit la grandeur & la principale utilité de la loi. La premiere & la „ plus ſainte fonction des Prophetes étoit d'annoncer J. C. Le cérémonies les plus auguſtes du culte Judaïque étoient inſtituées pour le figurer. „ Il étoit caché dans les plus grands prodiges que Dieu operoit alors, „ & dans les évenemens les plus eclatants. *Le peuple Juif entier*, ſelon „ S. Auguſtin, n'étoit qu'un grand prophete, qui par la loi, par ſon „ culte, & par toute la ſuite de ſon hiſtoire figuroit & prediſoit J. C."

Lib. 13 contra Fauſtum, cap. 15.

Et poſteà, art. 3: „ C'eſt un dogme de foi, que l'homme depuis ſa „ chute ne peut ni approcher de Dieu, ni rien obtenir que par J. C. „ C'eſt en lui que nous ſommes élus & réconciliés avec Dieu: ce n'eſt „ qu'en J. C. & par J. C. que nous ſommes ſanctifiés: nous ne ſommes tous avec J. C. qu'un même corps, dont il eſt le chef, & dont „ nous ſommes les membres: ce n'eſt plus qu'en qualité de membres „ de ce divin Chef que nous recevons l'eſprit qui nous fait vivre dans „ la juſtice & dans la ſainteté: c'eſt en lui & par lui que nous ſommes juſtes de la juſtice de Dieu."

Inte-

Integrum hunc textum deſcribere viſum eſt, ut omnibus pateat quàm certum ſit & immotum fidei dogma, quod hic probandum ſuſcipimus. Videamus nunc quam ſolidis fundamentis in religione innitatur.

Probatur itaque propoſitio I° oraculis ſacræ ſcripturæ.

Celeberrimum illud eſt quod legitur Habacuc II. 4: *Juſtus in fide ſua vivet*, ſeu, prout multoties citatur ab Apoſtolo: *Juſtus ex fide vivit.* Si juſtus ex fide vivit, ergo ſine fide nemo juſtus eſt, quemadmodum ſine vita vivit nemo. Eam autem fidem quovis tempore neceſſariam fuiſſe, patet ex cap. XI Epiſtolæ ad Hebræos, ubi S. Paulus docet per illam acceptos fuiſſe Deo, quotquot juſti ante adventum Chriſti vixere. Sic, inter alios, de Henoch loquitur v. 5: *Fide Henoch translatus eſt, ne videret mortem; ante translationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo: ſine fide autem impoſſibile eſt placere Deo.* Ex eo ſcilicet concludit propter fidem donatum fuiſſe Henoch ut non videret mortem, quòd unâ ex parte *teſtimonium habuerit placuiſſe Deo*, ex alterâ autem *ſine fide impoſſibile ſit placere Deo.* De fide autem non qualicunque aut impropriè dictâ, ſed de fide in Chriſtum mediatorem, in revelatione divina fundatâ, ſermonem toto illo in capite ab Apoſtolo inſtitui, manifeſtè patet ex his quæ v. 24 & 26 de Moyſe dicit. *Fide Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, ... majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti.*

Argumentum è Scripturis.

Sed Chriſtum ipſum magiſtrum audiamus: *Hæc eſt, ait, vita æterna*, id eſt, vita animæ, quæ per gratiam nunc inchoatur, in futuro ſæculo perficienda per gloriam, *ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Et Joann. III. 14: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam...... Qui credit in eum non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Quid evidentius eſt, quam his verbis declarari abſolutam neceſſitatem fidei in Chriſtum Jeſum incarnatum & paſſum? Chriſtus enim teſtatur ideò Deum miſiſſe Filium ſuum unigenitum in mundum, ne genus humanum periret. Quid verò opus fuiſſet tanto illo myſterio, ſi, Chriſto etiam non incarnato, genus humanum damnationem potuiſſet evadere? Teſtatur unicum vitandæ damnationis æternæ medium eſſe, *credere in nomine unigeniti Filii Dei*, ita ut *qui non credit jam judicatus ſit.* Nomen autem illud ſanctum quod aliud eſt, niſi Chriſti Jeſu, de quo dicit S. Petrus, Act. IV. 12. *non aliud nomen* eſſe *ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri?* Quod etiam declarat S. Paulus, Rom. X. 13 & 14, dicens: *Quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit;* ſtatimque addens: *Quomodò ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei quem non audierunt? Quomodò audient*

Joann. XVII. 3.

 ſine

ſine prædicante? Ex quibus perſpicuum eſt loqui Apoſtolum de fide quæ in revelatione divina fundata ſit. Quapropter ſic concludit, v. 17: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.*

S. Petrus, Act. X. 43, de Chriſto loquens: *Huic*, inquit, *omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Et cap. XIII. 38 & 39: *Per hunc vobis remiſſio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus quibus non potuiſtis in lege Moyſi juſtificari; in hoc omnis qui credit juſtificatur.*

S. Paulus, in Epiſtolis præſertim ad Romanos, ad Galatas & ad Hebræos, totus eſt, ut ex libris veteris Teſtamenti contra Judæos probet neminem juſtificari unquàm potuiſſe, niſi per fidem Jeſu Chriſti. Ex multis pauca delibo. Rom. III. 22, ſic ait: *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum; non enim eſt diſtinctio: omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei* (in Græcò habetur, *deſtituuntur gloriâ Dei*, id eſt, nihil habent unde coram Deo gloriari poſſint), *juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ... propter remiſſionem præcedentium delictorum, ... quoniam unus eſt Deus qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* Galat. autem II. 16: *Scientes quòd non juſtificabitur homo ex operibus legis* (idem dicendum eſt de operibus per ſolas naturæ vires elicitis), *niſi per fidem Jeſu Chriſti.* Et cap. III. 22: *Concluſit Deus omnia ſub peccato* (ſive ante legem, ſive ſub lege), *ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.* Conſtat igitur ex ſcripturis, fidem in Chriſtum mediatorem quovis tempore abſolutè neceſſariam fuiſſe, ad juſtitiam & ſalutem conſequendam.

Argumentum 2um ex damnatione Pelagianorum.

Probatur 2° ex damnatione Pelagianorum. Dicebant illi hæretici homines ante legem Moyſi per ſolas naturæ vires, deinde per adjutorium legis & doctrinæ, nunc per Evangelium ad juſtitiam pervenire. „ Pelagium latet, inquiebant quinque Africani Antiſtites in Epiſtola ad Papam Innocentium I, num. 1, „ fidem Chriſti, quæ poſteà in revelationem venit, in occulto fuiſſe temporibus patrum noſtrorum; per quam „ tamen etiam ipſi Dei gratiâ liberati ſunt, quicunque omnibus humani generis temporibus liberari potuerunt, occulto judicio Dei, non „ tamen vituperabili.“ Hunc Pelagii errorem à conciliis damnatum hæreſim appellare non dubitat S. Auguſtinus. Juliano quippe dicenti, *incarnationem Chriſti juſtitiæ formam fuiſſe non primam, ſed maximam; quia & antequàm Verbum caro fieret, ex eâ fide quæ in Deum erat, & in Prophetis & in multis aliis ſanctis fulſere virtutes*, ſic reſpondet lib. 2 *Op. Imperf.* cap. 188: „ Agnoſcimus HÆRESIM VESTRAM: definivit enim Pelagius quòd non ex fide incarnationis Chriſti antiqui vixe„ rint juſti, quia videlicet nondum in carne venerat Chriſtus; cùm pro„ fectò id futurum non prænuntiaſſent, niſi priores utique credidiſſent.

Sed

Digitized by Google

„ Sed in hanc abſurditatem cecidiſtis, dum defenditis eſſe potuiſſe per „ naturam legemque juſtitiam: utrumlibet autem ſi verum eſt, ergo „ Chriſtus gratis mortuus eſt.“

Ex hoc textu manifeſtum eſt cauſam recentiorum nullatenus differre ab errore Pelagianorum. Fruſtra quippe, ut ab illis ſeſe diſcernant, reſponderent ſentire ſe fidem in Deum creatorem ac providum quovis tempore neceſſariam fuiſſe ad ſalutem; videmus enim Pelagianos ultro confeſſos fuiſſe omnes, qui ante incarnationem Chriſti juſti extiterunt, non ſine *fide in Deum* virtutes excoluiſſe, & tamen illos hæreſis notat S. Doctor. Adeò certum erat in Eccleſia Catholica neminem unquam juſtum fuiſſe ex ſola in Deum fide, neminique patere aditum ad juſtitiam, niſi per Chriſtum incarnatum fide apprehenſum.

Probatur III° unanimi conſenſu ſanctorum Patrum.

S. Barnabas, laborum S. Pauli particeps, in Epiſtola Catholica, cap. 12, al. 9, ſic loquitur: „ Ad cor Moſis dicit Spiritus ut faciat ſignum crucis & ejus qui erat paſſurus, quia ſi in hunc non ſperaverint, ſemper debellabuntur. Itaque Moſes in medio aggeris...... manus extendit, ſicque rurſùs Iſraelitæ vincebant. Cùm autem iterum manus demittebat, iterum occidebantur. Cur hoc? Ut cognoscerent quòd non poterant ſervari, niſi per ſpem in illum (Jeſum crucifixum)...... Et iterum Moſes facit figuram Jeſu (quòd paſſurus eſſet & vitam præbiturus ipſe, quem putabunt periiſſe) in ſigno cadentis Iſraëlis. Effecit enim Deus ut cuncti ſerpentes morderent eos, & moriebantur, quoniam transgreſſio per ſerpentem in Eva contigit...... Fecit ergo Moſes ſerpentem æneum,..... & dixit ad illos: Cùm aliquis ex vobis morſus fuerit, ad ſerpentem in ligno poſitum veniat, & credat atque ſperet quòd, licet mortuus ille ſit, poteſt vitam præſtare, & confeſtim ſervabitur: atque ita faciebant.“

Argumentum 3um ex conſenſu SS. Patrum.

Hermas, *Paſtoris* lib. 3, ſimilitudine 9, Eccleſiam militantem & triumphantem deſcribit ſub ſimilitudine turris maximæ & quadratæ, ædificatæ ſupra petram veterem, candidam & ingentem, in qua porta nova exſculpta eſt, per quam omnes ingredi neceſſe ſit. Porro petra vetus eſt æternus Dei Filius: porta nova idem eſt Filius Dei incarnatus, per quam omnes intrare neceſſe eſt, ut in turrim ingrediantur: lapides ad turris ædificationem aſſumendi, ſunt electi omnium temporum: transferuntur autem per duodecim virgines, quæ ſunt totidem dona Spiritûs ſancti, quorum primum eſt fides in Chriſtum incarnatum.

S. Clemens Romanus Pontifex, in Epiſtola 1 ad Corinthios, quam Euſebius *eximiam, mirabilem & ab omnibus receptam* prædicat, ſic loquitur, num. 52: „ Sic & nos ex voluntate Dei in Chriſto vocati, non „ per nos ipſos juſtificamur, neque per ſapientiam noſtram, intelligentiam, pietatem, vel opera quæ in puritate cordis vel ſanctimoniâ

„ ope-

Digitized by Google

„ operati ſimus: ſed per fidem, per quam omnipotens Deus omnes ab „ initio (απ' αιωνος) juſtificavit.

S. Juſtinus martyr, quem in præcedenti propoſitione jam citavimus, poſtquàm dixit juſtum eſſe neminem poſſe, niſi per juſtitiam Chriſti, addit: „ Hanc autem accipimus per fidem, invocando nomen ejus."

S. Irenæus, lib. 4 *adverſùs Hæreſes*, cap 2. num. 7, al. cap. 5: „ Non prohibebat (lex), inquit, credere in Filium Dei, ſed adhortabatur dicens, non aliter ſalvari homines ab antiqua ſerpentis plaga, „ niſi credant in eum, qui ſecundùm ſimilitudinem carnis peccati in „ ligno martyrii exaltatus à terra, & omnia trahit ad ſe, & vivificat „ mortuos." Et cap. 22. num. 2, al. cap. 39: „ Non enim propter „ eos ſolos, qui temporibus Tiberii Cæſaris crediderunt ei, venit „ Chriſtus, nec propter eos ſolos qui nunc ſunt homines, providentiam fecit Pater; ſed propter omnes omnino homines, qui ab initio „ ſecundùm virtutem ſuam in ſua generatione & timuerunt & dilexerunt Deum, & juſtè ac piè converſati ſunt erga proximos, & „ concupierunt videre Chriſtum & audire vocem ejus. Quapropter „ omnes hujuſmodi, in ſecundo adventu, primo de ſomno excitabit & „ eriget tam eos, quàm reliquos qui judicabuntur, & conſtituet in „ regnum ſuum. Quoniam quidem unus Deus, qui Patriarchas di- „ rexit in diſpoſitiones ſuas, juſtificat autem circumciſionem ex fide, „ & præputium per fidem. Quemadmodùm enim in primis nos præfigu- „ rabamur & prænuntiabamur, ſic rurſus in nobis illi deformantur" (ſeu formam & complementum habent), hoc eſt, in Eccleſia, & recipiunt mercedem pro his quæ laboraverunt. Et rurſùs, cap. 27. nùm. 2, al. cap. 45, dicit Chriſtum, ad inferos deſcendendo, non omnes promiſcuè, ſed cos tantummodò liberaſſe *qui crediderunt in eum*. „ Crediderunt autem in eum, inquit, omnes qui ſperabant in eum, id eſt, „ qui adventum ejus prænuntiaverunt & diſpoſitionibus ejus ſervierunt, „ Juſti, & Prophetæ, & Patriarchæ, quibus ſimiliter, ut nobis, remi- „ ſit peccata."

Tertullianus ſapientiam Socratis, quem inter Ethnicos nonnulli recentiores plurimùm commendant, omnino reprobat, hancque cenſuræ ſuæ rationem affert: „ Cui enim veritas comperta eſt ſine Deo? Cui Deus „ cognitus ſine Chriſto? Cui Chriſtus exploratus ſine Spiritu ſancto? „ Cui Spiritus ſanctus accommodatus ſine fidei ſacramento?" Igitur, Tertulliano teſte, ſine fide & cognitione Chriſti, quam Spiritus ſanctus largitur, nulla Dei cognitio quemquam ad juſtitiam perducere poteſt.

Pag. 637. S. Clemens Alexandrinus, quem ſibi favere aliqui adverſariorum glorientur, multis in locis eos diſertiſſimè damnat.

In libro 6 *Stromatum* ſic loquitur: „ Iis qui juſti erant ex lege" (juſtitiâ ſcilicet legali, quam Apoſtolus abjecit, & arbitratur ut ſterco-

Digitized by Google

cora) „ fides deerat...... Iis autem qui juſti erant ex Philoſophia, non „ ſolùm opus erat fide in Dominum, ſed etiam ut diſcederent à cultu „ ſimulachrorum.“

Idem oraculo Chriſti confirmat in *Admonitione ad Gentes*, ſic loquens: „ *Ego*, inquit Chriſtus, *ſum oſtium*: quod diſcere oportet iis qui voluerint Deum intelligere, ut nobis ſimul portas cœlorum aperiat: „ ſunt enim rationales Verbi portæ, quæ aperiuntur clave fidei. Deum „ nemo novit, niſi Filius, & cui Filius revelaverit. Benè autem ſcio „ quia qui clauſam portam tunc aperit, revelat poſteà ea quæ ſunt in„ tus, & oſtendit ea quæ nec priùs poterant cognoſci, niſi ab iis qui „ per Chriſtum ambulaſſent, per quem ſolum Deus cernitur.“ Proinde, ſicut intrari non poteſt in palatium niſi per oſtium, ita, juxta S. Clementem Alexandrinum, nemini aditus patet ad ſalubrem Dei cognitionem absque revelatione ac fide Chriſti. Pag. 8 & 9.

Lib. 1 Pædagogi, cap. 6, ait „ fidem unam eſſe univerſam ſalutem „ humanæ naturæ.“ Pag. 95.

Libro 1 *Stromatum* docet „ eam, quæ ex fide eſt, veritatem, tan„ quam panem, neceſſariam eſſe ad vivendum“ (id eſt, abſolutè neceſſariam): „ quæ autem præcedit diſciplina (Philoſophiæ), eſſe obſonio „ ac bellariis ſimilem.“ Initio autem libri 2 fidem illam definit „ pie„ tatis aſſenſionem, rerum quæ ſperantur ſubſtantiam, argumentum eo„ rum quæ non videntur:“ quâ ſanè definitione fidem, quam abſolutè neceſſariam eſſe pronuntiat, omnino diſtinguit à cognitione qualibet naturali divinæ providentiæ. Addit verò: „ Per eam maximè teſtimo„ nium acceperunt antiquiores: ſine fide autem impoſſibile eſt placere „ Deo.“ Et paulò poſt: „ Eſt ne ergo aliquis alius verus ſtatus pie„ tatis, ac Dei cultus, cujus ſola magiſtra ſit ratio? Non ego quidem „ arbitror.“ Et rurſus: „ Fides ei, qui eſt cognoſcendi poteſtate præ„ ditus, eſt æquè neceſſaria, ac ei, qui in hoc mundo vivit, ad vi„ vendum reſpiratio. Ut autem abſque quatuor elementis non poſſumus „ vivere, ita nec abſque fide poſſumus aſſequi cognitionem“ (utilem, quæ nos ad juſtitiam ſalutemque perducat). „ Hæc eſt ergo baſis ve„ ritatis.“ Pag. 319. Pag. 362. Pag. 373.

Demum in libro 1 ejuſdem operis, exemplo Abrahæ, qui ex fide juſtificatus eſt, demonſtrat præclara Philoſophorum opera fide in Chriſtum deſtituta nihil eis prodeſſe potuiſſe. „ Abraham, inquit, non ex ope„ ribus juſtificatus eſt, ſed ex fide. Nihil ergo eis (Philoſophis) poſt „ vitæ finem proderit, etiamſi nunc rectè operentur“ (id eſt, opera faciant ex officio bona), „ niſi fidem habeant.“

Origenes, Comment. in Joannem, tom. 2: „ Vide, inquit, an non „ tantum ſanctorum, qui poſt Chriſti adventum fuerunt, ſit illa vox: „ *Chriſti confixus ſum cruci*, ſed æquè ad priores etiam pertineat, ne „ differre dicamus ſanctos, qui poſt Chriſti adventum fuere, à Moſe

„ & Patriarchis. Vox illà quoque: *Vivo ego, non ampliùs ego, ſed vivit in me Chriſtus*, æquè etiam dicatur, non ſolùm de ſanctis qui „ poſt Chriſti adventum fuere, verùm etiam de his qui anteà...... „ Tradimus enim & docemus nunquam defuiſſe ſanctis ſpiritualem Jeſu „ adventum atque diſpenſationem.“ Hanc autem doctrinam tanquam conſtantem atque indubitatam Eccleſiæ fidem *tradit ac docet*.

Euſebius Cæſarienſis, lib. 1 *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, cap. 4: „ Si quis, „ ait, omnes illos qui ſunt juſtitiæ teſtimonio comprobati, ab ipſo „ Abrahamo ad primum uſque hominem aſcendendo, Chriſtianos, non „ nomine, ſed re fuiſſe dicat, is non à vero aberraverit. Nam illa „ omnia quæ Chriſti nomen in ſe continet, nimirùm ut ſit Chriſtianus, qui per Chriſti cognitionem & doctrinam præſtet excellatque, illa „ omnia ab ipſis antiquis Patribus, non minùs ſtudioſè quàm à nobis, „ exercitata excultaque fuerunt...... Quin etiam ipſum Chriſtum Dei „ perſpicuè cognoverunt. Quippe liquidò conſtat illum Abrahamo viſum eſſe, reſponſum dediſſe Iſaac, locutum cum Jacob, cum Moyſe „ denique & aliis deinceps Prophetis familiariter ſermonem contuliſſe.“

S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 22: „ Hic ſermo, inquit, mihi & „ omnibus Deum amantibus omnino perſuaſus eſt, neminem videlicet „ eorum, qui ante Chriſti adventum numeros omnes virtutis impleverunt, id citra Chriſti fidem conſecutum.“ In Latinis quidem editionibus habetur: *hic ſermo mihi eſt vehementer probabilis*; ſed vim textûs Græci reddidimus: σφόδρα πιθανὸς λόγος ἐμοὶ, καὶ πᾶσι τοῖς φιλοθέοις. Reverà in tota illa Oratione non ut valde probabile tantùm id proponit, ſed tanquàm indubitatum affirmat.

S. Hilarius in Pſalmum 118, litt. 15. num. 5: „ Non aliter, ait, aut nos meremur, aut aliqui ante meruerunt, quàm Verbum Dei Deum „ naturæ noſtræ carnem vel habitaturum ſperaſſe, vel quòd habitaverit credidiſſe. Ex quibus verbis patet eamdem in antiquis juſtis, „ atque in nobis, fidem ac religionem viguiſſe.

S. Ambroſius, lib. 3 in Lucam, num. 21, factâ mentione filiorum „ geminorum Judæ Patriarchæ, Pharez ſcilicet & Zaræ, quorum alter, licet præmiſſâ manu, non niſi poſt Pharez natus eſt: „ Prior, inquit, „ gratia quàm lex, prior fides quàm littera; & ideò gratiæ typus (Zara) „ manum ante præmiſit, quia gratiæ actus ante præceſſit, qui fuit in „ Job, Melchiſedech, Abraham, Iſaac, Jacob, qui per fidem ſine lege „ vivebant.“ Probat deinde ex ſcripturis antiquos omnes juſtos ex fide in Chriſtum venturum vixiſſe, & per illam juſtificatos fuiſſe.

S. Joannes Chryſoſtomus, quem propter nonnulla paulò obſcuriùs dicta ad ſe trahere conantur quidam ex adverſariis, eamdem doctrinam plurimis in locis indubitanter tradit. Sic, Hom. 8, al. 7, in Joannem, exponens hæc verba: *In mundo erat, & mundus eum non cognovit*, hoc

Tom. 8. pag. 49. Edit. Commel. tom. 2, pag. 45 & 46.

Digitized by Google

hoc dicit: „ Hic mundum vocat multitudidem corruptam & terrenis „ rebus inhiantem, turbam, vulgus, inſipientem populum; nam Dei „ amici & admirabiles viri omnes ipſum etiam ante incarnationem agno- „ verunt.“ Id autem de Abrahamo, Davide, omnibusque Prophetis ſpeciatim probat; tum ſubdit: „ Itaque, licet ejus in carne adventum non „ viderint, futurum tamen eſſe noverunt, quem videre cupiebant, in „ eumque credebant..... Quòd ſi, quia non omnibus tunc notus fuit, „ ſed probis tantùm & virtute præditis, dicitis illum incognitum fuiſſe, „ eâdem ratione ipſum nunc quoque non adorari ab hominibus dixeritis, „ quia etiam nunc ipſum omnes non noverunt. Sed quemadmodùm in „ præſenti nemo, quia à multis ignoratur, ipſum à multis cognoſci negaverit, ſic neque dubitandum eſt ipſum ſuperioribus illis temporibus à „ multis, imò etiam probis illis & admirandis viris omnibus cognitum „ fuiſſe.“ Manifeſtum eſt nullos hic, etiam ante Chriſti adventum, juſtos agnoſci, qui non ex fide in ipſum juſtificati fuerint, idque velut certiſſimum aſſeri à S. Doctore.

In homilia 2ª in Epiſt. ad Rom. num. 6. tom. 9 (al. tom. 4. pag. 22), explicans hæc verba: *Juſtitia Dei in eo* (Evangelio) *revelatur, ex fide in fidem*, oſtendit neminem abſque fide Chriſti vivere poſſe vitâ ſpiritali & æternâ. Et paulò poſt: „ Ex præſentis vitæ nequitia, inquit, non „ alio modo liberamur, quàm per fidem. Sic omnes priſci illi viri claruere; ſic Abraham, ſic Iſaac, ſic Jacob, ſic & meretrix ſalutem „ conſecuta eſt, & in veteri, & in novo teſtamento.“ Et hom. 7. num. 1: „ Apoſtolus accuſavit Gentiles, accuſavit Judæos: conſequens erat ut „ deinceps loqueretur de juſtitia quæ eſt per fidem. Si enim lex naturalis nihil juvit, nec quid ampliùs fecit lex ſcripta, ſed utraque iis, „ qui illis non ut par erat uſi ſunt, oneri fuit, & majori ſupplicio „ dignos illos oſtendit, neceſſaria demum eſt ſalus illa quæ per gratiam „ paritur.“ Et num. 2: „ Non dixit (juſtitia Dei) data eſt, ſed *manifeſtata eſt*, innovationis accuſationem reſecans. Nam quod manifeſtatum eſt, & vetus & abſconditum fuiſſe declaratur. Neque hoc „ ſolum, ſed etiam ſequentia oſtendunt hoc novum non eſſe. Cùm „ enim dixiſſet, *manifeſtata eſt*, ſubjunxit, *teſtificata à lege & Prophetis.* „ Etenim ne, quia nunc data eſt, inquit, neve, quaſi res nova & peregrina ſit, turberis. Jam olim enim illam & lex & Prophetæ prædixerunt.“ Idem inculcat & confirmat in decurſu hujus homiliæ, & in homilia ſequente.

Demum nuſquàm eloquentiorem ſe exhibet S. ille Doctor, quàm ubi invehitur in Gentiles Philoſophos, quos deſcribit velut Dei inimicos, ſervos diaboli, omni vitiorum genere ſub falſâ virtutis umbra maculatos, quorum vel ipſa ſapientia abominationi nobis eſſe debeat. Vide homiliam 3am in Epiſtolam ad Romanos, ſuper illud: *Revelatur ira Dei ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem*

 Dei

Digitized by Google

Dei in injuſtitia detinent, & Sermonem 2um in ſanctum martyrem Babylam.

S. Hieronymus, lib. 4 in Ezechielem, cap. 13: „ Pythagoras, inquit, Zeno, à quo Stoici, Indorum Brachmanes, & Æthiopum Gymnoſophiſtæ, ob victûs continentiam miraculum ſui gentibus tribuunt, „ rectèque dicuntur parietem linire, & aliquam fortitudinem polliceri; „ ſed quia Chriſti non habent condimentum, vanus eſt eorum labor, „ & peritura ædificatio. *Niſi* enim *Dominus ædificaverit civitatem, in* „ *vanum laborant qui ædificant eam.*" Et lib. 1 Comment. in Epiſt. ad Galatas, cap. 2, in hæc verba, *non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti*, ſic loquitur: „ Aiunt quidam, ſi verum hoc „ ſit quod Paulus affirmat, ex operibus legis neminem juſtificari, ſed „ ex fide Jeſu Chriſti, Patriarchas, & Prophetas, & ſanctos qui ante „ adventum Chriſti fuerunt, imperfectos fuiſſe. Quos admonere debemus eos hic dici juſtitiam non conſecutos, qui tantùm ex operibus „ juſtificari poſſe ſe credunt: ſanctos autem qui antiquitùs fuerint, ex „ fide Chriſti juſtificatos; ſiquidem Abraham vidit diem Chriſti & lætatus eſt, & Moyſes majores divitias æſtimavit theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti, & Eſaïas vidit gloriam Chriſti &c."

S. Auguſtinus hoc dogma copioſiùs ac profundiùs adſtruere coactus eſt, ad confutandos Pelagianos. Ac primùm quidem fidem Eccleſiæ Catholicæ, quam adverſus illos defendebat, ſic exponit lib. *de Peccato originali*, cap. 24. num. 28: „ Sine iſta fide, hoc eſt, ſine fide unius „ mediatoris Dei & hominum hominis Chriſti Jeſu, ſine fide, inquam, „ reſurrectionis ejus, quam Deus omnibus definivit, quæ utique ſine „ incarnatione ejus & morte non poteſt veraciter credi, ſine fide ergo „ incarnationis, & mortis, & reſurrectionis Chriſti, nec antiquos juſtos, ut juſti eſſent, à peccatis potuiſſe mundari & Dei gratiâ juſtificari, *veritas Chriſtiana non dubitat*, ſive in eis juſtis quos ſancta „ Scriptura commemorat, ſive in eis juſtis quos quidem illa non commemorat, ſed tamen fuiſſe credendi ſunt, vel ante diluvium, vel inde uſque ad legem datam, vel ipſius legis tempore, non ſolùm in filiis Iſraël, ſicut fuerunt Prophetæ, ſed etiam extra eumdem populum, ſicut fuit Job: & ipſorum enim corda eâdem mundabantur fide."

Deinde, cap. 26. num. 31, iſtud fidei Chriſtianæ fundamentum aſſerens: „ Quis, inquit, audeat dubitare Chriſtianus, etiam illos juſtos, „ qui recentioribus generis humani temporibus Deo placuerunt, ideò „ in reſurrectionem vitæ æternæ, non mortis æternæ, eſſe venturos, „ quia in Chriſto vivificabuntur; ideò autem vivificari in Chriſto, quoniam ad corpus pertinent Chriſti; & ideò pertinere ad corpus Chriſti, „ quia & ipſis caput eſt; ideò & ipſis caput eſſe Chriſtum, quia unus „ mediator eſt Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus? Quod in eis non „ fuiſſet, niſi in ejus reſurrectionem per ejus gratiam credidiſſent: &

„ hoc

„ hoc quomodò fieret, ſi cum in carne venturum eſſe neſciſſent, neque „ ex hac fide piè ſanctèque vixiſſent? Nam ſi propterea illis non profuit incarnatio Chriſti, quia nondum facta erat, nec nobis proderit „ judicium Chriſti de vivis & mortuis, quia nondum factum eſt."

In Tractatu 45 in Joann. num. 9, ſic loquitur S. Doctor: „ Ante adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, quo humilis venit in carne, præceſſerunt juſti, ſic in eum credentes venturum, quomodò nos credimus in eum qui venit. Tempora variata ſunt, non ipſa fides: quia „ & ipſa verba pro tempore variantur, cum variè declinantur. Alium „ ſonum habet, *venturus eſt*, alium ſonum habet, *venit*: mutatus eſt „ ſonus, *venturus eſt*, & *venit*; eadem tamen fides utroſque conjungit, „ & eos qui venturum eſſe, & eos qui eum veniſſe crediderunt. Diverſis quidem temporibus, ſed utroſque per unum fidei oſtium, hoc „ eſt, per Chriſtum videmus ingreſſos. Nos credimus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum natum ex Virgine, veniſſe in carne, paſſum eſſe, „ reſurrexiſſe, in cœlum aſcendiſſe..... In ejus ſunt fidei ſocietate nobiſcum & illi Patres, qui crediderunt de Virgine naſciturum, paſſurum, reſurrecturum, in cœlum aſcenſurum...... In ſignis diverſis eadem fides, quomodò in verbis diverſis."

Nihil deſiderari poteſt iſtis S. Doctoris textibus luculentius. Declarat 1° eamdem, quæ in nobis eſt, fidem in omnibus antiquis juſtis, ſive ante legem, ſive legis ipſius tempore, viguiſſe. Declarat 2° hanc fidem non eſſe tantummodò qualemcunque fidem unius Dei, ſed fidem in Chriſtum mediatorem, in carne venturum, paſſurum, reſurrecturum, in cœlum aſcenſurum. Declarat 3° abſque hac fide neminem juſtificari poſſe, vel unquam potuiſſe. Declarat 4° veritatem Chriſtianam de his nequaquam dubitare. Verùm, quaſi prævidens illorum effugium, qui quandoque dicturi erant fidem priſcis temporibus ad ſalutem requiſitam, fuiſſe duntaxat fidem Dei creatoris, remuneratoris & vindicis, non autem fidem in Chriſtum mediatorem, illud omnino præcludit in Epiſtola 157, al. 89, ad Hilarium, cap. 3. num. 14, his verbis: „ Ut ſciamus etiam antiquos juſtos, quicunque eſſe potuerunt, nonniſi per „ eamdem fidem liberatos, per quam liberamur & nos, fidem ſcilicet „ incarnationis Chriſti, quæ illis prænuntiabatur, ſicut nobis facta annuntiatur, ideò idem (S. Paulus), ubi ait: *Sicut per unius delictum* Rom. V. „ *in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes* „ *homines in juſtificationem vitæ*, Chriſtum hominem dicit, cum ſit & „ Deus, ne quis exiſtimet antiquos juſtos per Deum tantummodò Chriſtum, hoc eſt, per Verbum quod erat in principio, non etiam per fidem incarnationis ejus, quâ & homo Chriſtus dicitur, potuiſſe liberari. Unde & Apoſtolus dicit: *Habentes autem eumdem ſpiritum fidei*, 2 Corinth. IV. 13. „ *propter quod ſcriptum eſt: Credidi propter quod locutus ſum, & nos credimus, propter quod & loquimur.* Non diceret, *eumdem ſpiritum fidei*, „ niſi

Digitized by Google

„ niſi admonens etiam antiquos juſtos habuiſſe ipſum ſpiritum fidei,
„ hoc eſt, incarnationis Chriſti.“ Quapropter frequentiſſimè inculcat
omnes juſtos, qui ante Chriſti adventum in carne vixerunt, etſi non-
dum nomine, reipſâ tamen fuiſſe Chriſtianos, novi teſtamenti hæredes,
corporis Chriſti & Eccleſiæ membra, idque cenſet, poſt S. Ambroſium,
egregiè præfiguratum fuiſſe in ortu nonnullorum Patriarcharum. Sic
v. g. loquitur lib. *de Catechizandis rudibus*, cap. 19. num. 33: „ Cu-
„ jus Eccleſiæ membra erant etiam illi ſancti, quanquam in hac vita
„ fuerint antequàm ſecundùm carnem Chriſtus Dominus naſceretur.....
„ Sed velut totus homo, dum naſcitur, etiamſi manum in naſcendo præ-
„ mittat, tamen univerſo corpori ſub capite conjuncta atque compacta
„ eſt; quemadmodùm etiam nonnulli in ipſis Patriarchis ad hujus rei
„ ipſius ſignum manu præmiſſâ nati ſunt: ita omnes ſancti, qui ante
„ Domini noſtri Jeſu Chriſti nativitatem in terris fuerunt, quamvis
„ ante nati ſunt, tamen univerſo corpori, cujus ille caput eſt, ſub ca-
„ pite cohæſerunt.“ Qui plura hanc in rem S. Doctoris teſtimonia vo-
lent, legant Epiſt. 190, al. 159, ad Optatum, cap. 2. num. 5; lib. 10
Al. Serm. 45 de Diverſis. *Confeſſionum*, cap. 43. num. 68; Serm. 4. cap. 11; Serm. 19. num. 3;
Al. Serm. 60 de Verbis Domini. Serm 143: cap. 1; lib. *de Peccato originali*, cap. 25. num. 29; lib. 2
de Nuptiis & concupiſcentiâ, cap. 11. num. 24; lib. 1 *contra duas Epiſ-
tolas Pelagianorum*, cap. 21. num. 39; & lib. 3. cap. 4. num. 11; lib.
de Patientiâ, cap. 21. num. 28; lib. 10 *de Civitate Dei*, cap. 25; lib.
1 *contra Adverſarium legis & Prophetarum*, cap. 17. num. 35; lib. 1
Op. imperf. cap. 124, & lib. 6. cap. 11; Enarrat in pſalmum 50. num. 17.

Auctor *Hypognoſticon*, lib. 3. cap. 14: „ Omnes ſancti Dei, inquit,
„ ..... qui ante adventum fuerunt incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſ-
„ ti, fide non aliâ, niſi quæ nunc eſt, ſalvi facti ſunt.“ Et allato eam
in rem S. Pauli teſtimonio ex Epiſtola ad Hebræos, ſic pergit: „ Sed
„ non ſolâ fide, immo & gratiâ, nec gratiâ ſine fide, dicente Apoſtolo
1 Timoth. I. 14. „ ad Timotheum: *Superabundavit gratia Domini noſtri, cum fide & di-
„ lectione quæ eſt in Chriſto Jeſu......* Ait iterum Paulus ad Hebræos:
Hebr. XIII. 8. „ *Jeſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula.* Tempora itaque mu-
„ tata ſunt, non fides. Juſtificatio ergo per fidem Jeſu Chriſti data eſt,
„ datur, dabitur credentibus.“

S. Proſper, in *Reſponſione ad capitula Gallorum*, object. 8: „ Nec aliâ
„ gratiâ, inquit, & aliâ fide quemquam hominum, ſive ante legem,
„ ſive legis tempore, juſtificatum eſſe credendum eſt, quàm hâc eâdem,
„ per quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus venit quærere & ſalvare quod
„ perierat.“ Quemadmodùm igitur nunc nemo juſtificatur abſque fide
incarnationis, paſſionis & reſurrectionis Chriſti, ita ſine hac eadem fide
nemo quovis tempore juſtificari potuit. Et in pſalmum 104. 15, expo-
nens hæc verba, *nolite tangere Chriſtos meos*, obſervat „ ideò juſtos
„ jam tunc dictos fuiſſe Chriſtos Dei, cùm adhuc in uſu chriſma non
„ eſ-

Digitized by Google

„ eſſet, quia & ipſi in ea vivebant fide, quæ erat noviſſimis tempori-
„ bus revelanda. Ab initio enim, inquit, omnibus ſanctis non niſi in
„ Chriſto juſtificatio fuit.“ Idem inculcat in pſalmum 118, v. 166.

Eamdem veritatem tanquam capitale religionis fundamentum adſtruit S. Leo magnus. En ipſius verba, Serm. 10 de Nativitate Domini, cap. 7: „ Omnes ſancti, qui Salvatoris noſtri tempora præceſſerunt,
„ per hanc fidem (incarnationis) juſtificati, & per hoc ſacramentum
„ Chriſti ſunt corpus effecti, expectantes univerſalem credentium Redemp-
„ torem in ſemine Abrahæ..... Etiam illa ſæcula, quæ diluvium præ-
„ venerunt, huic ſacramento fuerunt connexa, & omnes ab initio ſuc-
„ ceſſionum gradus ad eum, in quo uno erat ſalus omnium, tetende-
„ runt. NON ERGO DUBITANDUM EST QUIA PRÆTER CHRIS-
„ TUM NON EST ALIUD NOMEN SUB CŒLO DATUM HOMINI-
„ BUS, IN QUO OPORTEAT NOS SALVOS FIERI.“

Serm. 1 in Paſſione Domini, cap. 1, docet incarnationis myſterium, etſi tardiùs peractum, non ſubſecutis duntaxat temporibus profuiſſe, ſed in præcedentia quoque refuſum fuiſſe. „ Omnis prorſus antiquitas co-
„ lentium Deum verum, inquit, omnis numerus apud ſæcula priora
„ ſanctorum ſacrà fide (hujus myſterii) vixit & placuit; & neque Pa-
„ triarchis, neque Prophetis, neque cuiquam omnino ſanctorum, niſi
„ in redemptione Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſalus & juſtificatio fuit,
„ quia, ſicut expectabatur multis Prophetarum oraculis ſigniſque pro-
„ miſſa, ita etiam eſt ipſo munere atque opere præſentata.“

Diſertiùs adhuc loquitur Serm. 14 de Paſſione Domini, cap. 2. „ Hoc
„ conſilium miſericordiæ & juſtitiæ Dei, inquit, licet in præteritis
„ ſæculis quibusdam velaminibus fuerit obumbratum, non tamen ita
„ obtectum eſt, ut ſanctorum, qui ab initio uſque ad adventum Do-
„ mini laudabiles extiterunt, intellectui negaretur; cùm & Propheticis
„ verbis, & geſtarum rerum ſignificationibus, ſalus quæ in Chriſto erat
„ ventura promiſſa ſit, quam non ſolùm qui prædicabant adepti ſunt,
„ ſed omnes etiam qui prædicantibus crediderunt. Una enim fides juſ-
„ tificavit univerſorum temporum ſanctos; & ad eamdem ſpem fide-
„ lium pertinet quidquid per mediatorem Dei & hominum Jeſum Chriſ-
„ tum, vel nos credimus factum, vel patres noſtri adoraverc facien-
„ dum: nec inter Judæos & Gentiles ulla eſt diſtinctio.“

Denique, Serm. 3 de Nativitate Domini, cap. 4: „ Verbi incarna-
„ tio hoc contulit facienda quod facta, & ſacramentum ſalutis huma-
„ næ in nulla unquam antiquitate ceſſavit. Quod prædicaverunt Apoſ-
„ toli, hoc annuntiaverunt Prophetæ, nec ſerò eſt impletum quod ſem-
„ per eſt creditum..... Non itaque novo conſilio Deus rebus humanis,
„ nec ſerâ miſeratione conſuluit; ſed à conſtitutione mundi unam eam-
„ demque omnibus cauſam ſalutis inſtituit. Gratia enim Dei, quâ ſem-
„ per eſt univerſalitas juſtificata ſanctorum, aucta eſt Chriſto naſcen-

„ te,

„ te, non cœpta; & hoc magnæ pietatis ſacramentum, quo totus jam „ mundus impletus eſt, tam potens etiam in ſuis ſignificationibus fuit, „ ut non minùs adepti ſint qui in illud credidere promiſſum, quàm qui „ ſuſcepere donatum.“

A S. Leone non ſejungemus S. Gregorium magnum, qui & ipſe B. Petri ſedem ſingulari ſanctitate & doctrinæ copia plurimùm illuſtravit. Is in lib. 2 in Ezechielem, hom. 17, hæc ait: „ Quia omnes electi, „ ſive qui in Judæa eſſe potuerunt, ſive qui nunc in Eccleſia exiſtunt, „ in Mediatorem Dei & hominum crediderunt & credunt, qui præeunt „ & qui ſequuntur *hoſanna* clamant. *Hoſanna* autem Latinâ linguâ, „ *ſalva nos*, dicitur. Ab ipſo enim ſalutem & priores quæſierunt, & præ„ ſentes quærunt, & benedictum qui venit in nomine Domini confi„ tentur, quoniam una ſpes, una fides eſt præcedentium atque ſequen„ tium populorum. Nam ſicut illi expectatâ paſſione & reſurrectione „ ejus ſanati ſunt, ita & nos prœteritâ paſſione illius, ac permanente „ in ſæcula reſurrectione ſalvamur.“

Tom. 2 pag. 1282.

Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis, in libro adverſus Fridegiſum Arianum, cap. 16, graviter illum reprehendit quòd juſtos qui ante Chriſtum incarnatum vixerunt Chriſtianos fuiſſe negaret. „ Affirmare niti„ mini, inquit, Chriſtianos non fuiſſe omnes ſanctos Patriarchas & „ Prophetas, Reges & Sacerdotes in veteri teſtamento, dicentes nobis: „ *Si eos Chriſtianos dicendo, eos eſſe affirmare vultis, multum eſt abſur*„ *dum ut Chriſtiani eſſent priusquàm Chriſtus.* Ecce quibus verbis ne„ gatis ſanctos veteris teſtamenti Chriſtianos fuiſſe..... Credite quia ſi „ dixiſſetis, non dicebantur Chriſtiani, parva forſitan eſſet blaſphemia. „ Cùm autem dicitis, *non erant Chriſtiani*, injuſtè tantam multitudinem „ ſanctorum blaſphematis.“ Porro manifeſtum eſt juſtos adventu Chriſti in carne antiquiores dici non poſſe Chriſtianos, niſi quia per fidem in Chriſtum incarnandum juſtitiam & ſalutem conſecuti fuerunt. Quamobrem addit Agobardus, ibid. num. 21: „ Ipſe (Chriſtus) pretioſo ſan„ guine ſuo & nos & illos, Patriarchas ſcilicet Prophetas, de male„ dicto legis redemit. Omnes enim ex fide Chriſti juſtificati ſunt.“

Edit. Baluzii tom. 1. pag. 183.

Pag. 191.

Paſchaſius Ratbertus, lib. 5 in Matthæum, cap. 8: „ Nemo putet, „ inquit, quia ſine Chriſto ad Deum pervenire poſſit...... Ad Chriſtum „ autem non niſi fide venitur, quæ fides poteſt contingere ad ſalutem.“ Et lib. 10: „ Omnes ſancti veteris teſtamenti, qui ab initio ſæculi „ fuerunt, ad has pertinent nuptias, quas per fidem, etſi à longè, con„ ſpexerunt, quicunque Chriſtum pro ſalute humani generis venturum in „ carne crediderunt.“

In celebri controverſiâ circa gratiam, motâ IX ſæculo, utraque pars contendentium in hanc doctrinam, tanquam certam & indubitatam, conſentiebant. Una ex parte Hincmarus eam latè probat, in Tractatu *de Prædeſtinatione*, cap. 32, auctoritate SS. Ambroſii, Auguſtini, Leonis

&

Digitized by Google

& Gregorii magni. Ex altera verò S. Remigius & Eccleſia Lugdunenſis eamdem profitentur, lib. *de Tribus Epiſtolis*, cap. 18. „ Unum eſt, „ inquiunt, quod nos & FIDELISSIMÈ CREDIMUS, ET VERISSIMÈ „ NOVIMUS, quoniam ſolos ex his, qui ab exordio mundi usque ad paſ- „ ſionem ejus (Chriſti) extiterunt, eâdem paſſione ſuâ redemiſſe & ſal- „ vaſſe, atque ab inferni clauſtris eduxiſſe credendus eſt, qui & fideliter „ eum ſperaverunt venturum, & fideliter per eum redemptionem & li- „ berationem ad ſalutem ſe accepturos eſſe crediderunt, ſanctos videli- „ cet Patriarchas & Prophetas, & cæteros juſtos.“ Et in libro *de Tenenda veritate Scripturæ*, cap. 12: „ Quid verò dicendum de tanta mul- „ titudine impiorum, qui fuerunt ab exordio mundi usque ad adventum „ Chriſti? Et adhuc non negandi ſunt eſſe in extremis partibus orbis „ terræ, ad quos nullus unquam prædicator acceſſit, qui nullum un- „ quam verbum fidei audierunt, qui utique nullatenus potuerunt cre- „ dere ei quem non audierunt, neque audire ſine prædicante, nec præ- „ dicatorem recipere, qui nullus ad eos miſſus eſt? Numquid & tales „ propterea damnabuntur, quia non crediderunt quod nunquam audire „ potuerunt? Et tamen omnino damnabuntur pro aliis peccatis ſuis, & „ principaliter pro illo primo & originali peccato in quo omnes pecca- „ verunt, quia non fruſtra ſcriptum eſt: *Effunde iram tuam in gentes* „ *quæ te non noverunt, & in regna quæ nomen tuum non invocave-* „ *runt.*“

Igitur perpetuâ, conſtanti & uniformi ſanctorum Patrum traditione conſtat, neminem quolibet tempore ac loco juſtitiam conſequi, damnationemque æternam evadere poſſe aut potuiſſe, niſi per fidem in Chriſtum redemptorem.

Probatur III° definitionibus Conciliorum.

Concilium Valentinum III, can. 4, ſic definit: „ Illud nobis ſimpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, juxta Evangelicam & Apoſtolicam veritatem, ut pro illis hoc datum pretium (ſanguinis „ Chriſti) teneamus, de quibus ipſe Dominus noſter noſter dicit: *Si-* „ *cut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium* „ *hominis, ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam* „ *æternam: ſic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum* „ *daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æter-* „ *nam.*“ Nemo igitur partæ nobis per Chriſtum ſalutis particeps eſt aut unquam fuit, niſi in Chriſtum ipſum credat. Argumentum ex conciliis Valentino & Tridentino.

Idem locupletiſſimè atque à fundamentis decernit concilium Tridentinum. Seſſ. VI *de Juſtificatione*, capite 1, ſtatuit poſt Adami prævaricationem, quæ in omnes ejus poſteros tranſivit, „ omnes homines..... „ usque adeò ſervos fuiſſe peccati, & ſub poteſtate diaboli ac mortis, „ ut non modò gentes per vim naturæ, ſed ne Judæi quidem per ipſam „ etiam litteram legis Moyſi, inde liberari aut ſurgere poſſint.“ Cap. 2 de-

declarat ideò Deum miſiſſe Filium ſuum „ Chriſtum Jeſum, & ante le-
„ gem & legis tempore multis ſanctis Patribus declaratum ac promiſ-
„ ſum,..... ut & Judæos qui ſub lege erant redimeret, & gentes, quæ
„ non ſectabantur juſtitiam, juſtitiam apprehenderent, atque omnes ad-
„ optionem filiorum reciperent:" huncque Filium ſuum incarnatum ac
paſſum „ propoſuiſſe propitiationem PER FIDEM IN SANGUINE EJUS
„ pro peccatis noſtris." Declarat, cap. 3, merita mortis Chriſti eis dun-
taxat applicari, qui in ipſo renaſcuntur. „ Verum, inquit, etſi ille pro
„ omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium reci-
„ piunt, ſed ii duntaxat quibus meritum paſſionis ejus communicatur.
„ Nam ſicut reverâ homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſceren-
„ tur, non naſcerentur injuſti, ita, niſi in Chriſto renaſcerentur,
„ non juſtificarentur." Capite 6, deſcribens varios gradus quibus ad
juſtitiam per paſſionem Chriſti nobis promeritam pervenitur, primum om-
nium declarat eſſe fidem in Chriſtum redemptorem, fiduciamque ſalutis
per ejus merita impetrandæ. „ Diſponuntur, inquit, ad ipſam juſti-
„ tiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu conci-
„ pientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitùs
„ revelata & promiſſa ſunt, atque illud imprimis, à Deo juſtificari im-
„ pium per gratiam ejus, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu;
„ & dum, peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timore, quo
„ utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe conver-
„ tendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum pro-
„ pitium fore." Capite 7 declarat baptiſmum eſſe *ſacramentum fidei*
(in Chriſtum), SINE QUA, inquit, NULLI UNQUAM CONTIGIT
JUSTIFICATIO. Denique, cap. 8, declarat, „ cum Apoſtolus dicit juſ-
„ tificari hominem per fidem & gratis, ea verba in eo ſenſu intelligen-
„ da eſſe, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit & ex-
„ preſſit: ut ſcilicet per fidem ideò juſtificari dicamur, quia fides eſt
„ humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis,
„ ſine qua impoſſibile eſt placere Deo & ad filiorum ejus conſortium
„ pervenire.

His Concilii œcumenici decretis propoſitio noſtra ineluctabiliter de-
monſtratur. Definit quippe ſynodus 1° fidem adeò neceſſariam eſſe ad juſ-
titiam & ſalutem conſequendam, ut *ſine illa nulli unquam contigerit
juſtificatio.* 2°. Neceſſitatem illam fundari in peccato ipſo originali, quo
facti ſumus omnes immundi, injuſti, ſervi peccati, ſub poteſtate diabo-
li, à qua ſervitute nec per legem naturalem, nec per ipſam legem ſcrip-
tam poſſumus liberari. 3°. Fidem illam quovis tempore neceſſariam,
non eſſe tantummodò fidem in Deum divinamque providentiam, ſed fi-
dem propriè dictam in Chriſtum redemptorem, & *ex auditu conceptam*,
quâ firmiter credantur *quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt, atque il-
lud imprimis, juſtificari hominem per fidem, per redemptionem quæ eſt in
Chris-*

Chriſto Jeſu, & per quam peccator in ſpem erigatur, confidens Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore.

Probatur IV° judicio ſummorum Pontificum & Cleri Gallicani.

Argumentum ex judicio SS. Pontificum & Cleri Gallicani.

Inter plurimas alias propoſitiones ab Innocentio Papa XI jam damnatas, tres ſequentes denuò proſcripſit Clerus Gallicanus in Comitiis anni 1700: 13am. *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicitè Mediatoris.* 14am. *Fides latè dicta, ex teſtimonio creaturarum ſimilive motivo, ad juſtificationem ſufficit.* 15am. *Abſolutionis capax eſt homo, quantùmcunque laboret ignorantiâ myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis & incarnationis Domini.* En cenſura à ſacro Conventu lata: *Hæ tres propoſitiones, in Deum remuneratorem & in Chriſti mediatoris nomen contumelioſæ, ſunt erroneæ & hæreticæ.*

Illuſtriſſimum etiam huic catholico dogmati teſtimonium perhibuerunt centum Galliarum Epiſcopi, in Expoſitione doctrinæ promulgatâ anno 1720, quod in proemio hujus noſtræ propoſitionis integrum deſcripſimus.

Probatur V° ex confeſſione ipſorummet Semipelagianorum.

Argumentum ductum ex confeſſione Semipelagianorum.

Quamvis enim Fauſtus circa hoc fidei dogma à Pelagianorum impietate non receſſerit, cæteri tamen, illique imprimis de quibus loquuntur S. Proſper & Hilarius in Epiſtolis ad S. Auguſtinum, ultrò confitebantur nemini abſque fide Chriſti ſalutem contingere. Cum enim, ad refellendum illorum de gratia in omnes homines generaliter effuſa errorem, opponebantur eis plurimarum gentium exempla, ad quas vel olim, vel etiamnum fidei prædicatio non pervenit, nequaquam reſpondebant gentes illas abſque fide Chriſti ad ſalutem pervenire poſſe, aut aliquando potuiſſe; ſed, agnoſcendo neminem abſque illa fide ſalutem conſequi, „ præviſos inquiebant à Domino credituros, & ad unamquamque gentem ita diſpenſata tempora ac miniſteria magiſtrorum, ut exoritura erat bonarum credulitas voluntatum," ut teſtatur S. Proſper, Epiſt. inter Auguſtinianas 225, num. 5: ſeu, ut habet Hilarius, Epiſt. 226, num. 3, „ id præſcientiæ eſſe divinæ, ut eo tempore & ibi & illis veritas annuntiaretur vel annuntietur, quando & ubi prænoſcebatur eſſe credenda." Adeò certum erat in Eccleſia, poſt humani generis communem ruinam, fidem in Chriſtum mediatorem abſolutè neceſſariam eſſe ad juſtitiam ſalutemque impetrandam.

Probatur VI° ex conſenſu Theologorum.

Argumentum petitum à conſenſu Theologorum.

Cæterorum agmen ducit Magiſter Sententiarum, lib. 3, diſt. 25, ſic loquens: „ Sine fide Mediatoris nullum hominem, vel ante, vel poſt adventum Chriſti fuiſſe ſalvum, ſanctorum auctoritates conteſtantur:" laudatiſque SS. Auguſtino & Gregorio magno: „ His, ait, aliiſque pluribus teſtimoniis perſpicuè docetur nulli unquam ſalutem eſſe factam, niſi per fidem Mediatoris. Quid ergo, addit, dicetur de illis ſim-

Digitized by Google

„ plicibus, quibus revelatum non erat myſterium incarnationis, qui piè „ tenebant quod eis traditum fuit? Dici poteſt nullum fuiſſe juſtum vel „ ſalvum, cui non eſſet facta revelatio diſtincta, vel velata, vel in aper- „ to, vel in myſterio.“ Teſtatur prætereà ſcholas omnes hoc in capite conſenſiſſe, diſputatumque fuiſſe tantummodò de majore vel minore diſtinctione hujus fidei; aliis quidem aſſerentibus requiſitam ſemper fuiſſe fidem diſtinctam incarnationis, paſſionis & reſurrectionis Chriſti, aliis verò opinantibus ſufficere abſolutè potuiſſe eam fidem, *qua Filius Dei crederetur naſciturus de homine*, & *judicaturus* omnes homines. Quamobrem ſuperfluum foret plures Theologos hîc in medium proferre. Audiendus tamen eſt Angelicus Doctor, cujus auctoritas cæterorum omnium ſuffragio multùm præcellit.

Sic loquitur S. Doctor, 1. 2. quæſt. 106. art. 1. ad 3: „ Nullus un- „ quam habuit gratiam Spiritûs ſancti, niſi per fidem Chriſti explicitam „ vel implicitam:“ id eſt, magis minùſve diſtinctam. „ Per fidem au- „ tem Chriſti pertinet homo ad novum teſtamentum. Unde quibus- „ cunque fuit lex gratiæ indita, ſecundùm hoc ad novum teſtamen- „ tum pertinebant.“ Et quæſt. 107, art. 1. ad 3um: „ Illi qui in ve- „ teri teſtamento Deo fuerunt accepti per fidem, ſecundùm hoc ad no- „ vum teſtamentum pertinebant: non enim juſtificabantur niſi per fi- „ dem Jeſu Chriſti, qui eſt auctor veteris teſtamenti.“ Ne quis autem ſibi fingat Doctorem Angelicum per fidem Chriſti implicitam intellexiſſe qualemcunque Dei unius & veri cognitionem, non verò Chriſti mediatoris fidem propriè dictam, ex revelatione hauſtam, audiamus quid dicat part. 3. quæſt. 6. art. 3. ad 3um. „ De plenitudine Chriſti, inquit, om- „ nes homines accipiunt, ſecundùm fidem quam habent in ipſum. Di- „ citur enim, Roman. III, quòd *juſtitia Dei eſt per fidem Jeſu Chriſti in* „ *omnes & ſuper omnes qui credunt in ipſum.* Sicut autem nos credimus „ in ipſum ut in jam natum, ita antiqui crediderunt in ipſum ut in na- „ ſciturum. Habentes enim eumdem ſpiritum fidei, credimus, ut dici- „ tur 2 ad Corinth. IV. Habet autem fides quæ eſt in Chriſtum virtu- „ tem juſtificandi ex propoſito gratiæ Dei. Unde, quia hoc propoſitum „ eſt æternum, nihil prohibet per fidem Jeſu Chriſti aliquos juſtificari, „ etiam antequàm ejus anima eſſet plena gratiâ & veritate.“ Et quæſt. 68. art. 1 ad 1: „ Nunquam homines potuerunt ſalvari, etiam ante „ Chriſti adventum, niſi fierent membra Chriſti, ut dicitur Actuum IV: „ *Non eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Sed „ ante adventum Chriſti homines Chriſto incorporabantur per fidem fu- „ turi adventûs, cujus fidei ſignaculum erat circumciſio, ut Apoſtolus „ dicit, Rom. IV. Ante verò quàm circumciſio inſtitueretur, ſolâ fide, „ ut Gregorius dicit, cum ſacrificiorum oblatione, quibus ſuam fidem „ antiqui Patres profitebantur, homines Chriſto incorporabantur. Poſt „ adventum etiam Chriſti, homines per fidem Chriſto incorporantur;....

„ ſed

„ ſed alio ſigno manifeſtatur fides rei jam præſentis, quàm demonſtraba-
„ tur quando erat futura...... Et ideò, licet ipſum ſacramentum baptiſ-
„ mi non ſemper neceſſarium fuerit ad ſalutem, fides tamen, cujus
„ baptiſmus ſacramentum eſt, ſemper neceſſaria fuit."

Probatur VII° rationum momentis, quas religio ipſa & experientia ſuppeditant. Qui enim inter Catholicos opinantur eos Gentiles, qui de Chriſto nihil audierunt, abſque fide Chriſti ſalutem aſſequi poſſe, non adeò cæci & impii ſunt (ſi perpaucos excipias), ut negent cognitionem unius veri Dei neceſſariam eſſe ad juſtitiam, ſed cenſent hujuſmodi cognitionem, qualis lumine naturali comparari poteſt, aliquo ſenſu dici poſſe fidem Chriſti implicitam. Porro iſta opinio non minùs rectæ rationi quàm ſcripturæ & traditioni repugnat. Nam ſive naturam ipſam fidei ejuſque objectum, ſive cauſam illius & originem, ſive rationem propter quam illa ad juſtificationem requiritur, ſive modum quo per fidem Chriſti juſtificamur, attendas, luce clariùs conſpicitur cognitionem unius veri Dei ſolo rationis lumine uteunque acquiſitam toto cœlo differre à fide in Chriſtum, quam ad juſtitiam ſalutemque obtinendam abſolutè requiri univerſa Eccleſia ſemper profeſſa eſt. Argumentum petitum à rationibus Theologicis.

Ac primò quidem natura ipſa & objectum fidei id demonſtrant. Nam fides Chriſti, etiam implicita, ſoli divinæ revelationi, non verò ratiocinationibus conjecturiſque humanis innititur, uti obſervat S. Thomas, 2. 2. quæſt. 1. art. 1 & 3, atque idcireò firma eſt & immota, nec fluctuat in varias partes, quemadmodùm cognitiones humanæ, de quibus dicitur, Sapient. IX. 14: *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.* Experientiâ ipſâ conſtat nominatiſſimos Philoſophos, ſi quid veri de Deo rebuſque divinis cognoverunt, id non certò & indubitanter tenuiſſe, ſed opinando duntaxat atque hæſitando...... „ Errant, „ inquit Lactantius lib. 3 *Inſtitutionum*, velut in mari magno, nec quò „ feruntur intelligunt, quia nec viam cernunt, nec ducem ſequuntur." Hinc Ciceronem, magnum illum ſapientiæ inquiſitorem, ſic compellat ibidem, cap. 14: „ Tui te libri arguunt quàm nihil à Philoſophia „ diſci poſſit ad vitam. Hæc tua verba ſunt: *Mihi autem non modò ad* „ *ſapientiam cæci videmur, ſed ad ea ipſa, quæ aliqua ex parte cerni vi-* „ *deantur*, hebetes & obtuſi." Ut verò alia benè multa religionis dogmata ſilentio prætercam, certè circa quæſtiones graviſſimas de ſummo hominis bono ac fine ultimo, & de immortalitate animæ, quæ quaſi fundamenti loco ſunt toti morum diſciplinæ, prorſus caligaverunt, nihilque fixum habuerunt; adeò ut, teſte S. Auguſtino, lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 1, Varro Gentilium doctiſſimus ducentas octoginta octo Philoſophorum opiniones numeravit de ſupremo bono, ad quod omnia referenda ſunt. Et quamvis de immortalitate animæ nonnulla rectè dixerint Socrates, Plato, Tullius & aliqui alii, ſibimetipſis tamen hoc in capite conſtare nequiverunt. Ipſe Socrates morti proximus, referente

Digitized by Google

Platone in ejus Apologia, ſoli Deo id compertum eſſe dixit, non ſibi. „ Adeò ut, ait Tertullianus lib. *de Anima*, cap. 1, omnis illa tunc „ ſapientia (Socratis) de induſtria venerat conſultæ æquanimitatis, „ non de fiducia compertæ veritatis.“ Idem argumentum tractans Cicero, lib. 1 *Quæſtionum Tuſculanarum*, ſic loquitur: „ Ea quæ vis, ut „ potero, explicabo, nec tamen, quaſi Pythius Apollo, certa ut ſint „ & fixa quæ dixero, ſed ut homunculus unus è multis probabilia conjecturâ ſequens.“ Et poſteà: „ Harum ſententiarum quæ vera ſit, „ Deus aliquis viderit; quæ verisimillima, magna quæſtio eſt.“ Et rurſus: „ Neſcio quomodò, dum lego, aſſentior; cum poſui librum, „ & mecum de immortalitate animarum cœpi cogitare, aſſenſio omnis „ illa elabitur.“ Seneca ſimiliter, Epiſt. 102: „ Credebam facilè, „ inquit, rem gratiſſimam (animas ſcilicet immortales eſſe) promittentibus magis quàm probantibus.“

Jam verò objectum fidei non eſt una aut altera veritas ſolitariè ſpectata, ſejunctaque à ſuis principiis & conſectariis, ſed concatenatio ac veluti corpus quoddam plurimarum veritatum ſibi invicem arctiſſimè cohærentium, & ad ſalutem ex ſeipſis conducentium. Porro etſi concederemus veritates nonnullas, ad naturam divinam morumque regulam pertinentes, aliquibus Ethnicis Philoſophis certò compertas fuiſſe, nullus tamen illorum eſt, qui ſalutarium veritatum unionem conſenſionemque cognoverit. „ Quam ſummam, ait Lactantius lib. 7, quia „ Philoſophi non comprehenderunt, nec veritatem comprehendere potuerunt, quamvis ea ferè, quibus ſumma conſtat, & viderint & explicaverint; ſed diverſi & diverſe illa omnia protulerunt, non annectentes nec cauſas eorum, nec conſequentias, nec rationes, ut „ ſummam illam, quæ continet univerſa, & compingerent & complecterentur.“

Hoc ipſimet ſenſerunt faterique coacti ſunt, poſſibile non eſſe ad certitudinem veritatis ac beatitudinem, abſque aliqua divinitùs facta revelatione, pertingere. Aiebat Socrates, apud Platonem in ejus Apologia, fruſtra ſe laborare ad informandos hominum mores, „ niſi Deus „ curam noſtri gerens doctorem aliquem ad nos mittat.“ Idem fuſius tractabat in Dialogo cum uno è ſuis diſcipulis, apud eumdem Platonem in *Alcibiade*. Quin & ipſe Porphyrius, infenſiſſimus Chriſtianorum inſectator, confeſſus eſt, teſte S. Auguſtino, lib. 10 *de Civitate Dei*, cap. 32, nullam adhuc Philoſophorum ſectam detegere potuiſſe viam liberandarum animarum. En S. Doctoris verba: „ Cùm dicit Porphyrius, in primo de Regreſſu animæ libro, nondum receptam unam „ quamdam ſectam, quæ univerſalem contineat viam animæ liberandæ, „ vel a Philoſophia veriſſima aliqua, vel ab Indorum moribus ac diſciplina, aut inductione Chaldæorum, aut aliâ qualibet viâ, nondumque „ in ſuam notitiam eamdem viam hiſtoriali cognitione perlatam, procul „ cu-

„ dubio confitetur eſſe aliquam, ſed nondum in ſuam veniſſe notitiam. „ Ita ei non ſufficiebat quidquid de anima liberanda ſtudioſiſſimè didi-„ cerat, ſibique, vel potiùs aliis noſſe ac tenere videbatur. Sentiebat „ enim adhuc ſibi deeſſe præſtantiſſimam auctoritatem, quam de re tan-„ ta ſequi oporteat.“ Igitur, fatentibus ipſis Philoſophorum anteſignanis, humana ratio ad cognoſcendam de rebus divinis veritatem infirma eſt & cæca, indigetque divino magiſterio edoceri. Hinc illud eorum effatum, εν βυθῳ αληθειαν, *in abyſſo* ſeu *profundo veritatem* latere. Quid verò abſurdius, quid ſtultius, quàm obſcuram illam, incertam, mancam, denſiſque tenebris involutam Dei cognitionem, pro fide in Chriſtum, quâ juſtificamur, nobis obtrudere?

Demum, quod capitale eſt, fides, quam ſcripturæ ſacræ & perpetua Eccleſiæ traditio ad juſtitiam ſalutemque adipiſcendam abſolutè neceſſariam eſſe definiunt, non eſt qualiſcunque Dei unius & veri notitia, ſed fides in Chriſtum mediatorem ac liberatorem, quæ ordinis eſt longè ſuperioris. Hinc, quamvis S. Auguſtinus ex libris Platonicorum accuratiſſimè didiciſſet quidquid, de natura divina rebusque ad Deum ſpectantibus, præclarius docuerunt Philoſophi, declarat tamen, lib. 7 *Confeſſionum*, cap. 17 & 18, ſe tunc penitùs ignoraſſe unicum mediatorem Dei & hominum, viamque unicam quâ itur ad Deum, Jeſum Chriſtum Verbum carnem factum. Adeò verum eſt cognoſci poſſe quidquid Plato aliique inſigniores Gentilium Philoſophi de Deo diſſeruerunt, abſque ullo vel tenuiſſimo fidei Chriſti crepuſculo. Quid autem juvat inanem fidei ſonum retinere, ſi vim naturamque fidei deſtruas, dogmatibusque abjectis, verbis ac vocibus illudere? Certè Paulus Apoſtolus, deſcribens qualis omnium gentium ante prædicationem Evangelicam ſtatus fuerit, ſic eos in perſona Epheſiorum alloquitur, Eph. II. 12: *Memores eſtote quòd aliquando vos gentes in carne eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati à converſatione Iſraël, & hoſpites Teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo.* En quid ſentire debemus de omnibus quorumcunque temporum hominibus, ad quos myſteriorum Chriſti revelatio non pervenit.

Et ſanè, ſi inane fidei ſimulacrum quod in Hæreticis remanet, reſpectu eorum dogmatum in quibus cum Catholicis conſentiunt, non eſt vera fides, nec juſtitiæ percipiendæ capax, quantò minùs ſufficit qualiſcunque Dei notitia ſolo rationis lumine comparata?

2°. Cauſa & origo fidei juſtificantis idem evincit. Conſtat enim fidem quâ juſtificamur eſſe donum gratiæ Dei, nec ſolis naturæ viribus haberi poſſe: alioquin per ſolas naturæ vires poſſet homo juſtitiam ſalutemque conſequi; quod ſentire apertè Pelagianum eſt. Atqui cognitio unius & veri Dei ejusque providentiæ, quæ per contemplationem rerum creatarum, aliove ſimili modo comparari poteſt, non eſt gratiæ ſupernaturalis donum, ſed mera intellectûs operatio. Quonam igitur pacto cenſeri po-

Digitized by Google

poteſt illa fides, per quam ad ſalutem pervenitur? Et certè, ſi lex ipſa à Deo per Moyſen data neminem ad juſtitiam perducere potuit, ut docent Scripturæ ac SS. Patres, à fortiori nec unius veri Dei ſummè providi cognitio ſolo naturali lumine acquiſita id præſtare poterit.

3°. Idem patebit, ſi cauſam attendamus propter quam fidei in Chriſtum neceſſitas aſſeritur. Non aliam aſſignant ſcripturæ ſacræ, quàm peccatum originale, per quod univerſum genus humanum Deo exoſum opus habet mediatore, per quem cum Deo reconcilietur, peccato mancipatum opus habet liberatore ac redemptore, per quem à peccati dæmoniſque ſervitute eruatur, vulneratum & infirmum opus habet medico per quem ſanetur. Non ergo ſatis eſt noſſe unum eſſe Deum ſummè providum, niſi etiam agnoſcatur & requiratur mediator, liberator, redemptor ac medicus generis humani. Qui veritatem adeò perſpicuam negant, eo ipſo demonſtrant ignorare ſe.quanta per peccatum originis contracta ſit naturæ perverſitas, corruptio & infirmitas.

4°. Modus ipſe, quo per fidem juſtificamur, eamdem veritatem manifeſta in luce ponit. Modus ille pleniùs exponetur lib. VI, ubi de juſtificatione ex profeſſo tractabitur. Impræſentiarum ſufficiet quædam præcipua delibare. Juſtitia quâ indigemus in duobus potiſſimùm conſiſtit, ſcilicet in reconciliatione cum Deo ac remiſſione peccatorum, & in conſtanti mandatorum obſervatione. Cùm enim per peccatum originale, & per peccata actualia quæ addidimus, iram Dei provocaverimus, nullus deinceps patet nobis aditus ad Deum, niſi Deo ipſo placato & delictorum veniam largiente. Quin etiam, juſtitiâ ipſâ recuperatâ, perſeverare in illa præ infirmitate non valemus, niſi quotidiano ac medicinali adjutorio jugiter roboremur, & adjuvemur ad implenda mandata. Demum divinæ juſtitiæ ratio exigit ut, peccatores nos eſſe intelligentes, humiliemur ſub potenti manu Dei, ut peccatorum noſtrorum pondus graviſſimum ſentiamus ac defleamus, ut terribilem Dei vindictam cervicibus noſtris imminentem perpetuò reformidemus, donec nobis certò conſtet Deum eſſe placatum per aliquem Mediatorem ac Pontificem ipſi acceptiſſimum, qui & peccatorum veniam, & rectè pièque vivendi adjutorium nobis impetraverit. Niſi enim id certò ſciamus, quid reſtat miſeris, niſi deſperatio? Quò ſeſe vertet peccator, ut Deum, quem ſibi infenſum eſſe novit, ſibi propitium faciat? Ad quem confugiet, ut Dei juſtiſſimam vindictam à ſe avertat, ut acceſſum habeat ad thronum gratiæ, miſericordiamque conſequatur? Si peccatis ſordidus Deoque odioſus abſque mediatoris interventu ad Deum accedere præſumat, hoc ipſo ſuperbum & arrogantem ſe eſſe demonſtrat, & planè indignum qui exaudiatur. Quonam autem pacto poterit certò ſcire habere ſe mediatorem apud Deum, niſi Deus ipſe revelaverit, & niſi divina illa revelatio ipſi innoteſcat, ac firmâ fide apprehendatur; quæ quidem fides maximum Dei donum eſt, *primaque datur*, ut ait S. Auguſtinus, *quâ cætera impetren-*

trentur. Eâ fide, cum dilectione conjunctâ & per illam operante, illuminati ac mundati, confugimus ad Jeſum Chriſtum mediatorem noſtrum, à Deo nobis miſericorditer datum & declaratum, ipſius duntaxat meritis innitimur, per ipſum acceſſum habemus ad Patrem, per ipſum peccatorum noſtrorum remiſſionem petimus & impetramus, per ipſum obtinemus medicinale ac potentiſſimum adjutorium, quo vulnera noſtra ſanantur, & ad bonum perſeveranter tenendum validi efficimur.

Quis verò, niſi planè deſipiat, hæc omnia reperiri poſſe exiſtimet in Gentilibus Philoſophis, qui, Deo cognito, Liberatorem venturum penitùs neſcierunt? Quid in illis deprehenditur, niſi ſuperbiæ typhus, cæcaque ſui ipſorum complacentia, quâ ſibi juſti videbantur cæteriſque mortalibus præſtantiores? Nedum vindictam Dei expaveſcerent, veniamque ſuppliciter implorarent, plerique illorum ſibi fingebant Deum forſan bona tribuere, iraſci verò ac punire nunquam. Contra iſtum errorem, omnibus ferè Philoſophorum ſectis communem, Lactantius ſcripſit librum *de Ira Dei.* Socrates quidem, Cicero, Seneca teſtantur conſueviſſe ſe ſcrutari quotidie an aliquid pravè factum ipſis excidiſſet: verùm non ad Dei, ſed ad ſuæ rationis tribunal reos ſe ſiſtebant, nec ſibi ignoſci ac ſubveniri à Deo gementes poſcebant, ſed quaſi actuum ſuorum ſupremi moderatores legem ſibi ipſi dabant. „ Hæc aqua (confeſſionis peccatorum), inquit S. Auguſtinus Enarrat. 2 in Pſalmum 31, num. 18, „ hæc aqua humiliationis cordis, hæc aqua vitæ ſalutaris abjicientis ſe, „ nihil de ſe præſumentis, nihil ſuæ potentiæ ſuperbè tribuentis, hæc „ aqua in nullis alienigenarum libris eſt, non in Epicureis, non in „ Stoïcis, non in Manichæis, non in Platonicis. Ubicunque etiam „ inveniuntur optima præcepta morum & diſciplinæ, humilitas tamen „ iſta non invenitur. Via humilitatis hujus aliunde manat. A Chriſto „ venit hæc via: ab illo eſt qui, cùm eſſet altus, humilis venit.“ Et lib. 7 *Confeſſionum*, cap. 21. num. ultimo: „ Non habent illæ paginæ „ (Gentilium) vultum pietatis hujus, lacrymas confeſſionis, ſacrificium tuum ſpiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum.“ Itane verò ſuperbis, ſibi placentibus, veniam non poſcentibus juſtitiam tribuiſſet Deus, qui ſuperbis reſiſtit, quique dixit: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis?*

Nedum autem ſuam ad rectè agendum infirmitatem agnoverint & confeſſi fuerint Gentiles Philoſophi, ſi quid boni & honeſti ſe agere exiſtimabant, id totum nonniſi ſibimetipſis proprioque ſtudio attribuebant. Hinc vulgare apud illos effatum, divitias quidem, ſanitatem, vires, aliaque externa bona donari à Deo; at juſtitiæ virtutiſque ſibi quemque auctorem eſſe, ac proinde inſanum eſſe illas à Deo poſtulare, aut pro illis gratias Deo referre. Adeò ſacrilegam in tanta naturæ infirmitate & corruptione præſumptionem quis ſincerè Chriſtianus non expaveſcet, Domino ipſo dicente, Eccli. XXV. 4: *Odivit anima mea pau-*

perem ſuperbum? Quis credat Deum gratiæ ſuæ dona in eos contuliſſe, qui ſe illis minimè indigere arbitrabantur, cùm toties declaraverit, exceptâ gratiâ fidei, quæ omnium prima eſt, cæteras non dari niſi petentibus? Si, teſte Apoſtolo, Rom. IX. 31 & 32, *Iſraël, ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ* ideò *non pervenit, quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus* eam ſe aſſequi poſſe confidebat, quantò magis Philoſophi illi arrogantes, & de ſuis vanis virtutibus ſtolidè gloriantes à vera juſtitia alieni fuerunt? Nedum autem inani virtutum umbrâ, in quibus regnabat ſibi ipſis aliisque hominibus placendi cupiditas, Deo accepti fuerint, inde potiùs magis exoſi facti ſunt, quia *quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.* Hinc, quando per Apoſtolicam prædicationem fides in Chriſtum annuntiata eſt, ei præ cæteris obſtiterunt Philoſophi illi Gentiles, paucisque admodùm datum eſt ut in Chriſtum crederent. *Videte vocationem veſtram*, aiebat Apoſtolus 1 Corinth. I. 26 & ſeq., *quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes, ... ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. Scriptum eſt enim*, ut ait ibidem, v. 19 & 20: *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi ſapiens? Ubi ſcriba? Ubi conquiſitor hujus ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi?* Obſervat idem Apoſtolus, Rom. I, Philoſophos illos, *cùm inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta* conſpexiſſent, *ſempiternam quoque ejus virtutem & divinitatem*, Deo illis manifeſtante, cognoviſſent, *veritatem Dei in injuſtitia* detinuiſſe, quia, *cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes*, ſtultos factos eſſe, commutaſſe *veritatem Dei in mendacium, & ſerviiſſe creaturæ potiùs quàm creatori.* Dum enim Deum unum eſſe in ſcholis ſuis agnoſcebant, idola tamen & falſa numina cum imperita plebe in templis venerabantur. Socrates moriturus gallum Æſculapio immolari juſſit. Plato, quem nonnulli *divinum* appellant, quique de natura & attributis divinis profundiùs quàm cæteri diſſeruit, ſuadet nihilominùs, lib. 4 de Legibus, Deos quoque inferiores unà cum ſummo Deo colere, & lib. 2 approbat ut ſtatuæ & imagines Deorum adorentur ad conciliandam ſibi ſupremi numinis benevolentiam. Cicero quoque Latinorum Philoſophorum facilè princeps: „ *A patribus acceptos Deos placet coli*, „ inquit lib. 2 de Legibus, additque iſtud ex inſtitutis Pontificum & „ Aruſpicum non mutandum eſſe, quibus hoſtiis immolandum ſit cui„ que Deo.“ Quamobrem ſic eum compellat Lactantius, lib. 2 *Inſtitutionum divinarum*: „ Video te terrena & manufacta venerari. Vana eſſe in„ telligis, & tamen eadem facis quæ faciunt ipſi, quos ipſe ſtultiſſimos „ confiteris.“ In tantæ tamque manifeſtæ impietatis pœnam, declarat Apoſtolus Deum *illos* pſeudoſapientes tradidiſſe *in paſſiones ignominiæ, in*

deſi-

Digitized by Google

deſideria cordis eorum, in immunditiam & *in reprobum ſenſum, ut facerent ea quæ non conveniunt.*

Solvuntur objectiones.

Objiciunt 1°. S. Juſtinus martyr in *Apologia I* pro Chriſtianis, num. 46, ſic loquitur: „ Chriſtum primogenitum Dei eſſe, ac rationem illam, cujus omne hominum genus particeps eſt, didicimus & ſuprà declaravimus. Et qui cum ratione vixerunt, Chriſtiani ſunt, etiam ſi athei exiſtimati ſint: quales apud Græcos fuere Socrates & Heraclitus, apud barbaros autem Abraham, Ananias, Azarias, Mizaël, & Elias, & multi alii &c." Al. Apolog. 2, pag. 65. (Reipſa prima eſt).

Addunt S. Iſidorum Peluſiotam ſimiliter *Logicos* & *Chriſtianos* appellare omnes qui rationem ſecuti ſunt. Porro, inquiunt, ſi Gentilium nonnulli *Chriſtiani* dici poſſunt, cur à juſtitia & ſalute excluderentur?

Reſpondeo illos auctores nomen *Chriſtianorum* ibi ſumpſiſſe non in propria, ſed in latiore ſignificatione. Pagani Chriſtianis objiciebant doctrinam ipſorum eſſe novam, eoquòd recens in mundum venerit Chriſtus. Reſpondet S. Juſtinus Chriſtum, præter humanam naturam quam in tempore aſſumpſit, aliam habere æternam, ſecundùm quam eſt ſuprema ratio illuminans omnes qui rationis participes ſunt. Non omne verum cognoverunt Philoſophi gentiles; ſed quidquid veri cognoverunt, id, Verbo Dei illuſtrante, cognoverunt. Porro Chriſtiani propriè dicuntur, qui in Chriſtum, id eſt, in Verbum Dei incarnatum, Deum & hominem credunt, totamque ab eo traditam doctrinam profitentur: impropriè tamen & lato quodam ſenſu Chriſtiani dici poſſunt, qui per lucem Verbi, quod illuminat omnem hominem rationis participem, aliqua vera ad religionem morumque diſciplinam ſpectantia cognoverunt. Quo ſenſu Tertullianus in *Apologetico*, cap. 17, repentinos motus, quibus ipſi etiam infideles in caſibus inopinatis Deum unum inclamant, appellat *teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ*. Porro S. Juſtinus in ſuis Apologiis totus eſt ut omnia illa congerat, quibus Chriſtianæ religionis veritas quoquo pacto probatur. Hinc, quoniam apud Paganos magno in pretio habebantur Philoſophi, ex eis, quæ illi vera & Evangelio conſona dixerunt, concludit Chriſtiana dogmata non abſurda eſſe nec nova, ſed rectæ rationi admodùm conſentanea, atque ſub hoc reſpectu duntaxat Chriſtianos illos fuiſſe dicit, ſicuti nos quotidie dicimus Calvinianos, circa ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, Lutheranos, circa realem Chriſti præſentiam in ſacramento Euchariſtiæ, Catholicos eſſe. Verùm perperam inde concluderetur informem illam veritatis umbram, quæ in nonnullis antiquis Philoſophis deprehenditur, S. Juſtino viſam fuiſſe ſufficientem ad placendum Deo, juſtitiamque impetrandam; ſiquidem

dem ipſi etiam hæretici & ſchiſmatici, qui multò veriori ſenſu Chriſtiani appellantur, juſtitiæ tamen & ſalutis extorres ſunt.

Hanc S. Juſtini mentem fuiſſe conſtat non tantùm ex ejus textibus
Al. 1. pag. 40. ſupra in probatione allatis, ſed etiam ex ejus *Apologia* II, in cujus fine, num. 13, cauſas exponens quibus impulſus fuerat ut ex Philoſopho Chriſtianus fieret, ſic loquitur: „ Non quòd aliena ſint à Chriſto „ inſtituta Platonis, ſed quòd non omnino ſimilia, ut nec aliorum, „ Stoicorum videlicet, Poëtarum & Hiſtoricorum. Ut quiſque enim „ diſſeminatæ rationis divinæ partem aliquam ſibi cognatam videbat, „ præclarè locutus eſt. Qui autem ſecum ipſi in rebus longè graviſſimis pugnarunt, ii nec ſcientiam ſublimiorem, nec cognitionem quæ „ refelli non poſſit aſſecuti videntur. Quæcunque igitur apud alios omnes præclarè dicta, ea noſtra ſunt Chriſtianorum. Natum enim ex „ ingenito & non enarrabili Deo Verbum ſecundùm Deum adoramus & „ amamus; quandoquidem propter nos homo factum eſt, ut perpeſſionum noſtrarum particeps factum medicinam illis faceret. Omnes „ enim ſcriptores per inſitum rationis lumen potuere illi quidem verum „ videre, ſed ſubobſcurè. Aliud eſt enim ſemen alicujus & imitatio „ pro viribus conceſſa, aliud ipſum illud cujus communicatio & imitatio ſecundùm ipſius gratiam conceditur.“ Igitur, S. Juſtino ipſo docente, Philoſophi non integram nec firmam, ſed mancam & fluctuantem veritatis notitiam perceperunt; neque Verbum ipſum apprehenderunt, ſed imperfecta quædam Verbi ſeu rationis ſemina, adeòque non niſi latiſſimâ & valdè impropriâ ſignificatione Chriſtiani dici poſſunt. Et reverâ illos à Chriſtianis planè disjungit, cùm ait: *Quæcunque apud*
Al. pag. 37. *alios omnes præclarè dicta, ea noſtra ſunt Chriſtianorum.* Paulò ante de eiſdem dixerat, num. 10: „ Quia non omnia quæ ſunt Verbi, id eſt, „ Chriſti, cognoverunt, perſæpè ſecum ipſis pugnantia dixerunt.“ Et in *Cohortatione ad Græcos*, num. 11: „ Cùm ex his quæ diximus ſatis „ exploratum ſit, quàm ſint Philoſophorum veſtrorum opiniones ignorationis & fraudis omnis plenæ, relictis deinceps omnino Philoſophis, „ quemadmodùm anteà Poëtis, ad Oraculorum præſtigia confugietis.“

Cur autem Philoſophi nonniſi fallacia aut inania dixerint, ibidem edocet, num. 9 & 10, quòd nempe non revelationi divinæ, ſed humanæ tantùm rationi incertæ ac fluctuanti innixi fuerint, ſtatimque illis opponit concordiſſimam Prophetarum auctoritatem. „ Quid igitur cauſæ eſt, inquit, cur non ſolum inter ſe, ſed etiam ſecum ipſi pugnant qui apud vos habiti ſunt ſapientes? Nimirum quod à peritis diſcere noluerint, ſed ſeſe exiſtimaverint mentis humanæ ſolertiâ claram cœleſtium rerum cognitionem aſſequi poſſe, cùm ne terreſtrium „ quidem potuerint..... Igitur cùm veri nihil ex magiſtris veſtris de „ religione diſci poſſit, ut qui vobis idonea ſuæ rerum ignorationis documenta

„ menta mutuis diſſenſionibus præbuerint, ſequi mihi videtur ut ad majores noſtros recurramus, qui & multò antiquiores veſtris fuerunt, „ nec quidquam propria mente excogitatum nos docuerunt,..... ſed ſine ullo contentionis & partium ſtudio ſcientiam à Deo acceperunt, „ eamque nos docuerunt. Neque enim naturâ aut humani ingenii acie „ res tam magnæ ac divinæ cognoſci ab hominibus poſſunt, ſed eo, „ quod tum in homines ſanctos deſcendebat, dono." Poterat ne diſertiùs exprimi divinæ revelationis & fidei neceſſitas ad veram juſtitiam capeſſendam?

Eamdem pariter S. Iſidori Peluſiotæ mentem fuiſſe patet ex lib. 5, Epiſt 28, ubi dicit „ Gentilium ſapientes..... prolixis ſermonibus quaſi labyrinthum ducentes tantùm aberraſſe, ut legentes confundendo „ ampliùs conturbarint." Et ex lib. 1, Epiſt. 96 ad Maximum quemdam, qui Philoſophiam magnoperè extollebat: „ Jactas, inquit, Philoſophiam veræ ſapientiæ inimicam..... Ea quam nunc profiteris..... „ in futuro ſæculo cruciatum veniæ expertem pariet."

Objiciunt 2°. S. Clemens Alexandrinus, lib. 1 *Stromatum*, Philoſophiam his verbis commendat: „ Ipſa quoque Græcos pædagogi more „ ducebat, ſicut lex Judæos, ad Chriſtum. Præparat ergo Philoſophia „ ei viam muniens qui à Chriſto perficitur:" aliaque ſimilia cumulat in Philoſophiæ laudem. Pag. 282.

Reſpondeo nihil quidem ad Philoſophiæ commendationem magnificentius dici poſſe, quàm eam cum lege per Moyſen data comparando. Verùm, hoc etiam conceſſo, fatendum eſt neminem per Philoſophiam juſtificari poſſe, ſicut nemini per legem Moyſis juſtitia contigit. Utraque ſuo modo ducebat ad Chriſtum: lex multò certiùs & manifeſtiùs; Philoſophia verò incertiùs & obſcuriùs, quatenùs errores quoſdam craſſiores detexit, quatenùs nonnulla morum præcepta tradidit, quatenus hominum mentes ad veritatis inquiſitionem excitavit. Sed cùm lex ipſa nihil ad perfectum adduxerit, multò minùs Philoſophia lege imbecillior id præſtare potuit. Porro Clemens Alexandrinus, Philoſophiæ amantiſſimus, ſic eam interdum laudavit, ut poſitos à religione limites nunquam exceſſerit.

Nam, ut ea omittam quæ ex ipſius ſcriptis de abſoluta fidei in Chriſtum neceſſitate in probatione retulimus, 1° eâ tantùm conditione Philoſophiam commendavit, ut fidei nullatenùs præjudicet, ſed potiùs fidei illuſtrandæ & confirmandæ, ancillæ inſtar, inſerviat; ſive, ut ipſe loquitur in eodem libro *Stromatum*, „ ut neque ipſa Philoſophia vitæ perniciem Pag. 279. „ afferat, cùm ſit rerum falſarum & malorum operum artifex, quam „ nonnulli falsò affirmarunt eſſe evidentem veritatis imaginem, donum „ Græcis datum divinitùs, neque nos à fide avellamur, fraudulentæ artis veluti quibuſdam decepti præſtigiis; ſed, ut ita dicam, majori „ ad-

„ adhibito munimento, exercitationem aliquam fidei demonſtrativam ut-
„ cunque comparemus.“

2°. Admonet laudari à ſe Philoſophiam, non in concreto, qualis
extat in libris Philoſophorum, ſed quaſi in abſtracto conſideratam,
prout ſcilicet complectitur ea quæ à diverſis Philoſophorum ſectis rectè
Pag. 88. & ſapienter dicta vel ſcripta ſunt. „ Philoſophiam, inquit ibidem, non
„ dico Stoicam nec Platonicam, aut Epicuream, aut Ariſtotelicam, ſed
„ quæcunque ab his ſectis rectè dicta ſunt, quæ docent juſtitiam cum
„ pia ſcientia: hoc totum ſelectam dico Philoſophiam.“ Non ergo Phi-
loſophos ipſos, ſed ſolam veritatis inquiſitionem laudare ſibi propoſuit;
ac proinde ex ejus verbis concludi nequit eum cuiquam Philoſopho-
rum gentilium ſalutem aut juſtitiam attribuiſſe.

3°. Docet ſelectam illam, & ab omni erroris labe mundatam Philoſo-
phiam, viam duntaxat ſternere ad veritatis cognitionem, nec ſufficere ad
mandata divina ſervanda: adeò ut non magis poſſibile ſit rectè operari
ſine Chriſto, quàm ambulare ſine pedibus. „ Si non comprehendit qui-
Pag. 309. „ dem, inquit ibidem, Græca Philoſophia veritatis magnitudinem, &
„ eſt adhuc imbecilla ad mandata Domini exequenda, at regalì qui-
„ dem maximè doctrinæ viam præparat, utcunque “ (id eſt, quantùm
ad officia & opera externa) „ caſtigans & mores priùs formans, & ad
„ ſuſcipiendam veritatem confirmans eum qui opinatur providentiam.“
Pag. 49. Et in *Admonitione ad Gentes:* „ Græci, qui vel maximè quaſdam Ver-
„ bi divini quaſi ſcintillas acceperunt, veritatis pauca quædam elocu-
„ ti ſunt,.... ſeipſos autem imbecillitatis convincunt, ut qui finem
„ non attigerint. Jam enim exiſtimo cuivis eſſe manifeſtum, quòd qui
„ abſque verbo veritatis (quod Chriſtus eſt) operantur aliquid, vel
„ loquuntur, ſunt ſimiles eis qui conantur ingredi ſine pedibus.“

4°. Philoſophiam illam purgatiorem immenſo intervallo diſtinguit à
fide, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, ac proinde perſuaſum habuit
Pag. 288. neminem unquam per eam ad juſtitiam perveniſſe. Nam lib. 1 *Stroma-
tum:* „ Aliter, inquit, dixit aliquis de veritate, aliter veritas ſeipſam
„ interpretatur: aliud eſt veritatis conjectura, aliud veritas: aliud ſi-
„ militudo, aliud idipſum quod eſt. Et altera quidem accedit diſci-
„ plinâ & exercitatione, altera verò poteſtate & fide. Eſt enim donum
Pag. 318. „ doctrina pietatis, gratia verò fides.“ Et ſub finem ejuſdem libri:
„ Cùm ſit una veritas, multa ſunt quæ conferunt ad ejus inquiſitio-
„ nem: inventio autem eſt per Filium...... Sola autem hæc eſt præcipua
„ veritas, quæ manibus tradi non poteſt, quam docemur à Dei Filio.
„ ..... A noſtra ſeparatur Græca veritas, etiamſi ſit idem nomen ſor-
„ tita, & propter magnitudinem cognitionis, & demonſtrationem ma-
„ gis principalem, & divinam virtutem, & quæ ſunt ſimilia. A Deo
„ enim docti ſumus, qui litteras verè ſacras à Filio Dei docemur. Ex
his

his omnibus locis manifeſtum eſt, juxta S. Clementem Alexandrinum, Philoſophiam toto cælo differre à fide Chriſtiana: 1° quoad extenſionem & amplitudinem, quod illa pauculas tantùm veritates à ſe invicem divulſas attingat, hæc verò totam religionis ſummam complectatur. 2°. Quoad vim & efficaciam, quòd illa nequaquam ſufficiat ad rectè agendum, per hanc autem juſte ac piè vivatur. 3°. Quoad certitudinem, quòd illa ſit fluctuans & incerta, hæc autem firma & immota, ut pote Filii Dei, qui ſumma veritas eſt, verbo & auctoritate ſubnixa. 4°. Quoad originem, quòd illa ſolius humanæ rationis artificium ſit, hæc gratiæ cœleſtis donum. Hinc in fine quoque libri 6 obſervat Philoſo- Pag. 696 & 697
phos dignè & certè loqui de Deo non potuiſſe, eoquod à ſeipſis vel ab aliis hominibus edocti ſint, non à Deo, qui ſolus ſeipſum cognoſcit, ſeque quibus vult revelat. Demum lib. 2 ait: „ Judæos neque legi tan- Pag. 378.
„ quam prophetanti credidiſſe, ſed ſermoni tantummodò & timori, non „ autem diſpoſitioni & fidei credidiſſe.“ Porro ſi Judæi lege divina & Prophetarum oraculis inſtructi, fide tamen caruerunt, quâ pervenitur ad juſtitiam, quantò magis idem dicendum eſt de Gentilibus Philoſophis, quos divina revelatio penitùs latuit?

Inſtant. S. Clemens, lib. 6 *Stromatum*, dicit Deum, quemadmodum Pag. 636.
„ Judæos ſalvos eſſe voluit, dans eis Prophetas, ita etiam Græcorum „ ſpectatiſſimos propriæ ſuæ linguæ Prophetas excitatos, prout poterant „ capere Dei beneficentiam, à vulgo ſecreviſſe.“ An porro eos à ſalute excluſos exiſtimaſſe cenſendus eſt, quos ut Prophetas à Deo ſuſcitatos exhibet?

Reſpondeo non de Philoſophis ibi ſermonem eſſe, ſed de Sybillis, quas S. Clemens, ut & alii veteres Patres, incarnationem Chriſti prænuntiaſſe exiſtimavit. Addit quippe: „ Libros Græcos ſumite, agnoſ„ cite Sybillam, quomodò unum Deum ſignificet & ea quæ ſunt futu„ ra; & Hydaspen ſumite & legite, & invenietis Dei Filium multò cla„ riùs & apertiùs eſſe ſcriptum &c.“ Porro, quidquid ſit de Sybillis, quæ, ſi veræ Propheteſſæ fuerunt, propoſitionis noſtræ veritatem confirmant potiùs quam infirmant, certe Philoſophos adeò non habuit tanquam Prophetas S Clemens, ut libro 1 *Stromatum* dicat eos fuiſſe *fures*, Pag. 311.
latrones, *pſeudoprophetas*, & à patre diabolo edoctos.

Inſtant rurſùs. Idem S. Doctor, lib. 1 *Stromatum*, dicit *per ſe quo-* Pag. 319.
que aliquando Græcos juſtificaſſe Philoſophiam.

Reſpondeo verba illa intelligenda eſſe de probitate externa & civili, non de vera & interna juſtitia. Id manifeſtè demonſtrant quæ immediatè ſequuntur. „ Quanquam, inquit, per ſe aliquando Græcos juſti„ ficabat Philoſophia, ſed non ad univerſam & generalem juſtitiam, „ ad quam cooperatrix & adjutrix invenitur, ſicut primus & ſecundus „ gradus ei qui aſcendit in cœnaculum, & Grammaticus ei qui eſt phi„ loſophaturus.“ Igitur, quemadmodùm qui unum aut alterum gradum

dum aſcendit, longè adhuc diſtat à cœnaculo, & qui in grammaticis hæret, longè adhuc remotus eſt à Philoſophiâ; ita, juxta S. Clementem, Philoſophi valde remoti erant à juſtitia, etiamſi nonnulla morum præcepta cognoverint, atque etiam exteriùs ſervaverint. Certè juſtitia Philoſophica non majoris pretii fuit, quàm Judaica, quacum S. Clemens eam comparat. Atqui juſtitiam Judaïcam, quæ ex lege eſt, abjecit Apoſtolus & arbitratus eſt *ut ſtercora*, ut juſtitiæ quæ eſt ex fide Chriſti particeps fieret. Et ſanè S. Clemens juſtitiam illam Philoſophicam ipſis etiam idolorum cultoribus attribuit lib. 6 *Stromatum:* „ Iis „ quidem, inquit, qui juſti erant ex lege fides deerat...... Iis autem, „ qui juſti erant ex Philoſophia, non ſolùm opus erat fide in Domi„ num, ſed etiam ut diſcederent à cultu ſimulachrorum.“ Quis verò credat S. illum Doctorem veram internamque juſtitiam admiſiſſe in impiis & idololatris, contra illud quod dicitur 2 Corinth. VI. 14: *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis?*

Philipp III.

Objiciunt 3°. Origenes, in caput II Epiſt. ad Romanos, exponens hæc verba: *Gloria & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco*, aſſerit opera bona infidelium præmio non carere apud Deum. „ Si „ enim, inquit,..... Apoſtolus videtur condemnare Gentiles, ex eo „ quòd naturali intelligentiâ cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum „ magnificaverunt, quomodò non putamus quòd etiam collaudare eos „ poſſit & debeat, ſi qui in his cognoſcentes Deum, ſicut Deum ma„ gnificent? Dubitari igitur non puto quòd is qui pro malo opere „ condemnari meruiſſet, idem, ſi operetur bonum, remuneratione boni „ operis dignus habeatur...... Sed objici nobis poteſt illud quod Deus „ in Evangelio dicit: *Omnis qui credit in me non judicabitur, qui autem* „ *non credit jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii* „ *Dei.* Sed videamus quomodò non judicamur qui credimus in Chris„ tum, ut ſciamus quomodò & ille jam judicatus ſit qui non credit...... „ Sic intelligendus eſt ſermo Domini, quem dicit, *qui credit in me non* „ *judicabitur*, quia ſecundùm hoc quod credit non judicabitur, quaſi „ incredulus & infidelis; de actibus verò ſuis ſine dubio judicabitur. „ Ita ergo & ille jam judicatus eſt qui non credit, ſecundùm hoc „ quod non credidit; & ſicut credenti, ſi extrinſecùs aliquid peccati „ commiſerit, ſalvâ fide, judicium manet, ita & non credenti, ſi quid „ boni operis geſſerit, excepta infidelitate, remuneratio non peribit.“ Ergo, juxta Origenem, infideles, ſi rectè vivant, vita æterna non privabuntur.

Nego conſequentiam: remuneratio quippe, de quâ loquitur Origenes, non eſt vita æterna, ſed vel minor pœna in altero ſæculo, *minùs enim punietur, quàm Catilina, Fabricius*, ut ait S. Auguſtinus, vel aliquod hac

hac in vita commodum temporale; quemadmodùm, juxta eumdem S. Auguſtinum, Romanis, propter nonnulla præclara virtutum officia, Deus florentiſſimum diuturnumque conceſſit imperium. Nam de vita æterna ſermonem ibi nequaquam eſſe, conſtat ex his quæ immediatè præcedunt. „ Poteſt fieri, inquit, ut vel ex his qui in lege ſunt, ſi quis perſua- „ ſione quidem communitus Chriſto non credit, operatur tamen quod „ bonum eſt,..... hic, etiamſi vitam non habeat æternam, quia „ credens ſoli vero Deo non credidit & Filio ejus Jeſu Chriſto quem „ miſit, tamen gloria operum ejus, & honor, & pax non poteſt perire. „ Ita & Græcus (id eſt, Gentilis), qui, cùm legem non habeat, ipſe „ ſibi eſt lex, oſtendens opus legis in corde ſuo, & naturali ratione „ immotus, ſicut videmus nonnullos in gentibus, vel juſtitiam teneat, „ vel caſtitatem ſervet, vel prudentiam, temperantiam, modeſtiamque „ cuſtodiat, iſte licet alienus à vita videatur æterna, quia non credit „ Chriſto, nec intrare poſſit in regnum cœlorum, quia renatus non „ eſt ex aqua & ſpiritu, videtur quòd, per hæc quæ dicuntur ab Apoſ- „ tolo, bonorum operum gloriam, & honorem, & pacem perdere peni- „ tùs non poſſit." Igitur Origeni certum fuit infideles, hoc ipſo quòd in Chriſtum non credunt, excludi à vita æterna.

Si autem opponas eum ſaltem agnoviſſe in infidelibus opera bona & virtutes, non equidem id inficiabor; ſed nuſquam dicit virtutes illas veras eſſe, illaque opera eſſe bona ex omni parte & reſpectu finis ultimi. Immò in hoc ipſo Commentario textum iſtum Apoſtoli, *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, interpretatur de fide propriè dicta, ſine qua, quidquid fit, aliqua ex parte peccatum eſſe aſſerit. Cæterùm etiamſi Origenes veras virtutes operaque omni ex parte bona in infidelibus hic agnoviſſet, non magni ponderis foret hac in re ejus auctoritas, tum quia vulgò habitus eſt ut præcurſor Pelagianorum, tum quia hoc in loco monet ſe illa non velut certa & à Patribus accepta tradere, ſed opinando duntaxàt proponere. „ Hæc, ait, à nobis hoc in loco, „ prout potuimus, diſcuſſa ſunt;..... ſed tamen in arbitrio legentis „ ſit probare quæ dicta ſunt." Quàm aſſeveranter autem ex traditione docuerit juſtos omnes, qui à mundi exordio vixerunt, non niſi per fidem Chriſti juſtitiam eſſe conſecutos, vidimus in probatione propoſitionis.

Objiciunt 4°. S. Chryſoſtomus, hom. 36, al. 37, in Matthæum, num. 3, cùm dixiſſet Chriſtum ad inferos deſcendentem nullum damnatorum inde eduxiſſe, hæc ſubjungit: „ Quid ergo, inquiunt, injuſtè- „ ne agitur cum iis qui ante adventum ejus vixerunt? Nequaquam. „ Poterant enim nec Chriſtum confeſſi ſalutem conſequi. Non enim hoc „ ab illis exigebatur, ſed ne idola colerent, & ut Deum verum noſſent. „ *Dominus enim*, inquit, *Deus tuus, Dominus unus eſt*. Idcòque Maccabæi admiratio fuerunt, quia pro legis obſervatione paſſi ſunt, Tom. 7. al. tom. 1. pag. 355.

 „ ac

Digitized by Google

„ ac tres pueri multique alii apud Judæos, qui vitam optimè geſſerunt, „ & ejus cognitionis modum ſervaverunt, nihil aliud obſervare debue- „ runt. Tunc enim ad ſalutem ſufficiebat, ut dixi, Deum tantùm co- „ gnoſcere; nunc verò id ſatis non eſt, ſed Chriſtum noſſe oportet.
Joann. XV. 22. „ Idcircò dicebat: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non* „ *haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.*" Et num. 4: „ Quòd enim ii qui Chriſtum non noverunt ante carnalem „ adventum, & qui ab idololatria reſilientes Deum unum adorarunt „ & probam duxere vitam, omnia bona conſecuti ſint, audi quomodò
Rom. II. 10. „ dicat: *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo* „ *primùm & Gentili.*" Hìc, inquiunt, expreſſè definitur ante adventum Chriſti fidem in ipſum neceſſariam non fuiſſe, ſed unius veri Dei cultum ſuffeciſſe ad ſalutem conſequendam. Et hom. 76 in Joannem, al. 70, num. 2, exhortans ad condonandas injurias: „ Vultis, inquit, „ Moyſen referam, vel altiùs repetam? Quantò enim vetuſtiora ſunt „ exempla, tantò ad perſuadendum aptiora. Quare? Quia tunc difficilior „ erat virtus. Neque enim tunc illi leges ſcriptas habebant, non ve- „ terum exempla, ſed nuda per ſe natura pugnabat." Et, allato exemplo Joſephi, qui fratribus ſuis admiſſum in ſe crimen condonavit: „ Quam ergo, ait, defenſionem habebimus, qui poſt legem & gratiam, „ poſt tantum Philoſophiæ augmentum, ne illum quidem, qui ante „ legem & gratiam fuit, imitamur?" Aiunt hujuſmodi cohortationem nullius roboris, imò planè ineptam futuram fuiſſe, ſi veteres illi juſti non ſine gratia & fide Chriſti eximia illa patientiæ & manſuetudinis ſpecimina dediſſent.

Reſpondeo ad 1um textum diſtinguendo conſequens. Fides in Chriſtum ante prædicationem Evangelii non fuit neceſſaria neceſſitate præcepti, concedo; neceſſitate medii, nego conſequentiam. S. Joannis Chryſoſtomi ſenſum hunc eſſe apparet 1° ex ipſius ſcopo. Ipſi enim eo in loco propoſitum erat oſtendere illos, qui ante prædicationem Evangelicam fato functi ſunt, non injuſtè damnari: quod manifeſtè ſupponebat omnes illos, qui fide Chriſti caruerunt, damnatos eſſe, alioquin nullus fuiſſet objectioni locus. Ait autem S. Doctor nullatenus cum eis actum eſſe injuſtè, quia non ideò damnati ſunt, quia fidem Chriſti non habuerunt, ſed eoquòd Deum non coluerint, legemque naturalem non ſervaverint. Enimverò à gentibus non exigebatur ut in Chriſtum ſibi minimè annuntiatum crederent (Deus enim impoſſibilia non jubet), ſed tantummodò ut legis naturalis mandata implerent. Quamvis autem lex naturalis impleri non poſſit abſque fide Chriſti, quâ ſolâ rectè vivendi gratia impetratur, non tamen fidei defectus, ſed ſola voluntatis infidelium pravitas in cauſa fuit cur unum & verum Deum non adoraverint, nec legi naturali obtemperaverint. Apparet 2° ex teſtimonio Chriſti, quo S. Doctor reſponſionem confirmat, nimirùm: *Si non ve-* *nit-*

Digitized by Google

niſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Hoc enim textu nihil aliud probari poteſt, niſi Gentiles, qui de Chriſto nihil audierunt, reos non eſſe illius infidelitatis, quam Judæi, Chriſtum præſentem, ipſis loquentem, & miracula patrantem repudiando, incurrerunt.

Cùm verò addit S. Doctor eos, qui, Chriſto minimè cognito, Deum unum adoraverunt bonamque vitam egerunt, bonis omnibus fruituros eſſe, locutio eſt merè hypothetica. Reverâ enim ſi quis Chriſtum penitùs ignorans, Deum tamen unum & verum coleret, univerſamque legem naturalem impleret (quæ hypotheſis eſt impoſſibilis), non privaretur vitâ æternâ. Quòd verò S. Chryſoſtomo perſuaſiſſimum fuerit neminem unquam juſtum fuiſſe, ac Deo placuiſſe abſque fide in Chriſtum mediatorem, apertiſſimè patet ex pluribus ejus textibus in probatione allatis.

Alterius textûs ſenſus eſt antiquis juſtis plurima defuiſſe adjumenta externa, quæ nobis nunc abundè ſuppetunt; nimirùm legem ſcriptam & dilucidè expoſitam, exempla & miracula Chriſti, Evangelii per univerſum orbem promulgationem: non autem ſenſus eſt defuiſſe illis internum fidei & gratiæ Chriſti adjutorium. Solent enim oratores, quando comparationibus utuntur ad movendos auditores, ea duntaxat commemorare quæ propoſito ipſorum inſerviunt. Proinde S. Chryſoſtomus orator diſertiſſimus ſola externa adjumenta attingere debuit, quæ antiquis defuerunt, nobis autem præſtò ſunt; non verò internum fidei & gratiæ Chriſti adjutorium, quod ſive ante, ſive poſt adventum Chriſti in carne æqualiter omnibus neceſſarium fuit. Ad ipſius enim ſcopum ſatis erat quòd veteres juſti, multò minoribus & paucioribus præſidiis inſtructi, multa egregia fecerint, quæ nos Chriſtiani majoribus adjuti incitamentis non facimus.

Objiciunt 5°. S. Joannes Damaſcenus in Sermone de Defunctis, paulò poſt medium, dicit probabile eſſe Chriſtum, cùm deſcendit ad inferos, aliquos eorum ſalvaſſe, qui, licet in ipſum non credidiſſent, honeſtam tamen ac probam vitam duxerunt. „ Quidam dicunt, inquit, (Chriſtum) eos tantùm ſalvaſſe qui ante crediderant...... Cæterùm „ nos ita reſpondebimus eis qui ſic ſentiunt: Sanè neque gratia eſſet, „ neque res nova & inſueta, ſi Chriſtus credentes ſalvaret...... „ At ſolius miſericordiæ gratiâ ſalvatos opinor omnes, qui in vitæ „ puritate nullum non perfecerunt opus bonum, temperanter, ſobriè, tenuiterque vivendo, licet non ſatis exercitati fuerint, nec divinam ac ſinceram fidem acceperint...... Supremam Dei providentiam, ut ſibi videbatur, optimè venerabantur, quamvis hac ſua in „ opinione hallucinarentur. Quidam omnipotentis Trinitatis gloriam & „ virtutem obſcurè cognoverunt, & tamen honoraverunt: alii Verbi „ incarnationem elocuti ſunt, ut & ejus paſſionem & reſurrectionem: „ alii ejus miracula prædixerunt.“ De Sybillis forſitan loquitur. Narrat

Digitized by Google

rat deinde S. Gregorium magnum ſuis precibus Trajano Imperatori jampridem defuncto peccatorum remiſſionem obtinuiſſe, quamvis Trajanus inter ſæviſſimos Chriſtianorum perſecutores computetur; itemque ſanctam Theclam ſuis pariter precibus impetraſſe ſalutem cujusdam Falconisſæ, quæ in infidelitate ultimum diem obierat. Refert etiam, ex Palladii hiſtoria Lauſiaca (in qua tamen id non reperitur), S. Macarium ab homine dudum damnato, cujus cranium interrogabat, hoc reſponſum retuliſſe: *Quando pro mortuis offers preces, conſolationem modicam ſentimus.* Hæc omnia iſtis concludit verbis: „ At nos nihil affirmando de„ finimus, quia hoc indignum eſſet; ſed ſolummodò ratiocinamur ob „ noſtrum erga fratres amorem.“

Respondeo ſermonem illum non eſſe S. Joannis Damaſceni, ſed incerti cujusdam auctoris. Quamvis autem plurima falſa & abſona effutiat, propoſitioni noſtræ favet potiùs quàm adverſatur. Fatetur quippe eos ipſos, qui providentiam cognoverunt & honeſtè quodammodò vixerunt, quia non ex fide Chriſti vixerunt, æternæ damnationi ſubjectos eſſe, nec niſi ſingulari quâdam gratiâ ac ſpeciali miraculo nonnullos illorum ab inferis liberatos fuiſſe. Id autem penitùs evertit opinionem adverſariorum arbitrantium neminem eorum, qui, cognitâ Dei providentiâ, honeſtè vixerint, damnari. Aliud quippe eſt quærere utrùm ſine fide Chriſti æterna damnatio vitari queat, de quo hic agimus, aliud quærere utrùm aliquibus damnatis fides & ſalus ſpeciali privilegio nonnunquam donetur. Iſtam tantùm alteram quæſtionem attingit auctor, nihil affirmando, ſed opinando, ſuisque conjecturis nimium indulgendo. Utut ſit, certè ejus opinio fidei catholicæ repugnat, quâ docemur in inferno nullam eſſe redemptionem. Quod autem de Trajano & Falconiſſa memorat planè commentitium eſt, nec alibi legitur. Unde Bellarminus, lib. 2 *de Purgatorio*, cap. 6: Quotquot, in„ quit, hanc hiſtoriam (nempe liberationem Trajani) admiſerunt, id „ fecerunt propter auctoritatem Damaſceni. At librum iſtum non eſſe „ Damaſceni facilè probari poteſt. Nam in eo libro auctor non tantùm „ dicit Trajanum & Falconiſſam ab inferno damnatorum ad regnum „ cœlorum tranſiviſſe, ſed etiam multos alios, qui in infernum deſcen„ derant, à Chriſto converſos & ſalvatos, quando ad inferos deſcen„ dit. Quod & per ſe erroneum eſt, & contrarium verbis Damaſceni, „ lib. 2 *de Fide*, cap. 4, ubi dicit hominibus id eſſe mortem, quod „ fuit angelis caſus.“ Ideò autem auctor ille obſcurus, quicunque ſit, tam graviter aberravit, quia non verbum Dei, ſed proprium ſenſum conſuluit. Adeò periculoſum eſt Deum clementiorem eſſe velle, tremendaque ipſius *judicia*, quæ ſunt *abyſſus multa*, humanâ ratione dijudicare, cùm id ſolùm nobis homunciombus competat, ut ea ſumma cum ſubmiſſione ac reverentia credamus & confiteamur.

Quæ verò argumenta contra propoſitionem noſtram ex humana ratione

ne proferuntur, refellere ſupervacaneum eſt. Quid enimverò valet debilis, infirma & cæca ratio contra invictiſſimam divinæ auctoritatis petram? *Sagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum.* Exempli cauſâ, quod aiunt alienum eſſe à bonitate divina, ut plurima hominum millia per tot ſæcula medio ad ſalutem abſolutè neceſſario deſtitui permiſerit, non minùs invalidum quàm ſuperbum & arrogans videbitur omnibus, qui, in Eccleſiæ Catholicæ gremio ac fide nutriti, firmiter tenent omnes homines in primo parente peccaſſe, factos eſſe *naturâ filios iræ*, gratiâque prorſus indignos; qui norunt innumeros infantes, licet multo minùs reos quàm adultos infideles, ex hac vita absque baptiſmo migrare, æternæque damnationi ſubjici. Expaveſcendo credamus & adoremus divinorum judiciorum inacceſſam altitudinem, gratias indeſinenter agamus Chriſto liberatori noſtro, donum fidei gratuitâ miſericordiâ nobis collatum ſtudioſè conſervare precibus ac bonis operibus nitamur, potiùs quàm ingrati & ſuperbi inſcrutabile arcanum ſcrutari audeamus, & fictori noſtro dicere: *Quare feciſti ſic?* Pſalm. 63.

Qui plura volent, legant librum Gallicum, *de la Néceſſité de la foi en J. C.*, Pariſiis editum apud Carolum Osmont anno 1701.

An Fides in Chriſtum ante ipſius incarnationem diſtincta & explicita eſſe debuerit.

Dico 1° fidem illam, in revelatione divina fundatam, quovis tempore talem eſſe debuiſſe, ut 1° apprehenderet mediatorem ac liberatorem à Deo promiſſum, per quem Deus offenſus placaretur, homineſque cum Deo reconciliarentur: alioquin non fuiſſet vera fides in Chriſtum. 2°. Ut Mediatori promiſſo ac venturo unicè innixa, per eum accedere, juſtitiamque & ſalutem obtinere ſe poſſe certò crederet. 3°. Ut crederet ipſum fore Deum ſimul & hominem. Nam Chriſtus non eſt purus homo, ſed homo Deus, & Deus homo. Qui ergo in Mediatorem tanquam in purum hominem credidiſſet, non in Chriſtum reipſâ, ſed in mentis ſuæ figmentum inane credidiſſet. Præthereà idcirco fides in Chriſtum omnibus retrò ſæculis neceſſaria fuit, ut tota juſtitiæ & ſalutis conſequendæ fiducia in illo poneretur; illicitum autem eſt & impium ſpem ſuam in puro homine collocare, juxta illud Jerem. XVII. 6: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.*

Dico 2° S. Auguſtinum, cujus potiſſimùm ore & ſcriptis hoc doctrinæ ſuæ caput adverſus Pelagianos aſſeruit Eccleſia, expreſſè docere, *ſine fide incarnationis, & mortis, & reſurrectionis Chriſti, nec antiquos juſtos, ut juſti eſſent, à peccatis potuiſſe mundari & Dei gratiâ juſtificari:* de hoc, inquit, *veritas Chriſtiana non dubitat;* ut videre eſt in illius textibus ſupra allatis. Neceſſarium tamen non fuit ut omnes horum myſte-

myſteriorum circumſtantiæ cognoſcerentur, ſed fides magis minùſve diſtincta & explicita eſſe debuit, prout ipſa revelatio clarior vel obſcurior fuit, prout adventus ipſe Chriſti vicinior aut remotior fuit. Præterea in Patriarchis, in Prophetis, in Sacerdotibus ac Magiſtris diſtinctior fides eſſe debuit, quàm in ſimplicibus.

S. Bernardus, Epiſt. 77, ſeu Tractatu ad Hugonem, num. 11, refert quemdam ſuâ ætate aſſeruiſſe, veteres omnes juſtos habuiſſe diſtinctam & explicitam notitiam incarnationis, nativitatis, vitæ, paſſionis, aliorumque myſteriorum Chriſti, cum omnibus ipſorum circumſtantiis, hancque opinionem ab Hugone confutatam fuiſſe. Eam nihilominus refellit S. Doctor his potiſſimùm argumentis, num. 14 & 15: „ Si ergo, ut ait etiam S. Papa Gregorius, ſecundùm incrementa temporum „ crevit & ſcientia ſpiritalium Patrum, & quantò viciniores adventui „ extiterunt, tantò myſterium ſalutis pleniùs perceperunt, non eſt dubium quin & his qui præſentes fuerunt multò ampliùs contulerit rerum ipſarum exhibitio, & præſentia exhibentis." Id autem probat iſtis Chriſti ad Apoſtolos verbis: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis..... Dico enim vobis quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ vos auditis, & non audierunt.* „ Porro, inquit, ſi Prophetæ, & qui illuſtriores videbantur „ in illo populo, non omnes omnia liquidò æqualiter agnoſcere valuerunt, ſed alii plus, alii minùs, prout eis Spiritus dabat, dividens „ ſingulis prout volebat, idque abſque præjudicio ſuæ ſanctitatis & perfectionis, quantò magis ſimpliciores quique juſti, ſine detrimento ſalutis, ſalvationis tempus, modum & ordinem neſcire potuerunt, quæ „ tamen certâ ſpe & fide, ut promiſſa fuerant, firmiſſimè tenuerunt?" Alio quoque argumento idem confirmat. „ Quanti, inquit, hodieque „ profectò in populo Chriſtiano vitæ æternæ ſæculique futuri, quod indubitanter credunt, & ſperant, & ardenter deſiderant, formam tamen „ & ſtatum ne cogitare quidem vel tenuiter nôrunt? Ita ergo multi „ ante Salvatoris adventum, diligentes ſuæ ſalutis gratuitum promiſſorem, credentes in promiſſione fidelem, ſperantes certiſſimum redemptorem, in hac fide & expectatione ſalvati ſunt, licet quando, & „ qualiter, & quo ordine ſalus repromiſſa fieret ignorarent."

Hom. 17 in Ezechielem.

Luc. X. 23 & 24.

Itaque, pro temporum ac perſonarum diverſitate, fides in Chriſtum venturum magis vel minùs diſtincta & explicita fuit. 1° Quidem pro temporum diverſitate. Cum enim fides ſolâ divinâ revelatione ſubnixa ſit, eò diſtinctior eſſe neceſſariò debuit, quò ipſa revelatio manifeſtior fuit. Porro revelationis claritas magis ac magis crevit per oracula Prophetarum uſque ad Chriſti adventum. 2°. Pro perſonarum diverſitate. Nam procul dubio in Patriarchis, in Moyſe, in Prophetis & in Doctoribus multò diſtinctior & explicitior fides fuit, quàm in privatis & ſimplicibus requirebatur: ſicuti nunc quoque non tanta religionis notitia

in

Digitized by Google

in laicis deſideratur, quanta in ſacerdotibus, quorum labia ſcientiam cuſtodire tenentur.

Omnium veterum Theologorum eamdem doctrinam fuiſſe teſtatur Magiſter Sententiarum, lib. 3. diſtinct. 25. Eam autem ſic exponit Angelicus Doctor, 2. 2. quæſt. 2. art. 7, in corp. „ Via hominibus veniendi ad beatitudinem eſt myſterium incarnationis & paſſionis Chriſti. „ ..... Et ideò myſterium incarnationis Chriſti aliqualiter oportuit „ omni tempore eſſe creditum apud omnes, diverſimodè tamen ſecundum diverſitatem temporum & perſonarum...... Aliter enim non „ præfiguraſſent Chriſti paſſionem quibusdam ſacrificiis, & ante legem, „ & ſub lege; quorum quidem ſacrificiorum ſignificatum explicitè majores cognoſcebant, minores autem ſub velamine illorum ſacrificiorum, credentes ea divinitùs eſſe diſpoſita, de Chriſto venturo quodammodò habebant velatam cognitionem. Et, ſicut ſupra dictum eſt, „ ea quæ ad myſterium Chriſti pertinent tantò difficillùs cognoverunt, quantò à Chriſto remotiores fuerunt; & tantò faciliùs cognoverunt, quantò Chriſto propinquiores fuerunt. Poſt tempus autem gratiæ revelatæ, tam majores quàm minores tenentur habere fidem explicitam de myſteriis Chriſti, præcipuè quantùm ad ea quæ communiter in Eccleſia ſolemnizantur & publicè proponuntur.

An fides in Chriſtum ante ipſius incarnationem multorum fuerit; & an, poſt datam legem Moſaicam, aliquibus extra populum Iſraëlitarum Mediatoris venturi revelatio innotuerit.

Ad primam quæſtionem reſpondet S. Bernardus, Serm. 2 in Cantica, num. 4, „ non latuiſſe ſanctos, & ante adventum Salvatoris, Deum „ ſuper mortalium genus cogitare cogitationes pacis,..... fuiſſe tamen „ verbum hoc abſconditum à multis. Fuit namque, inquit, in tempore illo rara fides in terris, & tenuis admodùm ſpes in pluribus quoque illorum qui expectabant redemptionem Iſraël.“

Alteram ſic ſolvit S. Auguſtinus, lib. 18 *de Civitate Dei*, cap. 47: „ Non „ incongruè creditur fuiſſe & in aliis gentibus homines quibus hoc „ myſterium revelatum eſt, ac qui hoc etiam prædicere impulſi ſunt, „ ſive participes ejuſdem gratiæ fuerint, ſive expertes, ſed per malos „ angelos docti ſint.“ Quod de Sybillis intelligendum eſſe veriſimillimum eſt. Addit S. Doctor: „ Nec ipſos Judæos exiſtimo audere contendere neminem pertinuiſſe ad Deum præter Iſraëlitas, ex quo propago Iſraël eſſe cœpit, reprobato ejus fratre majore. Populus enim „ reverâ, qui propriè populus Dei diceretur, nullus alius fuit: homines autem quosdam, non terrenâ, ſed cœleſti ſocietate ad veros Iſraëlitas ſupernæ cives patriæ pertinentes, in aliis gentibus fuiſſe negare non poſſunt. “ Commemoratoque beato Job, quem ex poſteris Eſaü

Eſaü fuiſſe arbitratus eſt, ſic proſequitur: „ Divinitùs autem proviſum „ eſſe non dubito, ut ex hoc uno ſciremus etiam per cæteras gentes „ eſſe potuiſſe, qui ſecundum Deum vixerunt eique placuerunt, perti- „ nentes ad ſpiritalem Jeruſalem. Quod nemini conceſſum fuiſſe creden- „ dum eſt, niſi cui divinitùs revelatus eſt mediator Dei & hominum, „ homo Chriſtus Jeſus." Huic conſentit auctor librorum *de Vocatione Gentium*, lib. 2. cap. 14. „ Et ſi fuerunt ex alienigenis, inquit, „ quos temporibus legis veritas illuſtrare dignata eſt, tamen tam pauci „ fuerunt, ut vix cognoſcatur an fuerint."

Ut autem SS. Patrum hac de re doctrina pleniùs percipiatur, tres epochas diſtingui oportet quæ ſucceſſivè effluxerunt, antequàm, promulgato Evangelio, plenitudo gentium in Eccleſiam intraret. Prima fuit ab Adamo uſque ad vocationem Abrahami. Tunc nulla familia divino cultui peculiariter conſecrata fuit; ſed apud quoſdam vigebat unius veri Dei cognitio, & fides in liberatorem ab eo promiſſum, quamvis in poſteris Seth & Sem religio incorrupta diutiùs permanſerit. Altera fluxit à vocatione Abrahami uſque ad legem per Moyſen datam, erectumque tabernaculum. Toto illo temporis intervallo, etſi à Patriarchis eorumque filiis potiſſimum conſervata eſt fides & expectatio Mediatoris, ejus tamen promiſſio antiquioribus Patribus facta non penitus obliterata fuit apud cæteras gentes, ut conſtat imprimis de Melchiſedech & Job, qui extra familiam Patriarcharum fide & ſanctitate floruerunt. Tertia cucurrit ab ingreſſu Iſraelitarum in terram Chanaan uſque ad prædicationem Evangelii. Toto autem illo tempore nullum apud exteras gentes veſtigium reperitur fidei in Mediatorem venturum. An verò illud myſterium aliquibus privatis ſingulari Dei gratiâ fuerit revelatum, nimis incertum eſt quàm ut id definire auſim, cùm hujuſmodi revelationis nulla uſquam mentio occurrat. Conſtat certè iſtud myſterium penitùs latuiſſe Philoſophos gentiles, neminemque in ulla alia gente appellari poſſe, qui venturum Meſſiam cognoverit, in eumque crediderit. Nam quod de Sybillis narratur, nimis obſcurum, imò fabuloſum eſt, quàm ut inde aliquid inferri poſſit. Num verò aliquibus ſoli Deo notis ea gratia contigerit, ſicut negare, ita temerè affirmare nolim; idcirco maximè quòd, ſi Deus voluiſſet nos hac de re aliquid certò noſſe, procul dubio indubitata nobis teſtimonia ſuppeditaſſet, quæ quandiu deſunt, multò ſatiùs eſt ea ignorare quæ obſcura ſunt, quàm inanibus conjecturis aſſequi velle quod exploratum eſſe nequit.

Corollarium.

Ex dictis hoc in capite duo ſequuntur non parvi momenti, quæ leviter attingere non pigebit.

Primum eſt, cavendum eſſe ne dictas ſententias moresve Paganorum ultra

tra modum admiremur, quaſi aut eorum placita cum Evangelii puritate, aut mores cum ſanctorum exemplis conferri queant. Longè aliter de illis ſentire nos admonet ſcripturæ & traditionis veraciſſima auctoritas. Incautis illis exaggeratisque laudibus ſimplices decipiuntur, ac paulatim aſſueſcunt fidem in Chriſtum gratiamque liberatricem parvi pendere, humilitatem aliasque Chriſtianas virtutes contemptui habere, præclaris virtutum ſimulacris nimiùm affici, prophanamque probitatem vento ſuperbiæ inflatam veluti juſtitiæ culmen extollere. Hinc S. Auguſtinum pœnituit quòd in primis ſuis libris Platonem plus æquo laudaſſet. „ Laus quoque ipſa, inquit lib 1 *Retractationum*, cap. 1, qua Platonem vel Platonicos..... tantùm extuli, non immeritò mihi diſpli„ cuit.“ Aliud quippe eſt quædam infidelium egregia facta interdum commemorare, ad corripiendos diſſolutos pravorum Chriſtianorum mores, vel ad incitandos fideles, ut pro vita æterna conſequenda ſimilia faciant, quemadmodùm Apoſtolus, 1 Corinth. IX. 26, athletarum exemplo uſus eſt ad torporem fidelium excutiendum, inquiens: *Omnis qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet; & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam:* aliud infidelium geſta quaſi numeris omnibus abſoluta, & perfectæ virtutis exemplaria, Chriſtianis imitanda proponere.

Alterum eſt, vitandam eſſe nimis aſſiduam librorum prophanorum Platonis, Epicteti, Senecæ, aliorumque ſimilium lectionem. Dici enim vix poteſt quantùm ardens illud ſtudium veræ ac ſinceræ pietati nocere capax ſit. Multa quidem vera & informandis moribus apta dixerunt antiqui illi Philoſophi, quæ velut ſpolia Ægyptiorum ab injuſtis poſſeſſoribus in rem noſtram meritò transferuntur; verùm cùm illa plurimis etiam falſis & noxiis permixta ſint, niſi illa lectio frequenti ſacrarum litterarum exercitatione dirigatur & corrigatur, valde timendum eſt ne in varios errores, atque in ipſum ſanctæ religionis faſtidium incautos abducat.

CAPUT SECUNDUM.

De variis humani generis ſtatibus poſt Adami lapſum.

QUAMVIS ſtatim poſt primi parentis prævaricationem Deus miſericors redemptorem promiſerit, qui ſerpentis caput contereret, non tamen confeſtim illum mundo exhibuit, ſed tantùm poſt quatuor annorum millia, quibus demum elapſis, Verbum caro factum eſt, & habi- Cur Mediatoris adventus diu dilatus fuerit.

Digitized by Google

bitavit in nobis plenum gratiæ & veritatis. Interim, per annos circiter bis mille & quingentos, homines ſibimetipſis dimiſſi ſolâ rationis legiſque naturalis luce illuſtrati fuerunt. Deinde, cæteris omnibus gentibus in eodem illo ſtatu remanentibus, ſoli populo Iſraëlitico lex à Deo data eſt per Moyſen in monte Sinaï, in tabulis lapideis exarata. Primus ſtatus dicitur *ſtatus naturæ*, ſive *ante legem*; alter dicitur *ſtatus legis*, ſeu *ſub lege*, duravitque annis circiter mille & quingentis uſque ad adventum Chriſti in carne.

Tam diuturnæ dilationis varias rationes proferunt SS. Patres. Prima eſt, ut intelligeremus Mediatorem nullatenùs nobis deberi, nec niſi planè gratuitâ Dei miſericordiâ nobis promiſſum eſſe. 2ª. Ut Mediatoris dignitas tantò magis appareret, quantò ſæpiùs promiſſus & ardentiùs deſideratus fuiſſet. 3ª. Ut plurimis rerum ſignis Prophetarumque oraculis ejus myſteria præfigurarentur ac prænuntiarentur, priuſquàm reipſâ exhiberentur. Quarta, cui potiſſimùm inhærent plerique SS. Patres, ut homines in duplici ſtatu ante legem & ſub lege diu hærentes, longo experimento admonerentur & convincerentur ſuæ infirmitatis, tum ad cognoſcendum quid eos facere oporteat, tum ad illud etiam cognitum perficiendum, innumeriſque erroribus & prævaricationibus ſuis edocti, agnoſcere & confiteri cogerentur non doctorem duntaxat ſibi eſſe neceſſarium, ſed etiam adjutorem Deum.

Enimverò duo potiſſimùm vulnera per peccatum originis contraximus, in intellectu ignorantiam & cæcitatem, in voluntate perverſum creaturarum amorem, qui cupiditas dicitur, noſque avertit à diligendo vero & ſummo bono, quod Deus eſt. Duo illa vulnera ex ſeipſis exitioſa cumulat ſuperba & tumida præſumptio, quâ inflatus homo confidit ſe ſibi ſufficere, quoties voluerit, ſive ad cognoſcendum, ſive ad faciendum bonum. Ad reprimendam ſtolidam illam præſumptionem, omnibuſque in poſterùm generationibus propriam ſuam infirmitatem demonſtrandam, Deus, tanquam ſapientiſſimus medicus, omnes Adami poſteros, paucis exceptis quos gratiæ electio diſcrevit, ſibimetipſis abſque doctrina legis primùm dimiſit. Illo in ſtatu denſiſſimis ignorantiæ tenebris involuti bonum à malo diſcernere vix potuerunt, cæcoque impetu turpiſſimis cupiditatibus morem geſſerunt, donec horrendâ errorum ac vitiorum colluvie ultramodùm depravati, tandem agnoviſſent magiſtro ſibi opus eſſe à quo edocerentur. Tunc Iſraëlitis ignorantiam quidem ſuam expertis, ſed adhuc de voluntatis ſuæ viribus ſuperbè confidentibus, lex extrinſecus data eſt maximo cum apparatu, ſcripta in tabulis, non in corde. Verùm ea lex bona, juſta & ſancta, non modò peccata non abſtulit, verùm etiam graviùs peccandi occaſio fuit, quia cupiditatem, quam ſanare & extinguere nequibat, magis ac magis irritavit: atque ita continuis Judæorum prævaricationibus tandem demonſtratum eſt humanam voluntatem, etſi lege ſanctiſſimâ admonitam, bonum am-

Digitized by Google

amplecti non valere, niſi per adjutorium medicinale, ſeu ſanctæ dilectionis inſpirationem ſanata fuerit.

Hanc divinæ ſapientiæ œconomiam egregiè exponit antiquiſſimus auctor Epiſtolæ ad Diognetum (inter Opera S. Juſtini), num. 9. „ Us- Edit. Commel. 1593. pag. 186.
„ que ad ſuperius tempus, inquit, (quo Filius Dei revelatus eſt) ſci-
„ vit nos (Deus) pro libito incertis motibus agitari, dum à volupta-
„ tibus & cupiditatibus tranſverſi raperemur, non quidem quòd ullo
„ modo peccatis noſtris gauderet, ſed ea tolerans, nec illud quo in-
„ juſtitia exercebatur tempus approbans, ſed mentem juſtitiæ creans,
„ ut cùm eo tempore convicti eſſemus è propriis operibus vitâ eſſe in-
„ digni, nunc Dei benignitas eâ nos dignaretur, & cum manifeſtum
„ feciſſemus non poſſe nos ex eo quod in nobis ſitum eſt regnum Dei
„ ingredi, per potentiam Dei nobis id poſſe daretur. Cùm autem ad
„ cumulum malitia noſtra perveniſſet, & planè manifeſtum foret merce-
„ dem peccati eſſe ſupplicium, & mors expectaretur, adveniſſetque tem-
„ pus à Deo præſtitutum ad ſuam deinceps benignitatem & potentiam
„ declarandam,.... proprium Ipſe Filium pretium redemptionis pro nobis
„ dedit..... Quid enim aliud peccata noſtra potuit tegere, quàm ejus
„ juſtitia? In quo alio nos iniqui & impii juſtificari poſſumus, quàm
„ in ſolo Dei Filio?..... Cùm igitur ſuperiori tempore hujus nos rei
„ conviciſſet, non poſſe noſtram naturam vitam conſequi; nunc au-
„ tem Servatorem oſtendiſſet, qui ſervare poſſet ea etiam quæ ſervari
„ non poterant, utrimque nos benignitati ſuæ fidem habere voluit,
„ ipſum exiſtimare altorem, magiſtrum, conſiliarium, medicum, men-
„ tem, lucem, honorem, gloriam, robur, vitam."

Idem docet S. Joannes Chryſoſtomus, hom. 7 in Epiſt. ad Rom. num. Tom. 9. al. 4. pag. 7[illegible].
13. „ Nunc, inquit, (noviſſimis iſtis temporibus) ille venit, ut ne
„ dicerent, ſi in principio veniſſet, potuiſſe fieri ut per legem ſalus ob-
„ tineretur propriis laboribus & operibus. Hanc igitur illorum impu-
„ dentiam cohibens, diuturno tempore diſtulit, ita ut poſtquàm de-
„ prehenſum eſſet ipſos non ſibi ſufficere, tunc per gratiam ſuam ſalu-
„ tem illis daret."

S. Hildebertus Cœnomanenſis Epiſcopus, Serm. 65 in feſto Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ: „ Diligenti conſilio, inquit, idonea miſſio Pag. 557.
„ fuit, poſtquàm homines eſſent convicti quòd nihil ſalutis ex ſe poſ-
„ ſent habere, neque per naturalem legem, neque per ſcriptam. Per-
„ miſit enim duo tempora tranſire, ſcilicet ante legem & ſub lege. An-
„ te ſcriptam legem lex naturalis & ducatus rationis, quo nequaquam
„ potuit genus humanum ſalvari...... Lex verò ſcripta poſteà data ipſa
„ potiùs cœpit nocere quàm juvare...... Ubi verò venit plenitudo tem-
„ poris quod Deus providerat, miſit Filium ſuum, ut quod neutra lex
„ facere poterat, gratia Chriſti ſuppleret, id eſt, humanum genus libe-
„ raret."

Demùm, ut alios hujus doctrinæ teſtes omittam, Angelicus Doctor eam luculentiſſimè exponit 1. 2. quæſt. 98. art. 6. in corp. „ De duobus, inquit, homo ſuperbiebat, ſcilicet de ſcientia & de potentia. „ De ſcientia quidem, quaſi ratio naturalis ei poſſet ſufficere ad ſalutem: & ideò ut de hoc ejus ſuperbia convinceretur, permiſſus eſt homo regimini ſuæ rationis absque adminiculo legis ſcriptæ, & experimento homo diſcere potuit quòd patiebatur rationis defectum, per „ hoc quòd homines usque ad idololatriam & turpiſſima vitia circa Abrahæ tempora ſint prolapſi.“ Et ideò poſt hæc tempora (poſtquàm ſcilicet demonſtrata eſt rationis humanæ infirmitas ad dignoſcendum quid agere oporteat) „ neceſſarium fuit legem ſcriptam dari in remedium humanæ ignorantiæ, quia per legem convicta eſt ejus ſuperbia de infirmitate, dum implere non poterat quod cognoſcebat. Et „ ideò, ſicut Apoſtolus concludit, Rom. VIII, *quod impoſſibile erat legi, „ in quo infirmabatur per carnem, Deus miſit Filium ſuum, ut juſtifica- „ tio legis impleretur in nobis.*“

Humanum genus, velut unus homo, per varias proficit ætates. Quatuor illius ætates.

Inde liquet humanum genus, ab Adami peccato usque ad perfectam in gloria conſummationem, conſiderari poſſe tanquam unum hominem varias ætates ſucceſſivè decurrentem, & pro illarum differentia diverſimodè gubernatum, uti obſervat S. Auguſtinus lib. 83 *Quæſtionum*, quæſt. 53. Idem ipſe quoque Apoſtolus inſinuat, Galat. IV. 1 & ſeq. ubi dicit: *Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cùm ſit dominus omnium; ſed ſub tutoribus & actoribus eſt usque ad præfinitum tempus à patre, ita & nos cùm eſſemus parvuli ſub elementis mundi eramus ſervientes. At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, ... ut eos qui ſub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.*

Igitur ſicut ſingulorum hominum tres quatuorve ætates diſtinguuntur, ita humani quoque generis tres quatuorve ætates diſtinguunt Scripturæ ac SS. Patres. Prima, velut infantia, legem ſcriptam præceſſit. Secunda, velut adoleſcentia, fuit ſub lege. Tertia, tanquam virilis ætas, inchoatur ſub gratia & perficietur in gloria, quam Apoſtolus appellat *virum perfectum & menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

De tribus ætatibus ſigillatim ordine dicturi, neceſſe eſt ut eas primùm generatim conſideremus. Recenſet illas S. Paulus Rom. V. 15: *Usque ad legem*, inquit, *peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non eſſet; ſed regnavit mors ab Adam usque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ.* En prima ætas, *ante legem*, quando peccatum in hominibus dominabatur non tantùm ei non reſiſtentibus, ſed nequidem cognoſcentibus, adeò craſſa & ſupina erat illorum ignorantia. Addit v. 20: *Lex autem ſubintravit ut abundaret delictum.* En ſecunda ætas, *ſub lege*, quæ non ſuo, ſed hominum vitio cordisque duritiâ occaſio fuit gravius delinquendi. *Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia; ut, ſicut regnavit pecca-*

Digitized by Google

catum in mortem, ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam. En tertia ætas, *ſub gratia*, quæ juſtitiam inſpirat. Reſtat quarta ætas, *in pace*, ſeu in gloria, quæ juſtitiæ & redemptionis complementum eſt.

Easdem ætates ſeu eosdem ſtatus iterum deſcribit ibidem, cap. VII. Primum quidem ſtatum ſic delineat: *Peccatum non cognovi niſi per legem; nam concupiſcentiam neſciebam*, id eſt, neſciebam malum eſſe concupiſcere, *niſi lex diceret: non concupiſces. Sine lege enim peccatum mortuum erat*, id eſt, erat quaſi mortuum, nec ſentiebatur: *ego autem vivebam ſine lege aliquando*, id eſt, viventem me eſſe exiſtimabam antequàm per legem convincerer mortuum me eſſe. Alterum ſtatum, qui ſub lege ſucceſſit, ſtatim his verbis adumbrat: *Sed cùm veniſſet mandatum, peccatum revixit*, id eſt, peccatum, quod latenter vivebat & in me graſſabatur, ſentiri cœpit, & ego legis præceptis commonitus deprehendi me per peccatum mortuum eſſe, qui priùs vivere me arbitrabar; *& inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Nam peccatum, occaſione acceptâ per mandatum, ſeduxit me & per illud occidit*, tum quia mortuum me eſſe demonſtravit, tum etiam quia corrupta & perverſa mea voluntas mandato coërcita niſa eſt in vetitum, graviùsque peccavit addito etiam prævaricationis cumulo. Tertium ſtatum poſteà exponit ſic dicens: *Nunc autem jam non ego operor illud* (malum), *ſed quod habitat in me peccatum*, id eſt, concupiſcentia..... *Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem, ... mente ſervio legi Dei.* Denique ultimum ſtatum, qui erit in pace, optat potius quàm deſcribit, cùm exclamat: *Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum.*

Ex his textibus perſpicuum eſt primum ſtatum, ante legem, eſſe ſtatum ignorantiæ effrænisque libidinis; alterum, ſub lege, eſſe ſtatum infirmitatis & prævaricationis; tertium, ſub gratia, eſſe ſtatum juſtitiæ contra peccatum ſtrenuè dimicantis; quartum, in gloria, ſtatum eſſe perfectæ ſecuritatis & ſempiternæ beatitudinis.

Nullis meliùs quàm S. Auguſtini verbis iſta explicari poſſunt. Sic loquitur S. Doctor in lib. 83 *Quæſtionum*, quæſt. 66. num. 3: „ Prima „ eſt actio ante legem, ſecunda ſub lege, tertia ſub gratia, quarta in „ pace. Ante legem actio eſt, cùm peccatum ignoramus & ſequimur „ carnales concupiſcentias. Sub lege eſt actio, cùm jam prohibemur à „ peccato, & tamen conſuetudine ejus victi peccamus, quoniam non„ dum adjuvat fides. Tertia actio eſt, quando jam pleniſſimè credimus „ liberatori noſtro, nec meritis noſtris aliquid tribuimus, ſed ejus mi„ ſericordiam diligendo jam non vincimur delectatione conſuetudinis „ malæ, cùm ad peccatum nos ducere nititur, ſed tamen adhuc eam „ interpellantem patimur, quamvis ei non tradamur. Quarta eſt actio, „ cùm omninò nihil eſt in homine quod reſiſtat ſpiritui, ſed omnia „ ſibimet concorditer juncta & connexa unum aliquid firmâ pace cuſ-

„ todiunt, quod fiet mortali corpore vivificato.“ Et num. 7: „ In
„ prima actione, quæ eſt ante legem, nulla pugna eſt cum voluptatibus
„ hujus ſæculi: in ſecunda, quæ ſub lege eſt, pugnamus, ſed vincimur:
„ in tertia pugnamus & vincimus: in quarta non pugnamus, ſed per-
„ fectâ & æternâ pace requieſcimus.“

Non minùs dilucide & eleganter argumentum iſtud tractat in *Expo-ſitione quarumdam Propoſitionum Epiſtolæ ad Romanos*, Propoſ. 13.
„ Quatuor, inquit, iſtos gradus hominis diſtinguamus, ante legem,
„ ſub lege, in gratia, in pace. Ante legem ſequimur concupiſcen-
„ tiam carnis; ſub lege trahimur ab ea; ſub gratia nec ſequimur
„ eam nec trahimur ab ea; in pace nulla eſt concupiſcentia car-
„ nis. Ante legem ergo non pugnamus, quia non ſolùm concu-
„ piſcimus & peccamus, ſed etiam approbamus peccata: ſub lege pu-
„ gnamus, ſed vincimur; fatemur enim mala eſſe quæ facimus, & fa-
„ tendo mala eſſe utique nolumus facere, ſed, quia nondum eſt gratia,
„ ſuperamur. In iſto gradu oſtenditur nobis quomodò jaceamus, &
„ dum ſurgere volumus & cadimus, gravius affligimur.“ Et Propoſ. 14:
„ Sic ergo jacens cùm ſe quiſque cognoverit per ſeipſum ſurgere
„ non valere, imploret liberatoris auxilium. Venit enim gratia quæ
„ donet peccata præterita, & conantem adjuvet, & tribuat caritatem
„ juſtitiæ, & auferat metum.“ Et num. 35: „ Quod autem ait
Rom. VI. „ Apoſtolus, *peccatum vobis non dominabitur, non enim ſub lege eſtis,*
„ *ſed ſub gratia*, utique ad tertium illum gradum jam pertinet, ubi
„ homo jam mente ſervit legi Dei, quamvis carne ſerviat legi peccati.
„ Cui autem dominatur peccatum, quamvis velit peccato reſiſtere, ad-
„ huc ſub lege eſt, nondum ſub gratia.“

Hos textus attentè conſideranti apparet 1° quatuor memoratos gradus per progreſſum quemdam fieri ſolere. Sicut enim infantiæ pueritia, pueritiæ adoleſcentia, adoleſcentiæ juventus, juventuti virilis ætas aliquid addit quod prius deſiderabatur; ſic ſtatus legis ſupra ſtatum naturæ an-„ te legem addit cognitionem peccati: ſtatus gratiæ ſupra naturam & cognitionem legis addit caritatis inſpirationem, quâ & natura ſanatur & lex impletur: ſtatus gloriæ gratiam conſummat per caritatis plenitudinem. Apparet 2° priores ſtatus non complecti ea quæ poſterioribus propria ſunt, poſteriores verò includere quidquid reale ac poſitivum in prioribus continetur. Proinde ſicut ante legem non eſt lex, neque ante pacem pax, ita ante legem & ſub lege non eſt gratia, ut expreſſè obſervat S. Auguſtinus poſt Apoſtolum. Alioquin hæc ſtatuum diſtinctio illuſoria eſſet & chimerica, ſi gratia, quæ tertium ſtatum conſtituit, in primo quoque & ſecundo includeretur. Apparet 3° (idque ad veram converſionem ſinceramque juſtitiam dignoſcendam plurimum conducit) illos ſtatus non tantum univerſi humani generis ſucceſſivè fuiſſe, ſed diſtingui etiam poſſe in ſingulis hominibus qui nunc in Eccleſia exteriùs ver-

verſantur, id eſt, alios eſſe quaſi ante legem, alios ſub lege, alios ſub gratia. Ante legem ſunt qui ea quæ ſunt legis ſcire & implere contemnunt: ſub lege ſunt qui probè ſcientes quid agere debeant, peccatis tamen mortalibus pravisque conſuetudinibus debilius reluctantes ſuperantur: ſub gratia ſunt qui amore juſtitiæ delectati peccatum ſuperant, nec ei amplius conſentiunt. Hi ſoli Chriſtianorum nomine propriè digni ſunt, atque ad recipienda novæ legis ſacramenta ritè diſpoſiti. Nam, ut ait ſupra S. Auguſtinus, *cui dominatur peccatum, quamvis velit peccato reſiſtere, adhuc ſub lege eſt, nondum ſub gratia.* Apparet 4° illos ſtatus non tantùm variis hominum claſſibus competere, ſed etiam ſingulos adultos, ut plurimùm, in prioribus aliquandiu verſari, antequàm ad veram ſtabilemque juſtitiam perveniant. Nam, ut ait S. Auguſtinus lib 21 *de Civitate Dei*, cap. 16: „ Pauciſſimi ſunt tantæ felicitatis, ut „ ab ineunte adoleſcentia nulla damnabilia peccata committant, vel in „ flagitiis, vel in facinoribus, vel in nefariæ cujusdam impietatis er- „ rore, ſed magnâ ſpiritûs largitate opprimant quidquid eis poſſet car- „ nali delectatione dominari. Plurimi verò, præcepto legis accepto, cùm „ priùs victi fuerint, prævalentibus vitiis, & prævaricatores ejus effecti, „ tunc ad gratiam confugiunt adjuvantem, quâ fiant, & amariùs pœni- „ tendo & vehementiùs pugnando, prius Deo ſubditâ atque ita carni „ præpoſitâ mente, victores.“ Igitur juſtitiam in adultis plerùmque præcedit primùm ſtupida & cæca ſecuritas. Deinde per mandata & comminationes legis timor ſalutaris quidem, ſed minimè ſufficiens ad ſanandam voluntatem excludendumque affectum peccati: irriti fiunt conatus, pugna debilis & impotens, victrixque remanet prava peccandi conſuetudo. Demùm, quando Deus altiùs miſerando gratiæ potentis auxilium præbet, fit homo victor peccati, Deoque tantò acceptior, quantò juſtitiæ dilectio fortior eſt. Iſtos gradus, qui decurri ſolent priusquàm juſtitia in corde regnet, ſic deſcribit idem S. Doctor in *Enchiridio*, num. 31. cap. 118. „ Cùm in altiſſimis ignorantiæ tenebris, nullâ reſiſtente „ ratione, ſecundùm carnem vivitur, hæc ſunt prima hominis. Deinde „ cum per legem cognitio fuerit facta peccati, ſi nondum divinus adju- „ vat Spiritus, ſecundùm legem volens vivere vincitur, & ſciens pec- „ cat, peccatoque ſubditus ſervit...... Hæc ſunt ſecunda hominis. Si „ autem reſpexerit Deus, ut ad implenda quæ mandat ipſe adjuvare cre- „ datur, & agi homo cœperit Dei Spiritu, concupiſcitur adverſus car- „ nem fortiore robore caritatis...... Hæc ſunt tertia bonæ ſpei homi- „ nis: in quibus ſi piâ perſeverantiâ quisque proficiat, poſtrema pax „ reſtat, quæ poſt hanc vitam in requie ſpiritûs, deinde in reſurrectione „ etiam carnis implebitur...... Sic eſt & Dei populus ordinatus per „ temporum intervalla, ſicut Deo placuit, qui in menſura & numero „ & pondere cuncta diſponit.“ Quis non miretur iſtam divinæ ſapientiæ œconomiam ſingulos electos eo modo gubernantem, quo univerſum genus

Digitized by Google

nus humanum, ab initio mundi ad finem usque ſæculorum, adminiſtrat; ita ut præteritorum temporum varios caractères percurrendo, non alienam hiſtoriam, ſed noſtræ infirmitatis noſtræque renovationis grandem magnificamque imaginem ſinguli intueamur? Porrò tertium ſtatum, qui ſub gratia eſt, rectè definieris dilectionem Dei in corde regnantem ac prædominantem, quâ cupiditas non quidem extirpatur, ſed vincitur, ita ut non ampliùs regnet peccatum in noſtro mortali corpore. Triplex etiam ille ſtatus ſic à S. Auguſtino deſcribitur in *Expoſitione Epiſtolæ ad Galatas*, num. 46: „Sicut prima hominis vita eſt ante legem, cùm „ nulla nequitia & malitia prohibetur, neque ulla ex parte pravis cupi- „ ditatibus reſiſtit, quia non eſt qui prohibeat; ſic ſecunda eſt ſub le- „ ge, ante gratiam, quando prohibetur quidem, & conatur à peccato „ abſtinere ſe, ſed vincitur; quia nondum juſtitiam propter Deum & „ propter ipſam juſtitiam diligit, ſed eam ſibi vult ad conquirenda ter- „ rena ſervire. Ita, ubi viderit ex una parte iſtam, ex alia commodum „ temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, & relinquit juſti- „ tiam, quam propterea tenere conabatur, ut haberet illud quod ſe nunc „ videt amittere ſi illam tenuerit. Tertia eſt vita ſub gratia, quando „ nihil temporalis commodi juſtitiæ præponitur; quod niſi caritate ſpi- „ ritali, quam Chriſtus exemplo ſuo docuit & gratiâ donavit, fieri „ non poteſt. In hac enim vita etiamſi exiſtant deſideria carnis de „ mortalitate corporis, tamen mentem ad conſenſionem peccati non „ ſubjugant.“ Apparet 5° non omnes homines ad ſecundum ſtatum, multò etiam pauciores ad tertium pertingere; ſiquidem plurimi ſunt qui ad mortem usque pravis cupiditatibus ſerviunt, earumque jugum excutere nullatenùs conantur; vel qui vellent quidem & interdum conantur à peccato penitùs abſtinere, ſed imperfecto atque inani conatu. Apparet 6° multos peccatores diu hærere in primo & ſecundo ſtatu, priusquàm in tertio conſtituantur; quemadmodùm genus humanum in ſtatibus naturæ ante legem & ſub lege diu verſatum eſt, antequàm gratiæ revelandæ tempus adveniſſet. Si verò quæras quam ob cauſam Deus ſæpè dudum differat integræ converſionis donum eis impertiri, quos ad juſtitiam adducere ab æterno decrevit, respondebit S. Proſper, in Pſalmum 106. v. 9 & ſeq., „ utique poſſe Dominum, remotis ob- „ ſtaculis, ſponte prævenire (vincula impoſſibilitatis), niſi utile eſſet „ homini experiri infirmitatem ſuam, & de bonis operibus non in ſe, „ ſed in Domino gloriari, ut noverit confiteri Domino miſerationes „ ejus, cujus munere accepit ut cupiditates ſuas poſſit evincere.“

Omnium certè plurimùm intereſt de his quæ modò dicta ſunt diligenter edoceri, ac ſedulò ſcrutari in quo ex tribus memoratis ſtatibus verſentur; nec minùs intereſt confeſſariorum ſeriò explorare utrùm ii qui ad ipſos accedunt adhuc ſub lege, an ſub gratia ſint, nec priùs reconciliationis beneficium illis impertiri, quàm moraliter certi ſint nullum

Digitized by Google

lum temporale bonum amori juſtitiæ ab ipſis præponi. Sed de his conſuli poſſunt Diſſertatio Theologica Opſtraëti *de Converſione peccatoris*, & liber gallicus inſcriptus: *Directeur des ames pénitentes*.

Non ſolius S. Auguſtini eſt illa, quam expoſuimus, trium humani generis ſtatuum diſtinctio, ſed etiam aliorum Patrum, atque imprimis S. Fulgentii Præſulumque Africanorum in libro *de Incarnatione & gratia*, cap. 16; S. Gregorii magni multis in locis; Bedæ cap. 12 *Comment. in Joannem*, pag. 555, Hugonis Victorini *Not. in Epiſt. ad Galatas*, quæſt. 18. pag. 317; Roberti Pulli, Summæ part. 3. cap. 1. pag. 96; Guillelmi Autiſſiodorenſis, lib. 4. cap. 1. pag. 242 &c. Adeò autem uſitata & vulgaris ſemper fuit in Eccleſia illa diſtinctio, ut ipſimet Pelagiani ſaltem voce tenùs eam admittere coacti fuerint. Dicebant quippe homines habuiſſe primùm naturam ſolam, deinde legis adjutorium, ,, ac demum gratiam, quam in exemplis Chriſti & in doctrina Evangelica collocabant; in hoc errantes & à Catholicis diſſidentes, quòd homines primùm per naturæ vigorem, deinde per legis & doctrinæ adjumentum, poſtremò per prædicationem Evangelicam juſtitiam conſecutos eſſe dicerent.

His generatim præmiſſis, nunc opus eſt duos primos ſtatus ſigillatim conſiderare; nam de tertio, qui ſub gratia eſt, tractabitur poſteà libris Quarto & Sexto.

QUÆSTIO PRIMA.

De ſtatu humani generis ante legem.

Is ſtatus fuit omnium hominum antequam lex per Moyſen daretùr, paucis exceptis quos gratia per fidem Chriſti ſalvos fecit, quales fuere Adam, Abel, Seth, Henoch, Noë, Sem, Abraham, cæterique Patriarchæ, Melchiſedech, Job, Moyſes, aliique juſti, quos ſcriptura divina commemorat, vel de quibus ſilet. Fuit etiam cæterorum omnium populorum, qui, poſt legem ſoli populo Iſraëlitico datam ſibimetipſis derelicti, idolorum cultores fuerunt, multimodiſque erroribus & vitiis ſervientes. Eſt etiamnum plurimarum gentium, quibus Evangelii lumen nondum illuxit, ſedentibus in tenebris & umbra mortis. Denique idem ſtatus eſt omnium impiorum, qui quocunque tempore & quocunque in loco ita vivunt, quaſi ſine Deo & ſine lege eſſent.

 Hunc

Digitized by Google

Hunc ſtatum paucis, ſed apertiſſimis verbis deſcribit S. Paulus, Act. XIV. 15, cum dicit Deum *in præteritis generationibus dimiſiſſe omnes gentes ingredi vias ſuas*, & rurſus cum in Areopago Athenienſes alloquens, Act. XVII, ea tempora, quæ Apoſtolicam prædicationem apud gentes præceſſerant, appellat *tempora ignorantiæ* quæ *deſpexit Deus*; quibus ſatis manifeſtè declaratur toto illo temporis intervallo pleroſque homines gratiæ interioris auxilio deſtitutos fuiſſe. Et ſanè ſi in veteri lege Judæi carnales ſuâ culpâ caruerunt gratiâ Chriſti, quâ ſe minimè indigere arbitrabantur, quantò minùs data fuit illis gentibus, quas idem Apoſtolus, Epheſ. II. 12, teſtatur fuiſſe *hoſpites teſtamentorum*, *promiſſionis ſpem non habentes*, *ſine Chriſto & ſine Deo in hoc mundo*.

Quonam autem conſilio Deus tot hominum millia & olim ſibi ipſis dimiſit, & etiam nunc dimittit, niſi ut in eis, tanquam in magno exemplari, agnoſcamus gratiam Chriſti nemini eſſe debitam, gratiaſque ampliores agamus Chriſto Redemptori noſtro, propter cujus merita nobiſcum miſericordiùs actum eſt? Sed de humanæ naturæ ſtatu ante legem pauca iſta ſufficiant.

QUÆSTIO SECUNDA.

De ſtatu hominum ſub lege veteri ſeu Moſaïca.

Veteris legis, ſeu veteris teſtamenti duplex acceptio.

OBSERVANDUM eſt imprimis cum S. Auguſtino, lib. 3 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 4. num. 12, nomen veteris legis ſeu veteris teſtamenti duplici ſenſu accipi: 1°. Pro ea ſcripturarum divinarum parte, quæ ante incarnationem Chriſti inſpirata fuit, & in qua continentur non tantum præcepta Iſraëlitis data, ſed etiam omnia Prophetarum oracula. 2°. Pro fœdere à Deo cum Iſraëlitis ſancito in monte Sinaï, quod fœdus conſtabat ex parte Dei in præceptis exteriùs datis, in protectione multiplici, in promiſſis & minis temporalibus; & ex parte Iſraëlitarum in legis acceptione, & in ſolemni ſponſione, quâ ſeſe ad illam in omnibus obſervandam obſtrinxerant. Hoc poſtremo ſenſu teſtamentum vetus ſumpſit Apoſtolus, Galat. IV, cùm dicit duos Abrahama filios, *unum de* Agar *ancilla*, *& alterum de* Sara *libera*, ſignificaſſe *duo teſtamenta*, *unum quidem in monte Sinai in ſervitutem generans*, alterum generans in libertatem. Hoc ſecundo ſenſu veterem legem vetuſque teſtamentum hîc accipimus.

In

In illo fœdere cum Iſraelitis inito duplicis generis leges à Deo per Moyſen datæ ſunt, aliæ morales quas Decalogum vocamus, aliæ cæremoniales, quibus ritus omnes ad externum Dei cultum pertinentes præſcribebantur. His acceſſerunt plurima præcepta judicialia, quæ populi Iſraëlitici jus civile conſtituebant, ſed de quibus non hîc agitur. Inter legem autem moralem & legem cæremonialem grande diſcrimen eſt. Nam 1° lex moralis ad legem ipſam æternam & naturalem pertinet, omneſque homines obligabat etiam priusquàm exteriùs promulgaretur, & nunc quoque non minùs Chriſtianos obligat quàm Judæos; lex verò cæremonialis merè poſitiva fuit & à libero Dei beneplacito dependens; ideòque nec Judæos obligabat priusquàm promulgaretur, nec cæteras gentes obligavit, quibus nullatenus fuit impoſita. Hanc legem, quæ Mediatorem venturum prænuntiabat & præfigurabat, Chriſtus paſſione ac morte ſua implevit ſimul & abolevit. 2°. Quisquis legem moralem totam obſervat juſtus eſt apud Deum. Nam, ut ait Apoſtolus, Rom. II. 13, *factores legis juſtificabuntur:* lex verò cæremonialis, etiamſi ad amuſſim obſervaretur, nullatenùs ex ſeipſa juſtificabat, quia tota illius obſervatio conſiſtit in ritibus quibusdam externis, qui conſcientiam minimè afficiunt, impleríque poſſunt quamvis cor longè ſit à Deo.

Lex moralis & lex cæremonialis. Quando & cur lex cæremonialis data fuerit.

Duo illa legum genera non ſimul Iſraëlitis data ſunt, ſed ſucceſſivè. Nam poſt exitum de Ægypto ſola lex moralis eis tradita eſt in tabulis lapideis, nec aliâ opus fuiſſet, ſi illam obſervaſſent. Quia verò ad adorandum vitulum aureum ſtatim converſi ſunt, noveratque Deus illos ſemper rebelles ac duræ frontis futuros, novum illis præceptorum jugum impoſuit, quibus tanquam ſervi contumaces conſtringerentur, & à cultu falſorum numinum averterentur. Id ipſe Deus apertiſſimè declarat apud Ezechielem, cap. 20: *Ejeci eos, dicit Dominus, de terra Ægypti, & eduxi eos in dèſertum, & dedi eis præcepta mea, & judicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo vivet in eis*, id eſt, legem moralem, cujus obſervatio vitam confert ſpiritualem...... *Et irritaverunt me domus Iſraël in deſerto, in præceptis meis non ambulaverunt, & judicia mea projecerunt, quæ faciens homo vivet in eis, & ſabbata mea violaverunt vehementer. Dixi ergo ut effunderem furorem meum ſuper eos in deſerto, & conſumerem eos;.... & pepercit oculus meus ſuper eos ut non interficerem eos, nec conſumpſi eos in deſerto.* Enumeratis deinde plurimis Iſraëlitarum prævaricationibus, ſic proſequitur ſermo divinus: *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent* (præcepta cæremoniala), *& pollui eos in muneribus ſuis, cùm offerrent omne quod aperit vulvam, propter delicta ſua: & ſcient quia ego Dominus.* Ex his multi docti ſcripturarum interpretes rectè concludunt legem cæremonialem non niſi ſecundariò & propter populi Judaici duritiem datam fuiſſe. Idem non minùs disertè declaratur Jeremiæ VII. 21: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: Holocautomata addite victimis veſtris, & comedite carnes: quia*

 non

non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis, in die quâ eduxi eos de terrâ Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum; ſed hoc verbum præcepi eis dicens: audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus. Quorum verborum ſenſus profectò non eſt Deum nihil de ſacrificiis præcepiſſe, ſed nihil eorum præcepiſſe quo tempore primùm eduxit populum ſuum de Ægypto, nihilque hujusmodi præceptorum fuiſſe, ſi ita diſpoſiti fuiſſent Iſraelitæ, ut Decalogum ex animo obſervarent. Idem quoque docent Conſtitutiones Apoſtolicæ, lib. 6. cap. 20; S. Juſtinus *in Dialogo cùm Tryphone*, num. 20. 21. 27. 46 (pag. 183. 184 & 205. edit. Commel. anni 1593); S. Irenæus lib. 4 *adverſùs Hæreſes*, cap. 14 & 15, al. 28 & 29; Origenes, hom. 17 in Numeros; S. Hieronymus Comment. in Jeremiam, cap. 7. v. 21; Theodoretus Comment. in Ezechielem, cap. 20. S. Irenæi verba hæc ſunt: „ Deus primò quidem per naturalia præcepta, quæ ab initio infixa dedit hominibus, „ admonens eos, id eſt, per decalogum (quæ ſi quis non fecerit non „ habebit ſalutem), & nihil plus ab eis exquiſivit..... At ubi converſi „ ſunt in vituli factionem, & reverſi ſunt animis ſuis in Ægyptum, „ ſervi pro liberis cupientes eſſe, aptam concupiſcentiæ ſuæ acceperunt „ reliquam ſervitutem, à Deo quidem non abſcindentem, in ſervitutis „ autem jugo dominantem eis.“

Duo errores oppoſiti circa legem veterem, Manichæorum & Pelagianorum.

Duos errores ſibi mutuò contrarios circa legem veterem damnavit Eccleſia, unum Marcionitarum & Manichæorum, qui eam malam eſſe & à malo principio datam fuiſſe contendebant; alteram Pelagianorum, qui ſic eam extollebant, ut vim juſtificandi illi tribuerent.

Ab iſto Pelagianorum errore non ſatis recedunt, qui volunt legem veterem, non ſecùs ac novam, eo conſilio datam fuiſſe, ut Judæos ad juſtitiam perduceret, eique ſemper adjunctum fuiſſe gratiæ auxilium, quo uti vel non uti in Judæorum omnimoda eſſet poteſtate. Hac enim opinione veteris & novæ legis diſcrimen penitùs tollitur.

Ad evertendum utrumque illum errorem, oſtendemus primò contra Marcionitas, Manichæos, aliasque hujusmodi peſtes, legem Moſaïcam bonam ſanctamque fuiſſe: deinde adverſùs Pelagianos eorumque reliquias disquiremus 1° utrùm lex vetus fuerit ſufficiens ad juſtitiam comparandam: 2° quo fine illa data ſit à Deo: 3° utrùm gratiæ adjutorium habuerit ſibi conjunctum, omnibusque Judæis ſubminiſtratum: 4° quænam ſint veteris & novi teſtamenti differentiæ: 5° denique an aliqui etiamnum in Eccleſia ipſa Catholica degentes ad vetus teſtamentum pertineant, ſive quid ſit eſſe ſub lege.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS PRIMUS.

PROPOSITIO.

Lex Moſaica bona, juſta & ſancta fuit.

Lex Moſaica, ut dictum eſt, duo præceptorum genera complectitur, moralia & cæremonialia. Præcepta moralia bona & ſancta eſſe ratio ipſa demonſtrat, teſtaturque Apoſtolus Rom VII. 12: *Lex quidem ſancta*, inquit, *& mandatum ſanctum, & juſtum & bonum;* & 1 Timoth. I. 8: *Scimus quia bona eſt lex, ſi quis eâ legitimè utatur.* Et certè omnia decalogi præcepta naturalia ſunt, à lege ipſa æterna derivantur, atque univerſa continentur in mandato dilectionis Dei & proximi, quod Chriſtus, nedum aboleverit, expreſſè inſtauravit ac fortiùs adſtrinxit. Præcepta illa transgredi, vel non ſervare, ſemper & ex ſeipſo malum ac perverſum eſt. „ Non autem eſſet mala legis prævaricatio, ait S. Auguſtinus Serm. 152, num. 6, niſi ipſa eſſet bona. Si enim non eſſet bona, non eſſet malum prævaricari rem malam. Quia verò malum eſt eam prævaricari, ergo bona eſt. Quid tam bonum, quàm: *non concupiſces?*" Demum quomodò bona & optima non eſſet ea lex, quæ nonniſi juſta præcipit, quæ malè agentibus ſupplicia, rectè agentibus vitam æternam decernit, cui juſti omnes condelectantur ſecundum interiorem hominem?

Præcepta moralia optima & ſancta ſunt.

Quando igitur *littera* legis dicitur *occidere*, intelligendum eſt cum S. Thoma, 1. 2. quæſt. 98. art. 1. ad 2, „ non effectivè, ſed occaſionaliter, ex legis imperfectione, in quantùm ſcilicet gratiam non conferebat, per quam homines implere poſſent quod mandabat, vel vitare quod vetabat: & ſic occaſio iſta non erat data, ſed ſumpta ab hominibus..... Ex hac etiam ratione dicitur quod *lex ſubintravit ut abundaret delictum*, ut ly *ut* teneatur conſecutivè, non cauſaliter, in quantùm ſcilicet homines accipientes occaſionem à lege abundantiùs peccaverunt." Non aliter dictum ſuum exponit ipſe Apoſtolus, cùm dicit, Rom. VII. 11 & 13, *peccatum*, id eſt, concupiſcentiam ex peccato natam & ad peccatum impellentem, *occaſione acceptâ per mandatum, ſeduxiſſe, & per illud occidiſſe*, atque, *ut appareat peccatum, per bonum operatum eſſe mortem.*

Quo ſenſu littera occidit.

Non ſolius legis proprium eſt, ut, quamvis bona, occaſio tamen ſit peccati & mortis. Ipſi enim Apoſtoli, tametſi vitæ & doctrinæ optimæ, multis tamen fuerunt *odor mortis in mortem*, ut dicitur 2 Corinth. II. 16.

16. *Scientia*, licet ex ſe bona, *inflat*, ubi caritas non ædificat, 2 Corinth. VII. 1. „ Ergo, ut concludit S. Auguſtinus lib. 15 *contra Fauſtum*, cap. 8, „ lex ſemper eſt bona, ſive obſit inanibus gratiâ, ſive pro„ ſit plenis gratiâ, ſemper eſt bona: ſicut ſol ſemper eſt bonus, quia „ omnis creatura Dei bona eſt, ſive dolentibus oculis noceat, ſive ſa„ nos mulceat. Proinde quod eſt oculis ſanitas ad videndum ſolem, „ hoc eſt gratia mentibus ad implendam legem.“

Et ſanè quam ob cauſam littera legis Judæos occidit, niſi quia illam transgreſſi ſunt? Si autem legis transgreſſio mors eſt animæ, igitur ejus obſervatio vita eſt animæ. Quomodò verò bonum non eſt, quod obſervatum vitam, violatum mortem affert? Lex quidem non juſtificabat, ideòque erat imperfecta, non autem mala. Præmiſit ergo Deus bonum imperfectum, quo præpararentur homines, ut poſteà majus bonum, gratiam ſcilicet juſtificantem conſequi poſſent. Hoc quippe Deum inter & homines intereſt, uti obſervat Angelicus Doctor, 1. 2. quæſt. 98, art. 1. in corp., quòd „ illud quod ſufficit ad perfectionem legis hu„ manæ, ut ſcilicet peccata prohibeat & pœnam apponat, non ſufficit „ ad perfectionem legis divinæ; ſed oportet quòd hominem totaliter „ faciat idoneum ad participationem felicitatis æternæ: quod quidem fieri „ non poteſt niſi per gratiam Spiritûs ſancti, per quam diffunditur ca„ ritas in cordibus noſtris, quæ legem adimplet...... Hanc autem gra„ tiam lex vetus conferre non potuit, reſervabatur enim hoc Chriſto. „ ..... Et inde eſt quòd lex vetus bona quidem eſt, ſed imperfecta.“

Præcepta quoque cæremonialia bona fuerunt in ſuo genere.

Lex quoque cæremonialis bona fuit in ſuo genere, tum quia nihil præcipiebat bonis moribus contrarium, tum quia adumbrabat & præfigurabat ſacrificium & myſteria novæ legis, tum quia Judæorum ſtatui & affectibus admodùm accommodata erat, ut poſteà oſtendemus. Hinc Chriſtus eam implevit, non tantùm exhibendo veritatem per illos antiquos ritus prænuntiatam, ſed etiam ritibus illis umbratilibus ſeſe ſubjiciendo. Nam & circumciſus fuit, & in templo præſentatus ac redemptus fuit, diebus à lege præſcriptis ad templum pergebat, agnum Paſchalem cum diſcipulis ſuis quotannis manducabat, leproſos à ſe mundatos ad ſacerdotes mittebat, jubebatque offerre munus à Moyſe præſcriptum, cæteraque id genus accuratè exſolvebat.

Quod ergo dicit Deus apud Ezechielem, dediſſe ſe Judæis *præcepta non bona*, *& judicia in quibus non vivent*, non ſignificat præcepta illa fuiſſe mala, ſed tantum ea fuiſſe egena & inefficacia ad conferendam juſtitiam. Opponitur enim eo in loco lex cæremonialis legi morali, cujus præcepta per ſe bona ſunt & à lege æterna derivata; & quorum obſervatio vitam confert internam & ſpiritualem; cùm è contrario ritus & cæremoniæ legales ex ſeipſis nec bona nec mala ſint, ſed indifferentia. Inde autem ſequitur tantummodò vitam ſpiritualem conſiſtere in dilectione & obſervatione legis moralis; obſervationem verò præcepto-

Digitized by Google

torum cæremonialium nihil per ſe contuliſſe ad juſtitiam, ſed per accidens duntaxat, id eſt, ex interna agentis diſpoſitione, ſi nempe ex ſincera fide & dilectione obſervabantur. Verùm, etſi ritus illi legales bonos ex ſe non facerent eos à quibus obſervabantur, boni tamen & optimi fuerunt, quatenus præfigurabant myſteria à Chriſto implenda, qui eſt *finis legis*, ut dicitur Rom. X. 14.

Eam ob cauſam cultus ille Judaicus per mortem Chriſti abrogatus eſt, non eoquòd malus fuiſſet, ſed *propter infirmitatem ejus & inutilitatem*, ut dicitur Hebr. VII. 18. Quemadmodum enim non eadem omnibus ætatibus conveniunt, ſed alia parvulis, alia adoleſcentibus, alia viris apta ſunt, ita pro variis humani generis ætatibus varios ritus obſervari oportuit, ut obſervat S. Auguſtinus Epiſt. 138, al. 5, ad Marcellinam. Quapropter, *cùm eſſemus parvuli, ſub elementis mundi eramus ſer-* Galat. IV. 3.
vientes. At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Priusquàm enim Chriſtus incarnaretur & redemptionis noſtræ opus perageret, variis ſacramentorum ſignis prænuntiandus & præfigurandus fuit. Poſtquàm autem advenit, ſalutisque noſtræ grande opus complevit, ceſſare debuerunt ſigna illa promiſſoria, tanquam exſoluta & inania chirographa, aliaque ſubſtitui, quibus gratia non tantùm ſignificaretur, ſed etiam conferretur. ,, Breviter
,, dici poteſt, ait S. Auguſtinus Epiſt. citatâ, cap. 1. num. 8,......
,, aliis ſacramentis prænuntiari Chriſtum cùm venturus eſſet, aliis cùm
,, veniſſet annuntiari oportuiſſe: ſicut modò nos idipſum loquentes di-
,, verſitas rerum compulit etiam verba mutare; aliter quippe ſonat,
,, *venturus eſt*, aliter, *jam venit.*"

Ex promiſſis temporalibus malè inferretur legem malam fuiſſe.

Objiciebant legis adverſarii eam proritaſſe hominum cupiditatem, promittendo bona temporalia tanquam mercedem juſtitiæ, cùm illicitum ſit hujusmodi bona propter ſeipſa diligere.

Respondeo cum SS. Patribus duplicis generis promiſſiones à Deo Abrahæ factas fuiſſe: alias ſpirituales, videlicet ex ejus ſemine naſciturum eſſe Chriſtum, in quo benedicendæ eſſet omnes gentes terræ; alias temporales, quæ ſpiritualium typus & quaſi arrha futuræ erant, nempe ſe multiplicaturum poſteros ejus ſicut ſtellas cœli & ſicut arenam maris, daturum ſe illis terram Chanaan, omniaque vitæ hujus commoda, quibus ſecurè potirentur quandiu mandata ejus obſervarent. Si hujusmodi promiſſis abuſi ſunt Judæi ad appetenda bona temporalia, propria illorum culpa fuit, non promittentis Dei. Nam 1° bona illa, licet infima, in ſuo tamen genere bona erant, ac talia ut eis Judæi benè vel malè uti poſſent pro ſuo libero arbitrio. 2°. Sicut duplex Dei cultus diſtinguitur, unus merè externus & carnalis, quo ritus à lege præſcriptus obſervatur, vel quo manus à malo opere ſolo pœnarum metu cohibetur; alter internus & ſpiritualis, quo, fide per dilectionem ope-

operante, Deus adoratur in ſpiritu & veritate: ita duplicis generis bona Deus Abrahæ ac poſteris ejus pollicitus eſt; ſpiritualia quidem & æterna, immò ſeipſum, illis qui ex amore illi ſervient, juxta illud Geneſis XV. 1: *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis;* terrena verò & carnalia carnalibus, qui aliter exteriùs in officio contineri non poterant, niſi iſtorum bonorum adipiſcendorum ſpe, vel amittendorum timore. Igitur maxima fuit proportio & analogia inter cultum Judaicum & promiſſiones veteris teſtamenti, quemadmodum obſervat S. Auguſtinus, lib. 1 *Retractationum*, cap. 22. num. 1. „ Quid mirum, inquit, ſi
Iſai. LXVI. 5. „ (Deus qui dixit, *cœlum mihi thronus eſt, terra autem ſcabellum pedum* „ *meorum*) bona throni ſui dat ſpiritualiter ſibi ſervientibus, & bona „ ſcabelli pedum ſuorum dat carnaliter ſibi ſervientibus...... Dicimus „ ita eſſe iſta munera Dei, ut tamen ſint infima, & in comparatione „ ſalutaris confeſſionis non ſolùm amittenda, ſed etiam ultrò projicienda; „ carnalibus tamen hæc amantibus & nondum capientibus promiſſa cœleſtia, ne ab idolis & dæmonibus iſta peterent, utiliter à Domino Deo eſſe pollicita.“ Idem dicit Tract. 3 in Joann. num. 19. 3°. Hoc Dei conſilium fuit, ut humanum genus peccato ac diabolo mancipatum non ſemel & ſtatim, ſed paulatim ac per varios progreſſus in filiorum libertatem aſſereret, atque à parvis initiis ad perfectiora perduceret. Porro cæteræ omnes gentes in tanta mentis cæcitate verſabantur, ut exiſtimarent bona terrena à falſis, quæ colebant, numinibus expectanda eſſe: quod etiam Chriſto Domino diabolus ſuggerere auſus
Luc. IV. 6. eſt, quando, oſtendens ei *omnia regna mundi & gloriam eorum*, dicit: *Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam & gloriam illorum, quia mihi tradita ſunt, & cui volo do illa: tu ergo ſi adoraveris coram me, erunt tua omnia.* Sapientiſſimè igitur Deus iſta bona populo imperfecto & carnali promiſit ac præbuit, ut ſaltem ea ab ipſo ſolo, non ab idolis, poſtularent & expectarent, ſicque à falſorum Deorum cultu averterentur. Hanc quoque rationem aſſignat S. Auguſtinus lib. 10 *de Civitate Dei*, cap 14: „ Sicut unius hominis, inquit, ita humani generis, quod ad Dei populum pertinet, recta eruditio per quoſdam articulos temporum tanquam ætatum profecit acceſſibus, ut à temporalibus ad æterna capienda, & à viſibilibus ad inviſibilia ſurgeretur: ita ſanè ut etiam illo „ tempore, quo viſibilia promittebantur divinitùs præmia, unus tamen „ colendus commendaretur Deus, ne mens humana, vel pro ipſis terrenis vitæ tranſitoriæ beneficiis, cuiquam, niſi vero animæ creatori ac „ Domino ſubderetur.“ Similia legi poſſunt apud S. Bernardum, vel potiùs Gaufridum Abbatem Claravallenſem, Declarat. 24 in iſtud Evangelicum: *Ecce nos reliquimus omnia.* 4°. Quia futurum erat ut in nova lege plurimi juſti penuria, ignominia, perſecutionibus, aliiſque anguſtiis premerentur, mortemque ipſam pro juſtitia oppetere tenerentur, metuendumque erat ne homines infirmi ac modicæ fidei exiſtimarent ea mala

mala juſtis accidere vel ex Dei impotentia, vel ex incuria rerum humanarum, ideò in veteri teſtamento Deus ea concedere voluit carnaliter juſtis, prævaricatoribus autem negare, „ ut cognoſceretur etiam illa „ terrena bona, quibus ſolis inhiant qui meliora cogitare non poſſunt, „ in unius ipſius Dei eſſe poſita poteſtate, non in multorum falſorum, „ quos colendos Romani crediderunt," inquit S. Auguſtinus ibidem, lib. 4. cap. 34. Et in Epiſt. 140, al. 120, ad Honoratum, cap. 2. num. 5: „ Volens Deus oſtendere etiam terrenam temporalemque felicitatem „ ſuum donum eſſe, nec aliunde niſi ab ipſo expectari oportere, priori- „ bus ſæculi temporibus diſpenſandum judicavit teſtamentum vetus, „ quod pertineret ad hominem veterem, à quo iſta vita neceſſe eſt in- „ cipiat." 5°. Non ideo bona illa temporalia promiſit Deus Judæis, ut in eis affectum ſuum ponerent, ſed ut ſpiritualia & cæleſtia bona, quæ per illa ſignificabantur, toto corde appeterent. Nam terra Chanaan regnum cœlorum, victoriæ de hoſtibus triumphum de diabolo, rerum omnium abundantia ſpirituales divitias adumbrabant. Et reverà quotquot tunc in populo Iſraelitico ſpirituales erant, nonniſi cæleſtia in illis intuebantur, eaque ſola deſiderabant. Carnales autem non divinis promiſſionibus, quas carnaliter accipiebant, ſed ſola ſua cupiditate decipiebantur. „ Illa quippe terrena munera, ait S. Auguſtinus ibidem, in „ manifeſto promittebantur & tribuebantur, in occulto autem illis om- „ nibus rebus novum teſtamentum figuratè prænuntiabatur, & capie- „ batur intelligentiâ paucorum, quos eadem gratia prophetico munere „ dignos fecerat. Diſpenſabant ergo illi ſancti pro congruentia tempo- „ ris teſtamentum vetus, pertinebant verò ad novum teſtamentum; „ nam & quando temporalem felicitatem agebant, æternam veram & „ præferendam intelligebant, & iſtam miniſtrabant in myſterio, ut „ illam conſequerentur in præmio. Et ſi quando patiebantur adverſa, „ ad hoc patiebantur, ut evidentiſſimo divino adjutorio liberati glori- „ ficarent Deum omnium bonorum largitorem, non ſolùm ſempiterno- „ rum quæ piè ſperabant, verùm etiam temporalium quæ propheticè „ gubernabant." Idem docet lib. 4 *de Civitate Dei*, cap. 3, & lib. 10. cap. 15 & 25.

Multa inſuper objiciebant Manichæi contra pœnam talionis, contra licentiam repudiandi uxores, & contra alia hujuſmodi, quæ refellere noſtri non eſt inſtituti. Legi poſſunt S. Chryſoſtomus, hom. 16 in Matthæum, & S. Auguſtinus in libris *contra Fauſtum* & *contra Adverſarium Legis & Prophetarum.*

Digitized by Google

Articulus Secundus.

An lex vetus ſufficiens fuerit ad obſervanda mandata, juſtitiamque conſequendam.

Status Quæſtionis.

Hæc Quæſtio conſiderari poteſt vel reſpectu legis moralis, vel reſpectu legis cæremonialis.

Reſpectu legis moralis ſenſus quæſtionis eſt, an ſola ejus cognitio ſufficiens fuerit ad obſervanda ſicut oportet divina mandata, ſive difficilia, ſive facilia, ſive per longum, ſive per breve aliquod tempus.

Pelagiani docebant omnia legis præcepta impleri potuiſſe cum ſolo legis ſcriptæ adjutorio, abſque auxilio gratiæ Chriſti. Moliniani, etſi fatentur univerſa præcepta Decalogi impleri non poſſe perſeveranter ſine auxilio gratiæ, ſentiunt tamen cognitionem legis ſufficere ad illa obſervandá, ſaltem per aliquod breve tempus. Quæſtio igitur non eſt de diuturna legis obſervatione, ſed de vera illius obſervatione, etiam per breviſſimum tempus. Dico *de vera obſervatione;* non enim hîc loquimur de qualicunque mandatorum obſervatione externa & Phariſaïca, ſed de interna, quæ fluat ex amore juſtitiæ, & omnis culpæ coram Deo expers ſit.

Reſpectu legis cæremonialis ſenſus quæſtionis eſt, an ſacramenta, ſacrificia, purificationes, aliique ritus lege Moſaica præſcripti, virtutem habuerint dimittendi peccata, gratiamque ſanctificantem efficaciter &, ut aiunt, ex opere operato conferre.

PROPOSITIO.

Cum ſolo legis ſcriptæ adjutorio perveniri non poteſt ad veram & ſinceram præceptorum Dei obſervationem, nequidem ad breviſſimum tempus.

Mandata non obſervantur ſicut oportet niſi per dilectionem Dei, quæ propriè gratia Chriſti eſt.

PROBATUR 1° hoc argumento: Mandata non obſervantur ſicut oportet niſi per dilectionem Dei ſaltem inchoatam. Atqui dilectio Dei non datur per legem, ſed tantummodò per gratiam Chriſti; immò ipſamet eſt gratia Chriſti. Ergo mandata nullatenus obſervantur ſicut oportet per ſolum legis ſcriptæ adjutorium. Major & minor propoſitio invictè probabuntur Libro ſequente, diſſert. 1 & 2. Palmare iſtud argumentum ſæpiſſimè objecit Pelagianis S. Auguſtinus. Sic lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 9. num. 10: „ Nemo, inquit, poteſt implere legem per legem, „ plenitudo autem legis caritas; caritas autem Dei non per legem dif- „ fuſa

„ fuſa eſt in cordibus noſtris, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt „ nobis. Proinde per legem gratia demonſtratur, ut lex per gratiam „ compleatur."

Probatur 2° auctoritate Scripturæ ſacræ & SS. Patrum.

Docent 1° impoſſibile eſſe per ſolam legem impleri mandata. Id expreſſe declarat S. Paulus, Rom. VIII. 3, his verbis: *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum.* Notate hanc vocem, *impoſſibile*, quæ ſignificat nullomodò fieri potuiſſe, ut per ſolam legis cognitionem *juſtificatio*, ſeu obſervatio *legis* fieret. „ Infirmabatur ergo lex, inquit S. Auguſtinus in *Expoſitione quarumdam propoſitionum Epiſtolæ ad Romanos*, num. 48, non implendo quod præcipiebat, non ſuâ culpâ, ſed per car„ nem, id eſt, eos homines qui carnalia bona appetendo non amabant „ juſtitiam, ſed ei temporalia commoda præponebant." *Lex* quippe *ſpiritualis eſt*, ut dicitur Rom. VII, nec impletur niſi à ſpiritualibus. Homo autem ex ſe carnalis eſt, nec ſpiritualis eſſe incipit niſi dono Spiritûs ſancti. Nam, ut ait Chriſtus, Joann. III. 6: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Igitur ſine auxilio Spiritûs ſancti nemo poteſt mandata legis rectè obſervare, ideoque Apoſtolus addit ab eis ſolis legem impleri, *qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed ſecundùm ſpiritum.*

Per ſolam legis adjutorium mandata impleri impoſſibile eſt.

S. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone, num. 122: „ Si lex, inquit, „ potuiſſet gentes & eos qui illam habent illuminare, quid opus fuiſſet „ novo teſtamento?" Idem quoque obſervat S. Clemens Alexandrinus in Sermone: *Quis dives ſalvetur*, num. 8. „ Si Moſis lex, ait, ſuffi„ ciens erat ut vitam præſtaret, fruſtra nimirum Salvator ipſe veniret, „ noſtrique cauſâ pateretur."

Al. Edit. Commel. anni 1593 pag. 275.

Concinit S. Chryſoſtomus, hom. 16 in Matth. cap. 15. num. 2, ubi exponens hæc Chriſti verba, *non veni ſolvere legem, ſed adimplere*, ſic loquitur: „ (Chriſtus) implevit legem, quia per nos quoque idipſum „ facit. Nam, quod mirum eſt, non modò ipſe implevit, ſed illud „ quoque largitus eſt ut nos impleremus; quod Paulus ſic declarat: „ *Finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti*; & *peccatum* illum „ *damnaſſe* dixit *in carne, ut juſtificatio impleretur in nobis qui non ſe„ cundùm carnem ambulamus......* Quia enim lex ſtudebat hominem „ facere juſtum, ſed infirmabatur, veniens Chriſtus, & modum juſti„ tiæ inducens, nempe per fidem legis voluntatem ſtatuit, & quod illa „ non poterat per litteras, id ipſe per fidem perfecit."

Tom. 7.

Rom. X.

Rom. VIII.

S. Proſper, in Pſalmum 106, de Judæis loquens: „ Priuſquàm, in„ quit, à dominatione peccati per gratiam liberarentur, ſuam volebant „ juſtitiam conſtituere, ignorantes Dei juſtitiam. Humiliati ſunt ergo

Ooo 2 „ per

Digitized by Google

„ per experimenta impoſſibilitatis ſuæ, & invenerunt ſe ſine adjutorio „ Dei nihil poſſe.“ Igitur ad *nihil* boni rectè agendum ſufficiebat lex Moſaïca auxilio gratiæ Chriſti deſtituta.

Hanc legis veteris impotentiam adumbratam fuiſſe docent SS. Patres per baculum Eliſæi Prophetæ, qui per ſervum applicatus ſupra faciem pueri recens mortui, nullum in eo vitalem motum produxit; aiuntque veterem legem nihilo plus valuiſſe ad opera pietatis facienda. Ita figuram illam explicant S. Auguſtinus, Serm. 26, al. 11, *de Verbis Apoſtoli*, cap. 10, & Serm. 36. num. 5; S. Gregorius magnus, lib. 9 Moralium, cap. 22. num. 32; Beda, ſeu Florus, Comment. in Epiſt. ad Galatas, cap. 3; S. Hildebertus, & alii.

Per legem non datur niſi cognitio peccati.

Docent 2° legem nihil aliud præſtitiſſe, quàm cognitionem peccati & agendorum notitiam. Certè multò minùs eſt cognoſcere peccatum, quàm vincere; multò minùs eſt noſſe quid agendum ſit, quàm illud facto perficere. Ad illud ſufficiebat legis adjutorium, ad hoc autem neceſſariò requiritur gratiæ voluntatem ſanantis auxilium: alioquin quod minus eſt Deo, quod multò majus eſt ipſi homini tribueretur. Sed Apoſtolum audiamus: ſic ille loquitur, Rom. III. 20: *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo* (Deo); *per legem enim cognitio peccati*: id eſt, totum legis munus eſt ut peccatum cognoſci faciat, atque idcirco *ex operibus legis*, ſeu ex operibus quæ ex ſola lege fiunt, *nemo juſtificatur coram Deo;* quia videlicet hujuſmodi opera non ſunt verè bona. Si enim verè bona eſſent, operatores ſuos bonos ac juſtos efficerent.

S. Irenæus, lib. 3 *adverſùs Hæreſes*, cap. 18, num. 7, al. cap. 20: „ Veniens lex, inquit, quæ per Moſen data eſt, & teſtificans de pec- „ cato quoniam peccatum eſt, regnum quidem ejus abſtulit“ (id eſt, demonſtravit ipſum non eſſe legitimum regem), latronem & non regem „ eum detegens, & homicidam oſtendit. Oneravit autem hominem „ qui habebat peccatum in ſe, reum mortis oſtendens eum; ſpiritalis „ enim cùm ſit lex, manifeſtavit tantummodò peccatum, non autem „ interemit.“ Porro ſi lex peccatum non interemit, ergo ſub lege peccatum integrum manſit.

S. Ambroſius, lib. 2 in Lucam, num. 68: „ Lex, inquit, peccatum de- „ nuntiare potuit, donare non potuit.“ Lib. *de Fuga ſæculi*, cap. 3. „ num. 15 & 16: „ Quia lex os omnium potuit obſtruere, non potuit „ mentem convertere; ideò ultimuum remedium. . . . . . debebatur. „ Quis eſt, niſi de quo lectum eſt: *Ecce agnus Dei; ecce qui tollit pec-* „ *catum mundi?* Et cap. 7. num. 39: „ Lex factum damnat, non au- „ fert malitiam.“

S. Auguſtinus, lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 10. num. 22: „ Quando cognoſcit homo peccatum, ſi non adjuvat gratia ut cognitum „ caveatur, ſine dubio lex iram operatur.“ Et Epiſt. 157, al. 89, ad Hila-

Digitized by Google

Hilarium, cap. 2. num. 9: „ Jubet ergo Deus continentiam, & dat „ continentiam: jubet per legem, dat per gratiam: jubet per litteram, „ dat per ſpiritum.“ Et lib. 3 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 2: „ Dicimus lege fieri ut Deus quid fieri velit audiatur, gratiâ „ verò fieri ut legi obediatur...... Lex ergo auditores juſtitiæ facit, „ gratia factores.“

Theodoretus in cap. V Epiſt. ad Roman. v. 20: „ Lex, inquit, „ exactiùs quidem docuit peccatum malum eſſe, ipſum autem compeſ- „ cere non potuit, ſed etiam magis auxit. Quò enim plura præcepta „ data ſunt, eò plures transgreſſiones fuerunt.

S. Fulgentius, lib. 1 *de Veritate Prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 19: „ Præcepta legis, inquit, ſonare poſſunt extrinſecus auribus carnis; in- „ trinſecùs autem nullus ex cordis auditu aliquatenùs ſalubriter perci- „ pit, niſi donum gratiæ ſpiritualis acceperit.“ Ea tamen *aliquatenùs ſalubriter perciperentur*, ſi ſaltem per breve aliquod tempus rectè obſervarentur, peccatumque vinceretur. Et paulò poſt: „ Lex itaque ſine „ gratia oſtendere poteſt ægritudinem, non ſanare: vulnera monſtrat, „ medicamina non miniſtrat. Ut autem legis impleatur præceptum, „ gratia miniſtrat auxilium...... Legis eſt igitur quòd peccata cognoſ- „ cimus, gratiæ quòd vitamus...... Naturæ itaque depravatæ vitium „ eſt ut homo peccet: legis officium ut homini peccatum, quod igno- „ rat, demonſtret: gratiæ autem donum eſt ut hominis vitium ſanet, „ quod ſibi culpa intulit & legis agnitio cumulavit.“

Primaſius, Comment. in Epiſt. ad Rom: „ Oſtendit Apoſtolus, in- „ quit, legem non potuiſſe auferre, ſed potius auxiſſe peccatum, quod „ aufert gratia. Lex jubere novit, cui ſuccumbit infirmitas, non ju- „ vare, quod facit gratia.“ Tom. 10 Magnæ Biblioth. PP. pag. 157.

Beda, Comment. in Joann. cap. 5, dicit legem veterem figuratam fuiſſe per probaticam illam piſcinam, in cujus porticibus jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, aridorum expectantium aquæ motum; „ Legis ſiquidem littera, inquit, quid agendum, quid vitandum eſſet „ edocuit, nec tamen edoctos, ut ſua decreta complerentur, adjuvit. „ Eductos de ſedibus ignorantiæ in ſuis porticibus continebat, nec ſa- „ nabat languidos.“ De gratia verò, quæ ſignificabatur per angelum à quo ſecundum tempus movebatur aqua, ſic loquitur: „ Sanat per fidem „ Dominicæ paſſionis omnes languores iniquitatum noſtrarum, à quibus „ in lege Moyſi non potuimus juſtificari.“

Et ſanè, cùm per peccatum originale duplex nobis plaga inflicta ſit, ignorantiæ ſcilicet & concupiſcentiæ, legis quidem magiſterium ignorantiam aliquatenùs depellere poteſt, concupiſcentia verò ſeu amor rerum creatarum in voluntate remanet, donec expellatur per inſpirationem ſanctæ & caſtæ dilectionis, quæ propriè gratia eſt.

Quod autem de lege Moſaica cum SS. Patribus dicimus, de qualibet

Quælibet doctrina quomodolibet exterius propoſita nihil prodeſt ad juſtitiam absque gratia interiore.

doctrina quocunque modo exteriùs propoſita ſimiliter dicendum eſt, nimirum nihil eam prodeſſe ad juſtitiam, niſi Deus eorum quæ agenda proponuntur dilectionem inſpiret: quemadmodùm agricolarum labores caſſi atque irriti remanent, niſi ſeminibus in terram projectis det Deus incrementum. Unde dicit Apoſtolus, 1 Corinth. III. 6: *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Dicant, quæſo, qui aliter ſentiunt, num, Deo incrementum interius non dante, agricolarum ſolertiâ & aſſiduitate fructus aliquis vel ad horam produci poſſit. Negabunt, opinor: fateantur ergo nec legem, nec miniſtrorum induſtriam & exhortationes ſatis eſſe, ad ulla vel minima pietatis opera producenda, niſi *Dominus det benignitatem, & terra det fructum ſuum.*

Pſalm. LXXXIV. 13.

Hanc veritatem inter indubitatos fidei articulos recenſet S. Fulgentius lib. *de Fide ad Petrum*, cap. 32. „ Firmiſſimè tene, inquit, & „ nullatenus dubites, poſſe quidem hominem, quem nec ignorantia litterarum, vel aliqua prohibet imbecillitas vel adverſitas, verba ſanctæ „ legis & Evangelii ſive legere, ſive ex ore cujusquam prædicatoris audire, ſed divinis mandatis obedire neminem poſſe, niſi quem Deus „ gratiâ ſuâ prævenerit, ut quod audit corpore, corde etiam percipiat, „ & acceptâ divinitùs bonâ voluntate, mandata Dei facere & velit & „ poſſit.“

Idem docet S. Auguſtinus multis in locis, atque quorumvis miniſtrorum, atque etiam angelorum, ſtudium nihil prodeſſe, niſi adſit interius gratiæ auxilium. Sic loquitur lib. 4 *de Doctrina Chriſtiana*, cap. 16. num. 33: „ Ipſis quoque miniſtris ſanctis hominibus, vel etiam ſanctis „ angelis operantibus, nemo rectè diſcit quæ pertinent ad vivendum „ cum Deo, niſi fiat à Deo docilis Deo, cui dicitur in Pſalmo: *Doce „ me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*“ Allatâ deinde comparatione remediorum ac medicamentorum, quæ corpori ſanando nihil proſunt, ſi Deus ſanationem intùs non operatur: „ Ita, inquit, & ad„ jumenta doctrinæ tunc proſunt animæ adhibita per hominem, cùm „ Deus operatur ut proſint.“ Immò affirmare non dubitat lib. 15 *de Civitate Dei*, cap. 6, Deum ipſum fruſtra monere exteriùs, niſi per Spiritum ſanctum interius doceat in ſchola cordis. „ Spiritus ſanctus, „ inquit, operatur intrinſecus, ut valeat aliquid medicina quæ exhibe„ tur exterius: alioquin etiamſi Deus ipſe, utens creaturâ ſibi ſubditâ, in „ aliqua ſpecie humana ſenſus alloquatur humanos, ſive iſtos corporis, „ ſive illos quos iſtis ſimillimos habemus in ſomnis, nec interiore gra„ tiâ mentem regat atque agat, nihil prodeſt homini omnis prædicatio „ veritatis.“ Enimvero quid Cain profuit, ſive antequàm Abel fratrem ſuum occideret, ſive poſtquàm occidit, divina allocutio? Quid Judæ proditori convictus & familiaritas cum Chriſto, quid Chriſti admonitio, quid amica reprehenſio profuerunt? Quid Judæi Chriſti præſentis

Pſalm. CXLII. 10.

ſentis mira ſanctitas, verborum ſapientia & ſublimitas, miraculorum copia & ſplendor contulerunt? Quamobrem Diviti precanti ut Lazarus ad fratres ſuos mitteretur, ſperantique illos, ſi quis ex mortuis reſurgeret, pœnitentiam acturos, respondit Abraham, Luc. XVI. 31: *Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque, ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Meritò itaque Robertus Pullus, Sentent. part. 3. cap. 10, dicit, „ ſicut verba veteris, ita & novæ legis fruſtra inſtrepere auribus, niſi „ operetur intùs gratia Dei.“

Si per legem mandata impleri poſſent, exinanita eſſet divina promiſſio & abolita fides.

Docent 3° nullam veram & rectam præceptorum obſervationem eſſe poſſe, niſi per merita Chriſti, per fidem in ipſum & per efficaciam divinæ promiſſionis; ac proinde inutilem reddi paſſionem Chriſti, fidem aboleri, Dei promiſſionem exinaniri, totamque conſequenter religionem everti, ſi per ſolam legis cognitionen aliquod veræ juſtitiæ opus fieri poſſet. Audiamus Apoſtolum, Gal. II. 21: *Si per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.* Cùm enim ideo Chriſtus mortuus ſit, ut homines faceret juſtos, juſtos autem conſtet eos eſſe qui legem obſervant, manifeſtè patet gratis Chriſtum mortuum eſſe, ſi per ſolam legem præcepta legis rectè obſervari ullomodò poſſunt.

Idem Apoſtolus, Rom. IV. 13: *Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini ejus, ut hæres eſſet mundi, ſed per juſtitiam fidei. Si enim qui ex lege hæredes ſunt, abolita eſt fides, exinanita eſt promiſſio.* Enimverò non conditionata, ſed abſoluta fuit divina promiſſio Abrahæ facta. Non enim promiſit Deus gentes omnes in ejus ſemine, quod eſt Chriſtus, juſtas futuras eſſe, modò ipſæ vellent; ſed eas juſtas, ſeu benedicendas fore abſolutè promiſit. Porrò ſi qualiscunque vera juſtitia per legem haberi poteſt, jam juſtitia non habetur vi promiſſionis divinæ, neque ex dono gratiæ, ſed proprio legem obſervantium conatu acquiritur. Prætereà juſtitia, quam Deus Abrahæ & ſemini ejus promiſit, eſt *juſtitia fidei*, id eſt, juſtitia quam pia & ſubmiſſa fides à Deo expectat, & orando impetrat. E contrario juſtitia quæ ex lege eſt non expectatur nec donatur à Deo, ſed ab homine ipſo legem obſervante ſurgit. Hinc idem Apoſtolus, Philip. III. 9, juſtitiam quæ ex lege eſt appellat ſuam juſtitiam, à ſeipſo ſibi comparatam; eam autem quæ vera eſt appellat *juſtitiam quæ ex Deo eſt* & *ex fide Jeſu Chriſti.*

Idem argumentum tractat, Galat. III. 10 & ſeq., his verbis: *Quicunque ex operibus legis ſunt*, id eſt, quicunque confidunt in operibus abſque fide factis, & ab eis juſtitiam ſuam expectant, *ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.* Hic S. Paulus manifeſtè ſupponit eos omnes, qui confidunt in operibus legis, non permanere in mandatis Dei, ſive illa non verè & ſicut oportet obſervare, idque ſtatim probat hoc modo: *Quoniam autem in lege nemo juſtificatur apud Deum manifeſtum eſt, quia juſtus ex fide vivit: lex autem non eſt ex fide; ſed, qui* ſe-

Digitized by Google

fecerit ea, vivet in illis. Hoc eſt, neminem ſolâ lege adjutum mandata obſervare & juſtitiam aſſequi, conſtat ex oraculo prophetico, quo docemur *juſtum ex fide vivere.* Lex quippe plurimùm differt à fide, quia jubet duntaxat, non autem adjuvat ad benè agendum, & quia dicendo tantummodò, *qui fecerit ea vivet in illis*, hominem ſibimetipſi relinquit, neque admonet obſervationem mandatorum eſſe donum Dei per fidem impetrandum. Idem ergo eſt ac ſi dicat Apoſtolus: Operari ex lege, eſt operari ex propriis viribus ſolâ agendorum cognitione inſtructis; è contrario operari ex fide, eſt operari ex gratia Dei quæ fidem inſpirat, & per illam donat vires implendi mandata. Si ergo ope ſolius legis præcepta verè obſervarentur & juſtitia acquireretur, jam non ex fide, ſed ex lege juſtus viveret, quod oraculo Prophetæ apertè repugnat.

Hæc verba, *qui fecerit ea vivet in illis*, nonnulli interpretantur de juſtitia & obſervatione merè externa, ac de vita temporali, ita ut, juxta illos, ſenſus iſte ſit: qui legem exterius obſervant non plectentur morte temporali, quam lex transgreſſoribus comminatur. At nobis non placet iſta expoſitio, quia, in modo loquendi ſcripturæ ſacræ, *facere legem* veram legi obedientiam ſignificat, cui vita animæ promittitur: v. g. hoc ipſo in loco: *maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt,.... ut faciat ea.* Eodem ſenſu Chriſtus dixit: *Hoc fac, & vives.*

Addit Apoſtolus: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt, maledictus omnis qui pendet in ligno, ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Jeſu, ut pollicitationem Spiritûs accipiamus per fidem.* Id eſt: quod lex præſtare non potuit, Chriſtus morte ſua præſtitit; promiſſionem Abrahæ factam, quam lex jubendo implere non potuit, abundè implevit, veramque juſtitiam, quæ per legem comparari nequiverat, nobis donavit per fidem in ipſum. *Fratres*, pergit Apoſtolus, *ſecundùm hominem dico, tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit aut ſuperordinat. Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus: non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico: teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex, non irritum facit ad evacuandam promiſſionem.* Tota hæc ratiocinatio eſt hujuſmodi, uti exponit doctiſſimus Eſtius: „ Pacta divina rata & firma eſſe debent multò magis quàm humana. Atqui Deus iniit pactum cum Abraham & ſemini ejus, promiſſâ benedictione per Chriſtum. Ergo pactum illud debet manere firmum & inviolabile, nec per legem, quæ multò poſt ſupervenit, abrogari potuit aut intercipi, quominus per Chriſtum impleatur. Id autem contingeret, ſi per legem eſſet benedictio, quæ præſtanda per Chriſtum eſt promiſſa.“ Per legem autem eſſet benedictio, ſi per illam legis præcepta rectè obſervari poſſent; ſiquidem factores legis benedicerentur. Quamobrem S. Paulus ſub-

ſubdit: *Nam ſi ex lege hæreditas, jam non ex promiſſione: Abrahæ autem per repromiſſionem donavit* Deus: id eſt, ut ejusdem Theologi verbis utar: „ Si benedictio Abrahæ promiſſa, & juxta promiſſionem à filiis ejus hæreditanda, per legem præſtatur, non ergo jam ex pura & liberali Dei promiſſione per Chriſtum expectanda eſt: “ (quod enim ſolâ lege commoniti facimus, non vi gratuitæ & abſolutæ promiſſionis habemus, ſed proprio ſtudio & labore acquirimus). „ Atqui ex promiſſione hæreditas eſt, quia Deus non ex conditione legis, ſed gratuito & irrevocabili dono dandam promiſit hæreditatem. Igitur hæreditas, benedictio, juſtitia non eſt ex lege.“

Non alio ſenſu Apoſtolum exponit fideliſſimus ſcripturarum interpres S. Auguſtinus pluribus in locis, lib. *de Spiritu & littera*, cap. 23. num. 50, lib. 3 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 3. num. 7, & cap. 7. num. 22, ubi ſic loquitur: „ Illi ſunt inimici crucis Chriſti, qui per legem dicunt eſſe juſtitiam, ad quam jubere pertinet, non juvare.“ Et *Enchiridii* cap. 117. num. 31: „ Fides impetrat quod lex imperat. Nam ſine Dei dono, id eſt, ſine Spiritu ſancto, per quem diffunditur caritas in cordibus noſtris, jubere lex poterit, non juvare, & prævaricatorem inſuper facere, qui de ignorantia excuſare ſe non poſſit.“ Et lib. 83 *Quæſtionum*, quæſt. 66. num. 1: „ Ideò veriſſimè dictum eſt: *Legem ergo evacuamus per fidem? Abſit; ſed legem ſtatuimus.* Hoc enim efficit fides quod lex jubet..... Quæ fides ſi non ſit, jubet tantùm lex, & non implentes juſſa reos tenet, ut eos gementes, & non valentes implere quæ juſſa ſunt, ad gratiam Liberatoris aliquando convertat.“ Rom. III. 31.

Cùm ergo totius religionis ſumma in Dei promiſſionibus, in morte Chriſti, & in fide in Chriſtum conſiſtat, conſequens eſt religionem totam ab eis everti, qui quamlibet veram juſtitiam per ſolam legem acquiri poſſe contendunt.

Docent 4°. neminem ſub lege veraciter juſtum fuiſſe, vel bonum rectè feciſſe. Sic loquitur S. Paulus, Rom. III. 9 & ſeq: *Quid ergo, præcellimus eos* (Judæi Græcos)? *Nequaquam: cauſati enim ſumus Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe, ſicut ſcriptum eſt: Non eſt juſtus quisquam, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum; omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt usque ad unum.* Ne verò reſponderent Judæi exprobrationes illas ad ſe, qui legem acceperunt, non pertinere, ſubdit continuò Apoſtolus, v. 19: *Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, iis qui in lege ſunt loquitur, ut omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo.* Hoc loco legis impotentiam probat Apoſtolus ab ipſo eventu, ex eo ſcilicet quòd nemo, nec unus quidem, ſub lege conſtitutus bonum operatus ſit. Et reverâ

Sub lege nemo eſt qui faciat bonum, ne unus quidem.

Digitized by Google

ſi vel unus exciperetur, tota rueret argumentatio Apoſtolica. „ Quomodò autem hoc dictum eſt, ait S. Auguſtinus lib. *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 13. num. 31, niſi quia populum quemdam pſalmus ille culpat, in quo nec unus erat qui faceret bonum, dum volunt remanere filii hominum, & non eſſe filii Dei, cujus gratiâ homo fit bonus ut faciat bonum.“ Hinc S. Ambroſius, lib. 7 in Lucam, exponens quæ in Evangelio dicuntur de arbore fici folia tantùm, non fructum habente, dicit per eam Judæos ſignificari. „ Populus Judæorum, inquit, gratiam neſciebat. Meritò ergo nullus in Synagoga fructus inventus eſt, & ideò jubetur excidi.“

Fruſtra hic opponerentur exempla juſtorum, qui ſive ante legem, ſive legis ipſius tempore ſanctitate eminuerunt. Nam, ut latè oſtendimus in capite præcedenti, omnes illi, etſi adventum Chriſti præceſſerint, non per legem, ſed per gratiam juſti facti ſunt, non ad vetus, ſed ad novum teſtamentum pertinuerunt, fueruntque reipſâ, etſi nondum dicerentur, Chriſtiani.

Sine gratia Chriſti lex aut apertè violatur, aut non veraciter obſervatur.

Docent 5° Judæos ſolâ lege inſtructos aut eam apertè violaſſe, aut exteriùs tantùm obſervaſſe, ſive bonorum temporalium ſpe, ſive pœnarum metu, non verò ex amore juſtitiæ. Docet Apoſtolus, Galat. IV. 24, teſtamentum vetus deſignatum fuiſſe per Agar ancillam Abrahæ, *& in ſervitutem generaſſe*, & Rom. VIII. 15, Judæos ſub lege *accepiſſe ſpiritum ſervitutis in timore*.

Proprio illo veteris legis caractere S. Auguſtinus Pelagianorum errorem ſæpiſſimè expugnavit. Sic lib. *de Spiritu & littera*, cap. 5. num. 13: „ Quicunque, inquit, faciebant quod lex jubebat, non adjuvante ſpiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore juſtitiæ; ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere; potiùſque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat Deus malle, ſi fieri poſſet impunè, committere.“ Et lib. 3 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 7. num. 20: „ Sic eos littera occidit, aut apertè etiam ſibi reos, non faciendo quod præcipit, aut putando ſe facere quod ſpiritali, quæ ex Deo eſt, non faciunt caritate. Ita remanent aut apertè iniqui, aut fallaciter juſti, in aperta iniquitate evidenter eliſi, in fallaci juſtitia inſipienter elati.“

Nec in ſolis contra Pelagianos libris, ſed in eis etiam quos adverſùs Manichæos ſcripſit, eamdem doctrinam conſtanter aſſeruit. In libro quippe 2 *contra Adverſarium Legis & Prophetarum*, cap. 7. num. 27: „ Prohibitio peccati, inquit, quod eſt lex, auget profectò deſiderium peccandi, quod non extinguitur niſi contrario deſiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur. Hoc autem non præſtat littera jubens, ſed ſpiritus juvans.“ Et lib. *de Moribus Eccleſiæ Catholicæ*, cap. 30. num. 64: „ Sub lege operatio vana, cùm libido animum.

„ mum vaſtat, & cohibetur metu pœnæ, non amore virtutis obruitur.“ Et quæſt. 66 *in Exodum:* „ (Lex) non implebatur timore, quæ non „ impletur niſi caritate.“

Non minùs diſertè idem docet S. Gregorius magnus, lib. 11 *Moralium in Job*, cap. 20. num. 22. „ Nec plebs Iſraelitica, inquit, ex amore „ Domino, ſed timore ſerviebat. Nunquam verò impleri juſtitia per ti- „ morem poteſt, quia, juxta Joannis vocem, *perfecta caritas foras* „ *mittit timorem.*“

Notandum valde eſt principium quo nituntur SS. Patres, nimirum mandata non rectè & veraciter obſervari niſi per dilectionem Dei. Porro dilectio Dei, per peccatum primi parentis omnino perdita, non datur per legem, ſed per gratiam Chriſti, quæ, juxta S. Auguſtini definitionem, non aliud eſt quam *inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus.*

Docent 6° legem ſine auxilio gratiæ non modò non ſufficere ad vitandum peccatum bonumque faciendum, ſed etiam occaſionem eſſe graviùs peccandi; partim quia majus peccatum eſt præceptum cognitum transgredi, quàm ignotum; partim quia concupiſcentia vehementiùs ad peccandum exardeſcit, quando per prohibitionem arctiùs coercetur. Lex ſine gratia nedum peccatum vincat, illud potiùs auget occaſionaliter.

Id expreſſè declarat S. Paulus, Rom. VII. 7: *Concupiſcentiam*, inquit, *neſciebam, niſi lex diceret: non concupiſces. Occaſione autem acceptâ peccatum per mandatum, operatum eſt in me omnem concupiſcentiam,.... & inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Nam peccatum, occaſione acceptâ per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum. Quod ergo bonum eſt mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem: ut fiat ſupramodùm peccans peccatum per mandatum.* Ubi videmus legem, quamvis bona ſit, & peccati cauſa eſſe nullatenùs poſſit, occaſionem tamen præbuiſſe ampliùs delinquendi, quia concupiſcentia legis obice ſibi oppoſito irritata magis quàm frænata fuit.

Idem Apoſtolus novum teſtamentum veteri opponens, 2 Corinth. IV. 6: „ *Deus*, inquit, *idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti, non litterâ, ſed ſpiritu: littera enim occidit, ſpiritus autem vivificat.* Per *litteram* non præcepta tantùm cæremonialia, ſed legem quoque ipſam moralem gratiæ ſpiritu deſtitutam hic intelligi oportere, latè demonſtrat S. Auguſtinus toto ferè libro *de Spiritu & littera;* idemque obſervat S. Thomas, 1. 2. quæſt. 100. art. 12, in *Sed contra.* Littera autem dicitur *occidere* non cauſaliter, ſed occaſionaliter. Quo etiam ſenſu eadem lex ab Apoſtolo, ibid. v. 7 & 9, & 1 Corinth. XV. 56, appellatur *damnatio mortis, miniſterium damnationis, virtus peccati.*

Eamdem doctrinam tradunt SS. Patres.

Digitized by Google

Tom. 9, al. tom. 4, pag. 124. S. Chryſoſtomus, hom. 10 in Epiſt. ad Romanos, num. 3, ſic loquitur: „ Lex ſubintravit ut abundaret delictum...... Non modò enim, „ inquit, nihil profuit, nec juvit, ſed etiam, illâ ſubintrante, auctus Pag. 125. „ eſt morbus." Et paulò poſt: „ Vide quantum interſit gratiam inter „ & legem: lex enim additamentum damnationis facta eſt, gratia verò „ doni redundantia."

Eam quoque frequentiſſimè aſſeruit S. Auguſtinus, tum in libris Moralibus, tum in Polemicis, ſive contra Manichæos legis adverſarios, ſive contra Pelagianos immodicos illius laudatores.

Lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 8. num. 9: „ Usque adeò aliud eſt lex, „ aliud gratia, inquit, ut lex non ſolùm nihil proſit, verum etiam „ plurimum obſit, niſi adjuvet gratia, & hæc oſtendatur legis utilitas, „ ut quos facit prævaricationis reos, cogat confugere ad gratiam liberandos, &, ut concupiſcentias malas ſuperent, adjuvandos. Jubet enim „ magis quàm juvat; docet morbum eſſe, non ſanat; immo ab ea potius quod non ſanatur augetur, ut attentiùs & ſollicitiùs gratiæ medicina quæratur."

Lib. *de Continentia*, cap. 3. num. 7: „ Auxit prohibitio concupiſcentiam, eamque fecit invictam, ut accederet prævaricatio, quæ ſine „ lege non fuit, etiamſi peccatum fuit...... Itaque lex, gratiâ non „ juvante, prohibens peccatum, virtus inſuper facta eſt peccati."

Quomodò autem, accedente legis prohibitione, peccatum augeatur, eleganter explicat lib. *de Spiritu & littera*, cap. 4. num. 6. „ Ubi „ ſanctus non adjuvat Spiritus, inquit, inſpirans pro concupiſcentia „ mala concupiſcentiam bonam, hoc eſt, caritatem diffundens in cordibus noſtris, profectò illa lex, quamvis bona, auget prohibendo deſiderium malum; ſicut aquæ impetus, ſi in eam partem non ceſſet „ influere, vehementior fit, obice oppoſito, cujus molem cum evicerit, majore cumulo præcipitatus vehementiùs per prona provolvitur. „ Neſcio quo enim modo hoc ipſum, quod concupiſcitur, fit jucundius cùm vetatur." Quadam enim perverſa dulcedine, ut ait lib. 1 *ad Simplicianum*, quæſt. 1. num. 7, fallitur, & delectatur etiam contra legem facere, cùm tantò magis libet quanto minùs licet.

Al. Serm. 4 de Verbis Apoſtoli. Eadem comparatione utitur Serm. 153, cap. 5. num. 7. „ Minor, „ inquit, erat concupiſcentia, quando ante legem ſecurus peccabas: „ nunc autem, oppoſitis tibi obicibus legis, fluvius concupiſcentiæ quaſi „ frænatus eſt paululùm, non ſiccatus; ſed, increſcente impetu qui te „ ducebat obicibus nullis, obruit te obicibus ruptis. Concupiſcentia tua „ minor erat quando tuam movebat libidinem, omnis autem eſt quando tranſcendit & legem." Similia videre eſt lib. *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 6. num. 14; lib. 3 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 2; lib. 1 *ad Simplicianum*, quæſt. 1. num. 15 & 17; lib. *Octoginta trium Quæſ-*

Digitized by Google

Quæſtionum, quæſt. 66. num. 1 & 2; lib. 21 *de Civitate Dei*, cap. 16; lib. 15 *contra Fauſtum*, cap. 8; Epiſtolâ 177, al 95. ad Innocentium Romanum Pontificem, quam cum quatuor Coepiſcopis Africanis ſcripſit, & Epiſt. 196 ad Aſellicum, cap. 2. num. 5.

Sed non poſſum non proferre duo alia loca, in quibus materiam iſtam contradictoriè tractavit adverſùs Julianum. Contendebat ille hæreticus peccatum per legem reſtrictum ſaltem & cohibitum fuiſſe, idque probare nitebatur iſto Apoſtoli textu, Rom. V. 13: *Uſque ad legem peccatum erat in mundo.* Sic autem illum redarguit S. Doctor lib. 2 *Op. imperf.* cap. 70: „ O intellectum, quid aliud dicam quàm hæreticum! „ Si ergo lex abſtulit peccatum,..... fuit ergo per legem juſtitia. Si „ per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Si autem peccatum lex non abſtulit, ut non eſſet, quod prius eam feciſſe dixeras, „ & mox te pœnituit, ſed tamen peccatum lex infregit, ut poſteà correxiſti, & multâ ex parte reſtrinxit, mentitus eſt qui ait: *Lex ſubintravit ut abundaret delictum.* Sed quia ille verum dixit, tu nihil dicis; & tamen nihil dicendo hæreticâ pertinaciâ contradicis.“ Et lib. 6, cap. ultimo: „ Virtutem peccati jam pridem exiſtentis, ſed minùs „ operantis, eam legem ſemper intellexi, de qua idem Apoſtolus: *Quid* „ *dicemus*, inquit? *Lex peccatum eſt? abſit: ſed peccatum non cognovi* „ *niſi per legem....,. Occaſione autem acceptâ peccatum per mandatum*, „ *operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Ecce quomodò eſt virtus „ peccati lex: minùs enim operabatur peccatum, quando prævaricationem nondum operabatur, quia lex nondum data erat. Ubi enim lex „ non eſt, nec prævaricatio. Nondum ergo erat *omnis concupiſcentia*, „ antequàm prohibitione ſic creſceret, tamque fortis fieret, ut ipſius „ prohibitionis, quâ creverat, vinculum rumperet...... Addunt ergo „ vires eidem concupiſcentiæ peccata quæ accedunt propriâ voluntate „ peccantium, & ipſa conſuetudo peccandi, quæ non fruſtra dici ſolet „ *ſecunda natura;* ſed ne tunc quidem *omnis eſt concupiſcentia;* adhuc „ enim habet quo creſcat; quoniam minor eſt quandiu non à ſciente, „ ſed ab ignorante peccatur...... *Omnis eſt concupiſcentia*, quando prohibita concupiſcuntur ardentius, & peccata jam cognita, ignorantiæ „ ſublatâ excuſatione, & accedente legis prævaricatione, committuntur „ immaniùs. Unde lex Dei apud vos, quos non adjuvat gratia Dei „ per agnum Dei qui tollit peccatum mundi, non correctio peccantis, „ ſed virtus potiùs eſt dicta peccati. Et ideò cùm dixiſſet, virtus „ peccati lex, tanquam reſponderetur: quid ergo faciemus, ſi peccatum non lege tollitur, ſed augetur? continuò ſubjiciens ubi ſpes debeat eſſe certantibus: *Gratias*, inquit, *Deo qui dedit nobis victoriam*, vel, ſicut alii codices habent, quod & Græci habent, *qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

S. Auguſtino conſonant alii quoque Patres ac Theologi.

S. Fulgentius lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 19: „ Auget littera prohibendo peccatum, ſi deſit audienti gratiæ ſpiritalis „ auxilium: &, agnitâ lege, homo prævaricator efficitur, niſi ad implendam legem voluntas à Domino præparetur: lex enim iram operatur.“

S. Anſelmus in Tract. *de Azymo & fermentato*, cap. 5: „ Littera „ tunc dicitur occidere, inquit, quando illa jubens à peccato declinare, peccatum oſtendit, quoniam, niſi adjuvet gratia ut fiat quod jubetur, inobedientem & prævaricatorem facit.“

S. Hildebertus, Serm. 65 *in feſto Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ:* „ Lex „ ſcripta, inquit, ... ipſa potiùs cœpit nocere quàm juvare. Nam „ prohibendo peccata...... magis animos hominum ad ea peccata inflammabat. Ubi verò venit plenitudo temporis quod Deus providerat, miſit Filium ſuum, ut quod neutra lex (nec naturalis, nec „ ſcripta) facere poterat, gratia Chriſti suppleret, id eſt, humanum „ genus liberaret.“

Magiſter Sententiaaum, lib. 3. diſtinct. 40: „ Si quæritur, inquit, „ quam dicat Apoſtolus litteram occidentem, ea certè eſt decalogi, „ qui non dicitur littera occidens eoquòd mala ſit lex, ſed quia prohibens peccatum auget concupiſcentiam, & addit prævaricationem, „ niſi liberet gratia.“

S. Thomas, 1. 2. quæſt. 106. art. 2. in corp: „ Apoſtolus dicit, „ 2 Corinth. III: *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat*, & Auguſtinus „ exponit in libro de Spiritu & littera quòd per litteram intelligitur „ quæcunque ſcriptura extra hominem exiſtens, etiam moralium præceptorum, qualia continentur in Evangelio. Unde etiam littera Evangelii occideret, niſi adeſſet interiùs gratia fidei ſanans.“

Tot luce clariora teſtimonia egregiè confirmat celeberrimus Boſſuetus in *ſecunda Inſtructione circa Verſionem novi Teſtamenti Trevoltianam.* Cùm enim Richardus Simon, illius verſionis auctor, dixiſſet hæc Apoſtoli verba, *littera occidit*, intelligenda eſſe de morte temporali, quam lex vetus in transgreſſores ſuos decernebat, graviter illum redarguit Præſul eximius, obſervat. in 55um textum: „ Outre la loi de mort,“ inquit, „ que la loi prononce, elle tue l'homme d'une autre façon, parce que „ n'apportant aucun ſecours à notre foibleſſe, elle ne fait qu'ajouter „ au crime la conviction d'avoir transgreſſé le commandement expreſſément propoſé. Toute la Theologie a reçu cette explication, dont „ S. Auguſtin a fait un livre que tout le monde connoit, & s'en eſt „ ſervi après ce Pere pour montrer la néceſſité de recourir à la grace, „ c'eſt à dire, à l'eſprit qui ſeul peut donner la vie.“ Et paulò poſt: „ Il s'agit ici de la mort du péché comme oppoſée à la vie que la „ grace donne, & ſi la loi ne tuoit ici que par la mort du corps, „ l'eſprit ne vivifieroit auſſi que par la vie temporelle...... Dans un „ paſ-

Tom. 2. pag. 415 & ſeq.

Digitized by Google

„ paſſage ſi important contre les Pelagiens on ne devoit pas laiſſer à part „ S. Auguſtin, ni priver les lecteurs des plus belles interprétations de ce „ Pere, après que toute la Theologie en a fait comme le fondement de „ ſes dogmes les plus eſſentiels.“ Hæc Boſſuetus.

Quomodò lex peccatum auxiſſe dici poſſit, cùm vel ipſo pœnarum metu retraxerit ab opere externo peccati.

Quæret forſitan aliquis quomodò ſtare ſimul poſſint hæc duo, quæ docent SS. Patres, ſcilicet legem minas intendendo terrorem incuſſiſſe, eoque modo cohibuiſſe opera externa peccati, & tamen eamdem legem fuiſſe occaſionem ampliùs peccandi. Nam, inquiet, qui ſaltem timore pœnæ ab opere peccati abſtinet, etſi coram Deo non eſt innocens, minus tamen perverſus eſt quàm ſi ipſo timore pœnæ à peccando non retraheretur. Ad hæc concilianda ſatis eſt attendere quomodò peccatum ſub lege ſe habeat. Lex minando terret: hic terror aliquando reprimit manum, ne perpetret quod vetatur; tuncque, licet peccandi deſiderium intùs vivat, minus tamen homo peccat, quàm ſi, ſpretâ jubentis comminatione, mandatum transgrederetur, quia hujusmodi pervicacia voluntatem indicat magis obfirmatam in malo. Non ideò tamen lex minando & terrendo excludit vel minuit affectum ipſum peccati, ſed oſtendit tantummodò quantus ille ſit. Exempli causâ, ſint duo homines luxuriæ ſervientes, ille affectu vehementiore, hic remiſſiore. Utrumque lex convenit, pœnamque denuntiat ſi luxuriæ obtemperent. Ille, quem urit paſſio ferventior, legem tranſilit, minasque contemnens explet libidinem: hic verò, cujus libido minus fervet, vellet quidem pravo affectui morem gerere, ſi impunè poſſet, ſed pœnâ deterritus à malo opere exteriùs abſtinet. Uterque perverſus eſt, ſed ille perverſior qui majore impetu fertur in malum, legisque minas contemnit; hic minùs pravus eſt, quia minorem affectum habet ad vitium. Quid ergo facit lex? Certè iſtius libidinem nec tollit, nec minuit, ſed tantùm minorem eſſe demonſtrat. Non enim, quia lex minatur, ideò iſte minùs ardet ad explendam libidinem, ſed è contrario, quia libido in eo minùs ardebat, ideò metu coercitus non perpetrat malum, quod ille, lege licet minante, perpetrat. Proinde etiamſi lex interdùm cohibeat manum, ne opus peccati exteriùs committatur, non tamen affectum ipſum peccati excludit vel minuit.

Verum ex altera parte, quamvis lex ad tempus impedire valeat actum externum peccati, occaſio tamen fit ampliùs delinquendi, tum quia dicendo, *non concupiſces*, non opus duntaxat peccati, ſed ejus etiam affectum damnat, qui tamèn intùs in voluntate remanet, & culpabilior fit cognitâ lege, quàm ignoratâ; tum quia affectus ille peccati, quando gratiâ non ſanatur, magis ac magis creſcit, eòque demum pervenit, ut, ruptis legis obicibus (non enim diuturnus eſt magiſter officii timor), vehementiùs ruat in crimina, tantò ipſi jucundiora, quantò difficiliùs ab eis ſeſe continuerat; tum etiam quia, etiamſi affectus quorumdam peccatorum paulatim minuatur, non dilectione

ne juſtitiæ, ſed pravis aliis affectibus comprimitur, imprimiſque ſuperbiâ, inani propriarum virium præſumptione, aliiſque vitiis ſpiritualibus, quibus homo tantò magis Deo diplicet, quantò plus ſibimetipſi placet.

Obſervandum eſt allatis hactenùs argumentis non tantùm probari adverſùs Pelagianos, totam legem perſeveranter impleri non poſſe abſque auxilio gratiæ, ſed etiam demonſtrari adverſùs nonnullos recentiores Theologos, nulla legis mandata rectè obſervari poſſe, etiam ad breviſſimum tempus, per ſolum legis adjutorium. Nam Scripturæ & SS. Patres apertè definiunt legem eſſe omnino infirmam, oſtendere tantùm peccata, non ſanare, iram operari, occidere, augere deſiderium peccandi, ac demum, ſi ſola ſit, aut manifeſtè violari, vel ſolo pœnarum timore, non amore juſtitiæ obſervari, atque adeò non rectè obſervari: quæ omnia ſtare non poſſunt, ſi ſola legis cognitio ad implendum ſicut oportet aliquod mandatum, etiam per breve tempus, ſufficere poſſet.

Tom VII, al. tom. 1. pag. 153. Objiciunt. S. Chryſoſtomus, hom. 16 in Matthæum, num. 4, expreſſè docet legem introduxiſſe in regnum cœlorum. En ipſius verba: „ Quomodò, inquies, (lex) ſi talis eſt, in regnum jam non inducit? Non inducit certè eos qui poſt Chriſti adventum vitam inſtituerunt, ut pote qui majorem conſecuti virtutem majora debent adire certamina; nam alumnos ſuos omnes eò introducit. *Multi enim venient ab Oriente & Occidente*, inquit, *& recumbent in ſinu Abrahæ, & Iſaaci, & Jacobi.* Lazarus certè, qui magnis fruitur præmiis, in ejus ſinu verſans apparet; & quotquot in veteri lege admodùm refulſere, id per illam aſſecuti ſunt.“

Reſpondeo hunc textum nullatenùs eſſe ad rem. Non enim ibi agitur de virtute veteris legis in ſeipſa & ſecluſo gratiæ Chriſti adjutorio conſideratæ, ſed de illius bonitate; nec ſenſus eſt antiquos juſtos per ſolum legis adjutorium ad cœleſte regnum perveniſſe, quod apertè Pelagianum foret, ſed ſenſus eſt eos per obſervationem mandatorum legis ſalutem conſecutos eſſe, quod veriſſimum eſt. S. Chryſoſtomo illa in homilia propoſitum fuit Manichæos confutare, qui legem veterem malam eſſe & à malo principio datam contendebant. Id manifeſtum eſt tum ex verbis præcedentibus, quæ ſic ſe habent: „ Non veteri (legi Chriſtus) obtrectat, ſed illam augeri vult & extendi: quæ ſi à malo prodiret, non ampliùs quid in illa quæreret, neque illam perfectiorem reddidiſſet, ſed exploſiſſet;“ tum ex ſequentibus, quæ talia ſunt: „ Chriſtus verò, ſi lex illa mala & aliena fuiſſet, non illam omnem impleviſſet. Nam ſi id ſolum feciſſet ut Judæos attraheret, non autem ut oſtenderet eam cognatam eſſe & affinem novæ legi, cur non etiam Gentilium leges & mores impleviſſet, ut Gentiles pertraheret? Undique ergo palam eſt eam à Chriſto non induci, non quòd mala ſit, ſed quòd majorum ſit præceptorum tempus.“

Quid

Digitized by Google

Quid verò de legis impotentia S. Doctor ſenſerit, planè demonſtrant quæ ex ipſo in probatione protulimus.

An lex cæremonialis juſtificandi virtutem habuerit.

Legis cæremonialis nomine intelliguntur, ut diximus, ritus, ſacramenta, ſacrificia, purificationes, expiationes lege Moſaica præſcripta. Quæritur autem utrùm gratia juſtificans eis annexa fuerit; an verò legalem tantùm, exteriorem & umbratilem juſtitiam contulerint.

Tres ſunt hac de re Theologorum ſententiæ. 1°. Paludanus, in 4um, diſtinct. 1. quæſt. 3, & Durandus in eamdem diſtinctionem, quæſt. 5, cenſuerunt ſacramenta legalia gratiam ſanctificantem contuliſſe ex opere operato. 2°. Hugo Victorinus & S. Bonaventura docent illa ſacramenta primariò & per ſe inſtituta non fuiſſe, niſi ad ſignificanda futura, non autem ad conferendam juſtitiam, niſi externam & carnalem; eadem tamen, quatenùs includebant quamdam fidei proteſtationem, ſecundariò & per accidens juſtificaſſe; cùm e contrario novæ legis ſacramenta primariò & per ſe ordinata ſint ad gratiam conferendam. Hanc ſententiam amplexus eſt Eſtius, ſicque illam exponit in 4um, diſtinct. 1. §. 28: „ Sicut per accidens fuit veteri teſtamento quòd illo tempo„ re fuerunt quidam juſti, & ſancti, & ſpirituales, ideòque reverâ ad „ gratiam novi teſtamenti pertinentes; ita & ſacramentis illius legis & „ temporis accidit, quòd quidam per fidem Mediatoris & veram pœni„ tentiam ad ea accedentes, per ea veniam & juſtitiam conſecuti „ ſunt" (ex opere operato, ut dicit poſteà): „ ſicut & per accidens „ evenit ſacramentis novæ legis, quòd per ea non ſanctificentur qui „ carnali affectu ad ea accedunt." Tertia ſententia eſt S. Thomæ aliorumque vulgò Theologorum, qui docent ſacramenta veteris legis gratiam non contuliſſe ex opere operato, ſed tantummodò ex opere operantis, id eſt, ex fide & rectâ diſpoſitione ſuſcipientium. Ab hac ſententia nonniſi penes loquendi modum diffidere arbitror Magiſtrum Sententiarum, cùm dicit neminem unquam ex operibus legis juſtificatum fuiſſe, etiamſi cum fide & ſincera pietate illa perficeret, eoquòd nempe ad ſignificandum duntaxat inſtituta fuerint, non ad juſtificandum.

Eadem quæſtio ſpeciatim movetur de circumciſione, cui plurimi Theologi exiſtimant inditam fuiſſe virtutem delendi peccatum originale ex opere operato.

P R O P O S I T I O.

Sacramenta & ſacrificia veteris legis gratiam ſanctificantem non conferebant ex opere operato. De ipſa etiam circumciſione idem dicendum eſt.

Argumentum ex Scripturis.

PRIMA pars, de cæteris ſacramentis veteris legis, probatur 1° argumentis ex ſcriptura ſacra petitis.

Nam 1° ſcriptura expreſſè declarat ea ſacramenta non habuiſſe vim ſanctificandi & remittendi peccata, ſed infirma & egena fuiſſe. Ezechielis cap. 20 Deus univerſam legem cæremonialem appellat *præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent.* S. Paulus, Galat. IV. 9: *Quomodò*, inquit, *convertimini iterum ad infirma & egena elementa?* Et Hebr. VII. 18: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Et rurſùs, cap. IX. 9: *Munera & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodò in cibis & potibus, & variis baptiſmatibus & juſtitiis carnis, usque ad tempus correctionis impoſitis.* Et v. 13: *Sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis.* Nihil ergo aliud per ſe conferebant illa ſacramenta, quàm munditiam typicam, externam & carnalem; ideòque idem Apoſtolus abſolutè pronuntiat ibidem, X. 4, *impoſſibile eſſe ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.*

Item Judæos alloquens in Synagoga apud Antiochiam Piſidiæ, Act. XIII. 38: *Notum ſit vobis*, inquit, *Viri Fratres, quia per hunc* (Chriſtum) *vobis remiſſio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus quibus non potuiſtis in lege Moyſi juſtificari. In hoc omnis qui credit juſtificatur.*

Nec dicas textus illos intelligi debere de veteribus ſacramentis, quando ſejuncta erant à fide meritorum Chriſti: nam de ſacramentis quoque novæ legis idem dici poſſet. Senſus ergo Apoſtoli eſt ſacramenta legalia, ex ſe & ex legis veteris conditione, ſejuncta fuiſſe à virtute meritorum Chriſti, quorum novæ legis ſacramenta inſtrumenta ſunt.

Fruſtra etiam diceretur ſermonem ibi eſſe de ſacramentis & ſacrificiis jam per mortem Chriſti abrogatis. Nam præterquàm quòd hæc interpretatio applicari nequit textui Ezechielis Prophetæ, certè S. Paulus expreſſè deſignat tempus ipſum veteris legis, declaratque *legem nihil ad perfectum adduxiſſe*, neminem *in lege* fuiſſe *juſtificatum*, *impoſſibile eſſe ſanguine* animalium *auferri peccata*, *juſtitiam* duntaxat *carnis* per ritus

Digitized by Google

ritus legales collatam fuiſſe, eosque *reprobatos* fuiſſe *propter* ipſorum *infirmitatem & inutilitatem.*

2°. Sacramenta quælibet juſtificandi vim habere non poſſunt niſi ex promiſſione divina. Atqui nulla promiſſio ſpiritualis annexa fuit ſacramentis antiquæ legis. Quinimò Jeremiæ XXX remiſſio peccatorum promittitur tanquam proprius character novi teſtamenti, & S. Paulus, Hebr. VIII. 6: *Nunc*, inquit, (Chriſtus) *melius ſortitus eſt miniſterium, quantò & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt. Nam ſi illud prius culpâ vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur.* Exponens autem quid veteri teſtamento defuerit, quodque per novum præſtatur, ſubjungit ibidem, v. 12, ex Jeremia: *quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non recordabor.* Igitur per vetus teſtamentum non dabatur remiſſio peccatorum, ac proinde nec juſtificatio.

3°. Gratiæ juſtificantis propria dos eſt ut faciat homines filios Dei, & conſequenter ſi ſacramenta veteris legis gratiam ſanctificantem tribuiſſent, Judæos effeciſſent filios Dei. Atqui S. Paulus teſtatur vetus teſtamentum, per Agar ancillam ſignificatum, nonniſi *in ſervitutem generaſſe*, Judæosque nonniſi *ſpiritum ſervitutis in timore* accepiſſe.

4°. Sacramentorum & ſacrificiorum legalium infirmitatem demonſtrabant ipſæmet illis adjunctæ cæremoniæ. Enimverò cur ſolis ſacerdotibus licebat in Sanctum ingredi? Cur ſolus ſummus Pontifex, ſemel tantùm in anno, intrabat in interius tabernaculum quod dicebatur *Sancta Sanctorum*, niſi, quemadmodùm explicat S. Paulus, Hebr. IX. 8, *hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore Tabernaculo habente ſtatum: quæ parabola eſt*, inquit, *temporis inſtantis*, id eſt, illius temporis quod tunc decurrebat ante adventum Chriſti Servatoris, *juxta quam munera & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem?*

Cur quotannis, immo ſingulis diebus, novæ hoſtiæ præteritis ſuccedebant, niſi ut intelligeretur priores victimas prioraque ſacrificia non habuiſſe vim juſtificandi? *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*, ait idem Apoſtolus, Hebr. X. 1 & ſeq., *per ſingulos annos iiſdem ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes ſalvos facere: alioquin ceſſaſſent offerri, eoquòd nullam haberent ultra conſcientiam peccati cultores ſemel mundati; ſed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit.* Et v. 11: *Omnis quidem ſacerdos praſtò eſt quotidie miniſtrans, & easdem ſæpè offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic autem* (Chriſtus) *unam pro peccatis offerens hoſtiam...... una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.*

Cur Judæis, pro quorum peccatis oblatum fuerat ſacrificium, non licebat edere de carnibus victimæ pro ipſis immolatæ, quæ cedebant in

 par-

Digitized by Google

partem ſolorum ſacerdotum? Cur de carnibus hoſtiæ pro peccatis univerſi populi oblatæ & immolatæ manducare nemini conceſſum erat, ſed, quidquid altaris flamma vorax non abſumpſerat, cremabatur extra caſtra, niſi quia illi, pro quibus ſacrificium expiationis oblatum fuerat, immundi & peccato polluti remanebant? Quapropter S. Paulus ibidem inanibus illis & egenis ſacrificiis opponit unicum Chriſti ſacrificium, quod etſi *extra caſtra* & pro totius mundi peccatis expiandis oblatum fuerit, ejus tamen carni & ſanguini realiter participamus in altaris ſacramento: *Habemus altare*, inquit XIII. 10, *de quo edere non habent poteſtatem qui Tabernaculo deſerviunt: quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra.*

Cur in ſolemni & annuo expiationis ſacrificio Levitici XVI deſcripto ſummus Sacerdos, qui hircum immolaverat, immundus erat usque ad veſperam, corpusque ſuum lavare, & veſtes mutare jubebatur? Cur pariter qui victimæ carnes combuſſerat, & qui hircum emiſſarium in deſertum dimiſerat, immundi fiebant, novâque purificatione indigebant, niſi ut oſtenderetur illud ſacrificium, omnium celeberrimum, nullius virtutis eſſe ad delenda peccata juſtitiamque conferendam?

Argumentum ex SS. Patribus.

Probatur 2° teſtimoniis ſanctorum Patrum.

S. Baſilius, lib. 3 *de Spiritu ſancto*, cap. 10: „ Quid confers, inquit, „ lavacra cum lavacris" (purificationes videlicet legales cum baptiſmo Chriſti), „ quæ ſolam nominis appellationem habent communem? Verùm tanta eſt differentia, quanta eſt inter ſomnia & veritatem, inter „ umbras & imagines, inter ea quæ non ſunt, & ea quæ reverâ ſunt."

Tom. 2. pag. 370. Al. tom. 1. pag. 279.

S. Chryſoſtomus, in Serm. *de Baptiſmo Chriſti*, num. 2 & 3, opponens pariter luſtrationes Moſaicas lavacro regenerationis & renovationis Spiritûs ſancti, ſic loquitur: „ Judaicum erat baptiſma, quod ſordes „ corporum, non peccata quæ in conſcientia reſident, abluebat. Ne„ que enim ſi quis adulterium perpetraſſet, neque ſi quis furto ſe alli„ gaſſet, neque ſi quis aliud quidpiam ſceleris admiſiſſet, eum crimini„ bus expiabat; ſed ſi quis mortuorum oſſa tetigiſſet, ſi quis vetitos à „ lege cibos deguſtaſſet, ſi quis à corruptione adveniſſet, ſi quis cum „ leproſis verſatus eſſet, lavabatur, & immundus erat usque ad veſpe„ ram, deinde mundabatur...... Non enim hæc verè peccata erant, „ neque pollutio, ſed quòd imperfectiores eſſent, per hujusmodi res eos „ efficiens religioſiores, Deus ad majorum rerum obſervationem aptiores „ & diligentiores olim reddebat. Itaque Judaica illa quidem expiatio „ nequaquam à peccatis liberabat, ſed à corporeis ſordibus tantum: „ noſtra autem talis non eſt, ſed multò major & multâ gratiâ referta: „ nam & liberat à peccatis, & animam emundat, & Spiritûs gratiam „ largitur."

S. Auguſtinus, Enarrat. in Pſalmum 73, num. 2: „ Alia ſunt, in„ quit,

„ quit, ſacramenta dantia ſalutem, alia promittentia Salvatorem. Sa-„ cramenta novi teſtamenti dant ſalutem: ſacramenta veteris teſtamenti „ promiſerunt Salvatorem.“ Non ergo dabant ſalutem. Et quæſt. 25 in Numeros: Sacrificia (antiquæ legis), inquit, „ ſi per ſeipſa atten-„ dantur, nulli peccato poſſunt mederi; ſi autem res ipſæ quarum hæc „ ſacramenta ſunt inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccato-„ rum:“ typicè nimirum, quatenus præfigurabant paſſionem Chriſti & ſacramenta novæ legis, quibus ſolis remittuntur peccata.

Eugenius IV in *Decreto pro inſtructione Armenorum*, ſub finem concilii Florentini, ſic decernit: „ Novæ legis ſacramenta multùm à „ ſacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non cauſabant gra-„ tiam, ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant; „ hæc verò noſtra & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus „ conferunt.“

Probatur 3° conſenſione omnium ferè Theologorum. Solum inter illos appellabo Doctorem Angelicum. Is, part. 3. quæſt. 61. art. 4. ad 1, dicit ſtatum novæ legis medium eſſe inter ſtatum antiquæ legis, quæ non niſi ſigna inania habebat, & ſtatum patriæ, ubi bona ſpiritualia ſine ullis involucris ſeu ſacramentis præbentur. Siquidem in nova lege nec ſigna ſunt vacua, ut in veteri lege, nec ſpiritualia bona ſine ſignis & involucris nobis exhibentur. Et ibidem, ad 2um: „ Sacramenta ve-„ teris legis, inquit, Apoſtolus vocat infirma & egena elementa, quia „ gratiam non continebant nec cauſabant; & ideò utentes illis ſacra-„ mentis dicit Apoſtolus ſub elementis mundi Deo ſerviiſſe, quia ſcili-„ cet nihil aliud erant quàm elementa hujus mundi: noſtra autem ſa-„ cramenta gratiam continent & cauſant.“ *Argumentum ex Theologis.*

Probatur 4° ex concilio Tridentino, ſeſſ. 7, can. 2, in quo hæc habentur: „ Si quis dixerit novæ legis ſacramenta à ſacramentis antiquæ „ legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus ex-„ terni, anathema ſit.“ Quamvis enim ſancta Synodus ſententiam quam tuemur, propter nonnullorum Theologorum diverſam opinionem, expreſſè definiendam non cenſuerit, decernendo tamen ſub anathematis pœna ſacramenta novæ legis aliter differre à ſacramentis legalibus, quàm ritibus externis, ſatis indicat mentem ſuam eſſe illa differre quoad efficaciam virtutemque juſtificandi. Prætereà canon ille directè ferit errorem Calvini, qui lib. 4 *Inſtitutionum*, cap. 14. num. 13, dixerat „ penitus „ explodendum eſſe ſcholaſticum illud dogma, quo tam longum diſcri-„ men inter veteris & novæ legis ſacramenta notatur, ac ſi illa non „ aliud quàm Dei gratiam adumbrarent, hæc verò præſentem conferant.“ Porro Calvinianus error in eo ſitus erat, quòd vellet ſacramenta novæ legis, perinde ac veteris, non conferre gratiam ex opere operato: ac proinde Patrum Tridentinorum mens eſſe debuit, veteris & novæ legis ſa- *Argumentum ex concilio Tridentino.*

ſacramenta eo differre, quòd hæc ex ſeipſis efficacia ſint, vimque habeant juſtificandi, illa verò non item.

Circumciſio non delebat peccatum originale ex opere operato

Altera pars, quæ circumciſionem ſpeciatim ſpectat, probatur primò omnibus argumentis modò allatis. Quamvis enim circumciſio non per Moyſen primò inſtituta, ſed multò ante Abrahæ præſcripta fuerit, tamen imperata fuit præſertim pro populo Iſraelitico ex Abraham naſcituro, &, jubente Deo, à Moyſe denuò ſancita: unde, Joannis VII. 22, Chriſtus dixit Judæis: *Moyſes dedit vobis circumciſionem.* Proinde non majorem juſtificandi vim habere debuit circumciſio, quàm cætera veteris legis ſacramenta, de quibus modò diximus.

Probatur II°. peculiaribus ſcripturæ ſacræ oraculis.

Geneſis XVII, ubi circumciſionis inſtitutio refertur, nullum apparet veſtigium gratiæ illi annexæ, ſed præcipitur duntaxat tanquam nota quædam, quâ poſteri Abrahæ à cæteris populis diſcernerentur, & tanquam ſignum fœderis à Deo cum Abrahamo initi. *Hoc eſt*, ait Dominus v. 10, *pactum meum*, id eſt, ſignum pacti mei, *quod obſervabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit ſignum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris, tam vernaculus quàm emptitius, circumcidetur, & quicunque non fuerit de ſtirpe veſtra; eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.*

Revocandum eſt in memoriam quod jam obſervavimus, fœdus à Deo cum Abraham initum duo promiſſionum genera valde diverſa complexum fuiſſe, quorum unum alterius typus & quaſi arrha fuit. Promiſit quippe poſteros ejus in gentem magnam futuros eſſe, terram Chanaan poſſeſſuros, boniſque omnibus temporalibus abundaturos; modò ipſi ſoli ſervirent, nec ad colenda idola declinarent. Promiſit inſuper ſe in ipſius ſemine, id eſt, in Chriſto benedicturum omnes gentes terræ, earum corda ſpiritualiter circumciſurum, juſtitiamque & bona ſpiritualia donaturum. Prima promiſſio, quæ carnalem Abrahæ prolem ſpectat, paulò poſt impleta eſt. Altera verò, quæ filios ſpirituales in omnibus gentibus Abrahæ per Chriſtum procreandos prænuntiabat, nonniſi multò poſt exhibita eſt. Utriuſque fœderis ſeu promiſſionis ſignum fuit circumciſio: ſignum quidem efficax promiſſionis temporalis ad poſteros Abrahæ ſecundùm carnem pertinentis, quatenùs ſcilicet per eam, & non aliter, unuſquiſque populo illi carnali & figurativo accenſebatur; eoque ſenſu Deus declarat omnem maſculum, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delendum fore de populo ſuo, id eſt, alienum fore ab illo populo, quem ad cultum externum & legalem ſibi deſerendum præ cæteris elegerat: ſignum verò inefficax & vacuum alterius promiſſionis, qua

qua filii ſpirituales in omnibus gentibus per Chriſtum procreandi declarabantur.

Deuteron. XXX. 6, Moyſes circumciſionem ſpiritualem, quâ ſolâ peccata remittuntur conferturque juſtitia, prænuntiat tanquam nondum datam, ſed alteri teſtamento reſervatam. *Circumcidet*, inquit, *Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut poſſis vivère.* Proinde circumciſio ſpiritualis, quæ juſtitia eſt, non dabatur, ſed figurabatur tantùm per ritum circumciſionis legalis.

S. Paulus, Rom. IV, ex inſtituto probat Abrahamum ipſum non per circumciſionem, ſed per fidem in Chriſtum juſtitiam fuiſſe conſecutum; id, inquam, probat 1° ex eo quod ſcriptura juſtitiam ipſius ſoli fidei adſcribat, cùm dicit: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* 2°. Quia juſtificatus eſt longè antequàm circumcideretur: *Dicimus*, inquit, *quia reputata eſt Abrahæ fides ad juſtitiam. Quomodò ergo reputata eſt? In circumciſione, an in præputio? Non in circumciſione, ſed in præputio.* 3°. Quia ideò tantùm imperata illi fuit circumciſio, ut ſignum eſſet, non cauſa, juſtitiæ priùs habitæ. *Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei quæ eſt in præputio*, id eſt, quam habebat per fidem antequàm circumcideretur. Addit autem iſtum juſtificationis modum non peculiarem Abrahæ fuiſſe, ſed eodem modo juſtificari omnes qui juſtificantur. *Ut ſit*, inquit, *pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad juſtitiam; ut ſit pater circumciſionis* (id eſt, Judæorum circumciſorum), *non iis tantùm qui ſunt ex circumciſione, ſed & iis qui ſectantur veſtigia fidei quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ.* In græco textu habetur: *Iis qui non tantùm ſunt ex circumciſione, ſed etiam ſectantur veſtigia fidei* &c. Capite etiam III. 1, dixerat: *Quid ergo ampliùs Judæo eſt? Aut quæ utilitas circumciſionis? Multùm quidem per omnem modum. Primùm quidem quia credita ſunt illis eloquia Dei.* Certè remiſſio peccatorum donumque juſtitiæ multò excellentiora ſunt quàm littera eloquiorum Dei. Cur ergo illam inter circumciſionis utilitates non commemorat Apoſtolus, niſi quia circumciſio legalis inanis & vacua non habuit virtutem remittendi peccata, juſtitiamque conferendi?

Coloſſ. II. 11, idem Apoſtolus circumciſionem ſpiritualem, quam per Chriſtum habemus, circumciſioni legali opponens: In Chriſto, inquit, *circumciſi eſtis circumciſione non manu factâ, in exſpoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti.* Græcâ veritate habetur: *ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκὸς, ἐν τῇ περιτομῇ του χριστου*; *in exſpoliatione corporis peccatorum carnis, in circumciſione Chriſti:* ubi legalis circumciſio à Chriſtiana eo diſtinguitur, quòd hæc interior ſit peccataque amputet, illa verò merè exterior carnis tantùm particulam præcideret; ſive, quòd hæc veritatem contineat per illam figuratam & adumbratam.

Pro-

Probatur III° ex SS. Patribus.

Al. pag. 180. S. Juſtinus in *Dialogo cum Tryphone*, num. 16: „ Hæc, inquit, ab „ Abrahamo accepta ſecundùm carnem circumciſio in ſignum data eſt, Al. pag. 183. „ ut ab aliis gentibus & à nobis diſcreti ſitis.“ Num. 23: „ Nam & „ ipſe Abraham, cùm in præputio eſſet, per fidem quâ credidit Deo „ juſtificatus & benedictus eſt, ut ſcriptura demonſtrat. Circumciſio- „ nem autem in ſignum, non ad juſtitiam accepit, ut ſcripturæ & res „ ipſæ nos cogunt confiteri...... Nam quòd genus muliebre circum- „ ciſionem accipere non poteſt, id argumento eſt in ſignum datam eſſe, „ non ut opus juſtitiæ. Sic enim Deus mulieres fecit, ut quæ juſti- „ tiam & virtutem ſpectant, ea pariter ipſæ quoque omnia obſervare „ poſſent.“

S. Irenæus, lib. 4 *adverſùs Hæreſes*, cap. 16. num. 1 & 2, al. cap. 30: „ Quoniam, inquit, & circumciſionem non quaſi conſummatricem juſti- „ tiæ, ſed in ſigno dedit Deus, ut cognoſcibile perſeveret genus Abra- „ hæ, ex ipſa ſcriptura diſcimus...... Circumciſio ſecundum carnem „ circumciſionem præfigurabat ſpiritualem...... Et quia non per hæc „ juſtificabatur homo, ſed in ſigno data ſunt populo, oſtendit quòd ipſe „ Abraham ſine circumciſione...... credidit Deo, & reputatum eſt illi „ ad juſtitiam.“

Tertullianus, lib. *adverſùs Judæos*, cap. 3, ſic loquitur: „ Abraham „ ante placuit Deo quàm circumcideretur...... Acceperat enim cir- „ cumciſionem, ſed quæ eſſet in ſignum temporis illius, non in ſalutis „ prærogativam...... Et ideò ſi ſalutem circumciſio omnimodò afferret, „ etiam ipſe Moyſes in filio ſuo non intermiſiſſet quominus octavâ die „ circumcideret eum, quando conſtat Sephoram coactam ab angelo id fe- „ ciſſe in itinere...... Nam providens Deus quòd hanc circumciſionem „ in ſignum, non in ſalutem daturus eſſet populo Iſraël, idcirco filium „ Moyſis ducis futuri inſtigat circumcidi, ut cùm cœpiſſet per eum „ dare præceptum circumciſionis, non aſpernaretur populus, videns „ exemplum iſtud in ducis filio jam celebratum. Dari ergo habebat „ circumciſio, ſed in ſignum unde Iſrael in noviſſimo tempore dignoſci „ haberet...... Sicut ergo circumciſio carnalis, quæ temporalis erat, „ tributa eſt in ſignum populo contumaci, ita ſpiritualis data eſt in ſa- „ lutem populo obaudienti:“ nimirum gentibus in Chriſtum creden- tibus.

Pag. 227. S. Macarius Abbas Ægyptius, hom. 47: „ Illi (Judæi), inquit, ex „ circumciſione agnoſcebantur eſſe populus Dei: modò verò populus „ Dei peculiaris intus notam circumciſionis cordi ſuo inſculptam ſuſci- „ pit...... Apud illos circumciſio ſanctificabat carnem: apud nos au- „ tem eſt baptiſma ſancti Spiritûs & ignis.“

S. Ambroſius, lib. 7 in Lucam, num. 166, explicans parabolam ficul- neæ ſterilis: „Populus Judæorum, ait, neque purificari potuit, quia cir- „ cum-

„ cumciſionem non animi, ſed corporis habuit, neque ſanctificari, quia „ virtutem legis ignoravit, qui carnalia magis quàm ſpiritualia ſequebatur; neque juſtificari, quia delictorum ſuorum pœnitentiam non „ gerebat, & ideò gratiam neſciebat." Et in Epiſtola 72 ad Conſtantium, num. 11, dicit „ circumciſionis ſignaculo populum Dei, velut quo„ dam ſigillo ſignatum corporis, diſcretum fuiſſe à cæteris nationibus." Et num. 26, „ ipſam circumciſionem in ſigno fuiſſe donec plenitudo „ gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſalvus fieret, circumciſus corde, „ non exiguâ membri unius parte."

S. Joannes Chryſoſtomus, hom. 27 in Geneſim, num. 2 & 3: „ Attendas, inquit, quomodò Deus voluerit circumciſionem pro lege ſta„ tui; non quòd ad animæ ſalutem proficere hæc poſſit aliquid, ſed „ ut hoc quaſi ſignum ac ſigillum circumferrent Judæi, & ne liceret „ eis commiſceri gentium congreſſibus." Idem docet hom. 39, num. 4 & 5.

S. Auguſtinus, Epiſt. 82, al. 19, ad S. Hieronymum, non ſolùm dicit, num. 14, „ præcepta veterum ſacramentorum non bona eſſe, quia „ non eis homines juſtificantur, umbras enim eſſe prænuntiantes gra„ tiam;" ſed etiam, num. 15, circumciſionem ipſam inanibus illis & umbratilibus ſacramentis adnumerat.

S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 1 *Differentiarum*, different. 28, legis & Evangelii diſcrimen exponens: „ Illic, inquit, prædicatur circumciſio „ ſola carnis, hîc lavacrum in ablutione cordis & ſpiritûs.

S. Thomas, part. 3. quæſt. 70. art. 4. in corp. ſic loquitur: „ In „ circumciſione confertur gratia, ... aliter tamen quàm in baptiſmo. „ Nam in baptiſmo confertur gratia virtute ipſius baptiſmi, quam ha„ bet in quantùm eſt inſtrumentum paſſionis Chriſti jam peractæ: in „ circumciſione autem conferebatur gratia non ex virtute circumciſio„ nis, ſed ex virtute fidei paſſionis Chriſti, cujus circumciſio erat ſig„ num." Porro ſi *ex virtute fidei* duntaxat gratiam conferebat, non ergo eam conferebat niſi ex opere operantis, non autem ex opere operato. Et ad 2um: „ Sicut ante inſtitutionem circumciſionis ſola fides „ Chriſti futuri juſtificabat tam pueros quàm adultos, ita etiam & cir„ cumciſione datâ." Proinde, juxta Doctorem Angelicum, circumciſio nullatenus habebat juſtificandi virtutem, ſed ſignum erat tantummodò juſtitiæ per fidem paſſionis Chriſti conſequendæ.

Probatur IV° nonnullis rationibus Theologicis.

1°. Adeò verum eſt circumciſionem inſtitutam non fuiſſe niſi ad diſcernendos Abrahæ poſteros à cæteris populis, non autem ad conferendam gratiam, ut omnino intermiſſa fuerit per illos quadraginta annos, quibus Iſraelitæ in deſerto commorantes aliis gentibus non permixti ſunt, & poſteà renovata fuerit, quando mox intraturi in terram promiſſam, inter Chananæos & Amorrhæos erant verſaturi. Num verò ille ri-

tus tamdiu fuiſſet omiſſus, ſi creditum fuiſſet vim ei ineſſe delendi peccatum originale? Fruſtra reſpondent nonnulli toto illo tempore à Deo cum Iſraelitis diſpenſatum fuiſſe. Qualis enimverò fuiſſet hujuſmodi diſpenſatio, quâ plurimi infantes privati fuiſſent remedio contra peccatum originale inſtituto? Alii reſpondent intermiſſionem illam culpâ non caruiſſe. At ſi ita eſt, cur eam ob rem Iſraelitas à Moyſe increpatos fuiſſe nuſquam legimus? An etiam ipſe Moyſes ſiviſſet eum ritum negligi, cui remiſſionem peccatorum alligatam fuiſſe credidiſſet?

2°. Sexus muliebris, ut S. Juſtinus obſervat, non circumcidebatur. Porro ſi per circumciſionem delebatur peccatum originale, utrique ſexui communis eſſe debuit, cùm peccatum ipſum utrique commune ſit.

3°. Cum ſacramentorum ea ſit virtus & proprietas, ut homines à quibus ſuſcipiuntur in unum veluti corpus religionis colligant, ſequitur illa ſortiri debere conditionem illius ſocietatis cui adunandæ inſerviunt. Ideo quippe ſacramenta novæ legis vim per ſe habent juſtificandi, quia Eccleſia Chriſti, ad quam illa ſacramenta pertinent, cœtus eſt hominum ſpiritualium Deo piè ſerventium; ideòque in Symbolo Apoſtolorum dicitur *ſancta*, quamvis externa ejus communio, quandiu in terris militat, multis carnalibus miſceatur. Contra verò Synagoga, in ſe conſiderata, non fuit ſocietas ſancta hominumque ſpiritualium, ſed aggregatio hominum carnalium Deo carnaliter ſervientium, nec appellabatur populus Dei niſi quatenùs typum gerebat Eccleſiæ Chriſtianæ; adeò ut quicunque juſti in illa externa ſocietate ex fide vivebant, non ad ipſam, ſed ad Chriſti Eccleſiam pertinuerint. Ergo ſacramenta quibus Synagoga colligebatur, ipſaque circumciſio, per quam dabatur in illam introitus, non aliam ſanctitatem conferebant, quàm quæ hujuſmodi populo congruebat, externam ſcilicet, carnalem & typicam.

Et certè non apud ſolos Iſraelitas vigebat circumciſio, ſed apud cæteros quoque Abrahæ poſteros, apud Iſmaelitas, Madianitas, aliosque filios Cethuræ, apud Idumæos. Proinde ſi circumciſio ex ſeipſa remiſiſſet peccatum originale, hujus tanti beneficii participes fuiſſent illi etiam populi à populo Dei penitus ſegregati, & inter illos computati, quos pronuntiat Apoſtolus fuiſſe *alienatos à vita Dei, hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, ſine Chriſto, ſine Deo in hoc mundo.* Id verò quis ſanæ doctrinæ Theologus ſentiat?

Solvuntur Objectiones.

Objiciunt 1° contra primam Propoſitionis partem. Plurima ſunt ſcripturæ ſacræ loca, in quibus virtus remittendi peccata ſacramentis & ſacrificiis veteris legis attribuitur. 1°, Levitici cap. 4, ubi ſacrificiorum ritus deſcribuntur, atque alibi multoties hæc verba leguntur: *Rogabit pro eo ſacerdos & pro peccato ejus, & dimittetur ei, & propitius erit ei Do-*

Dominus. Unde & Apoſtolus, Hebr. V. 1, abſolutè dicit: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* 2°. Eiſdem verbis exprimitur efficacia ſacramentorum utriusque legis. Quemadmodùm enim, Actorum VIII. 17, dicitur: *Imponebant* (Apoſtoli) *manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum;* ita, Deuteron. ultimo, v. 9, Joſue dicitur fuiſſe *repletus ſpiritu ſapientiæ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas.* Et ſicut de unctione infirmorum dicitur, Jacobi cap. V: *Oratio fidei ſalvabit infirmum, &, ſi in peccatis ſit, remittentur ei;* ita pariter in Levitico dicitur: *Orabit pro eo* (qui peccavit) *ſacerdos, & dimittetur ei.* 3°. Multa antiqua ſacrificia ad placandum Deum oblata gratiam apud eum conſecuta ſunt. Sic ante datam legem Abel, Noë, Melchiſedech, Abraham, Iſaac & Jacob Dei favorem ſacrificiis promeriti ſunt. Sic poſt legem promulgatam Aaron, thure oblato, iram Dei in populum deſævientem placavit: Num. XVI. 46, & Sapientiæ XVIII. 21. Sic David, oblato ſacrificio, graſſantis peſtilentiæ ceſſationem impetravit: 2 Reg. cap. ultimo. Sic Onias, hoſtiis Deo oblatis, obtinuit ut Heliodoro vita ſervaretur: 2 Macchab. III. Sic etiam Judas Macchabæus, ibidem, cap. XII, juſſit offerri Jeroſolymis ſacrificium pro peccato eorum qui in bello ceciderant. 4°. S. Paulus, 1 Corinth. X. 3 & 4, dicit omnes Iſraelitas eamdem escam ſpiritalem manducaviſſe, & eumdem potum ſpiritalem bibiſſe. *Petra autem*, inquit, *erat Chriſtus.* Quibus ſanè verbis ſignificatur Iſraelitas eâdem gratiâ Chriſti nutritos ac potatos fuiſſe, in ſacramentis mannæ & aquæ de petra ſcaturientis, quam nos in novæ legis ſacramentis percipimus.

Nego propoſitionem, & ad ſingulas ejus probationes respondeo.

Ad primam dico peccata per ſacrificia veteris legis remiſſa non dici, niſi quoad munditiam externam & legalem. Nimirum duplicis generis peccata in veteri Teſtamento commemorantur: alia merè externa & figurativa, qualia contrahebant ii, qui neſcientes vel non advertentes aliquid faciebant aut patiebantur contra legem cæremonialem, ſive tangendo mortuum aut morticinum, aut aliud quodlibet immundum, ſive cum leproſis aut aliis, quos lex declarabat immundos, converſando; alia propriè dicta & interna, qualia ſunt omnia quæ decalogo & legi morali adverſantur. Rurſus duplex diſtinguenda eſt immunditia, una interior, quâ conſcientia coram Deo maculabatur; altera exterior & figurativa, quâ Judæi ſecundùm legem immundi reputabantur, nec priùs eis licebat religionis aut etiam ſocietatis munia obire, quàm vel aliquo ſacrificio, vel aliquâ purificatione luſtrati & expiati fuiſſent. Hujusmodi immunditia legalis typus erat immunditiæ internæ, quâ peccator coram Deo polluitur; ejusque exterior expiatio figurabat veram internamque remiſſionem peccatorum, quam in nova lege per merita Chriſti conſequimur. Porro ſacrificia veteris legis per ſe eluebant maculam ex-

Quo ſenſu ſacramentis antiquæ legis remiſſio peccatorum attribuatur.

ternam ſive per immunditiam legalem, ſive per peccatum propriè dictum contractam, ſed non mundabant conſcientiam à ſordibus interioribus peccati. Proinde in utraque fit remiſſio peccati, ſed aliter atque aliter. In veteri fiebat remiſſio peccati legalis & impropriè dicti; in nova autem fit vera remiſſio peccati propriè dicti; ideoque Apoſtolus dicit, 1 Corinth. X. 11, Iſraelitis *omnia in figura contigiſſe*, & Hebr. IX. 13, *ſanguinem hircorum & taurorum, & cinerem vitulæ aſperſum inquinatos ſanctificaſſe ad emundationem carnis*. Hæc reſponſio eſt S. Thomæ, 1. 2. quæſt. 103. art. 2. Adeò verum eſt maculam internam peccati per ſacrificia Levitica abſterſam non fuiſſe, ut non pro omnibus peccatorum generibus, ſed pro aliquibus duntaxat inſtituta fuerint; cùm tamen fides doceat unum mortale peccatum remitti apud Deum non poſſe, quin alia quoque remittantur. Nam, uti obſervat S. Auguſtinus, Quæſtione 25 in Numeros, & lib. 2 *de Adulterinis Conjugiis*, cap. 6, peccata ſuperbiæ & adulterium nullis in lege ſacrificiis expiabantur. Conſtat etiam ex cap. 15 Numerorum, v. 30, ea peccata, quæ morte plecti lex jubebat, nullis victimis aboleri potuiſſe. Quod verò, Levit. VI. 3, dicitur de ariete immolando pro omni *peccato quo ſolent peccare homines*, reſtringi debere ad illa peccata quæ in proximum committuntur, conſtat ex præcedentibus & ſequentibus.

Si quis tamen verè pœnitens ex ſincera in Mediatorem fide, quæ tunc paucorum erat, obtuliſſet ſacrificia lege præſcripta, tanquam ſignum & pignus veri & unici ſacrificii, totamque fiduciam ſuam collocaſſet in meritis ſanguinis Chriſti, qui per antiqua illa ſacrificia fundendus prænuntiabatur, is veram & internam peccatorum remiſſionem impetraſſet, non virtute illorum ſacrificiorum, ſed merito fidei ſuæ in Chriſtum, quam per illa proteſtabatur, ut docet S. Thomas ibidem.

Ad ſecundam probationem reſpondeo, in libris ſacris minùs attendi debere ſonum verborum quàm ſenſum, qui ex aliis eorumdem locis, vel ex traditione indicatur. Eiſdem quidem verbis remiſſio peccatorum attribuitur ſacrificiis legalibus, ac novæ legis ſacramentis; ſed verba illa diverſimodè intelligenda eſſe, pro duorum teſtamentorum diverſitate, docet ipſamet ſcriptura divina: ita ut in veteri teſtamento exterior & figurativa, in novo autem interior & vera peccatorum remiſſio conſerri demonſtretur. Cæterùm impoſitio manuum Moſis ſuper Joſue non fuit ritus conſtans & permanens, adeòque computari non debet inter ſacramenta veteris legis, nec ſcripturæ verbis ſignificatur actionem illam ſeipſâ efficacem fuiſſe, ſed tantummodò Joſue repletum fuiſſe ſpiritu ſapientiæ ad regendum populum, quia Moyſes divino juſſu ad illud miniſterium per manuum impoſitionem eum promovit; ita ut non impoſitioni manuum, ſed divinæ vocationi atque operationi hoc modo manifeſtatæ plenitudo illa ſpiritûs Domini adſcribenda ſit.

Ad tertiam probationem dico memorata ſacrificia Deo accepta non fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe ex ſeipſis, ſed propter fidem & pietatem offerentium, totamque fiduciam ſuam in meritis Chriſti collocantium. Aliunde per illa, non bona ſpiritualia, ſed temporalia tantùm commoda impetrata ſunt. Sic Aaron, David, Onias non niſi vitæ temporalis conſervationem, aut plagæ extrinſecùs ſævientis ceſſationem obtinuerunt. Paulò plus difficultatis habere videtur ſacrificium, quod Judas Macchabæus offerri præcepit pro peccatis militum in bello cæſorum. Certum eſt tamen vel illud eis non profuiſſe niſi quoad effectum legalem, ut qui in acie ceciderant, & ſub quorum tunicis quædam reperta fuerant de donariis idolorum, non haberentur pro excommunicatis; vel, ſi aliquid eis ad ſalutem æternam profuit, non profuiſſe niſi ex fide & pietate offerentium. Conſtat enim nulla ſacramenta, etiam in nova lege, defunctis prodeſſe ex opere operato.

Ad quartam probationem obſervandum eſt Apoſtolum non dicere Iſraelitas eamdem ac nos, ſed eamdem omnes eſcam manducaſſe, eumdemque omnes potum bibiſſe. Ideò autem eſcam illam potumque illum ſpiritualem appellat, quia Chriſtus eis præfigurabatur: nam illo ipſo in capite bis inculcat omnia illis in figura contigiſſe, ut intelligeremus umbram tantummodò illis conceſſam, veritatem autem nobis in Chriſtum credentibus reſervatam fuiſſe. Certè Chriſtus ipſe, Joann. VI. 32, ſatis apertè declarat manna nihil contuliſſe ad ſalutem, cum ait: *Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*: & v. 49: *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. His adde manna & aquam de petra profluentem non fuiſſe ſacramenta veteris legis, ſed divina ſubſidia ad tempus conceſſa, ac proinde nihil ex illis concludi poſſe.

Objiciunt 2° nonnullos SS. Patres. S. Auguſtinus, inquiunt, Enarrat. in pſalm. 177, num. 2, de Judæis loquens: „ Erant ibi, ait, alii „ qui in quibus beneplacitum eſt Deo, & cum eſſent omnia ſacramenta „ communia, non communis erat omnibus gratia, quæ ſacramentorum „ virtus eſt: ſicut & nunc, jam revelatâ fide quæ tunc velabatur, omnibus in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti baptizatis commune eſt lavacrum regenerationis, ſed ipſa gratia, cujus ipſa ſunt ſacramenta,..... non communis eſt omnibus.“ Et S. Leo, Serm. 2 *de Pentecoſte*, cap. 3: „ Sine hac gratia (Spiritûs ſancti), inquit, nulla „ unquam inſtituta ſacramenta, nulla ſunt celebrata myſteria, ut eadem ſemper fuerit gratia chariſmatum, quamvis non eadem fuerit „ menſura donorum.“ His textibus, inquiunt, ſacramentis veteris legis, non ſecus ac novæ, virtus conferendi gratiam attribuitur.

Nego conſequentiam, & ad S. Auguſtinum reſpondeo gratiam reipſâ eſſe *virtutem ſacramentorum*, quia ad illam omnia ſacramenta referuntur, ſive illam figurando & ſignificando duntaxat, ſive etiam largiendo. Non autem dicit S. Doctor ſacramenta veteris legis, ſicut & novæ, virtutem

tutem habuiſſe conferendi gratiam, immo id expreſſe negat multis in locis ſuprà allatis. S. Leonis idem ſenſus eſt. Dicit quidem nulla unquàm ſacramenta fuiſſe inſtituta ſine gratia, quam ſcilicet vel ſignificarent, vel conferrent; ſed nequaquam dicit gratiam omnibus ſacramentis fuiſſe ſemper annexam. Quod verò addit, eamdem fuiſſe ſemper gratiam charismatum, ſignificat dona ſpiritualia omnibus retro ætatibus impertita fuiſſe, etſi non eâdem menſurâ, antequàm Spiritus ſanctus viſibiliter daretur die Pentecoſtes; non autem hujusmodi dona ſeu charismata data fuiſſe per ſacramenta veteris legis, de quo duntaxat hic agimus.

Objiciunt 3° rationes quaſdam Theologicas. Primò, inquiunt, ritus divinitùs præſcripti majorem vim habere debuerunt, quàm illi quos quilibet privatus ad fidem ſuam proteſtandam pro ſuo arbitrio adhibere potuiſſet. Atqui majorem vim non habuiſſent, ſi gratiam non conferebant ex opere operato. 2°. Niſi ita eſſet, ſequeretur majorem fuiſſe virtutem fidei in veteri quàm in novo teſtamento; ſiquidem in veteri fides juſtificaſſet abſque ſacramentis, in novo autem non juſtificat, ſaltem ordinariè, niſi ſacramentorum ope.

Respondeo ad primum, ritus lege præſcriptos non habuiſſe, ex ſe præciſè ac vi præcepti divini, majorem efficaciam, quàm ritus ad arbitrium privatorum adhibitos; illos tamen, qui ritibus lege præſcriptis ex pietate obtemperabant, habuiſſe meritum obedientiæ & humilitatis, quo ii caruiſſent, qui privatis ſignis ad arbitrium excogitatis fidem ſuam profeſſi fuiſſent.

Ad ſecundum, nego conſequentiam. Eadem quippe ſemper fuit virtus & efficacia fidei coram Deo, qui nec perſonarum acceptor eſt, nec temporum. Verùm fides multis adjumentis excitatur & nutritur in novo teſtamento, quæ in veteri defuerunt. Primò namque fides, quæ ante Chriſti adventum paucorum fuit, ut poſt S. Auguſtinum obſervat S. Bernardus, Serm. 2 in Cantica, num. 4, nunc multò communior eſt. Secundò, multò faciliùs nunc ad fidem pervenitur, quàm ante promulgationem Evangelii. Tunc enim myſteria velaminibus obumbrabantur, nunc autem, ut ait Apoſtolus Rom. III. 21, *juſtitia Dei*, id eſt, juſtitia quam donat Deus, *manifeſtata eſt.* Tertiò, qui olim ex fide vivebant non ideò minùs tenebantur obſervare ritus & purificationes legales, atque ut plurimùm peccatorum veniam non impetrabant, niſi priùs ſacrificia obtuliſſent, ac cætera peregiſſent quæ lege præſcripta erant. Illa autem ita gravia & oneroſa erant, ut à S. Petro, Act. XV, appellentur *jugum quod*, inquit, *neque patres noſtri, neque nos portare potuimus:* nunc autem paucioribus & facilioribus ſacramentis fides ſubjicitur. Quartò, obſervationes legales, ſine quibus ſub lege veteri peccatorum remiſſio vulgò non obtinebatur, omni intrinſeca virtute ex ſeipſis deſtitutæ erant: contra verò ſacramenta novæ legis gratiam continent, eamque

Digitized by Google

que ſeipſis conferunt omnibus, qui ritè diſpoſiti ad ea recurrunt. Quapropter S. Auguſtinus, Epiſt. 54, al. 118, ad Januarium, num. 1: „ Tenere te volo, inquit, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum levi jugo „ ſuo nos ſubdidiſſe & ſarcinæ levi. Unde ſacramentis numero pauciſ„ ſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis ſocieta„ tem novi populi colligavit." Et lib. 19 *contra Fauſtum*, cap. 3: „ Prima ſacramenta ablata ſunt, quia impleta,..... & alia ſunt inſti„ tuta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pau„ ciora, tanquam, juſtitiâ fidei revelatâ & in libertatem vocatis fi„ liis Dei, jugo ſervitutis ablato, quod duro & carni dedito populo „ congruebat.

Adverſùs alteram Propoſitionis partem, quæ circumciſionem ſpeciatim ſpectat, objiciunt 1° hæc verba Geneſis, XVII. 14: *Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit* (70 addunt, *octavo die*), *delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* Tria, inquiunt, hìc ſunt attendenda. Primum, comminatio divina, quæ ad ipſos etiam infantes extenditur, ut ex verſione Græca manifeſtum eſt; cùm tamen ad illos pertinere non potuerit, niſi agnoſcamus per circumciſionem ſolutos eos fuiſſe à peccato originali. Alterum, pœna quæ contra incircumciſos decernitur his verbis: *Delebitur anima illa de populo ſuo*, quæ æquivalent iſtis Chriſti verbis, Joannis III: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Tertium, pactum quod ab incircumciſo irritum factum fuiſſe dicitur: *Quia pactum meum irritum fecit.* Hoc enim pactum, ut obſervat S. Auguſtinus, non eſt præceptum ipſum circumciſionis, ſiquidem hujuſmodi præcepti merè poſitivi infantes capaces non ſunt: eſt ergo pactum cum Adamo initum, ne comederet de fructu vetito, cujus pacti violatione obligati naſcuntur infantes per originale peccatum; quod quidem peccatum eis non remitti aſſeritur, niſi circumcidantur. Ergo circumciſio delebat originale peccatum.

Reſpondeo iſtam interpretationem caducam eſſe quoad ſingula capita.

1°. Immeritò infantes comprehendi dicuntur in comminatione divina. Nam hæ voces, *octavo die*, quæ in verſione Septuaginta habentur, non extant in Hebræo fonte, nec in Vulgata noſtra, nec in Paraphraſi Chaldaica; &, Exodi IV. 24 & 25, refertur Deum voluiſſe occidere, non filium Moyſis, qui adhuc erat incircumciſus, ſed ipſum Moyſen qui eum non circumciderat. Sic enim habet ſacer textus: *Cùm eſſet in itinere* Moyſes, *in diverſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit illicò Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui, tetigitque pedes ejus, & ait: ſponſus ſanguinum tu mihi es*, id eſt, ego te ſponſum redemi, ac denuò acquiſivi ſanguine filii mei. Quæ verba exponens Tertullianus, lib. *Adverſùs Judæos*, cap. 3, hæc appoſitè obſervat: „ Si circumciſio ſalutem omnimodò afferret, etiam ipſe Moyſes „ in filio ſuo non intermiſiſſet quominus octavâ die circumcideret eum,

„ quan-

„ quando conſtat Sephoram coactam ab angelo id feciſſe in itinere.....
„ Nam providens Deus quòd hanc circumciſionem in ſignum, non in
„ ſalutem eſſet daturus populo Iſrael, ideirco filium Moyſi ducis futuri
„ inſtigat circumcidi," (non ut parvulus à reatu originis ſolveretur,
ſed) „ ut, cùm cœpiſſet per eum populo dare præceptum circumciſio-
„ nis, non aſpernaretur, videns exemplum iſtud in ducis filio jam ce-
„ lebratum."

2°. Etiamſi concederemus pœnam ibi denuntiatam ad ipſos parvulos pertinuiſſe, nihil inde contra nos concludi poſſet. Nam iſta verba, *delebitur anima illa de populo ſuo*, non ſignificant excluſionem à regno cœlorum. Quamvis enim populus Iſraeliticus fuerit figura veri populi Dei, excluſioque ab illo populo imago fuerit ſeparationis à ſocietate ſanctorum; quamvis etiam quod lex puniri jubebat morte temporali, æternâ quoque morte ut plurimùm à Deo plecteretur, ut ait S. Auguſtinus, tamen excluſio ibi memorata directè & immediatè ſignificat vel mortem temporalem, vel ſeparationem à cœtu Synagogæ. Eo quippe duplici ſenſu eadem verba paſſim accipiuntur in Pentateucho, ut videre eſt Exodi XII. 15, Levitici V. 20 & 21, Numerorum XV. 30. Itaque ſi iſte textus de ſolis adultis intelligatur, ſenſus eſt omnem Judæum, qui circumcidi noluiſſet, morte plecti debuiſſe, ſicut reverâ Deus Moyſi mortem interminatus eſt, eoquòd non circumcidiſſet filium ſuum: ſi autem infantes ipſos comprehendat, ſenſus eſt eos, antequàm circumciſi eſſent, à populo Iſraelitico alienos fuiſſe.

3°. Pactum quod ibi memoratur non eſt pactum cum Adamo initum, cujus eo in loco nulla prorſus mentio fit, ſed vel præceptum ipſum circumciſionis, vel pactum cum Abrahamo & ejus poſteritate carnali ſancitum. Nam quivis adultus è ſtirpe Abrahami tenebatur circumcidi, atque, ſi circumciſionis ritui ſubjici noluiſſet, reus fuiſſet violati præcepti divini, ideòque puniendus: infans verò, quem parentes circumcidere neglexiſſent, etſi abſque ulla ſua culpa in præputio manſiſſet, cenſebatur tamen alienus à religione Judaicâ, cui nemo niſi per circumciſionem aggregabatur. Si verò pacti nomine intelligatur fœdus à Deo ſancitum cum poſteris Abrahæ ſecundùm carnem, cùm circumciſio ſignum eſſet ac ſigillum illius fœderis, quicunque incircumciſus manebat, nullatenus erat particeps illius fœderis.

Objiciunt 2°. S. Ambroſius, lib. 2 de Abraham, cap. ultimo, num. 81, hæc dicit: „ Egregiè in infantiæ primis vagitibus circumcidi ma-
„ res lex jubet, etiam vernaculos, quia ſicut ab infantia circumciſio,
„ ita & morbus (ſive, ut in nova editione habetur, *peccatum*): nul-
„ lum tempus vacuum debet eſſe tutelæ, quia nullum eſt culpæ va-
„ cuum...... Simul ne quiſquam inflectur quòd ſibi juſtus videatur,
„ ætatis maturioris proceſſu Abraham circumcidi jubetur. Nec ſenex
„ ergo, nec proſelytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis
„ ætas

Digitized by Google

„ ætas peccato obnoxia, & ideò omnis ætas ſacramento idonea.“ Et lib. 7 in Lucam, num. 166, ait „ Dominum ad veteres veniſſe, atque „ adventum ejus beneficiis recognoſci. Alibi denique, inquit, ſancti- „ ficatio, alibi purificatio, alibi juſtificatio eſt. Circumciſio purifica- „ cavit, ſanctificavit lex, juſtificat gratia. Unus in omnibus & in uno „ omnia.“

Reſpondeo in primo S. Ambroſii textu nequaquam dici per circumciſionem legalem ablatum fuiſſe peccatum originale, ſed tantummodò concludi nullam ætatem immunem eſſe à peccato, eoquòd omnis ætas circumciſioni obnoxia fuerit. Et meritò ſanè: ideo quippe Deus cutis particulam præcidi juſſit, ut inde diſceremus aliquid pravum omni homini ineſſe, quod reſecari oporteat. Verùm, pro more cæterorum Patrum, circumciſionis præceptum allegoricè exponit S. Doctor ibidem, num. 78 & 79, dicitque *perfectam circumciſionem ſpiritualem* eſſe, cujus illa legalis umbra tantùm fuit: per maſculum, qui circumcidi jubebatur, ſignificari mentem, cujus omnes ſuperfluæ cogitationes circumcidi debent. „ Circumciſio ergo cordis, inquit, intelligibilis, circumciſio autem carnis „ mandatur ſenſibilis; illa in veritate, iſta in ſignaculo.“ Addit circumciſionem carnis fieri debuiſſe octavo die, ut ſignificaretur Chriſtum, in quo circumcidimur circumciſione non manufacta, à mortuis octavo die reſurrecturum eſſe, ut cum eo reſurgamus. Sequitur deinde illud quod nobis objicitur, nimirùm circumciſionem legalem ad omnes pertinuiſſe, quia nulla ætas non indiget circumciſione ſpirituali, eoquòd nulla ſit à peccato immunis. Demùm pactum, quod irritum faciebant qui non circumcidebantur, ait eſſe legem ipſam circumciſionis myſticè & ſpiritualiter intellectam. „ Mihi, inquit num. 84, ſatis liquidò patet dic- „ tum de uniuſcujuſque mente; diximus enim maſculi nomine men- „ tem ſignificari...... Ergo hæc ratio eſt, quòd omnis mens, quæ non „ fuerit circumciſa à ſuperfluis cogitationibus, & purgata ſolemni mune- „ re, ut exuat ſe à paſſionibus & vitiis, interibit. Non caro, inquit, „ interibit, non homo; ſed anima illa interibit, quia potuit ſalva fie- „ ri, ſi habuiſſet purgationem.“

Alter textus nihil aliud ſignificat, quàm priſcis etiam temporibus Deum per ſua beneficia homines conveniſſe: quænam verò & qualia fuerint illa beneficia, non declarat. Cùm verò addit *circumciſionem purificaſſe*, *legem ſanctificaſſe*, *gratiam juſtificaſſe*, ſenſus non eſt circumciſionem & legem veram ſanctitatem contuliſſe, ſed tantùm illas ordinatas fuiſſe, viamque præparaſſe ad juſtitiam, quæ nonniſi per gratiam erat conferenda. Conſiderat enim ibi S. Doctor circumciſionem & legem ut ſejunctas à gratia, quam appellat tertium acceſſum Dei ad hominis. Porro fide certum eſt circumciſionem & legem gratiâ Chriſti deſtitutas neminem verè ſanctificaſſe. Denique verba ſtatim ſequentia dubium omne removent; ait quippe: „ Populus Judæorum neque purificari potuit, quia

Digitized by Google

„ quia circumciſionem, non animi, ſed corporis habuit, neque ſanctificari, quia virtutem legis ignoravit, qui carnalia magis quàm ſpiritualia ſequebatur,..... neque juſtificari, quia peccatorum ſuorum pœnitentiam non gerebat, & ideò gratiam neſciebat." Liquet igitur S. Ambroſio perſuaſum fuiſſe circumciſionem non aliam, quàm carnalem & typicam, purificationem ex ſeipſa contuliſſe.

Objiciunt 3° plures alios SS. Patres, qui videntur non minorem juſtificandi vim circumciſioni quàm baptiſmo tribuiſſe, atque imprimis ſanctum ipſum Auguſtinum. Sic enim, inquiunt, loquitur lib. 2 *de Nuptiis & concupiſcentia*, cap. 11. num. 24: „ Ex quo inſtituta eſt circumciſio in populo Dei, quod erat tunc ſignaculum juſtitiæ fidei, ita ad ſignificationem purgationis valebat & in parvulis originalis veteriſque peccati, ſicut & baptiſmus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo eſt inſtitutus." Lib. 3 *contra Julianum*, cap. 18. num. 34: „ Ad hoc reſponde, ſi potes, cur ipſe Iſaac niſi baptiſmatis Chriſti ſigno circumciſus die octavo fuiſſet, periiſſet anima ejus de populo ſuo? Explica, ſi potes, tantâ pœnâ quo merito plecteretur, niſi ab hac illo ſacramento liberaretur?" Et num. 35: „ Quoniam ex iſta in Adam generatione damnata nemo liberatur, niſi regeneretur in Chriſto, propterea ſignum ejuſdem regenerationis Iſaac niſi accepiſſet, periiſſet." Et lib. 6. cap. 7. num. 19: „ Cùm parvulus nullum proprium habeat omnino peccatum, reſtat ut nullum eidem aliud auferatur, niſi originale, illo remedio, ſine quo perit anima ejus de populo ſuo." Idem docet lib. 4 *de Baptiſmo contra Donatiſtas*, cap. 24. num. 31. „ Cur, inquit, Abrahæ præceptum eſt ut omnem deinceps infantem maſculum octavo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, ut ei deputaretur ad juſtitiam, niſi quia & ipſum per ſe ſacramentum multùm valuit?" His omnibus in locis, inquiunt, S. Doctor circumciſionem cum baptiſmo comparat. Dicit per eam ablatum fuiſſe originale peccatum; per eam Iſaac ab æterna damnatione liberatum fuiſſe; ſacramentum iſtud *per ſeipſum*, id eſt, ex opere operato, ***multùm valuiſſe;*** verba illa, ***delebitur anima illa de populo ſuo***, intelligit de morte æterna quæ incircumciſos manebat, & per pactum ibidem memoratum intelligit pactum illud antiquum cum Adamo percuſſum. Idem etiam inculcat lib. 16 *de Civitate Dei*, cap. 27.

Addunt S. Auguſtino adſtipulari Præſules Africanos in Sardinia pro fide exules, in *Epiſtola Synodica de gratia & humano arbitrio*, cap. 7, ubi dicunt „ Eſaü, ſacramento quidem circumciſionis octavo die ſecundùm tenorem divinæ conſtitutionis accepto, reatu peccati originalis caruiſſe, ſed per nequitiam cordis in hominis terreni vetuſtate permanſiſſe," id eſt, gratiam regenerationis amiſiſſe: S. Fulgentium, lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 5, ubi de Jacob & Eſaü loquens: „ Circumciſi ſunt quidem, inquit, ambo in corpore circumciſione vi-ſi-

Digitized by Google

,, ſibili; quæ in ſignaculum juſtitiæ fidei priore tempore patribus noſ-
,, tris eſt divinitùs attributa; circumciſionem verò cordis, quæ eſt in
,, ſpiritu, non litterâ, cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt,
,, ſolus Jacob à Deo gratis juſtificatus accepit. Eſaü verò, quanquam
,, fuerit & ipſe in carne circumciſus, non eſt tamen divinæ dilectionis
,, & electionis dono à maſſa perditionis exceptus. In quo quidem cir-
,, cumciſio carnalis fuit, ſed idcirco non profuit, quia eum à pruden-
,, tia carnis, quæ inimica eſt Deo, nullatenùs circumciſio ſpiritalis
,, exemit.“ Hæc ultima verba, inquiunt, & meritò ſanè, non ſic in-
telligenda ſunt, quaſi Eſaü non fuerit à peccato originali per circumci-
ſionem mundatus, ſed ſenſus eſt circumciſionem non ei profuiſſe ad ſalu-
tem æternam, quia æterno Dei decreto à maſſa perditionis non fuit
diſcretus; quemadmodùm nos de reprobis dicimus baptiſmum eis non
prodeſſe, utique culpâ ſuâ. Hanc reverâ S. Fulgentii mentem fuiſſe, ma-
nifeſtè demonſtrant mox relata verba Præſulum Africanorum, quorum
ille os manuſque fuit. Auctorem Sermonis *de Ratione circumciſionis*,
inter Opera S. Cypriani, quem Sermonem multi docti Salviano attri-
buunt. Is de circumciſione ex profeſſo differens ſic loquitur: ,, Sanè
,, originale peccatum, quod à primis patribus in totam generis hujus
,, ſucceſſionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit ex-
,, piari, licet vim plenam ſignificantia non habuerint, donec ad rem ip-
,, ſam ventum eſt, quæ figurarum operiebatur velamine. Et licet ſa-
,, cramentorum arcana omnibus non paterent, virtus tamen & effectus
,, eorum ignorari non poterat...... Propter hoc, cùm jam fidei tempora
,, propinquarent, imperata eſt circumciſio:“ S. Gregorium magnum
ſic loquentem lib. 4 *Moralium in Job*, cap. 3: ,, Quod apud nos valet
,, aqua baptiſmatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis ſola fides,
,, vel pro majoribus virtus ſacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ ſtir-
,, pe prodierunt, myſterium circumciſionis:“ S. Prudentium Trecen-
ſem, qui lib. *Prædeſtinatione contra Scotum*, cap. 4, idem tanquam in-
dubitatum aſſerit. ,, (Judæi), inquit, de Ægyptia ſervitute liberati, Maugin, tom. 1. pag. 256.
,, circumcumciſionis myſterio, in typo fundendi ſanguinis Domini noſ-
,, tri Jeſu Chriſti, à nexu originalis noxæ non dubitantur abſoluti. Quod
,, enim nunc in fide ejuſdem ſanguinis jam fuſi nobiſcum agit baptiſ-
,, ma, hoc apud antiquos in fide ipſius adhuc fundendi egiſſe circum-
,, ciſionem, nullus orthodoxorum dubitat:“ Florum Diaconum Lugdu-
nenſem in lib. *de Prædeſtinatione* adverſùs eumdem Scotum, cap. 11,
in refutatione primæ illius definitionis, ubi hæc dicit: ,, Sicut maſcu-
,, lus die octavo minimè circumciſus manifeſtè periturus denuntiatur;
,, ob reatum primæ prævaricationis, ita è contrario fideliter intelligen-
,, dum eſt eum, qui ritè & legitimè eſſet circumciſus, ab illo reatu ab-
,, ſolvendum:“ Bedam, in caput 2um. Lucæ, eidem ſententiæ ſuffragan-
tem his verbis: ,, Salutiferæ curationis auxilium circumciſio in lege contra

Digitized by Google

„ originalis peccati vulnus agebat, quod baptiſmus agere revelatæ gra„ tiæ tempore conſuevit, excepto quòd regni cœleſtis januam“ (Chriſto nondum in cœlum aſſumpto) „ nondum intrare poterant:“ S. Bernardum, Serm. 1 in nativitate SS. Innocentium, num. 2, ubi ait „ cæ„ teris infantibus tunc quidem circumciſionem, nunc verò baptiſmum „ ſine ullo proprio voluntatis uſu ſufficere ad ſalutem.“ Idem docet Serm. 1 in octavam Epiphaniæ, num. 1, & Serm. 1. in Cœna Domini, num. 2.

Tandem, inquiunt, eamdem opinionem amplexi ſunt omnes ferè Scholaſtici, eamque definiiſſe videtur Innocentius III, cujus verba in Jus Canonicum relata ſunt, lib. 4, tit. *de Baptiſmo & ejus effectu*, cap. *Majores*.

Reſpondeo Patres ac Theologos modò nominatos S. Auguſtinum ſecutos eſſe, aut ſaltem ſequi voluiſſe; tanti ponderis apud omnes fuit illius S. Doctoris auctoritas. Proinde ſi oſtendi ſemel poteſt S. Auguſtinum ſententiæ noſtræ nullatenùs adverſari, hoc ipſo cæteros quoque Patres vindicare, aut ſaltem excuſare facillimum erit.

Exponitur S. auguſtini doctrina de circumciſionis effectu.

Duo ſunt quibus S. Doctor in errorem induci circa hoc caput facilè potuit. Primum eſt quòd in verſione Italica quâ utebatur, & quæ juxta verſionem Septuaginta facta fuerat, legeret, Geneſeos XVII. 14: *Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit octavo die, delebitur anima illa de populo ſuo.* Intellexit Doctor perſpicaciſſimus alienum futurum fuiſſe à juſtitia, ut infans non circumciſus octavo die reus cenſeretur, tanquam violator præcepti circumciſionis, cujus cognoſcendi & implendi illa ætas incapax eſt. Quapropter, vitio ſui codicis deceptus, cenſuit pactum illud, quod infans non circumciſus octavo die irritum feciſſe dicebatur, non eſſe præceptum ipſum circumciſionis, ſed intelligendam eſſe legem Adamo impoſitam abſtinendi à fructu vetito, quam legem in primo parente omnes ejus poſteri transgreſſi ſunt. Alterum eſt quòd in eodem ſuo mendoſo codice legeret, Exodi cap. 4, Deum voluiſſe occidere filium Moyſi, eo quòd incircumciſus manſiſſet, cùm tamen in Hebræo textu, in verſione Septuaginta & in Vulgata noſtra habeamus Deum voluiſſe occidere ipſum Moyſen, ut ſupra retulimus. Iſtud Auguſtiniani codicis mendum conſtat ex Epiſtola 25, al. 203, S. Doctoris ad Maximinum Donatiſtam, num. 4, ubi ait „ ſignaculum juſti„ tiæ fidei tantum illo tempore valuiſſe, antequàm Domini evacuaretur „ adventu, ut infantem filium Moyſi angelus præfocaſſet, niſi mater, „ arrepto calculo, circumcidiſſet puerum, atque hoc ſacramento immi„ nentem perniciem depuliſſet.“ Et lib. 4 *de Baptiſmo contra Donatiſtas*, cap. 24. num. 31, cùm dixiſſet ſacramentum circumciſionis per ſeipſum multum valuiſſe, addit: „ Quod in filio Moyſi per angelum ma„ nifeſtatum eſt, qui, cùm adhuc incircumciſus à matre ferretur, „ præſenti & evidenti periculo ut circumcideretur exactum eſt, &, cùm

„ fac-

„ factum eſſet, depulſa eſt pernicies.“ Quamobrem, etiamſi S. Auguſtinus exiſtimaſſet circumciſionem habuiſſe virtutem delendi peccatum originale, id non ipſi propriè, ſed mendoſo ipſius codici imputandum foret, neque idcirco recedendum à conſtanti Patrum præcedentium doctrina, à qua ipſe procul dubio non receſſiſſet, ſi accuratiorem ſcripturarum codicem præ manibus habuiſſet. Verùm attentiùs perpendendo quæcunque hac de re ſcripſit S. Doctor, perſuaſum habeo illum in ea opinione nequaquam fuiſſe, quæ aliunde adverſatur omnibus quæ de ſtatu & impotentia veteris legis centies docuit. Ut autem ejus mens dilucidè pateat:

Iſtam propoſitionem, *S. Auguſtinus cenſuit circumciſionem vim habuiſſe delendi peccatum originale*, diſtinguo. Id eſt, cenſuit abſque circumciſione, ex quo inſtituta fuit, deletum non fuiſſe peccatum originale; concedo: id eſt, cenſuit per illam deletum fuiſſe peccatum originis; iterum diſtinguo. Cenſuit per illam deletum fuiſſe peccatum in typo & figura, ſeu per illam ſignificatam & figuratam fuiſſe remiſſionem peccati originis, concedo: cenſuit per illam peccatum originale fuiſſe reipſâ deletum, diſtinguo iterum. Cenſuit peccatum originale deletum fuiſſe nonnunquam & ex opere operantis, id eſt, ex fide parentum, concedo: deletum fuiſſe ſemper & ex opere operato, nego. Igitur, ut mihi quidem ſatis liquidò apparet, S. Auguſtini ſenſus eſt:

1°. Neminem, ex quo inſtituta eſt circumciſio, abſque illo ritu ab æterna damnatione liberatum fuiſſe. Id apertiſſimè patet ex textibus ſuperiùs allatis. Reverâ, quamvis hæc verba, *delebitur anima illa de populo ſuo*, directè & immediatè non ſignificent damnationem æternam (quod tamen S. Doctor ex vitio ſui codicis exiſtimaſſe videtur), eam nihilominùs indirectè & mediatè ſignificant. Nam ſive de morte temporali, ſive de excluſione à populo Dei intelligantur, certè utraque illa pœna injuſtè inferretur parvulis nullum peccatum habentibus. Si autem ipſi etiam parvuli peccato obſtricti ſunt, quodnam illud eſſe poteſt, niſi originale? Meritò itaque S. Auguſtinus Pelagianis objecit hujuſmodi pœnam, quam ad ipſos parvulos extendi putabat; quaſi dixiſſet: Deus puniendum declarat parvulum, ſi die octavo circumciſus non fuerit; pœna quippe eſt deleri de populo Dei, quocunque modò iſtud intelligatur. Atqui inſontem à Deo puniri ipſius juſtitiæ repugnat. Ergo ipſi etiam parvuli non ſunt peccati expertes: cujus autem, niſi originalis?

2°. S. Doctor cenſuit circumciſionem fuiſſe typum & figuram baptiſmi, ac remiſſionis peccati quæ per baptiſmum nobis confertur. Nuſquam enim eam appellat cauſam juſtitiæ, ſed tantummodò *ſignum*, *ſignaculum*, *figuram*. Sic lib. *de Peccato originali*, cap. 30. num. 35, dicit eam fuiſſe *ſignaculum juſtitiæ fidei*. Lib. 2 *de Nuptiis & concupiſcentia*, cap. 11. num. 24: „ Hoc peccatum, inquit, in illo (infante)

„ SIGNIFICABATUR expiari circumciſione octavi diei, hoc eſt, ſacra-
„ mento Mediatoris in carne venturi.“ Non ergo circumciſione pecca-
tum expiabatur, ſed expiandum ſignificabatur. Unde ſtatim addit: „ Ex
„ quo enim inſtituta eſt circumciſio in populo Dei, quod erat tunc
„ SIGNACULUM JUSTITIÆ FIDEI, ita ad SIGNIFICATIONEM
„ PURGATIONIS valebat & in parvulis veteris originaliſque peccati,
„ ſicut & baptiſmus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex
„ quo eſt inſtitutus.“ Advertite quanto ſtudio effectus longè diverſi
circumciſioni & baptiſmo hic attribuantur: illa valuit duntaxat *ad ſig-
nificationem purgationis*, hic autem ad ipſam *hominis innovationem* valet.
Lib. 3 *contra Julianum*, cap. 18. num. 35, dicit circumciſionem præceſ-
ſiſſe in figuram & ſignum baptiſmi. „ Quoniam, inquit, ex iſta in
„ Adam generatione damnata nemo liberatur, niſi regeneretur in Chriſ-
„ to, propterea SIGNUM EJUSDEM REGENERATIONIS Iſaac niſi
„ accepiſſet, perjiſſet.“ Et lib. 6. cap. 7. num. 18: „ Non ob aliud
„ credendum eſt antiquis patribus hoc divinitùs fuiſſe præceptum, ut
„ octavo die circumciderent parvulos, AD SIGNIFICANDAM REGE-
„ NERATIONEM quæ fit in Chriſto, qui poſt ſeptimum diem ſabba-
„ ti, ... octavo in hebdomadibus die, reſurrexit propter juſtificatio-
„ nem noſtram. Quod ſacramentum circumciſionis IN FIGURA PRÆ-
„ CESSISSE BAPTISMATIS quis vel mediocriter eruditus ignorat?“
Demum lib. 16 *de Civitate Dei*, cap. 27: „ Quia, inquit, circumciſio
„ SIGNUM REGENERATIONIS fuit, & non immeritò parvulum
„ propter originale peccatum, quo primum Dei diſſipatum eſt teſtamen-
„ tum, generatio diſperdet, niſi regeneratio liberet, ſic intelligenda
„ ſunt hæc divina verba (*Maſculus cujus præputii caro* &c.), tanquàm
„ dictum ſit: qui non fuit regeneratus, interibit anima illa de populo
„ ejus, quia teſtamentum Dei diſſipavit, quando in Adam cum omni-
„ bus etiam ipſe peccavit.“ Porro ſi circumciſio fuit duntaxat *ſignum
regenerationis* quæ per baptiſmum confertur, tantum diſcriminis eſt il-
lam inter & baptiſmum, quantum inter merum ſignum & rem ſignifi-
catam. Neque idcirco minus valida eſt S. Doctoris contra Pelagianos
argumentatio. Sic enim illa ſe habet: Circumciſio fuit ſignum & figura
baptiſmi. Atqui etiam infans, ſi non eſſet circumciſus, delebatur de
populo Dei typico. Ergo infans non baptizatus deletur de vero & ſpi-
ritali populo Dei. Quonam autem merito, niſi quia peccavit in
Adamo?

3°. Negari tamen non poteſt S. Auguſtinum nonnullis in locis ali-
quod peccati originalis remedium in circumciſione agnoviſſe. Id verò
quomodò cum mox dictis concilietur, inquirendum eſt. Rem ſic ex-
plico: S. Auguſtino perſuaſum fuit quovis tempore aliquod extitiſſe re-
medium contra peccatum originale, tam pro infantibus quàm pro adul-
tis. Quamvis enim ſcriptura hac de re ſileat, Eccleſiaque nihil defini-
ve-

Digitized by Google

verit, tamen valde conſentaneum eſt bonitati Dei, *qui vult omnes*, id eſt, cujusvis ætatis, conditionis, temporis *homines ſalvos fieri*, ut ab exordio mundi medium aliquod providerit quo peccatum deleretur, etiamſi juſto judicio non omnibus, ſed paucis ante adventum Chriſti applicatum fuerit. Medium illud, juxta S. Auguſtinum, fuit fides in Chriſtum incarnandum, moriturum & reſurrecturum, fides, inquam, non nuda, ſed aliquo ſigno ſeu ſacramento viſibili expreſſa; ita tamen ut ſignum illud non fuerit cauſa ſeu inſtrumentum ex ſe efficax gratiæ, ſed tantummodò conditio ſine qua gratia non impetrabatur. „ Superioribus temporibus, ait S. Doctor lib. 2 *de Nuptiis & concupiſcentia*, „ cap. 11. num. 24, omnimodò latuit ſacramentum juſtificationis ex „ fide. Eadem tamen fides Mediatoris ſalvos juſtos faciebat antiquos, „ puſillos cum magnis: quia, ſicut credimus nos Chriſtum veniſſe in „ carne, ſic illi venturum; ſicut nos mortuum, ſic illi moriturum.“ Fidem autem illam ſigno aliquo viſibili declarandam fuiſſe dicit lib. 5 *contra Julianum*, cap. 11. num. 45. „ Nec ideò credendum eſt, inquit, „ & ante datam circumciſionem famulos Dei, quando eis inerat fides „ Mediatoris in carne venturi, nullo ſacramento ejus opitulatos fuiſſe „ parvulis ſuis, quamvis quid illud eſſet aliquâ neceſſariâ cauſâ ſcriptu„ ra latere voluerit.“ Poſtquàm verò inſtituta eſt circumciſio, non dubitavit S. Doctor quin ritus ille fuerit ſacramentum, quo parentes, quibus inerat fides Mediatoris, parvulis ſuis opitulabantur.

Idem quoque docet S. Thomas, part. 3. quæſt. 69. art. 4. ad 2um. Quamvis enim exiſtimaverit ante legem circumciſionis non extitiſſe ſignum commune, & à Deo præſcriptum „ proteſtativum fidei, quia non„ dum homines fideles ſeorſum ab infidelibus cœperant adunari ad cul„ tum unius Dei,“ cenſet tamen „ probabile eſſe quòd parentes fideles „ pro parvulis natis, & maximè in periculo exiſtentibus, aliquas pre„ ces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod „ erat quoddam ſignaculum fidei, ſicut adulti pro ſeipſis preces & ſacri„ ficia offerebant:“ Abrahami verò tempore circumciſionem à Deo præſcriptam fuiſſe, ut eſſet ſignaculum illud fidei, quâ ſolâ remittebatur peccatum.

Verùm, cùm ſignum illud viſibile non eſſet ex ſe efficax, ſed tantùm quatenus erat *proteſtativum fidei* in Mediatorem, inde fiebat ut non in omnibus infantibus, qui circumcidebantur, peccatum originale deleretur, ſed in eis duntaxat quibus ritus ille ex vera parentum fide ac pietate adhibebatur. Hanc eſſe S. Auguſtini doctrinam plurima ejus teſtimonia demonſtrant. Ac 1° quidem id expreſſè docet in Epiſt. 187, al. 56, ad Dardanum, cap. 11. num. 34, his verbis: „ Sacramentum „ regenerationis noſtræ manifeſtum eſſe voluit manifeſtatus Mediator. „ Erat autem ANTIQUIS JUSTIS aliquod occultum, cùm tamen & „ illi eâdem fide ſalvi fierent, quæ fuerat ſuo tempore revelanda.....

„ Quod

„ Quod ſi circumciſio ANTIQUIS SANCTIS pro baptiſmo fuiſſe credi-„ tur &c.“ Igitur, juxta S. Doctorem, ſacramentum regenerationis non erat tunc vulgò manifeſtum, & fides, ſine qua nemo juſtificatur, non omnibus revelabatur, ſed *juſtis* duntaxat; neque omnibus, ſed ſolis *ſanctis* circumciſio pro baptiſmo erat. 2°. Paſſim docet circumciſionem fuiſſe tantummodò ſignum & figuram baptiſmi, per quem regeneramur, ut modò oſtenſum eſt. Id verò manifeſtè ſupponit eam nequaquam habuiſſe ex ſeipſa virtutem juſtificandi quam habet baptiſmus. 3°. Nuſquam originalis peccati remiſſionem circumciſioni attribuit, quin afferat in exemplum ſanctos & famulos Dei, Iſaac v. g. lib. 3 *contra Julianum*, cap. 18. num. 35. 4°. Certiſſimum eſt apud S. Auguſtinum antiquos juſtos nonniſi per fidem Mediatoris juſtificatos fuiſſe, & abſque illa fide nullum ritum externum quidquam profuiſſe ad ſalutem. Atqui, juxta eumdem, fides Mediatoris non erat popularis in ipſa gente Judæorum, ac proinde plerique infantes, dum circumcidebantur, non accipiebant remiſſionem peccati originalis, ſed nudum & vacuum ſignum. Fruſtra reſponderetur fidem parentum ſuppletam fuiſſe per fidem Synagogæ. Nam in doctrina S. Auguſtini non minùs certum eſt Synagogam in ſeipſa conſideratam non vixiſſe ea fide, ſed cœtum fuiſſe hominum carnalium verum Deum carnaliter colentium, & Eccleſiam Chriſti tantummodò præfigurantium. Non ergo ex fide Synagogæ, ſed ex fide parentum, aut aliorum, à quibus circumcidebantur, juſtificari poterant infantes; adeòque, cùm ſincera fides in Chriſtum tunc paucorum eſſet, plerique infantes, licet carne circumciſi, incircumciſi corde remanebant.

Nec dicas id repugnare infinitæ bonitati Dei, *qui omnes homines vult ſalvos fieri.* Nam divina bonitas in eo elucet, 1° quòd nunquam non providerit hominibus remedium contrà peccatum; quòd autem illud remedium priſcis temporibus paucis applicatum ſit, ſicuti nunc baptiſmus non omnibus etiam filiis fidelium applicatur, ad ipſius juſtitiam juſtumque judicium pertinet. 2°. Immenſa Dei bonitas in eis potiſſimùm elucet, quos miſericorditer elegit diſcrevitque à maſſa perditionis; in cæteris autem, quos in ea reliquit, juſtiſſimum, etſi occultum, ipſius judicium cum metu & tremore adorandum eſt, non arroganter ſcrutandum. Et certè numquid plus aliquid debuit Deus filiis Judæorum carnalium, quàm aliarum gentium, quas dimiſit ingredi vias ſuas? Judæi quidem unius veri Dei cultui mancipati erant, ſed ita, quòd ſæpè dicendum eſt, ut non eſſent Eccleſia Chriſti, ſed ut Chriſtum ejuſque Eccleſiam verè ſanctam variis obſervationum ritibus prænuntiarent. Quid mirum igitur, ſi quos Deus veri populi ſui figuram eſſe voluit, eorum filios non interiùs regeneraverit, ſed regenerandorum typum eſſe voluerit?

Ex hac expoſitione manifeſtum eſt circumciſionem in mente S. Auguſtini non remiſiſſe peccatum originale ex opere operato, ſed fuiſſe tan-

tum-

tummodò, ex quo inſtituta eſt, conditionem ſine qua peccatum illud non remittebatur, nihilque ad ſalutem contuliſſe niſi ex opere operantis, id eſt, ex fide & pietate parentum, aliorumve à quibus ritus ille celebrabatur.

Inde etiam patet quid de cæteris Patribus qui nobis objiciuntur ſentiendum ſit. Præſules Africani nihil dicunt quod doctrinæ mox expoſitæ non planè conſonet. Ex illa enim ſequitur Eſaü, acceptâ circumciſione, caruiſſe reatu peccati originalis, non quidem virtute ipſius circumciſionis, ſed ex fide & ſanctitate patris ſui Iſaac, à quo circumciſus eſt. Idem dicendum eſt de S. Fulgentio, qui pariter loquitur de Jacob & Eſaü filiis juſtorum ex fide viventium. Auctor Sermonis *de Ratione circumciſionis* docet quidem (quod & nos dicimus) ſemper extitiſſe remedium aliquod adverſùs peccatum originale, ſed ſimul docet antiqua ſigna *vim plenam non habuiſſe, donec ad rem ipſam ventum eſt, quæ figurarum operiebatur velamine, nec ſacramentorum arcana omnibus patuiſſe*, id eſt, remedium illud, nempe fidem in Mediatorem, paucis compertum fuiſſe, cæteris verò ſacramenta viſibilia nihil profuiſſe, merasque figuras fuiſſe juſtitiæ quæ per Chriſtum erat revelanda. S. Gregorii magni mentem non abſimilem fuiſſe conjici facilè poteſt, tum ex eoquòd circumciſioni fidem adjungendam fuiſſe voluerit, ſine qua nullos parvulos juſtificatos eſſe dicit, tum quia circumciſioni non majorem attribuit virtutem reſpectu parvulorum, quàm ſacrificiis reſpectu adultorum. Cùm ergo probatum ſit ſacrificia veteris legis gratiam non contuliſſe ex opere operato, ſed fuiſſe tantummodò meras conditiones, ſine quibus vulgò non juſtificabantur adulti, idem etiam de circumciſione ſentiendum eſt. S. Prudentius, Florus, Beda, S. Bernardus forſitan reipſâ opinati ſunt per circumciſionem remiſſum fuiſſe in parvulis peccatum originale ex opere operato, decepti videlicet aliquibus S. Auguſtini verbis non rectè intellectis. Exponi tamen commodè poſſunt hoc ſenſu, quòd circumciſio juncta cum parentum fide juſtificaverit ex opere operantis, quòdque ſine illa peccatum originale remiſſum non fuerit. Id indicare videtur quod ait S. Prudentius, *circumciſionem egiſſe in fide ſanguinis Chriſti fundendi.*

Quod verò ad Scholaſticos attinet, fateor pleroſque illorum, non ſatis probè intellectis S. Auguſtini verbis, quem ſequi ſe gloriabantur, exiſtimaſſe circumciſionem eamdem ex ſeipſa ſanctificandi virtutem habuiſſe ac baptiſmum. Verùm, everſo ſemel per Auguſtinianæ doctrinæ elucidationem unico hujus opinionis fundamento, ipſammet opinionem corruere neceſſe eſt. Cæterùm in hac ipſa opinione Scholaſtici nequaquàm inter ſe concordes fuerunt. Refert quippe S. Thomas, part. 3. quæſt. 62. art. 6 ad 3, nonnullos ſenſiſſe peccatum quidem originale per circumciſionem remiſſum fuiſſe, gratiam tamen ſanctificantem datam non eſſe; hoſque refellit ex eoquòd peccati remiſſio abſque gratiæ infuſione

 fieri

Digitized by Google

fieri nequeat. Addit alios exiſtimaſſe gratiam datam fuiſſe *quantùm ad effectus remotivos culpæ, ſed non quantùm ad effectus poſitivos gratiæ;* idque confutat, tum quia, illis etiam Scholaſticis fatentibus, gratia per circumciſionem collata præbebat jus ad vitam æternam, qui certè effectus eſt poſitivus, tum quia effectus poſitivi cauſa ſunt & fundamentum negativorum. Alios demùm commemorat, qui dicebant „ quòd circumciſio conferebat gratiam, etiam quantùm ad aliquem effectum poſitivum, qui eſt facere dignum vitâ æternâ, non tamen quantùm ad „ hoc quod eſt reprimere concupiſcentiam impellentem ad peccandum; „ quod, inquit, & aliquando mihi viſum eſt.“ Sed hanc quoque opinionem refellit ex eoquòd *minima gratia* (habitualis) *poſſit reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & mereri vitam æternam.* Ex quibus omnibus concludit „ circumciſionem, ſicut & alia ſacramenta veteris legis, fuiſſe ſolùm „ ſignum fidei juſtificantis.“ Hanc concluſionem magis explicat quæſt. 69. art. 4. in corp. „ In baptiſmo, inquit, confertur gratia ex virtute „ ipſius baptiſmi, quam habet in quantùm eſt inſtrumentum paſſionis „ Chriſti jam peractæ. In circumciſione autem conferebatur gratia, non „ ex virtute ipſius circumciſionis, ſed ex virtute fidei paſſionis Chriſti, „ cujus ſignum erat circumciſio; ita ſcilicet quòd homines, qui ſuſcipiebant circumciſionem, profitebantur ſe ſuſcipere talem fidem, vel „ adultus pro ſe, vel alius pro parvulis.“ Et ad 2um:“ Sicut ante inſtitutionem circumciſionis ſola fides Chriſti futuri juſtificabat tam parvulos quàm adultos, ita etiam circumciſione datâ.“ Igitur veterum Scholaſticorum opiniones circa hoc caput minimè conſentiunt. Angelicus autem Doctor, qui rem diligentiùs examinavit, non majorem circumciſioni virtutem attribuit quàm cæteris ſacramentis antiquæ legis, nempe non juſtificandi niſi ex opere operantis. Porro quod non juſtificat niſi ex fide & pietate operantium, non omnibus nec per omnes gratiam confert, ſed eis tantùm vel per eos qui ex fide vivunt. Denique, quidquid olim ſenſerint veteres Scholaſtici, plurimi nunc celebres Theologi docent circumciſionem nihil infantibus ad ſalutem profuiſſe, niſi ex fide parentum, aut aliorum à quibus circumcidebantur.

Articulus Tertius.

Quo conſilio Deus legem veterem Iſraelitis dederit.

Hæc quoque quæſtio conſiderari poteſt dupliciter, vel reſpectu legis moralis, vel reſpectu legis cæremonialis. Inter ambas illas leges hoc diſcrimen eſſe oſtendimus, quòd qui legem moralem obſervant juſti ſint apud Deum, ſed nemo eam obſervare ut oportet valeat abſque auxilio gratiæ; lex verò cæremonialis obſervari potuerit ſine gratiæ adjutorio, ſed obſervatores ſuos nequaquam juſtos efficeret. Cur ergo data eſt lex mora-

moralis, quam nemo ſolis naturæ viribus, aut cum ſolo legis ſcriptæ adjutorio implere poterat? Cur etiam præſcripti à Deo plurimi ritus, quorum obſervatio ad veram internamque juſtitiam per ſe non conducebat? Hæc duo ſolvenda ſunt.

§. I.

Quo conſilio Deus legem moralem Judæis dederit.

Certum eſt legem moralem à Deo promulgatam fuiſſe, ut lex naturalis criminibus praviſque affectibus oblitterata ante oculos poneretur, hominesque per eam edocti diſtinctè cognoſcerent quid bonum & quid malum ſit. *Per legem enim cognitio peccati*, ut ait Apoſtolus, Rom. VII. Igitur, „ ne ſibi homines aliquid defuiſſe quererentur, inquit S. Auguſtinus, Enarrat. in pſalmum 57. num. 1, ſcriptum eſt & in tabulis „ quod in cordibus non legebant. Non enim ſcriptum non habebant, „ ſed legere nolebant. Oppoſitum eſt oculis eorum quod in conſcientia videre cogerentur, &, quaſi forinſecus admotâ voce Dei, ad interiora ſua homo compulſus eſt.“ — Status quæſtionis.

Certum eſt etiam legem moralem ideò datam fuiſſe, ut qui nondum poterant implere divina mandata ex dilectione juſtitiæ, ſaltem metu pœnarum quas lex intentabat abſtinerent ab operibus peccati, timorque paulatim viam ſterneret ad caritatem, quæ novi teſtamenti proprium donum eſt.

Sed quæritur an eo conſilio Deus legem moralem Judæis dederit, ut ejus ope & per adjuncta ipſi ſubſidia ad juſtitiam & ſalutem pervenirent, quemadmodum olim Pelagiani & etiamnum Moliniani ſentiunt; an verò ut per legem commoniti, eamque tranſgredientes, infirmitatem ſuam experirentur & agnoſcerent, ſicque compellerentur ad Chriſtum juſtitiæ ſalutiſque auctorem confugere. Ut autem omnis hîc ambiguitas aut æquivocatio tollatur:

Obſervandum eſt 1° non hîc agi de voluntate antecedente & ſigni, quæ impropriè & metaphoricè voluntas dicitur. Certum quippe eſt, juxta loquendi modum in ſcripturis uſitatiſſimum, Deum voluiſſe, hoc eſt, præcepiſſe ut lex ſua impleretur, Judæos ad eam ex animo obſervandam multimodis hortatum fuiſſe, bona eximia illam obſervantibus promiſiſſe, non obſervantibus autem graviſſima mala interminatum eſſe; quæ omnia ſigna ſunt voluntatis, eoque ſenſu voluntas appellantur; eodemque illo ſenſu Judæi legem tranſgredientes agebant contra voluntatem Dei. Agitur ergo tantummodò de voluntate Dei conſequente & ſimpliciter dicta, quæ decreti ſeu beneplaciti dicitur, quæriturque an Deus, hujuſmodi voluntate propriè & abſolutè dictâ, voluerit ut Judæi om-

omnes legem obſervarent, eamque obſervando ad veram juſtitiam ſalutemque pervenirent.

Obſervandum eſt 2° quæſtionem pariter non eſſe, an Deus eo fine legem moralem promulgaverit, ut à Judæis violaretur. Abſit enim ut ſumma juſtitia, ſumma ſanctitas velit malum! abſit ut lex juſta, & ſancta, & bona peccati cauſa fuerit! ſed an eo conſilio lex ſcripta data fuerit, ut homines ſuperbi & de ſe præſumentes, ſub lege docente, monente, terrente ſibimetipſis dimiſſi, legemque transgredientes, de ſua ad rectè agendum infirmitate convincerentur, atque ita compellerentur ad Chriſtum per fidem ſupplicem confugere, ut gratiæ ipſius adjutorio à peccati ſervitute liberarentur. Quâ de re ſit ſequens:

PROPOSITIO.

Eo conſilio Deus legem moralem promulgavit, ut, peccato ipſius legis occaſione ingraveſcente, homines de ſua ad implenda mandata infirmitate tandem convicti, admonerentur ad Chriſtum per fidem recurrere, ejusque gratiæ adjutorium implorare.

Argumentum primum ex Scripturis.

PROBATUR I° ex Epiſtolis B. Pauli ad Romanos & ad Galatas. Sic loquitur Apoſtolus, Rom. V: *Lex ſubintravit*, id eſt, interpoſita eſt inter promiſſionem Abrahamo factam & ejus in Chriſto impletionem, *ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia; ut, ſicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quamvis enim, ut obſervat S. Thomas, particula *ut* non *cauſaliter* intelligenda ſit, ſed *conſecutivè*, ex ipſo tamen textu liquidò apparet legem ideò datam fuiſſe, ut gratia & juſtitia fidei Abrahæ promiſſa non priùs revelaretur & manifeſta fieret, quàm homines diuturnâ experientiâ de ſua infirmitate ac de legis impotentia convicti fuiſſent. Hoc modo Apoſtoli verba interpretantur S. Auguſtinus, Tract. 3 in Joannem, num. 11; in *Expoſitione quarumdam propoſitionum Epiſtolæ ad Romanos*, propoſ. 30; Serm. 155, cap. 4; & S. Thomas, 1. 2. quæſt. 106. art. 3. in corp. Si autem quibusdam durum iſtud videatur, attendant, quæſo, divinæ ſapientiæ altiſſima conſilia priùs ſubmiſſâ fide credenda eſſe, quàm intelligenda. Ut enim ait S. Auguſtinus, Serm. XI in Pſalmum 118, num. 4: „ Ut ſciatur lex, quomodò ſcienda eſt, id eſt, „ ut intelligatur quid ſibi velit, quare ſit eis poſita, qui eam non erant „ ſer-

Al. Serm. 6 de Verbis Apoſtoli.

„ ſervaturi, quidve habeat utilitatis etiam hoc ipſum, quòd lex ſubin-
„ travit ut abundaret delictum, nemo comprehendit, niſi à Domino ac-
„ ceperit intellectum.“

Non minùs perſpicuè idipſum patet ex Epiſtola ad Galatas, cap. III. Si enim Deus legem dando id intendiſſet, ut Judæi gratiæ adjutorio ſufficienti ſemper inſtructi eam obſervarent, atque ita juſtitiam & ſalutem conſequerentur, tunc per legem impleta fuiſſet promiſſio Abrahæ facta. Atqui Apoſtolus expreſſè docet promiſſionem Abrahæ factam nullatenus impleri potuiſſe per legem, imò legem promiſſioni quodammodò opponi. *Nam ſi ex lege hæreditas*, inquit, *jam non ex promiſſione*. Quod enim à Deo promittitur, à Deo ipſo donatur: quod autem ex lege fit, ab homine ipſo præſtatur. *Quid igitur lex?* inquit, id eſt, quare ergo data eſt, quid præſtitit, ſi per eam promiſſio non impletur? *Propter transgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat*: id eſt, poſita eſt ad demonſtrandas atque etiam augendas occaſionaliter legis transgreſſiones, donec veniret Chriſtus Salvator, illud Abrahæ ſemen, in quo & à quo implenda erat promiſſio. Addit paulò poſt Apoſtolus: *Lex ergo adverſùs promiſſa Dei? Abſit: ſi enim data eſſet lex, quæ poſſet vivificare, verè ex lege eſſet juſtitia*, non verò ex gratuita & abſoluta Dei promiſſione, eoque pacto promiſſio per legem evacuaretur, & conſequenter lex eſſet adverſus promiſſa Dei. *Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato*, id eſt, oſtendit & declarat omnes homines ſub peccati ſervitute detineri & concludi, *ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus*: „ dum ſcilicet, ut dicit Eſtius in hunc locum, homines nullam „ in lege invenientes peccati medelam, ad Chriſtum confugiunt, qui „ eſt ſemen illud in quo datæ ſunt promiſſiones.“ Hoc etiam ſenſu *lex pædagogus noſter fuit in Chriſto*, ait ibidem Apoſtolus, non ſolùm quia per præcepta cæremonialia Chriſtum prænuntiavit ac præfiguravit, verum etiam quia per præcepta moralia homines de ſua ad rectè agendum impotentia convicit, *ut ex fide juſtificemur. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo*. „ Nam, juxta eumdem Eſtium, in eo „ quòd auctum eſt acceptâ lege peccatum, lex pædagogus fuit ad Chriſ- „ tum, dum videntes homines ſe per legem ſanari non poſſe, ſed ejus „ occaſione graviùs vulnerari, ad Chriſtum medicum confugiunt.“ Eodem planè ſenſu totum hunc Apoſtoli textum exponunt S. Auguſtinus, Epiſt. 190, al. 157, ad Optatum, cap. 2. num. 7; Serm. 26. cap. 8; Serm. 125. num. 2; lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 8. num. 9; S. Proſper in Pſalm. 118. v. 129; Beda, ſeu Florus, in caput 3um Epiſt. ad Galatas; S. Thomas in idem caput, lect. 7.

Probatur II° ex S. Auguſtino, qui tum aliis in ſcriptis, tum in libris adverſus Pelagianos hanc noſtram Propoſitionem velut indubitatam Eccleſiæ doctrinam conſtanter aſſeruit. 2um Argumentum ex S. Auguſtino.

Sic loquitur Enarrat in Pſalmum 83, num. 10: „ Data eſt lex ho-

„ minibus, non quæ ſalvaret eos jam, ſed per quam cognoſcerent in „ qua ægritudine jacebant...... Data eſt ergo lex ut ægrum de morbo „ convinceret, qui ſibi ſanus videbatur, ut peccata demonſtrarentur, „ non ut auferrentur. Demonſtrato peccato per datam legem, auctum „ eſt peccatum...... Acceptum mandatum quaſi viribus ſuis conati ſunt „ facere homines: victi concupiſcentiâ, mandati etiam ipſius prævari- „ catione rei facti ſunt.

Concione 25 in pſalm. 118. num. 5: „ Lex ad hoc prodeſt ut mittat „ ad gratiam. Non ſolùm enim quòd adteſtatur manifeſtandæ juſtitiæ „ Dei, quæ ſine lege eſt, verùm etiam hoc ipſo quòd prævaricantes „ facit, ita ut etiam littera occidat, ad vivificantem ſpiritum con- „ ſugere timore compellit, per quem peccatorum deleatur univerſitas, „ & rectè factorum caritas inſpiretur:" gratia data eſt ut lex implere- tur. Et lib. 11 *contra Fauſtum*, cap. 8: „ Lex, quæ impleri non „ poteſt niſi per caritatem ſpiritalem, ad hoc ſuper eos erat, ut per „ prævaricationem abundaret delictum, ut poſteà, revelato novo teſ- „ tamento, per indulgentiam ſuperabundaret gratia."

Epiſt. 196, al. 200, ad Aſellicum, cap. 2. num. 5: „ Hæc eſt, ait, „ utilitas legis, ut oſtendat hominem ſibi ipſi, ut ſciat infirmi- „ tatem ſuam, & videat quemadmodùm per prohibitionem augeatur „ potius carnalis cupiditas quàm ſanctur." Idem inculcat num. 6.

Exponens autem cur Deus ſic egerit cum humano genere, quod ſta- tim & abſque ulla mora ſanare poterat, ait in cauſa fuiſſe innatam ho- minibus ſuperbiam, quâ & ſani ſibi videbantur, & ſuæ vires volunta- tis ad capeſſendam juſtitiam ſibi ſufficere præſumebant. „ Hoc, inquit „ Tract. 3 in Joann. num. 11, proderat ſuperbis, ut abundaret delic- „ tum. Multum enim ſibi dabant, & quaſi viribus ſuis multùm aſſig- „ nabant, & non poterant implere juſtitiam, niſi adjuvaret ille qui „ juſſerat. Superbiam illorum volens domare Deus, dedit legem, tan- „ quàm dicens: Ecce, implete; ne putetis deeſſe jubentem: non deeſt „ qui jubeat, ſed deeſt qui impleat." Quid verò contigit? „ Conan- „ tes homines, inquit num. 20, implere viribus ſuis quod à lege præ- „ ſcriptum eſt, ipſâ ſuâ temerariâ & præcipiti præſumptione cecide- „ runt,..... & reatus legis fecit ægritudinem ſuperbis: ægritudo ſu- „ perborum facta eſt confeſſio humilium; jam confitentur ægroti quia „ ægrotant; veniat medicus, & ſanet ægrotos."

In *Expoſitione Epiſtolæ ad Galatas*, num. 24: Superbienti ergo popu- „ lo lex poſita eſt, ut, quoniam gratiam caritatis niſi humiliatus acci- „ pere non poſſet, & ſine hac gratia nullomodò præcepta legis imple- „ ret, tranſgreſſione humiliaretur, ut quæreret gratiam, nec ſe ſuis me- „ ritis ſalvum fieri, quod ſuperbum eſt, opinaretur;..... perque illam „ legem morbos oſtendentem, non auferentem, etiam prævaricationis „ crimine contrita eſt ſuperbia,..... ut ipſe liberaret à peccatis jam

„ per

Digitized by Google

„ per transgreſſionem legis coactos confiteri, opus ſibi eſſe gratiam & mi-
„ ſericordiam Domini, ut ſibi peccata dimitterentur, & in nova vita
„ per eum, qui pro ſe ſanguinem fudiſſet, reconciliarentur Deo."

In Epiſtola 190, al. 157, ad Optatum, cap. 2. num. 7: „ Cui bono „ lex data eſt, inquit, conſequenter adjunxit (Apoſtolus) dicens: *Sed* „ *concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti* „ *daretur credentibus.* Danda itaque fuerat lex, quæ maniſeſtius ſibi „ ipſum oſtenderet hominem, ne ſuperbus animus humanus à ſeipſo ſe „ poſſe eſſe juſtum putaret, & *ignorans Dei juſtitiam*, hoc eſt, quæ „ homini à Deo eſt, & *ſuam volens conſtituere*, id eſt, quaſi viribus „ ſuis partam, *juſtitiæ Dei ſubjectus* non fieret. Oportebat itaque ut „ addito mandato, cujus vox eſt, *non concupiſces*, ſuperbo peccatori „ etiam prævaricationis crimen accederet, atque ita gratiæ medicinam „ non ſanata per legem, ſed convicta infirmitas quæreret."

Lib. *de Spiritu & littera*, cap. 6. num. 9: „ Demonſtranda erat ho- „ mini fœditas languoris ejus, cui contra iniquitatem ſuam nec præcep- „ tum ſanctum & bonum profuit, quo magis aucta eſt iniquitas quàm „ minuta; quandoquidem lex ſubintravit ut abundaret delictum, ut „ eo modo convictus atque confuſus videret non tantùm doctorem ſi- „ bi eſſe neceſſarium, ſed etiam adjutorem Deum, à quo ejus itinera „ dirigantur, ne dominetur ei omnis iniquitas, & confugiendo ad opem „ divinæ miſericordiæ ſanetur; atque ita, ubi abundavit delictum, ſu- „ perabundet gratia, non peccantis merito, ſed ſubvenientis auxilio." Voluntas enim noſtra, ait ibidem, cap. 9. num. 15, „ oſtenditur infir- „ ma per legem, ut ſanet gratia voluntatem, & ſanata voluntas im- „ pleat legem, non conſtituta ſub lege, nec indigens lege."

Et in Epiſtola 145, aliàs 144, ad Anaſtaſium, num. 3: „ Lex do- „ cendo & jubendo quod ſine gratia impleri non poteſt, homini de- „ monſtrat ſuam infirmitatem, ut quærat demonſtrata infirmitas Salva- „ torem, à quo ſanata voluntas poſſit quod infirma non poſſet. Lex „ ergo adducit ad fidem, fides impetrat ſpiritum largiorem, diffundit „ ſpiritus caritatem, caritas implet legem."

Non tantùm in ſcriptis polemicis adverſus Pelagianos, ſed etiam in ſermonibus ad populum eamdem doctrinam frequenter inculcat; adeò perſuaſum habebat illam non modò certiſſimam eſſe, ſed etiam ſaluberrimam ac pietati nutriendæ aptiſſimam.

Sic eam exponit Serm. 26. cap. 8. num. 9: „ Quare data eſt lex? „ *Lex*, inquit Apoſtolus, *prævaricationis gratiâ data eſt.* Prævarica- „ tionis gratiâ poſita eſt, ut te faceret prævaricatorem. Quare ut me „ faceret prævaricatorem? Quia noverat Deus ſuperbiam tuam. Nove- „ rat quia dicebas: O ſi ſit qui doceat! O ſi ſit qui mihi oſtendat! „ Ecce lex dicit tibi: *non concupiſces......* Surrexit concupiſcentia quam „ non noveras; inerat enim, ſed neſciebatur. Cœpiſti conari vincere

Al. Serm. 11 de Verbis Apoſtoli.

„ quod

„ quod inerat, & apparuit quod latebat. Superbè per legem factus es „ prævaricator: agnoſce gratiam, & eſto laudator.“

Serm. 125. num. 2: „ Dicit mihi aliquis: quare ergo data eſt (lex)? „ Ipſe expoſuit Apoſtolus Paulus. *Concluſit*, inquit, *ſcriptura omnia* „ *ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.* Qui „ enim ægrotabant ſanos ſe eſſe putabant. Acceperunt legem quam „ implere non poterant. Didicerunt in quo morbo eſſent, & implora- „ verunt manus medici.:.... Ad domandam ergo ſuperbiam & ad denu- „ dandam data eſt lex, non ad liberandos ægrotos, ſed ad convincendos „ ſuperbos,..... quæ proderet morbos, non quæ tolleret.“

Al. Serm. 6 de Verbis Apoſtoli.

Serm. 155, cap. 4: „ Data eſt lex illa ut inveniretur infirmitas. „ Parum eſt hoc: non ſolùm ut inveniretur, ſed etiam ut augeretur, „ & vel ſic medicus quæreretur. Si enim levis morbus eſſet, contem- „ neretur; ſi morbus contemneretur, medicus non quæreretur; ſi „ medicus non quæreretur, morbus non finiretur. Ideò, ubi abunda- „ vit delictum, ſuperabundavit gratia.“

Al. 13 de Verbis Apoſtoli.

Et Serm. 156, cap. 4: „ Quia in leviore ægritudine contemnebatur „ adjutorium medicinæ, crevit morbus, & quæſitus eſt medicus. Quid „ ergo lex? *Prævaricationis gratiâ poſita eſt*, unde humiliaretur cer- „ vix ſuperborum multum ſibi tribuentium, & voluntati ſuæ tantum „ arrogantium, ut ſibi liberum arbitrium poſſe putarent ad juſtitiam „ ſufficere.“

Magnum in lege myſterium.

Videtis quàm frequenter, quàm inſtanter, quàm perſpicuè hoc Dei legem dantis conſilium declaret, afferat, inculcet S. Doctor, non velut privatam ſuam opinionem, ſed velut immotam, inconcuſſam, catholicam doctrinam, in ſcripturis apertiſſimè fundatam, ſuperbis quidem & ingratis inviſam, ſed humilibus & ſincerè piis ſuaviſſimam ac ſaluberrimam. Ne quis verò divinorum conſiliorum altitudinem expaveſcens deterreretur, ſæpiſſimè admonet non humanâ & infirmâ ratione illa dijudicanda eſſe, ſed ſubmiſſâ fide ſuſcipienda. Sic, Enarrat in pſalmum 102, num. 15: „ Hoc eſt, inquit, in lege magnum myſterium, ideò eam „ datam, ut creſcente peccato humiliarentur ſuperbi, humiliati confite- „ rentur, confeſſi ſanarentur. Iſtæ ſunt viæ occultæ, quas notas fecit „ Moyſi, per quem legem dedit, quâ peccatum abundaret, & ſupera- „ bundaret gratia. Non crudeliter hoc fecit Deus, ſed conſilio medi- „ cinæ. Aliquando enim videtur ſibi homo ſanus, & in eo quod ægro- „ tat, & non ſentit, medicum non quærit. Augetur morbus, creſcit „ moleſtia, quæritur medicus, & totum ſanatur corpus.“ Et lib. 6 *de Gratia Chriſti*, cap. 8. num. 9, pronuntiare non dubitat „ hoc ipſum „ ſuperbis eſſe utile, ſub peccato arctiùs manifeſtiùſque concludi, ne „ ad juſtitiam faciendam de liberi arbitrii quaſi propriis viribus præſu- „ matur, ſed omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo, „ quia ex lege non juſtificabitur omnis caro coram illo.“

Hinc,

Digitized by Google

Hinc, Concione 27 in pſalmum 118, num. 3, fideles ad humilitatem divinæque gratiæ laudem exhortans: „ Noli ſuperbire, inquit, noli de „ tua, quæ nulla eſt, virtute præſumere, & invenies quare ſit à bono „ Deo bona lex data, quæ tamen vivificare non poſſit. Ad hoc enim „ data eſt, ut te de magno parvulum faceret, ut te ad faciendam legem „ vires de tuo non habere monſtraret, ac ſic inops, indigus & egenus „ ad gratiam confugeres, & clamares: *miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum*..... Ita, Domine, ita fac, miſericors Domine, impera „ quod non poſſit impleri, ut cum homines per ſuas vires id adimplere „ nequiverint, omne os obſtruatur, & nemo ſibi magnus videatur.“ Similia videre eſt lib. *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 5. num. 11; Concione 26 in pſalmum 118, num. 7; in *Expoſitione quarumdam propoſitionum Epiſtolæ ad Romanos*, Prop. 30; lib. 1 *ad Simplicianum*, quæſt. 1. num. 2; lib. 19 *contra Fauſtum*, cap. 7; lib. 2 *Actorum cum Felice Manichæo*, cap. 11; lib. 2 *contra Adverſarium Legis & Prophetarum*, cap. 7. num. 23; Epiſt. 157, al. 89, ad Hilarium, cap. 2. num. 9; lib. 3 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 4. num. 13; lib. 2 *Operis imperf.* cap. 72.

Advertendum tamen eſt hanc legis externam admonitionem non profuiſſe pleriſque Judæis, qui, licet plurimis vitiis mancipati, gratiæ adjutorium non imploraverunt, ſed propriam juſtitiam ſtatuere maluerunt. Fruſtra quippe homini exteriùs demonſtratur ejus infirmitas, niſi Deus ipſe, fidem humilitatemque interius operando, externam illam admonitionem ſalubrem faciat, vimque morborum in remedium ſanitatiſque firmitatem convertat. Sed quando novæ legis lux affulſit, qui tunc ex Judæis in Chriſtum crediderunt, tantò humiliùs conſtantiùſque illi adhæſerunt, quantò diutiùs infirmitatem ſuam legiſque impotentiam experti fuerant. Quamobrem mirabilem illam Eccleſiæ Jeroſolymitanæ ſanctitatem, quæ in Actis Apoſtolorum deſcribitur, longo, quod præceſſerat, propriæ imbecillitatis experimento magna ex parte attribuere non dubitavit S. Auguſtinus, in *Expoſitione Epiſtolæ ad Galatas*, num. 26. „ Cognitio, inquit, „ majoris ægritudinis & deſiderari medicum vehementiùs fecit, & dili- „ gi ardentiùs. Cui enim plurimùm dimittitur, plurimùm diligit.“ Quod verò cæteris Judæis in incredulitate permanentibus juſto Dei judicio non profuit, Gentilibus ad fidem converſis Dei munere ſaluberrimum fuit, dum in profundo illo legis myſterio, continuiſque Judæorum prævaricationibus, tanquàm in grandi quadam tabella, conſpexerunt quàm altis vulneribus natura humana per peccatum ſauciata fuerit, quanta ſit concupiſcentiæ tyrannis, quàm invalidum ſit legis, Prophetarum, miraculorum correptionumque exterius adjumentum, quanta ſit gratiæ Chriſti medicinalis neceſſitas & efficacia; ſimulque diſcant inſtantiùs, ſubmiſſius frequentiuſque ad Chriſtum confugere, totam ſpem

Digitized by Google

ſuam in eo collocare, cum metu & tremore ſalutem ſuam operari, divinorumque judiciorum abyſſum religioſe venerari.

Tertium argumentum ex conflictu Eccleſiæ cum Pelagianis.

Probatur III° ex conflictu Eccleſiæ cum Pelagianis. Quamobrem enim iſta doctrina nonnullis hodie diſplicet, ita olim plurimum offendit Pelagianos, qui inde etiam occaſionem arripuerunt S. Auguſtinum, qui Eccleſiæ nomine illos debellabat, traducendi tanquam veteris teſtamenti adverſarium. Id patet ex Epiſtola Juliani aliorumque Epiſcoporum Pelagianorum ad Rufum Theſſalonicenſem, in qua fingebant eum docere *legem veteris teſtamenti non ob hoc datam fuiſſe, ut juſtificaret obedientes, ſed ut gravioris fieret cauſa peccati.* Quam calumniam ſic repellit S. Doctor lib. 3 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 2: „ Prorſùs non intelligunt quid de lege dicamus, quia id quod dicit Apoſtolus, quem non intelligunt, dicimus. Quis enim dicat non juſtificari eos qui legi ſunt obedientes? Sed dicimus lege fieri ut Deus quid fieri velit audiatur; gratiâ verò fieri ut legi obediatur...... Lex ergo auditores juſtitiæ facit, gratia factores." Allatiſque nonnullis Apoſtoli textibus: „ Ecce, inquit, quod dicimus (virtutem peccati legem eſſe): ecce unde nobis objiciunt quod ſic legem dicamus datam, ut gravioris ſit cauſa peccati, non audientes Apoſtolum dicentem: *Lex enim iram operatur: ubi non eſt lex, nec prævaricatio:* &: *Lex prævaricationis gratiâ poſita eſt, donec veniret ſemen cui repromiſſum eſt:* &: *Si data eſſet lex quæ poſſet vivificare, omnino ex lege eſſet juſtitia; ſed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.*"

Pelagianorum igitur, ſicut & nunc Molinianorum, ſententia fuit, Deum eo conſilio legem Judæis dediſſe, ut eam implerent, ejusque ope juſtitiam aſſequerentur; ſed illud conſilium per Judæorum pravitatem effectu ſuo fruſtratum fuiſſe. Hanc verò contumeliam omnipotenti voluntati Dei illatam repellens S. Doctor, ſic loquitur lib. 2 *Op. imperf.* cap. 220: „ Tu dicis iſta, qui conſilium Dei in danda lege non ipſum ſapis quod Apoſtolus Paulus oſtendit, & ad eas blaſphemias ipſe te impingis, ut dicas opinionem divini conſilii, quo lex data fuerat, injuriam pertuliſſe, tanquàm aliud factum ſit quàm Deus futurum fuerat opinatus, neque hoc provenerit, latâ lege, quod legiſlator intenderat. Deum igitur præſcium omnium futurorum, ſecundùm tuam ſapientiam, ſua fefellit intentio. Non attendis quod ſcriptum eſt: *Multæ cogitationes in corde viri, conſilium autem Domini manet in æternum.* Si ergo vis noſſe, quantùm homini fas eſt, quo conſilio Dei omnipotentis & omnia præſcientis lex data fuerit, intuere quod ait Apoſtolus: *Si enim data eſſet lex quæ poſſet vivificare, omnino ex lege eſſet juſtitia.* Et tanquàm diceremus: Cur ergo data eſt? Sed *concluſit*, inquit, *ſcriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.* Ecce quod eſt conſilium datæ legis. Quis

Proverb. XIX. 21.

„ au-

„ autem neſcit non legis, ſed hominum vitio, lege ſubintrante, ab-
„ undaſſe peccatum? Sed hoc vitium, quo prohibita plus delectant &
„ fit virtus peccati lex, non ſanat niſi vivificans ſpiritus, non littera
„ occidens; quæ tamen ad hoc utilis fuit, quia, cùm ipſa occideret
„ per prævaricationem, creſcente per prohibitionem cupiditate peccandi,
„ vivificantem ſpiritum fecit inquiri, & hominem de ſua ſalute lethali-
„ ter confidentem adjutorium gratiæ compulit poſcere, ſub lege quam-
„ vis juſtâ, & ſanctâ, & bonâ tamen deficientem, atque ad operanda
„ quæ juſta, quæ ſancta, quæ bona ſunt, ſibi ſubvenire propriis vi-
„ ribus non valentem." Patientur ne illuſtriſſimi Eccleſiæ Præſules Pelagianorum errorem jampridem obtritum apud nos hodie repullulare, elato ſupercilio incedere, doctrinamque catholicam à S. Auguſtino maximo cum Eccleſiæ plauſu aſſertam ac defenſam in judicium vocari?

Probatur IV° conſenſu aliorum ſanctorum Patrum. Quartum argumentum ex aliis Eccleſiæ Patribus.

S. Ambroſius in Epiſtola 73, al. 71, ad Irenæum, qui ipſum conſuluerat *cur data ſit lex, ſi nihil proderat, imò oberat, quæ operaretur iracundiam & prævaricationem introduceret*, inter varias legis utilitates iſtam commemorat num. 5: „ Quia cauſa dejectionis hominis ſuperbia
„ fuit, ſuperbia autem orta eſt ex prærogativa innocentiæ, debuit ea
„ lex ferri quæ ſubditum Deo & ſubjectum redderet. Nam ſine lege
„ peccatum neſciebatur, & minor erat culpa ubi culpæ erat ignoran-
„ tia." Et num. 6: „ Lata eſt ergo lex, primùm ut excuſationem tol-
„ leret, ne quis diceret: peccatum neſcivi, quia præceptum non erat
„ quid caverem: deinde ut omnes ſubditos faceret Deo agnitione pecca-
„ ti." .... Et num. 8: „ Superabundavit peccatum per legem, quia
„ per legem cognitio peccati, & cœpit mihi obeſſe ſcire id quod per in-
„ firmitatem obire non poſſem; ad cavendum enim prodeſt præſciſſe,
„ ſed, ſi cavere non queam, obfuit noſſe. Verſa ergo lex in contra-
„ rium; tamen ipſo peccati incremento facta eſt mihi utilis, quia humi-
„ liatus ſum." Et num. 9: „ Crevit autem culpa per legem, ſed &
„ culpæ auctor ſuperbia ſoluta eſt, idque mihi profuit; ſuperbia enim
„ culpam invenit, culpa autem gratiam fecit."

S. Hieronymus, Comment. in Epiſt. ad Galatas, cap V. 22: „ Lex
„ ad hoc data eſt, inquit, ut peccatores reos ſe ſcirent apud Deum.
„ Manifeſtatis enim peccatis ſuis, concluſi ſunt, ut ſe excuſare non
„ poſſent, ſed quærerent miſericordiam; ut veniens qui promiſſus erat
„ Abrahæ, fidem ſolam ab iis poſceret quam habuit Abraham, ut &
„ malorum ſuorum veniam & juſtificationem mererentur."

S. Chryſoſtomus, Hom. 7 in Epiſt. ad Rom. num. 7, eamdem doctrinam diſertiſſimè confirmat. „ Cùm, inquit, in deſperationem acti
„ eſſemus, & ſententiæ tempus adeſſet, malaque aucta eſſent, & pecca-
„ ta ad cumulum aſcendiſſent, tunc ille potentiam ſuam exhibuit....
„ Neque enim illud, ſi in principio factum fuiſſet, tam mirum ac ſtu-
„ pen-

Digitized by Google

„ pendum viſum fuiſſet, ut nunc, cùm medicinæ omnis modus ſuperatus eſt...... Quapropter nunc ille venit, ut ne dicerent, ſi in „ principio veniſſet, potuiſſe fieri ut per legem ſalus obtineretur pro- „ priis laboribus & operibus. Hanc igitur illorum impudentiam cohi- „ bens diuturno tempore diſtulit, ita ut, poſtquàm per omnia depre- „ henſum eſſet ipſos non ſibi ſufficere, tunc per gratiam ſalutem illis „ daret.“ Quid dici poteſt Auguſtinianæ doctrinæ magis conſentaneum?

Inter Auguſt. Epiſt. 177. al. 95.

Aurelius Carthaginenſis, in Epiſtola quam cum tribus aliis Africæ Epiſcopis ſcripſit ad S. innocentium Papam, num. 13, ſic loquitur: „ Nonne ſatis oſtenditur hoc actum eſſe per legem, ut peccatum agnoſ- „ ceretur & prævaricatione augeretur, & ſic adverſus victoriam peccati „ ad divinam gratiam, quæ in promiſſionibus eſt, confugeretur: atque ita „ lex non eſſet adverſùs promiſſa Dei, quia ideò per illam fit cognitio „ peccati, ut ad liberationem quærantur promiſſiones Dei, quod gratia „ eſt, & incipiat eſſe in homine juſtitia, non ſua, ſed Dei, hoc eſt, „ data dono Dei.“

Tom. 5. parte 2. pag. 339 & 340.

S. Cyrillus Alexandrinus, Serm. 29 in feſta Paſchalia: „ Omnibus, „ inquit, qui terram incolunt nequaquam initio gratia fidei donata eſt; „ ſed præmittere anteà legem Moſaicam neceſſe fuit. Dominabatur nobis „ peccatum, vimque ſuam exercebat in omnes qui terram habitabant. Sæ- „ vus enim nos urgebat tyrannus, libidinum cœno involvens, atque ad „ omne improbitatis genus uniuſcujusque voluntatem viribus ſpoliatam „ dejiciens, nec illius ſævitiæ jugo eximi licebat. Erat proinde neceſſaria „ mortalibus ſumma illa & incomparabilis Dei benignitas, quæ juſtificat „ impium, atque à ſupplicio & pœna immunem facit. Oportuit, qui- „ bus inhæſerant planè tenaciſſimæ pravitatis ſordes, fidei quæ in Chriſ- „ tum eſt gratiam affulgere. Neque enim aliter evitari & peccati la- „ queos, & diabolicæ crudelitatis tyrannidem licebat. Ut ergo per Chriſ- „ tum habitæ gratiæ & beneficentiæ magnitudo non ignoraretur, lex „ eſt prolata, neminem illa planè juſtificans, ſed quæ potiùs eorum „ qui hactenùs vixerunt imbecillitatem coargueret. Erat itaque illa „ index peccati, quæ peccatores execrabiles demonſtraret...... Vera „ porro eſſe quæcunque dixi, confirmabit rurſum ſanctiſſimus Paulus. „ Scribit namque quoniam *lex propter tranſgreſſiones poſita eſt;* & ite- „ rum: *lex autem ſubintravit ut abundaret delictum.* Succumbentibus „ nimirùm qui ſub lege erant & usque peccantibus, abundavit delictum. „ Coarguente igitur lege illorum, qui ſub ipſa degebant, imbecillitatem, „ proinde indigebant mortales eo qui per fidem, non autem ex operi- „ bus legis, juſtificaret. Chriſtus autem hic erat.“

S. Prosper, in Pſalmum 102, dicit poſt S. Auguſtinum, magnum eſſe „ mirandumque myſterium, ideò datam legem, ut, creſcente peccato, „ humiliarentur ſuperbi, humiliati confiterentur, confeſſi ſanarentur.“

Et

Et in Pſalmum 118, v. 129: „ Multùm mirabilia ſunt, inquit, teſti-
„ monia legis ipſius, quorum utilitas & juſtitia altiſſimè latet, cùm
„ quæritur quare data ſit lex quæ vivificare non poſſet, & ex qua non
„ juſtificaretur omnis caro coram Deo. Meritò ergo hanc altitudinem
„ ſcrutatus eſt, qui intellexit per legis difficultatem id egiſſe miſericordiam
„ Dei, ut qui legem implere non poterant, converterentur ad gratiam,
„ & divina ope apprehenderent quod propriis viribus aſſequi non vale-
„ rent."

S. Petrus Chryſologus, Ravennatenſis Epiſcopus, Serm. 116, ſtatum veteris legis exponens: „ Peccatum, inquit, quod latebat, & hoſtiliter
„ humano graſſabatur in corpore, lex reprehendit, lex prodidit...... Sed
„ homo audire quidem cœpit virtutes, cœpit velle, ſed non attigit: cœ-
„ pit deteſtari, ſed ſequi vitia; odiſſe delicta, ſed facere; horrere cri-
„ mina, ſed adimplere. Unde tardè ſe ſervum captivum, ſe malæ ra-
„ biei ſenſit addictum, & cœpit clamare: *Infelix ego homo! Quis me*
„ *liberabit à corpore mortis hujus?* Cui reſpondetur: *Gratia Dei per Do-*
„ *minum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Quo audito, cœpit libertatem quære-
„ re per auctorem, ſalutem per veniam, vitam per ſolam ſperare gra-
„ tiam."

Caſſiodorus in Pſalmum 15: „ Priùs, ait, multiplicata eſt illa infir-
„ mitas carnalis per ſeveritatem legis, ut ad novi teſtamenti liberatri-
„ cem gratiam deſiderabiliùs pervenirent.

Claudius Taurinenſis, Comment. in Epiſt. ad Galatas, cap. 3, in hæc verba: *Lex propter tranſgreſſiones poſita eſt*, ſic loquitur: „ Superbienti Bib. PP. tom. 14. pag. 152.
„ ergo populo lex poſita eſt, ut, quoniam gratiam caritatis niſi humi-
„ liatus accipere non poſſet, & ſine hac gratia nullomodò præcepta le-
„ gis impleret, tranſgreſſione humiliaretur, ut quæreret gratiam, nec
„ ſe ſuis meritis ſalvum fieri, quod ſuperbum eſt, opinaretur, ut eſſet,
„ non ſua poteſtate & viribus juſtus, ſed in manu Mediatoris juſtificantis
„ impium;..... perque illam legem morbos oſtendentem, non auferen-
„ tem, etiam prævaricationis crimine contrita ſuperbia eſt. Diſpoſita eſt
„ per angelos, ſed in manu Mediatoris, ut ipſe liberaret à peccatis per
„ tranſgreſſionem legis coactos confiteri opus ſibi eſſe gratiâ & miſericordiâ
„ Domini, ut ſibi peccata dimitterentur, & in nova vita per eum, qui
„ pro ſe ſanguinem fudiſſet, reconciliarentur Deo."

Beda, ſeu potius Florus Lugdunenſis, Comment. in eumdem locum:
„ Quid, inquit, facit lex ſine gratia? Apoſtolus...... quid dicit?
„ *Si data eſſet lex quæ poſſet vivificare, omnino ex lege eſſet juſtitia.* Si
„ non poterat juſtificare, ut quid data eſt? Securus adjunxit: *Sed con-*
„ *cluſit ſcriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti da-*
„ *retur credentibus......* Accepiſti legem; facere voluiſti; non potuiſti;
„ à ſuperbia tua cecidiſti, languorem tuum vidiſti, curre ad medi-
„ cum."

Digitized by Google

Pag. 249.

S. Hildebertus Cœnomanenſis idem egregiè exponit in Sermone 8 de
Adventu Domini. „ Magno, inquit, & profundo myſterio legem dedit
„ priusquàm Filium ſuum mitteret Deus, ut hominis ſuperbiam domaret
„ & inſufficientiam humanam convinceret, ne ſibi juſtitiam arrogaret,
„ & fruſtra Chriſtum veniſſe judicaret. Miſſo igitur per ſervum bacu-
„ lo, id eſt, lege per Moyſen datâ, non eſt juſtificatus mortuus, quia,
„ lege ſubintrante, abundavit delictum. Per legem enim cognitio,
„ non conſumptio peccati venit. Igitur Elizæus ipſe contraxit ſe, quia
„ ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens." Et Serm. 2 in Pu-

Pag. 512.

rificatione B. Mariæ: „ Lex in ſuî inſufficientia quodammodò ad dato-
„ rem gratiæ direxit. Cùm enim ſit virtus peccati, quæ non juſtificat
„ impium, jubens quod ſine gratia implere non valet, ſatis indicat ho-
„ mini ſuam infirmitatem, ut, eâ notâ, quærat gratiam ſanctificantem.
„ Cùm enim languidum nequit de prævaricatione convictum ſanare,
„ mittit eum ad juſtificantem Chriſtum, atque ita teſtimonium perhi-
„ bet Domino Salvatori, dum jubendo & minando, & neminem juſti-
„ ficando & juvando, inducat gratiam Chriſti" (legendum fortè, *in-
dicat per gratiam Chriſti*), „ & non aliter hominem juſtificari." Idem

Pag. 557.

„ docet Serm. in Nativitate S. Joannis Baptiſtæ.

Quintum argumentum, ex Theologis.

Probatur V° ſuffragio illuſtriorum Theologorum.

Tom. 1. pag. 317.

Hugo Victorinus in Epiſt. ad Galatas, quæſt. 18: „ *Propter tranſ-
greſſionem lex poſita eſt*, inquit, id eſt, ut faceret homines tranſgre-
„ di, & ſic humiliarentur, & medicum quærerent, & gratiæ auxilium
„ implorarent. Data eſt ergo ut ſuperbos humiliaret, & infirmitatem
„ proderet, & duris in flagellum, & in ſignum futurorum." Idem do-
cet quæſt. 19, & rurſum quæſt. 23, ubi ſic loquitur: „ Lex tantùm
„ jubet, non adjuvat: ægrotum, qui ſibi ſanus videbatur, de morbo
„ convincit, & ſic, oſtendendo peccata & non auferendo, concluſit om-
„ nia ſub peccato. Data eſt ergo lex ut gratia quæreretur, & gratia
„ collata eſt ut per eam lex impleretur.

Idem docet Alexander Alenſis, part. 3. quæſt. 56. num. 10.

S. Thomas 1. 2. quæſt. 98. art. 2. ad 3um: „ Deus, inquit, aliquan-
„ do permittit aliquos cadere in peccatum, ut exinde humilientur; ita
„ etiam voluit talem legem dare, quam ſuis viribus homines implere
„ non poſſent, ut ſic, dum homines præſumentes de ſe peccatores ſe in-
„ venirent, humiliati recurrerent ad auxilium gratiæ." Idem inculcat
quæſt. 106. art. 3. in corp., ſed imprimis in Comment. in Epiſt. ad
Galatas, cap. 3. lect. 7, ubi ad hæc verba, *lex propter tranſgreſſiones
poſita eſt*, hæc dicit: „ Lex data eſt ad infirmitatem manifeſtandam.
„ Homines enim de duobus præſumebant, primò quidem de ſcientia,
„ ſecundò de potentia. Et ideò Deus reliquit homines abſque doctrina
„ legis, tempore legis naturæ, in quo, dum in errores inciderunt, con-
„ victa eſt eorum ſuperbia de defectu ſcientiæ. Sed adhuc reſtabat præ-
„ ſump-

Digitized by Google

„ ſumptio de potentia. Dicebant enim, non deeſt qui impleat, ſed deeſt
„ qui jubeat...... Et ideò data eſt lex, quæ cognitionem peccati faceret,
„ quæ tamen auxilium gratiæ non dabat ad vitandum peccata, ut ſic
„ homo ſub lege conſtitutus & vires ſuas experiretur, & ſeipſum recog-
„ noſceret, inveniens ſe ſine gratia peccatum vitare non poſſe, & ſic
„ avidius quæreret gratiam."

Bellarminus lib 4 *de Juſtificatione*, cap. 4: „ Lex Moyſis, inquit,
„ non habuit vim juſtificandi, neque data erat ut juſtificaret, ſed ut
„ morbum oſtenderet, & ad quærendum medicum excitaret." Lex au-
„ tem Chriſti, id eſt, Evangelium" (quo nomine admonet à ſe intelligi
non litteram Evangeliorum, ſed gratiam Chriſti, quæ novæ legis pro-
prius character eſt) „ vim habet juſtificandi, & ad hoc ipſum datum eſt
„ ut ab iniquitate juſtificet."

Noriſius, Vindiciarum Auguſtinianarum cap. 3. §. 16: „ Lex, ex Au-
„ guſtino, homini data eſt, inquit, non ut, cum gratia ſufficienti ſecum
„ neceſſariò connexa, homines agendorum cognitione inſtructos ad opera
„ præcepta implenda juvaret, ſed ob hoc data eſt, ut homo conatus fa-
„ cere quæ præcepta erant, & cernens per ſemet illa exequi non poſſe,
„ gratiæ auxilium imploraret." Plurimos alios omitto.

Hinc, cùm Jeſuitæ Turonenſes anno 1717 publicis in Theſibus hanc propoſitionem aſſeruiſſent: *Legem veterem vult Janſenius à Deo Judæis datam eo conſilio, ut magnitudine & multitudine peccatorum, quæ ex lege ſciebantur futura, frangeretur eorum ſuperbia; quod Janſenius accepit à Luthero: verùm primaria Dei intentio in tradenda lege veteri fuit ut obſervaretur, obſervantes juſtificarentur, & præmia conſequerentur æterna*, Capitulum Eccleſiæ Metropolitanæ, hujusmodi doctrinâ graviter ac meritò offenſum, Facultatis Theologicæ Pariſienſis tunc florentiſſimæ judicium popoſcit, ſacerque Ordo propoſitionem proſcripſit uti *temerariam*, *erroneam*, *injurioſam ſanctis Eccleſiæ Patribus, quorum ſenſus & verba damnat.*

Sextum argumentum duc tum ab eventu.

Probatur VI° ab ipſo eventu. Profectò intentio Dei deficere, effectuque ſuo fruſtrari nequit; ſiquidem, pronuntiante Propheta regio, *omnia quæcunque voluit, Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis.* Atqui ſub lege nemo legem implevit; Apoſtolus quippe, poſt Davidem, de iis *qui in lege ſunt* generatim & abſolutè declarat, Rom. II, *non eſſe juſtum quemquam, non eſſe intelligentem aut requirentem Deum: omnes declinaviſſe, ſimul inutiles factos eſſe, non eſſe qui faciat bonum, non eſſe uſque ad unum; Judæos omnes*, non ſecus ac *Græcos, ſub peccato fuiſſe,..... ut omne os obſtruatur & ſubditus fiat omnis mundus Deo.* Chriſtus ipſe, Joannis X. 19, Judæos alloquens in lege confidentes, absque ulla exceptione dicit: *Nonne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Et reipſâ, quotquot legis tempore juſtè ac ſanctè vixerunt, non erant ſub lege, ſed ſub gratia, neque ad ve-

Digitized by Google

vetus, ſed ad novum pertinebant teſtamentum. Ergo Deus, veterem legem tradendo, non id intendit ut per illam homines juſti efficerentur, ſed ut de ſua infirmitate convicti admonerentur ad Chriſtum liberatorem confugere.

Iſtud quoque argumentum eſt S. Auguſtini, lib 2 *Op. imperf.* cap. 220. „ Tanquàm aliud factum ſit, inquit, quàm Deus futurum fuerat opi-„ natus, neque hoc provenerit, datâ lege, quod legiſlator intenderat! „ Deum igitur omnium præſcium futurorum, ſecundùm tuam ſapien-„ tiam, ſua ſefellit intentio."

Solvuntur Objectiones.

Objicies. Lex bona, juſta & ſancta ex ſeipſa tendit ad juſtitiam, quam imperat & modis omnibus ſuadet. Igitur non alium in finem dari à Deo potuit, quàm ut per illam homines juſti fierent. 2°. Quidquid facit Deus, ordinat ad hominum ſalutem. Ergo peculiari quodam modo legis promulgationem Deus ad hoc ordinavit, ut ejus ope Judæi ad juſtitiam & ſalutem pervenirent.

Reſpondeo ad primum, legem quidem bonam & optimam non niſi juſta præcipere, ſed per ſeipſam, ſi ſola ſit & à gratiæ unctione interna ſejuncta, ad præceptorum impletionem perducere non valere. Quatenus juſta præcipit, Deus eam tradendo voluit voluntate ſigni & antecedente ut impleretur. Quatenùs verò invalida & ſeipſâ impotens erat, rectè docent Scripturæ & SS. Patres Deum non intendiſſe voluntate conſequente, beneplaciti & ſimpliciter dicta, ut à Judæis carnalibus ac de ſe præſumentibus obſervaretur, ſed ut per eam de ſua ad rectè agendum infirmitate convincerentur, eoque modo gratiæ Chriſti medicinalis neceſſitas eluceſceret. Hæc ſaluberrima doctrina media incedit inter duos errores oppoſitos, unum Manichæorum, qui, ex eoquòd lex vetus dicatur iram operari & propter prævaricationes poſita eſſe, contendebant eam eſſe malam & à malo principio traditam; alterum Pelagianorum, qui, ex eoquòd lex bona, juſta & ſancta ſit, concludebant Judæos per illam ſufficienter adjutos fuiſſe ad implenda mandata juſtitiamque capeſſendam. Veritas catholica utroſque pariter damnat.

Inde patet etiam reſponſio ad ſecundum. Quamobrem diſtinguo antecedens. Quidquid facit Deus, ad hominum ſalutem ordinat voluntate ſigni, id eſt, præcipit ut homines eo utantur ut promereantur ſalutem, concedo: ad ſalutem hominum ordinat voluntate conſequente, beneplaciti & ſimpliciter dicta, ſubdiſtinguo. Ordinat ad ſalutem electorum, concedo: ad ſalutem cæterorum hominum, quos perituros præſcivit, nego. Itaque Deus, legem veterem dando, voluit voluntate antecedente & voluntate ſigni, id eſt, Judæis præcepit ut eam obſervarent, eoſque ad illam obſervandam pluribus modis adhortatus eſt; ideòque Judæi eam tranſgrediendo inexcuſabiles facti ſunt, tum quia Deo præcipienti non obtemperaverunt, tum quia non vitio legis, ſed proprio ſuo vitio praviſque ſuis affectibus legem tranſgreſſi ſunt. 2°. Deus voluit voluntate con-

Digitized by Google

conſequente & ſimpliciter dictâ ut legis promulgatio ad electorum ſalutem reipſâ prodeſſet, quatenùs electi, cognitâ & demonſtratâ naturæ corruptione, quæ per legem ſanari non potuit, totam ſpem ſuam in Chriſto ſervatore ejuſque gratiâ medicinali collocarent; omnia enim propter electos. Hoc quoque ſenſu *lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur*, ut dicitur Galat. III. Sed Deus nequaquam voluit voluntate conſequente & ſimpliciter dictâ ut legis promulgatio perduceret ad ſalutem. Si enim illud hoc modo voluiſſet, non legem talem dediſſet, quæ, teſte Apoſtolo, *non potuit vivificare*, & quæ *concluſit omnia ſub peccato.*

Ex dictis facilè intelligitur quomodò lege uti oporteat, ut proſit, iramque non operetur. Cùm enim ideò data ſit ut peccata demonſtraret, admoneretque ad Chriſtum ſalutis auctorem per fidem confugere, illi lege rectè utuntur, qui ſe ad eam obſervandam impares confitentur, nec in ſeipſis confidunt, ſed ex intimo corde clamant ad Chriſtum liberatorem, ſine cujus adjutorio firmiter credunt impleri non poſſe quod lex jubet. „ Quid eſt, inquit S. Auguſtinus Serm. 156, cap. 3, legitimè uti lege? Per legem agnoſcere morbum ſuum, & quærere ad ſanitatem divinum adjutorium.“ Hæc omnium generatim piarum lectionum, exhortationum, correptionum, aliorumque ad legem & doctrinam quoquo modo pertinentium utilitas & fructus eſſe debet. Omnibus his „ utitur legitimè, ait idem S. Doctor Epiſt. 145 ad Anaſtaſium, num. 3, qui intelligens quare ſit lex data, per ejus comminationem confugit ad gratiam liberantem. Huic gratiæ, quâ juſtificatur impius, quiſquis ingratus velut ad legem implendam de ſuis viribus fidit, ignorans Dei juſtitiam & ſuam volens conſtituere, juſtitiæ Dei non eſt ſubjectus: ac per hoc fit ei lex“ (& quidquid aliud ejus eſt conditionis) „ non abſolutionis adjutorium, ſed vinculum criminis.“ Al. 13 de Verbis Apoſtoli.

§. II.

Quam ob cauſam Judæis data ſit lex cæremonialis, quæ per ſe non poterat juſtificare.

Superiùs obſervavimus præcepta cæremonialia non priùs Iſraelitis data fuiſſe, quàm ſacrilegâ vituli aurei adoratione decalogum propalam violaſſent. Poterat ſanè Deus in tanti criminis pœnam Iſraelitas omnes ſtatim delere; ſed maluit eos ſibi ut ſervos mancipare, variiſque obſervationum oneribus ſubjugare, ut, quoniam internæ juſtitiæ non erant futuri participes, ſaltem aliquam juſtitiæ umbram ac figuram exprimerent.

Duas potiſſimùm hujuſmodi præceptorum utilitates commemorant ſancti Patres. Prima fuit, ut carnalis populus, qui nondum poterat Deum Prima ratio.

 in

Digitized by Google

in ſpiritu & veritate adorare, his ſaltem obſervationibus ipſius imperfectioni accommodatis in externo unius veri Dei cultu contineretur, & ab idolorum adoratione, quæ apud omnes vicinas gentes obtinebat, avocaretur.

Divinam hanc œconomiam commendat S. Paulus, Galat. IV. 1 & ſeq., ubi ſtatum veteris legis tanquam humani generis pueritiam conſiderans: *Quanto tempore*, inquit, *hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cùm ſit dominus omnium, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt uſque ad præfinitum tempus à patre: ita & nos, cùm esſemus parvuli* (ſub lege), *ſub elementis mundi eramus ſervientes. At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Enimverò quid magis decebat, quàm ut parvulis & ſervis puerilia & ſervilia traderentur, adultis verò ac liberis grandiora & ſublimiora ſervarentur?

S. Gregorius magnus pariter obſervat, lib. 28 Moral. cap. 9. num. 17, Deum carnalis adhuc populi captui ſeſe quodammodò accomodaſſe, cùm Iſraelitis, qui plurimas ſuperſtitiones in Ægypto frequentari viderant, cultum illum externum præſcripſit, quo paulatim ac remotè ad capienda ſpiritualia diſponerentur, dum, cæteris nationibus in toto terrarum orbe falſa numina colentibus, ipſi unum & verum Deum, quamvis adhuc carnaliter & ſerviliter, venerarentur.

Secunda ratio. Tota lex cæremonialis fuit myſteriorum Chriſti & Eccleſiæ figurativa.

Altera & quidem præcipua legalium rituum utilitas hæc fuit, ut ſpiritualia, quorum exhibendorum tempus nondum advenerat, multò ante prænuntiarentur, ac multiplicibus ſignorum atteſtationibus adumbrarentur. Proinde Tabernaculi ſtructura, variæ illius partes, ritus ſacrificiorum, munia Sacerdotum ac Levitarum, plurimæ victimarum ſpecies, purificationes, luſtrationes, oblationes, & quidquid aliud ſub lege exterius celebrabatur, eò unicè tendebant ut Chriſtum, Eccleſiam, ſacramenta, ſacerdotium & ſacrificium novæ legis præfigurarent: bona quoque temporalia promiſſa & exhibita Judæis, ſicut & calamitates quibus identidem premebantur, bonorum malorumque ſpiritualium typum gerebant. Uno verbo totus legis cæremonialis apparatus umbra fuit & imago futurorum.

Nullus, opinor, Chriſtianus inficiabitur aliqua ſaltem Iſraelitis in figura contigiſſe, ac præſertim illa quæ in libris novi Teſtamenti allegoricè dicta vel ſcripta fuiſſe declarantur. Sed nonnulli contendunt, paucis illis exceptis, nullam in cæteris omnibus figuram fuiſſe rerum in novo teſtamento futurarum, ſolumque in eis litteralem & hiſtoricum ſenſum quærendum eſſe, ultra quem myſticos ſenſus ſcrutari velle vanum ac periculoſum ſit. 1°. Auctor libri cujuſdam inſcripti: Mouacah, *Ceinture de douleur*, id eſt, *Cingulum doloris*, adverſus librum *Regularum pro intelligentia ſcripturæ ſacræ*: hic auctor ſeſe *Rabbi Iſmael Ben-Abraham* cognominavit. 2°. Anonymus alter, qui eumdem librum *Regularum* acri cenſurâ

ſurâ perſecutus eſt, aliudque poſteà volumen edidit *de Senſu litterali & myſtico SS. Scripturarum*, in quo ſanctos Patres, ut pote linguæ hebraicæ ignaros, pro imperitis haberi vult, eorum in ſcripturam Commentarios palam aſpernatur, non paucos illorum textus truncat, nullaſque in toto veteri Teſtamento figuras agnoscere videtur, præter illas quas Apoſtoli & Evangeliſtæ diſertè commemorant.

Mirum eſt hunc ſcriptorem adeò pertinax bellum eruditis ſenſuum allegoricorum inquiſitoribus indixiſſe, quibus alioquin in gratiæ moralisque diſciplinæ defenſione planè conjunctum ſe eſſe profitetur. Nam, etiamſi nonnulli Eccleſiaſtici viri myſticorum ſenſuum inveſtigationi plus æquo indulſiſſent, Theologiæque ſeu poſitivæ, ſeu Scholaſticæ ſtudio neglecto, totos ſe illis tradidiſſent (ut criminatur prædictus ſcriptor), quod certè de celeberrimo auctore *Regularum pro intelligentia Scripturæ* Duguet. *ſacræ*, aliiſque plurimis dici nequit, numquid, ut extremum illud vitaretur, in aliud extremum oppoſitum temerè irruendum fuit? Abuſus, ſi qui fortè irrepſerant, modeſtè & pacificè demonſtrandi & corrigendi fuiſſent, non verò id negandum quod & ſcriptura ſacra, & unanimis ſanctorum Patrum conſenſus docent, nimirum Judæis ſub veteri teſtamento omnia in figura contigiſſe.

Abſit tamen ut, ſenſus myſticos ſobriè ac ſapienter propoſitos vindicando, de veritate & pretio ſenſûs litteralis & hiſtorici quidquam detractum velim. Illi ipſi, quos refutator adeò vehementer impugnat, palam confitentur ſenſum litteralem præſupponi ſemper debere, tanquàm fundamentum ſenſuum allegoricorum, nec labefactari poſſe quin eo ipſo hi quoque concidant. „ Neque enim, ut rectè obſervat S. Auguſtinus, „ lib. 83 *Quæſtionum*, quæſt. 65, cùm res geſtæ allegorizantur, geſtæ „ rei fidem amittunt, ſicut duorum filiorum Abrahæ allegoriam Pau„ lus exponit duo eſſe teſtamenta: numquid ideò aut Abraham non fuit, „ aut illos filios non habuit?“ Abſit etiam ut, commendando ſenſus figuratos, Theologiæ polemicæ ſtudium, quo ſolo fidei dogmata adverſùs prophanas novitates defendi poſſunt, apud juniores Clericos torpere velim. Immò optarem nullis laboribus parcere, ut eos in hoc ſtudio pro virili parte adjuvarem; ſed utrimque ſapiendum eſt ad ſobrietatem; adeò ut ſenſus hiſtoricus & criticus ſcripturarum non contemnatur tanquam vilior, & ſenſus ſpirituales, qui in medullis, ut ita dicam, latent, non negligantur, ſed, quando ſeſe efferunt, avidè ſuſcipiantur, & nonnunquam abſtruſè eruantur, & modeſtè proponantur; ſimulque Theologiæ dogmaticæ ac polemicæ, hac præſertim ætate neceſſariæ, præcipua temporis ſtudiorumque pars impendatur. Præterea diviſiones donorum ſunt: aliis datur litteralis ſcripturæ ſenſûs eruditio, aliis profundiorum ſenſuum intelligentia, aliis Theologica ſcientia, quâ veritates catholicæ enucleantur, defenduntur, roborantur. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* 1 Corinth. XII. 11.

Digitized by Google

Unicuique in eo quod à Deo accepit fideliter laborandum eſt. Qui myſticis interpretationibus delectantur, criticis polemicisque ſtudiis immerſos non contemnant, imò venerentur: hi rurſus myſticos ſcripturæ ſenſus, quibus pietas nutritur, mores informantur, amorque in Christum accenditur, non vilipendant, ſed utrique mutuam ſibi opem tanquàm unius corporis membra ſubminiſtrent. Nam ſicut allegoricis expoſitionibus Theologiæ ſtudium prælucere debet, ut non exorbitent à regula fidei, ſic Theologiæ Scholaſticæ ſtudium myſticis ſcripturæ ſenſibus interdum condiri & nutriri indiget.

A propoſito noſtro alienum eſt, oſtendere totam veteris teſtamenti hiſtoriam propheticam fuiſſe ac figurativam. Quamobrem conſiderabimus legem cæremonialem, de qua duntaxat hic agitur. Eam porro totam typicam fuiſſe teſtantur Scripturæ ac ſancti Patres.

Ac primò quidem Scripturæ. Nam S. Paulus, 1 Corinth. X, commemoratis quæ per quadraginta annos Iſraelitis in deſerto contigerunt: *Hæc*, ait v. 6, *in figura facta ſunt noſtri:* & v. 11: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis; ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt.* Et in Epiſtola ad Hebræos multis probat ſacerdotium, ſacrificia, totumque cultum Judaicum figuras fuiſſe ſacerdotii & ſacrificii Chriſti: &, cap. X. 5, ait ſacerdotes Aaronicos *exemplari & umbræ deſervisſe cœleſtium, ſicut reſponſum eſt Moyſi, cùm conſummaret Tabernaculum: vide, inquit, omnia facito ſecundùm exemplar quod tibi oſtenſum eſt in monte.* Quodnam enim eſt exemplar illud Moyſi oſtenſum in monte, ubi cum Deo converſatus eſt, juxta quod tabernaculum conſtruere, partes ejus diſtribuere, ſacrificiorum ritus præſcribere, ſacerdotum officia deſignare juſſus eſt? Erraret profectò quisquis exiſtimaret proſpectum duntaxat aliquem ſenſibilem, vel idealem, oculis vel imaginationi Moyſis ſubjectum fuiſſe, qualis in architectorum artificumque mente præcedere ſolet opera facto perficienda. Hoc enim ſuppoſito, nihil abſurdius foret quàm conſecutio iſta Apoſtoli: Moyſes erecturus tabernaculum juſſus eſt omnia facere juxta proſpectum idealem ipſi demonſtratum. Ergo tabernaculum, & quæcunque ad illud pertinebant, & in eo facienda præſcribebantur, exemplar fuerunt cœleſtium. Quamobrem, ut argumentatio Apoſtolica rectæ rationi non apertè repugnet, manifeſtum eſt per exemplar Moyſi oſtenſum intelligendas eſſe res ſpirituales ac cœleſtes, ſcilicet Chriſti myſteria, novæ legis dotes, ſacerdotium & ſacrificium, Eccleſiæ prærogativas, totamque religionis Chriſtianæ œconomiam, atque ad horum imaginem exprimendam Moyſen juſſum fuiſſe ordinare omnia quæ ad cultum Judaicum ſpectabant, ac proinde totum illum cultum figurativum fuiſſe. Hinc ibidem, v. 1, Apoſtolus declarat *legem habuiſſe umbram futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum.*

Eodem ſenſu S. Præcurſor dixit, Joann. I. 17: *Lex per Moyſen data eſt,*

eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt: alludens ſcilicet ad duplicem legem per Moyſen datam, moralem & cæremonialem, quas Chriſtus implevit; illam quidem quatenùs per inſpirationem dilectionis eam impleri facit; hanc verò quatenùs veritatem exhibuit per eam adumbratam. Sic enim illa verba interpretatur S. Auguſtinus lib. 2 *contra Fauſtum*, cap. 6. „ Gratia ſcilicet, inquit, ut, datâ indulgentiâ peccatorum, quod præceptum erat ex dono Dei cuſtodiretur: veritas autem, ut, ablatâ obſervatione umbrarum, quod promiſſum erat ex fide Dei præſentaretur.“ Idem quoque Chriſtus ipſe declaravit cùm dixit, Matth. V. 17: *Non veni ſolvere Legem aut Prophetas, ſed adimplere.* Nam, juxta communem SS. Patrum expoſitionem, Chriſtus utramque legem veterem implevit, moralem, in quantum eam plenius ac dilucidiùs promulgavit, & per gratiæ ſuæ adjutorium obſervare facit; cæremonialem, in quantum, quod illa futurum prænuntiaverat ac præfiguraverat, reipſâ præſtitit. Sicut enim promiſſa adimplet qui bona promiſſa largitur, ita Chriſtus, ſeipſum hoſtiam offerendo, ſacramenta & ſacrificia promiſſiva non irritavit, ſed cumulatiſſimè implevit.

2°. Unanimis SS. Patrum circa hoc caput conſenſio duplici modo demonſtratur. Primùm quidem ex eorum in ſcripturas Commentariis, in quibus omnia quæ in veteri lege præſcripta, geſta, dicta ſunt, de Chriſto, qui eſt finis legis, & Eccleſiâ myſticè expoſuerunt. Non enim aliqui tantum illam interpretandi regulam ſecuti ſunt, ſed omnes prorſus, ſive antiquiores, ſive poſteriores, ſive qui linguæ Hebraicæ ignari fuerunt, ſive qui eam perfectiſſimè calluerunt, ut Origenes, Hieronymus &c; nec in aliquibus tantum Commentariis eâ methodo uſi ſunt, ſed ferè in omnibus. Superfluum foret id ſigillatim probare, cum cuivis pateant eorum ſcripta, quæ ſingulis penè paginis hujus rei fidem faciunt. Porro undenam adeò concors ſcripturas exponendi ratio oriri potuit, niſi ex coquòd Apoſtolicâ, perpetuâ & conſtanti traditione didiciſſent vetus teſtamentum fuiſſe figuram novi, ac præter hiſtoricum & litteralem ſenſum, qui ſeſe ultro offert, ſpiritualem ſub littera reconditum quæri oportere?

Fruſtra reponeretur ideò SS. Patres ad ſenſus myſticos confugiſſe, quia, eruditionis & criticæ defectu, ſenſum litteralem aſſequendi parum capaces fuerunt. Nam (fidem adverſariorum hîc appello) iſtud dicere quid aliud eſt, quàm venerandos approbatoſque ab Eccleſia magiſtros tanquam ignaros ſuperbè dedignari, atque ab eorum ſcriptis, ut pote inanibus & imperitis, Chriſtianos indirectè ſaltem avertere, quod quàm periculoſum ſit nemo piè affectus non ſentit? Errant profectò & graviſſimè errant, ſi arbitrantur ſcripturarum intelligentiam eis ſolis patere, qui Hebraicæ linguæ litterarumque prophanarum peritiâ pollent. Quamvis enim ultrò fateor hujuſmodi notitiam non parum utilem eſſe ad explicanda nonnulla ſcripturarum loca, in quibus littera eſt paulò obſcurior,

rior, certum tamen eſt in exponendis ſactis litteris primas partes deferendas eſſe pietati, humilitati, caritati, aſſiduæ ſcripturarum lectioni ac meditationi, orationis fervori; quæ omnia profectò in SS. Patribus excelluiſſe nullum dubium eſt. Non minus perniciosè errant, ſi putant Chriſtum Dominum, qui Apoſtolis ſuis aperuit ſenſum ut intelligerent ſcripturas, quique Eccleſiæ ſuæ omnia, quæ ad fidei & morum doctrinam ac defenſionem neceſſaria ſunt, abundantiſſimè providit, permiſiſſe ut per plura ſæcula genuina exponendi ſacras ſcripturas methodus ignorata ſit, defuerintque media ad eas intelligendas abſolutè requiſita. At verò quis neget multiplici eruditionis copiâ refertos fuiſſe Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Origenem, Hieronymum, & alios quoſdam? Cur ergo ſaltem in litteralibus ſcripturæ ſenſibus ſeſe non continuerunt, ſed & ipſi ad ſenſus ſpiritales & myſticos paſſim recurrunt? Cur S. Hieronymus, qui ingenti labore omnia ſibi comparaverat quæ ad litteræ intelligentiam conducere nata ſunt, Commentarios ſuos allegoricis interpretationibus replevit, niſi quia Doctorum omnium mentibus ſemper infixum fuit, ſub hiſtorici litteraliſque ſenſûs velamine alios ſenſus grandiores latere, fruſtraque corticem cognoſci, niſi interiore fructu animus paſcatur? Demum adeò manifeſtum eſt ſanctos Patres non impotentiâ detegendi ſenſum litteralem myſticos ſcripturæ ſenſus inquiſiviſſe, ut nunquam libentiùs hujuſmodi interpretationibus operam dederint, quàm ubi littera ipſa apertior eſt, quemadmodùm in ipſorum Commentariis videre eſt.

Incaſſùm etiam objiceretur SS. Patres non conſentire in aſſignandis myſticis ſcripturarum ſenſibus, ſed alios aliter eadem loca, ac ſæpè parum feliciter expoſuiſſe. Etſi enim id concederemus, quid inde ſequeretur? Moderni interpretes, tam Catholici quàm Heterodoxi, qui ſingulos litteræ apices minutiùs excuſſerunt, ſenſus litterales planè diverſos, pro ſuo quiſque captu vel arbitrio, ſæpiſſimè propoſuerunt, ut conſtat ex lectione *Criticorum ſacrorum*, aut *Synopſis Criticorum.* Num idcircò aut nullus eſt ſenſus litteralis ſcripturarum, vel quaſi incertus aut dubius negligi debet? Abſit à Chriſtianis ut ita ſentiant! Ergo pariter, quamvis ſancti Patres non eoſdem, ſed varios ut plurimùm ſenſus allegoricos ſcripturis attribuerint, non ideò reſpuendi vel ſpernendi ſunt ſenſus allegorici: contra verò, ex eoquòd SS. Eccleſiæ Doctores perſuaſum habuerint ſub obvio litteræ ſenſu latere ſpirituales ac myſticos ſenſus, piâ diligentiâ inveſtigandos, hæc doctrina habenda eſt ut certiſſima & ab ipſis Apoſtolis tradita.

Hæc reſponſio eo plus ponderis habet, quòd obvius litteræ ſenſus plerùmque unicus ſit, aut etiam Chriſtum & Eccleſiam directè & immediatè ſpectet; contra verò unus & idem ſcripturæ textus plures myſticos ſenſus habere poſſit, qui ſeſe mutuò nequaquam excludunt. Si autem nonnullæ parum felices aut nimis contortæ allegoriæ apud Patres quando-

doque reperiuntur (quanquam non ita cenſoriè reprehendenda ſunt quæ ab eis piè dicta delicatiori palato non ſapiunt), num ideò respuendæ ſunt allegoriæ optimè cohærentes, & pietati ædificandæ aptiſſimæ? Num ideo vituperandi ſunt qui in ejusmodi ſenſibus detegendis ſalubrem operam navant? Num denique ideò rejicienda eſt ea ſcripturas interpretandi methodus, perpetuo Eccleſiæ uſu ab Apoſtolis ad noſtram usque ætatem conſecrata?

Perpetuus hac in re SS. Patrum conſenſus non minùs perſpicuè apparet ex illorum textibus, quibus expreſſè docent, ut aliquid certiſſimum & in Eccleſia indubitatum, totum cultum Judaicum, de quo præſertim nunc agimus, propheticum & figurativum fuiſſe. Ex multis pauci ſufficient.

S. Juſtinus martyr, in *Dialogo cum Tryphone*, num. 42, pluribus legis Moſaicæ ritibus allegoricè expoſitis, hæc addit: „ Cætera quidem prorſus omnia à Moyſe inſtituta enumerans, demonſtrare poſſum illa „ imagines, & ſigna, & prænuntiationes fuiſſe, tum eorum quæ Chriſto „ eventura erant, tum eorum qui in eum credituri prænoſcebantur, „ tum eorum etiam ſimiliter quæ Chriſtus ipſe facturus erat: ſed quæ „ recenſui ſatis mihi impræſentiarum videntur eſſe." Al. in edit. Commel. pag. 202.

S. Irenæus, lib. 4 *Adverſùs Hæreſes*, cap. 14. num. 31, al. cap. 28, dicit: „ Sic autem (Deus) & populo tabernaculi factionem, & ædificatio- „ nem templi, & Levitarum electionem, ſacrificia quoque, & oblationes, „ & monitiones, & reliquam omnem legis ſtatuebat definitionem,..... „ per ea quæ erant ſecunda ad prima advocans, hoc eſt, per typica ad „ vera, & per temporalia ad æterna, & per carnalia ad ſpiritalia, & per „ terrena ad cœleſtia, quemadmodùm & dictum eſt Moyſi, quoniam „ *facies omnia juxta typum eorum quæ vidiſti in monte*...... Et (Paulus), „ prædictis his quæ in lege ſunt, intulit: *Omnia autem hæc in figura* „ *veniebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos* „ *finis ſæculorum devenit*. Per typos ergo diſcebant timere Deum & „ perſeverare in obſequiis ejus. Itaque lex & diſciplina erat illis & pro- „ phetia futurorum." Idem proſequitur in ſubſequentibus capitibus. Et cap. 19. num. 1, al. cap. 35: „ Munera autem, & oblationes, & „ ſacrificia omnia in typo populus accepit, quemadmodùm oſtenſum „ eſt Moyſi in monte Sinaï."

Tertullianus, lib. 2 *adverſùs Marcionem*, cap. 19, legem cæremonialem appellat „ legem ſignificantem, ſpiritalem ſcilicet & propheticam, „ & in omnibus penè argumentis figuratam."

S. Hilarius Pictavienſis, in Pſalm. 118, litt. 3. num. 7, in illud, *revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*, ſic loquitur: „ Scit „ ea, quæ corporaliter in lege præcepta ſunt, umbram eſſe & ſpeculum „ futurorum....... Meminit ſancta eſſe ſabbatha, ſed in æternorum ſab- „ bathorum requie eſſe deſiderat. Utitur quidem azymis panibus, ſed „ fer-

„ fermentum ejicere naturæ veteris feſtinat:“ multiſque aliis ſimiliter allegoricè expoſitis, ſubdit: „ Scit ex præcepto Dei, ſecundùm cœleſte „ exemplar, & altarium à Moyſe inſtitutum, & Aaron ſacerdotali ha- „ bitu ornatuque veſtitum: ſed principis Sacerdotum (Chriſti videli- „ cet), in cujus exemplùm hæc fuerant, intereſſe myſteriis prope- „ rat...... Univerſa quidem iſta Judæi corporaliter gerunt; ſed hoc „ Paulus aliter intelligit, dicens: *Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt.*“

S. Ambroſius, Serm. 18 in eumdem pſalmum, num. 37, ad hæc verba, *lex tua veritas*, idipſum confirmat: „ Sicut, inquit, omnis „ veritas in novo teſtamento eſt, ita & lex per Moyſen data figura le- „ gis eſt veræ. Ergo illa lex veritatis exemplar eſt. In exemplari enim „ agni ſanguis effunditur: in veritate Chriſtus immolatur.“

S. Hieronymus, Comment. in Iſaiam, cap. I. 12: „ Hoſtiæ ergo, „ inquit, & immolatio victimarum non principaliter à Deo quæſita ſunt, „ ſed ne idolis offerrentur, & ut de carnalibus victimis, quaſi per ty- „ pum & imaginem, ad ſpirituales hoſtias tranſiremus. Dicendo autem „ ſe hoſtias non quæſiſſe, oſtendit (Deus) quia lex ſpiritualis eſt, & „ omnia, quæ Judæi corporaliter faciunt, à nobis impleri ſpiritua- „ liter.“

S. Leo, Serm. 14, qui eſt 4 de Jejunio decimi menſis, cap. 2, cùm dixiſſet diſcretiones ciborum, baptiſmatum differentias, & avium pecudumque hoſtias in nova lege deſtitiſſe, hanc ſtatim rationem affert: „ Illis, quæ rerum futurarum figuras gerebant, impletis, quæ ſignifi- „ caverunt finita ſunt.“ Idem repetit Serm. 19. num. 1.

Auctor *Quæſtionum & Reſponſionum ad Orthodoxos*, inter Opera S. Juſtini, qui auctor V° vel VI° ſæculo vixiſſe exiſtimatur, hæc ait, quæſt. 101: „ Quid eſt lex? Evangelium prænuntiatum. Quid Evan- „ gelium? Lex completa.“

Denique, ut cæteros omittam, S. Auguſtinus, qui omnia quæ legem veterem ſpectant profundiſſimè meditatus eſt & copioſiſſimè explanavit, idem frequenter inculcat, ſive in libris moralibus, ſive in dogmaticis & polemicis.

Sic loquitur lib. 7 *de Civitate Dei*, cap. 32: „ Hoc myſterium vitæ „ æternæ jam inde ab exordio generis humani, per quædam ſigna & „ ſacramenta temporibus congrua, quibus oportuit per angelos prædi- „ catum eſt. Deinde populus Chriſtianus in unam quamdam Rempu- „ blicam, quæ hoc ſacramentum ageret, congregatus eſt, ubi per quoſ- „ dam ſcientes, quoſdam neſcientes, id quod ex adventu Chriſti uſ- „ que nunc & deinceps agitur, prænuntiaretur eſſe venturum...... „ Omnes enim non ſolùm prophetiæ, quæ in verbis ſunt, nec tan- „ tum præcepta vitæ, quæ mores pietatemque conformant, atque illis „ litteris continentur, verum etiam ſacra, ſacerdotia, tabernaculum, „ ſive templum, altaria, ſacrificia, cæremoniæ, dies feſti, & quid- „ quid

Digitized by Google

„ quid aliud ad eam ſervitutem pertinet, quæ Deo debetur, & græcè „ λατρεια dicitur, ea ſignificaverunt & prænuntiaverunt, quæ, propter „ æternam vitam fidelium in Chriſto, & impleta credimus, & impleri „ cernimus, & implenda confidimus.“ Eam ob rem dicit ibidem, lib. 15. cap. 2, „ partem quamdam terrenæ civitatis (Synagogam ſcilicet) imaginem cœleſtis civitatis (nempe Eccleſiæ) effectam eſſe, „ non ſe ſignificando, ſed alteram, & ideò ſervientem. Non enim „ propter ſeipſam, inquit, ſed propter alteram ſignificandam inſtituta „ eſt; & præcedente aliâ ſignificatione & ipſa præfigurans præfigurata „ eſt: namque Agar ancilla Saræ, ejusque filius imago quædam hujus „ imaginis fuit.“

Idem docet lib. 1 *de Conſenſu Evangeliſtarùm*, cap. 11. num. 17. „ Chriſto, inquit, prophetando venturo gens una deputata eſt, cujus „ Reipublicæ tota adminiſtratio prophetia eſſet illius Regis venturi, & „ civitatem cœleſtem ex omnibus gentibus condituri.“

Non aliqua tantùm, ſed omnia prorſus quæ ad externum Dei cultum Judæis præcepta ſunt, in figuram futurorum præcepta eſſe definit, Tract. 28 in Joannem, num. 9, his verbis: „ Omnia quæ dicta ſunt antiquo „ populo Iſrael in multiplici ſcriptura ſanctæ legis, quæ agerent ſive „ in ſacrificiis, ſive in ſacerdotiis, ſive in diebus feſtis, & omnino, in „ quibuslibet rebus quibus Deum colebant, quæcunque illis dicta & „ præcepta ſunt, umbræ fuerunt futurorum. Quorum futurorum? Quæ „ implentur in Chriſto. Unde dicit Apoſtolus (2 Cor. V): Quotquot „ enim promiſſiones Dei, in illo etiam: id eſt, in illo impletæ ſunt. „ Deinde dicit alio loco (1 Cor. X): Omnia in figura contingebant il- „ lis; ſcripta ſunt autem propter nos, in quos finis ſæculorum obvenit. „ Dixit & alibi (Rom. X. 4): Finis enim legis Chriſtus eſt.“ Et Quæſt. 177 in Exodum, num. 1, de Tabernaculo loquens: „ Neque „ ibi aliquid fuiſſe putandum eſt, ait, quod, jubente Deo, conſtitue- „ retur ſine alicujus magnæ rei ſacramento, cujus cognitio fidem for- „ mamque pietatis ædificet.“

Hinc ſæpè obſervat novum teſtamentum nihil aliud eſſe, quàm denudationem & manifeſtationem myſteriorum quæ in veteri latebant. „ In „ veteri teſtamento, inquit Quæſt. 73 in Exodum, novum latet: & in „ novo vetus patet.“ Et in Serm. 300, cap. 3: „ Teſtamentum vetus Al. 1 de Diverſis. „ velatio eſt novi teſtamenti; & teſtamentum novum revelatio eſt ve- „ teris teſtamenti.“ Idem repetit lib. de Catechizandis rudibus, cap. 4, num. 8.

Ex Theologis unicum commemorabo Angelicum Doctorem. Hic, 1. 2. quæſt. 104. art. 2 ad 2, SS. Patrum veſtigiis inhærens ſic loquitur: „ Populus Judæorum ad hoc electus erat à Deo, quòd ex eo Chriſtus „ naſceretur; & ideò oportuit totum illius populi ſtatum eſſe propheti- „ cum & figuralem, ut Auguſtinus dicit contra Fauſtum: & propter Lib. 22, cap. 24.

Digitized by Google

„ hoc etiam judicialia illi populo tradita magis ſunt figuralia, quàm judi-
„ cia aliis populis tradita.“ Conſequenter in 2. 2, ſub finem, ritus omnes ſacrificiorum legalium allegoricè interpretatur de Chriſto ejusque Eccleſia.

His adeò concordibus teſtimoniis rationes accedunt non ſpernendæ.

Prima petitur à legis cæremonialis per Chriſti paſſionem abrogatione. Cur etenim tunc illa deſtitit, niſi quia nullius deinceps utilitatis futura erat? Cur autem inutilis evadebat, niſi quia per mortem & ſacrificium Chriſti impleta eſt? Quomodò autem adimpleta, niſi quatenùs Chriſtus, ſeipſum hoſtiam offerendo, omnia quæ per illam promittebantur ac prænuntiabantur, reipſâ exhibuit & facto perfecit? Porro non aliqua tantum, ſed omnia prorſùs veteri lege præſcripta, Chriſto moriente, abolita ſunt. Non ergo aliqua tantùm, ſed omnia in typum myſteriorum Chriſti futurorum imperata fuerant. Rationem iſtam confirmat S. Auguſtinus lib. 1 *de Conſenſu Evangeliſtarum*, cap. 13. num. 20. „ Nec
„ aliâ re, inquit, magis claruit illius gentis regnum, & templum, &
„ ſacerdotium, & ſacrificium, & unctionem illam myſticam, quod
„ χρισμα græcè dicitur, unde Chriſti nomen elucet, & propter quam
„ reges ipſos Chriſtos gens ipſa appellabat, non fuiſſe niſi prænuntian-
„ do Chriſto deputata, quàm quòd, occiſi Chriſti reſurrectio poſteà quàm
„ cœpit credentibus gentibus prædicari, illa omnia ceſſaverunt, neſcien-
„ tibus Romanis per quorum victoriam, neſcientibus Judæis per quo-
„ rum ſubjugationem factum eſt ut illa ceſſarent.

2°. Sapientiâ divinâ dignum non videtur, quemadmodùm multi SS. Patres obſervant, tantam ſacrificiorum, purificationum, obſervationum ex ſeipſis inutilium & ad juſtitiam non conducentium, multitudinem imperare, niſi per illa aliquid aliud multò ſalubrius, excellentius, ſuæque ſupremæ majeſtati acceptabilius adumbrare voluiſſet.

3°. Dicit Apoſtolus, Galat. III. 24, *legem pædagogum noſtrum fuiſſe in Chriſto, ut ex fide juſtificemur.* Quomodò autem ritus legales ad Chriſtum deducere poterant, niſi quatenùs ipſum ejusque myſteria prænuntiabant & adumbrabant?

4°. Idem Apoſtolus, Rom. XV. 4; docet, *quæcunque ſcripta ſunt*, ſive in veteri, ſive in novo teſtamento, *ad noſtram doctrinam ſcripta eſſe, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Quid porro doctrinæ ſalutaris, quid utilitatis ex minutiſſimarum obſervationum, quæ in libro Levitici præceptæ leguntur, cognitione reportari poteſt, ſi ſub illarum involucris nihil latebat ſpiritale novoque teſtamento proprium? Quid prodeſt noſſe ſingula carnali populo imperata, atque à Chriſto abolenda, ſi illa ad Eccleſiam Chriſti nullatenus pertineant, ſi in ſolo litteræ cortice ſenſuque hiſtorico hærendum ſit, quæ curioſitati occupandæ magis quàm pietati ædificandæ idonea ſunt? Quantò conſultiùs & ſalubriùs agunt, qui Apoſtolorum documentis intenti Chris-

Digitized by Google

Chriſtum & Eccleſiam, promiſſiones, regnum, ſacerdotium, ſacrificium novi teſtamenti in legalibus præceptionibus piè quærunt, quærendo inveniunt, inveniendo diligunt, diligendo interiùs paſcuntur, & magis ac magis in pietate proficiunt? „ Niſi fortè quis putat, ait S. Auguſtinus „ lib. 12 *contra Fauſtum*, cap. 37, ingenio fieri, ut ea, quæ rerum or- „ dine per ſua tempora cucurrerunt, ad Chriſti ſignificationes interpre- „ tando vertantur. Hoc fortè Judæi poſſunt dicere, ſive Pagani: cis „ autem, qui ſe Chriſtianos videri volunt, premit cervicem Apoſtolica „ auctoritas, dicens: *Omnia hæc in figura contingebant, & omnia hæc figuræ noſtræ fuerunt.*" Ex quibus ſic concludit ibidem: „ Illa omnia, „ quæ ſunt in veteri teſtamento ſcripturarum ſanctarum, quisquis non „ perverſo animo legerit, ſic oportet moveatur, ut aliquid ea ſignificare „ non ambigat."

Si verò quis objiciat in ſenſibus allegoricis nihil eſſe certi, aut exigat ut quid ſingulis ritibus Judaicis ſignificatum fuerit diſtinctè exponatur, id ſibi reſponſum habeat, quod reponebat olim S. Auguſtinus, lib. *contra Adimantum*, cap. 15, Manichæis ab ipſo ſimilter flagitantibus, ut explicaret *quid ſignificet caro porci, & cameli, & leporis, & milvi, & corvi, & cæterorum, à quibus abſtinendum à lege præcipitur.* „ Nolo, „ inquiebat, quia longum eſt. Sed fac me non poſſe, numquid propterea nullus poteſt? Et ſunt jam volumina innumerabilia in quibus „ iſta expoſita ſunt. Nobis tamen ad hos refellendos ſatis eſt, quòd „ eas obſervationes umbras eſſe futurorum, non ego, ſed Apoſtolus „ dicit, cùm etiam vetat ſerviliter obſervari, ſed tamen aliquid ſignificare declarat dicens: *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu*, Coloſſ. II. 16. „ *aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbathorum, quod eſt umbra* „ *futurorum.*"

Hujusce Tractatûs inſtitutom non exigit nec patitur, ut myſticos veteris Teſtamenti ſenſus depromamus. Multi veteres ac recentiores ſcripturarum interpretes id præſtiterunt, alii magis, alii minùs feliciter. Sed ſupponamus difficillimum eſſe ſingula myſteria ſub veteri lege latentia in lucem proferre, num ideò licet in dubium revocare quod in ſcriptura & in traditione certiſſimum eſt? Adeò profundum latumque eſt divinarum litterarum ſtudium, ut nunquàm penitùs exhauriri poſſit, &, cùm conſommaverit homo, tunc incipiat. Ad finem usque ſæculorum Deus Eccleſiæ ſuæ providebit doctos fidosque explanatores, qui è ſcripturarum divinarum promptuario latentes divitias eruant, neque idcircò immenſus ille theſaurus exhaurietur. Divinam utriusque teſtamenti harmoniam, quamdiu per fidem ambulamus, ex parte tantùm cognoscimus; cùm autem venerit quod perfectum eſt, lumenque ipſo in lumine videbimus, tunc, remotis penitùs velaminibus, perſpicoè intuebimur, amabimus, laudabimus in duorum teſtamentorum analogia ſummam Dei virtutem & ſapientiam, quâ vetera & nova ſic diſpenſata ſunt, ut

Digitized by Google

ut veteribus nova præfigurarentur, & novis vetera compleantur & apertâ in luce ponantur.

Quis modus in allegoricis ſcripturæ interpretationibus ſervandus ſit.

Quæres quem modum in allegoricis S. Scripturæ expoſitionibus teneri oporteat?

Reſpondeo has præcipuè regulas obſervandas eſſe: 1°. Senſus myſtici ſic inveſtigandi ſunt, ut ſenſus litteralis & hiſtoricus non negligatur, ſed fundamenti loco ſemper habeatur, atque etiam, ubi opus eſt, dilucidè exponatur. 2°. Expoſitiones allegoricæ ſubdi ſemper debent rationi fidei, ut ſcilicet nihil tanquàm figuratum proponatur, quod non aliunde ad fidem pertinere conſtet. Quid enim abſurdius & periculoſius foret, quàm ea, quæ dubia vel controverſa ſunt, allegoricis interpretationibus velle adſtruere? Contra iſtam regulam peccarunt ii, qui ex iſtis Apoſtolorum verbis: *Ecce duo gladii hîc*, & ex reſponſione Domini: *Satis eſt*, ineptè concluſerunt utramque poteſtatem, ſpiritualem ſcilicet & temporalem, Eccleſiæ traditam eſſe. 3°. Sic opera detur detegendis myſticis ſcripturæ ſenſibus, ad excitandam fovendamque pietatem, ut præcipua cura ſit Theologicis tractationibus incumbendi, eiſque præſertim quæ controverſias ſingulis temporibus agitatas ſpectant. Cùm enim ſponſa Chriſti nihil magis in votis habeat, quàm ut depoſitum à Chriſto ſibi creditum illibatum ſervetur, id imprimis ſatagere debent Paſtores, cæterique Eccleſiæ miniſtri, ut, quando novatorum audaciâ fides periclitatur, ſanam doctrinam à ſpuria, Apoſtolicam à recens inventa ſedulò diſcernant, eamque omni argumentorum genere tueri, & illos qui contradicunt arguere ſtudeant. Quando tranquillâ pace Eccleſia potitur, tunc homo interior in otio ſancto ſcripturarum dulcedine paſcatur; quando autem omnia in circuitu conflagrare cernimus, cùm fides adverſantium aſſultibus pulſatur, cum arrogans novitas ruinoſaque altitudo ſeſe extollit adverſùs ſcientiam Dei, tunc opus eſt è ſcripturarum traditioniſque promptuario depromere arma illa potentia Deo, quibus ſanctiſſima dogmata defendantur, errores expugnentur, fideleſque adverſus pſeudomagiſtrorum artes & fallacias muniantur.

Luc. XXII. 38.

An ſenſus allegorici intenti fuerint à Spiritu ſancto.

Quæres 2° an ſcripturarum ſenſus allegorici à Spiritu ſancto intenti fuerint, & quænam hujuſmodi interpretationibus certitudo ineſſe poſſit?

Advertite non hîc agi de ſenſibus quos vocant accommodatitios, quibus, propter nonnullam ſeu verborum, ſeu rerum geſtarum ſimilitudinem, ſacri textus ad arbitrium applicantur alicui perſonæ vel eventui particulari; quemadmodùm Concionatoribus ſatis uſitatum eſt, ſanctis, quos laudibus celebrandos ſuſcipiunt, Patriarcharum, Prophetarum, aliorumve facta vel dicta adaptare. Certum quippe eſt hujuſmodi interpretationibus non exprimi genuinum ſcripturæ ſenſum à Spiritu ſancto intentum. Agitur itaque tantummodò de ſenſibus qui ſub litteræ velamine reipsâ contineri exiſtimantur. Hoc poſito, reſpondeo ſenſus,

Digitized by Google

ſus, qui verè ſunt allegorici, à Spiritu ſancto intentos fuiſſe, imò magis quodammodò quàm ſenſum obvium, litteralem & hiſtoricum, ſub cujus cortice velantur. Quod enim ad aliud ſignificandum refertur, minus præcipuè intenditur quàm id quod per illud ſignificatur. Atqui figuræ ſunt propter veritatem per illas figuratam, non autem veritas propter figuras. Verum, quamvis generatim loquendo certum ſit ſenſus allegoricos à Spiritu ſancto fuiſſe intentos, non tamen æquè certum eſt omnes ſenſus allegoricos, qui circumferuntur, fuiſſe intentos à Spiritu ſancto; ſed ſenſus illi varios habent certitudinis aut probabilitatis gradus. 1°. Quidem fide conſtat ſenſus myſticos à ſcriptoribus novi Teſtamenti reſeratos, à Spiritu ſancto verè intentos fuiſſe; v. g. Spiritum ſanctum, cùm Moyſi inſpiravit ut duorum filiorum Abrahæ hiſtoriam deſcriberet, expreſſè voluiſſe per illos vetus ac novum teſtamentum adumbrare: ſiquidem. Apoſtolus ipſe teſtatur, Galat. IV, illa eſſe *per allegoriam dicta*, atque eſſe *duo teſtamenta*. Secundum certitudinis gradum obtinent illi ſenſus, qui, non quidem ab Apoſtolis, ſed à ſanctis Patribus unanimi conſenſu traditi ſunt. Sic v. g. abſque ingenti temeritate negari non poteſt Iſaacum ligna in holocauſtum portantem, montemque conſcendentem, caput ſuum paterno gladio ſubjicientem, mortique divinitus ereptum, typum geſtaſſe paſſionis & reſurrectionis Chriſti, cùm perpetua Eccleſiæ traditio id conſtanter tenuerit. 3°. Minorem, non parvam tamen auctoritatem habent allegoriæ, quas, etſi non omnes, plurimi tamen eximii Patres indubitanter amplexi ſunt. Reverentia quippe SS. Eccleſiæ Doctoribus debita id exigit, ut, quod non unus aut alter, ſed plurimi ſenſerunt, non temerè contemnatur, maximè ſi illorum expoſitio aliunde valde veriſimilis ſacroque textui congrua videatur. 4°. Quod ſpectat ſenſus myſticos à modernis interpretibus propoſitos, tantò plus minùſve intrinſecæ probabilitatis habent, quantò major vel minor analogia deprehenditur figuram inter & veritatem figuratam. Ubi verò nulla, aut nonniſi leviſſima apparet inter utramque ſimilitudo vel analogia, liberè contemni ac rejici poſſunt. Cùm enim nulla res aliam ſignificare nata ſit, niſi ejus imaginem aliquo modo exprimat, conſequens eſt ut allegoriæ tantò plus minùſve momenti habeant, quantò major minorve eſt inter utrumque terminum ſimilitudo & analogia. 5°. Quia tamen non omnes rerum ſimilitudine aut diſſimilitudine æqualiter afficiuntur, valde curandum eſt, ut nec ſenſus myſtici invitis importunè obtrudantur, nec plus æquo illi deſpiciantur qui, ſalvâ fidei atque unitatis compage, allegoriis parum veriſimilibus delectantur. Proinde dummodò pro certo habeatur totum vetus teſtamentum propheticum & figurativum fuiſſe, liceat unicuique abſque diſceptatione vel ſtudio partium in ſuo ſenſu abundare, myſticaſque interpretationes, prout congruæ vel incongruæ videbuntur, aut piè amplecti, aut pacificè reſpuere.

An Judæi cognoverint totum cultum ſuum eſſe figurativum.

Quæres 3° an Judæi verè cognoverint legem cæremonialem ſibi impoſitam figurativam fuiſſe, & quid per illam ſignificaretur?

Reſpondeo paucis ſpiritualibus & ex fide Chriſti viventibus id compertum fuiſſe; cæteros verò in ſolo litteræ cortice hærentes non ultra progreſſos. Id expreſſè docet S. Auguſtinus lib. *de Catechizandis rudibus*, cap. 20. num. 35, ubi, cùm dixiſſet obſervationes legales ſigna fuiſſe futurorum, hæc addit: „ Tunc à paucis ſanctis & intelligebantur ad fructum ſalutis, & obſervabantur ad congruentiam temporis; „ à multitudine verò carnalium tantummodò obſervabantur, non intelligebantur.“ Et lib. *contra Adimantum*, cap. 22: „ Cùm adhuc „ non oporteret ante adventum Domini nudare populo legitimarum ſacramenta figurarum, non invitabantur ſignificata intelligere, ſed juſſa cogebantur implere: nondum enim Deo inhærebant per ſpiritum, ſed per carnem legi ſerviebant.“ Illa carnalium Judæorum ignorantia, ſeu hebetudo, deſignata fuit per velamen quod Moyſes ponebat ſuper faciem ſuam, quando loquebatur ad populum, ut dicitur Exodi XXXIV. 33: de quo velamine ſic loquitur S. Paulus 2 Corinth. III. 13: *Sicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſrael in faciem ejus, quod evacuatur, ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Uſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non revelatum (quoniam in Chriſto evacuatur), ſed uſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. Cùm autem converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* Duplex his Apoſtoli verbis diſtinguitur velamen; unum quidem ſuper ipſam faciem Moyſi, eoque ſignificabatur ſub legibus & ritibus ab eo præſcriptis latere myſteria ſpiritalia, ſuo tempore revelanda; alterum autem ſuper Judæorum corda, quo fiebat ut myſteria ſub legis veteris involucris occultata non intelligerent, nec intelligere curarent. Prius velamen adhuc ineſt libris veteris Teſtamenti, nec tollitur niſi per novum: poſterius verò, quod Judæorum incredulorum cordibus & oculis etiamnum obtenditur, à fidelium cordibus & oculis Chriſtus removit, quando Eccleſiæ ſuæ aperuit ſenſum ut intelligat ſcripturas. Quamobrem ſubdit Apoſtolus: *Nos omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* Ab ipſorum etiam Judæorum cordibus removebitur, quando, ut docet idem Apoſtolus Rom. XI, *cæcitas*, quæ *ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret*, Dei miſericordiâ depellctur, eorumque *aſſumptio* fiet *reconciliatio mundi* & *divitiæ gentium.*

AR-

Digitized by Google

Articulus Quartus.

An Judæis ſub lege veteri conſtitutis gratiæ interioris adjutorium ſufficiens datum fuerit, quo poſſent divina ſervare mandata.

Docet Cellotius Jeſuita, lib. 3 de Hierarchia, cap. 3. §. 6, gratiam non minùs intrinſecam fuiſſe legi veteri quàm novæ. „ Vides, lector, inquit, „ legem perfici Dei gratiâ, non ab ipſa lege alienâ, ex alia „ quadam lege mutuo ſumptâ, ſed ipſi non minùs quàm Evangelio „ intrinſecâ."

Solâ loquendi formâ ab eo diſcrepant ipſius Sodales eorumque diſcipuli, cum dicunt Judæis omnibus ſub lege poſitis datam fuiſſe gratiam interiorem, ſufficientem ad implenda mandata, quâ gratiâ, inquiunt, ſi caruiſſent, legis transgreſſio in peccatum eis imputari juſte non potuiſſet.

Iſta quæſtio non inſtituitur de gratia habituali. Nam ſupra oſtenſum eſt ſacramenta veteris legis ex ſe non habuiſſe vim juſtificandi, ſed de gratia actuali; ſenſusque eſt an Deus, unà cum lege exterius propoſita, internum gratiæ adjutorium Judæis omnibus ſubminiſtraverit, cujus ope legem obſervare potuerint.

In Libro ſequente oſtendemus gratiam Chriſti non omnibus hominibus dari, nec requiri, ut mandata ſint poſſibilia, vel ut peccata juſtè imputentur. Verum, ut nihil prætermittamus eorum quæ ad accuratam antiquæ legis notitiam conducere poſſunt, peculiaribus argumentis nunc probandum ſuſcipimus, vulgus Judæorum ſub lege poſitorum gratiæ interioris adjutorio deſtitutum fuiſſe.

PROPOSITIO.

Vulgo Judæorum ſub lege conſtitutorum datum non fuit gratiæ interioris auxilium, ad vitandum peccatum legemque ſervandam.

Probatur I° duplici argumento quod ex jam aſſertis exurgit.

Primum ſuppeditat diſtinctio diverſorum humani generis ſtatuum, ante legem, ſub lege, & ſub gratia. Ante legem natura fuit ſola: ſub lege natura fuit ſolo legis adjutorio inſtructa: ſub gratia natura per auxilium gratiæ Chriſti ſanatur. Iſta diſtinctio in ſcriptura & in traditione fundatiſſima planè tolleretur, ſi vulgo Judæorum ſub lege data fuiſſet gratiæ interioris adjutorium. Hoc enim poſito, ſtatus veteris legis & ſta-

Digitized by Google

ſtatus gratiæ non differrent, Judæorumque & Chriſtianorum eadem foret conditio. Et ſanè omnes fatentur in ſtatu naturæ ante legem homines non habuiſſe adjutorium legis, eoque primum illum ſtatum à ſecundo diſcrepaſſe. Ergo à pari, ut ſtatus legis à ſtatu gratiæ diſtinguatur, confitendum eſt homines ſub lege non fuiſſe gratiâ interiore inſtructos.

Alterum argumentum ſubminiſtrat œconomia veteris legis. Si enim Deus, unà cum lege, gratiam quoque interiorem omnibus Judæis dediſſet, ſequeretur legem veterem eo conſilio datam à Deo fuiſſe, ut Judæi ſufficienter adjuti juſtitiam & ſalutem conſequerentur.. Atqui ſuprà diſertiſſimis Scripturæ ac SS. Patrum teſtimoniis probatum eſt legem veterem non eo conſilio datam fuiſſe, ſed ad demonſtrandam convincendamque hominis infirmitatem. Ergo Judæis datum non fuit, unà cum lege, gratiæ interioris auxilium. Enimverò, ſicut in ſtatu, quem naturæ vocant, homo convinci non potuiſſet de defectu ſcientiæ (ut Deo propoſitum fuit), ſi tunc adfuiſſet legis adjutorium quo ignorantia depelleretur, atque homo de agendis & vitandis edoceretur; ita in ſtatu legis homo convinci non potuiſſet de defectu potentiæ ad faciendum bonum, ſi unà cum lege habuiſſet auxilium gratiæ, per quod ejus infirmitas & rectè agendi impotentia tollerentur.

Probatur II° expreſſis Scripturæ ſacræ & Patrum teſtimoniis, quæ, majoris perſpicuitatis gratiâ, ad varias claſſes revocabimus.

Primò quidem docent legem veterem deſtitutam fuiſſe gratiâ interiore, quæ hominum infirmitati mederetur.

Scripturæ & Patres docent 1° Judæis ſub veteri lege poſitis gratiam interiorem datam non fuiſſe

Deuteron. XXX. 6, Moyſes gratiam, ſine qua lex impleri non poteſt, non ut legis comitem, ſed ut proprium novi teſtamenti donum ſuo tempore conferendum annuntiavit. *Circumcidet*, inquit, *Dominus Deus tuus cor tuum & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo & in tota anima tua.* His in verbis, ait S. Auguſtinus Quæſt. 53 in Deuteronomium, eſt „ evidens pollicitatio gratiæ. „ Promittit enim Deus ſe eſſe facturum quod ſolet jubere ut fiat.“ Porro omnis promiſſio eſt de bono in futurum præſtando, non de bono jam præſtito.

Idem Moyſes, Deuteron. XXIX. 2, 3 & 4, expreſſè declarat Judæis datam non fuiſſe gratiam interiorem, ſed externam tantummodò, in lege & in prodigiis poſitam. *Vos*, inquit, *vidiſtis univerſa quæ fecit Dominus coram vobis, in terra Ægypti, Pharaoni,..... tentationes maximas quas viderunt oculi tui. ſigna illa portentaque ingentia; & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ audire poſſint, uſque in præſentem diem.* Certè per gratiam interiorem homo corde intelligere, oculis & auribus mentis videre & audire poteſt. Cum ergo Judæis, teſte Moyſe, datum id non fuerit, manifeſtum eſt eos non habuiſſe gratiam interiorem.

Cùm

Digitized by Google

Cùm dicit S. Chriſti Præcurſor, Joann. I. 17, *legem per Moyſen datam eſſe, gratiam & veritatem per Jeſum Chriſtum factam eſſe*, perſpicuum eſt ſolam legem veteri teſtamento per Moyſen ſancito, gratiam verò, tanquàm poſteriùs per Chriſtum allatam, novo teſtamento attribui. Reſpondet Epiſcopus Sueſſionenſis (Languet), V^a Epiſt. Paſtoralis parte 3. ſect. 1. §. 22, non magis ex his verbis concludi poſſe Judæos nullam gratiam interiorem habuiſſe, quàm eos nullam veritatem cognoviſſe, quandoquidem veritas perinde ac gratia per Chriſtum facta eſſe perhibetur. Verùm graviſſimè hallucinatur Rev. Præſul, textumque Evangelicum à ſe non intelligi manifeſtè demonſtrat. Hoc quippe in loco veritatis nomine non qualiſcunque veritatis cognitio ſignificatur, ſiquidem nuda cognitio ad legem ipſam pertinet, quæ per Moyſen data eſſe dicitur; ſed ſignificatur legalium obſervationum per Chriſtum facta adimpletio. Porro nec myſteriorum Chriſti veritas per figuras olim adumbrata, nec gratia interior, quâ legis præcepta ſervantur, ad vetus teſtamentum pertinent, ſed per Chriſtum peracta novo teſtamento propria ſunt.

S. Paulus, Rom. VI, fideles ſic alloquitur: *Peccatum vobis non dominabitur; non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Quaſi dicat: Quando ſub lege fuiſtis, & nondum ſub gratia, peccatum vobis dominabatur; nunc autem, quia non jam ſub lege eſtis, ſed ſub gratia, non vobis peccatum, ſed vos peccato dominabimini. Igitur qui ſub lege ſunt gratiâ non adjuvantur. Atqui Judæi plerique ſub lege fuerunt, ac proinde gratiâ interiore deſtituti.

Idem Apoſtolus, Galat. IV, Judæos ac Fideles eo diſtinguit, quòd illi, ſicut Iſmael, ſola naturali virtute, hi verò, tanquam Iſaac, promiſſione & operatione gratiæ divinæ generentur. *Scriptum eſt*, inquit, *quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla ſecundùm carnem*, id eſt, naturali parentum fœcunditate, *natus eſt; qui autem de libera, per repromiſſionem*, id eſt, vi promiſſionis & operationis divinæ, ac ſupra naturæ vires. *Quæ ſunt*, addit, *per allegoriam dicta: hæc enim ſunt duo teſtamenta.* Igitur in veteri teſtamento natura fuit ſola, externæ tantummodò legis adjutorio inſtructa; in novo autem gratia interior fideles per Iſaac adumbratos generat & parit.

His utriusque Teſtamenti oraculis accedit SS. Patrum auctoritas.

S. Chryſoſtomus, Hom. 6 in 2 Corinth. num. 2: „Spiritualis quidem „erat lex, inquit, ſed ſpiritum minimè præbebat; non enim ſpiritum „Moyſes, ſed litteras attulit.“ Tom. 10.

S. Auguſtinus, præcipuus contrà Manichæos legis veteris defenſor, & contra Pelagianos, qui legem Evangelio æquabant, novi teſtamenti commendator, conſtanter docet gratiæ adjutorio deſtitutam vulgo Judæorum datam fuiſſe.

Digitized by Google

Tractatu 3 in Joann. num. 16: „ Per ſervum, inquit, lex data eſt, „ reos fecit: per Imperatorem gratia data eſt, reos liberavit. Lex per „ Moyſen data eſt. Non ſibi aliquid amplius ſervus aſſignet, quàm „ quod per illum factum eſt. Electus ad magnum miniſterium, tanquàm fidelis in domo, ſed tamen ſervus, agere ſecundum legem po„ teſt, ſolvere à reatu legis non poteſt.“ Et num. 17: „ Præmiſit „ Chriſtus legem per ſervum, ut veniret ipſe cum gratia & veritate.“

Lib. 2 *contra Adverſarium Legis & Prophetarum*, cap. 7. num. 23: „ Lex, quamvis ſancta, & juſta, & bona, prævaricatoribus intulit „ mortem, quos Dei gratia non adjuvit ad juſtitiam legis implen„ dam..... Hinc putant iſti divinorum eloquiorum blaſphematores „ (Manichæi) malam fuiſſe legem, quæ data eſt per Moyſen, quia „ dicta eſt miniſtratio mortis, in litteris figurata lapideis; non intuen„ tes propter eos eſſe dictum, qui ſuo libero arbitrio legem ſufficere „ arbitrabantur“ (quales fuere omnes ferè Judæi), „ & ſpiritu gratiæ „ non adjuti, prævaricationis rei ſub ejuſdem legis littera tenebantur.“ Ita loquitur S. Doctor in libro in quo veterem legem contra illius obtrectatores defendendam ſuſceperat, in quo proinde ſilere non debuit auxilium gratiæ ſufficiens ſemper illi adjunctum fuiſſe, ſi reverâ ita ſenſiſſet. Id enim ad legis commendationem non parum valuiſſet. Porrò, nedum id dicat, bis è contrario repetit Judæos ſub lege gratiâ Chriſti adjutos non fuiſſe.

Al. 6 de Verbis Apoſtoli. Serm. 155, cap. 2: „ Ex prohibitione, inquit, auctum eſt deſide„ rium (peccandi), non extinctum. Lex peccato dedit virtutem, tan„ tummodò per litteram jubendo, non per ſpiritum ſubveniendo.“ Et „ Tract. 3 in Joannem jam laudato, num. 4: „ Lex minabatur, non „ opitulabatur; jubebat, non ſanabat; languorem oſtendebat, non au„ ferebat, ſed illi præparabat medico venturo cum gratia & veritate, „ tanquàm ad aliquem, quem curare vult, medicus mittat primò ſer„ vum ſuum, ut ligatum illum inveniat.“ Quis non videt hæc omnia falſa eſſe & abſurda, ſi cum lege veteri gratia ſimul data fuiſſet? Fruſtra reponeretur S. Doctorem nihil aliud voluiſſe, niſi auxilium gratiæ ſub veteri teſtamento datum non fuiſſe vi ipſiuſmet legis, ſed tantùm ex meritis Chriſti. Quid enim refert utrùm virtute ipſiuſmet legis, an aliunde & propter merita Chriſti gratiæ auxilium Judæis impertitum fuerit, modò illud adjutorium legi ſemper adjunctum habuerint? Quomodò verum erit legem auxiſſe, non extinxiſſe deſiderium peccandi, virtutemque fuiſſe peccati? Quomodò verum erit legem juſſiſſe tantummodò, non ſubveniſſe, minatam fuiſſe, non opitulatam, viam præparaſſe medico venturo, nullam autem medicinam præbuiſſe? Obſervandum quoque eſt S. Auguſtinum, ſicut & alios plurimos Patres, legem comparaſſe cum baculo, quem Elizæus per ſervum ſuum miſit, quique poſitus ſuper oculos pueri recens defuncti ad vitam eum revocare nullatenus valuit.

Digitized by Google

valuit. Sicut ergo baculus ille nullam virtutem, neque ſibi intrinſe-
cam, neque aliunde accerſitam habuit, ita dicendum eſt legem Moſis,
vulgo Judæorum datam, nullam gratiam Chriſti comitem habuiſſe.

Theodoretus, Comment. in Epiſt. ad Rom. cap. VI. 14, exponens
hæc verba, *non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia*, ſic loquitur: „ Do-
„ cet (Apoſtolus) quòd ante gratiam lex ſolum docebat quid eſſet a-
„ gendum; iis autem, quibus ipſa imponebatur, nullum penitus auxi-
„ lium afferebat. Gratia autem, præter legis impoſitionem, præbet
„ etiam auxilium, & propterea lege eſt perfectior quæ fit à gratia legis-
„ latio, ut pote cùm auxilium ſolvat difficultatem.“ Et in cap. VII,
ad hæc verba: *Cùm eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem
erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti:* „ Per hæc,
inquit, „ nos docuit quòd ante gratiam, dum ſub legis ſtatu ageremus,
„ peccati vehementiores impetus ſuſtinebamus, cum lex quid eſſet qui-
„ dem agendum oſtenderet, auxilium autem non ferret.“

S. Proſper, Sententiâ 321: „ Qui dedit legem, inquit, ipſe dedit &
„ gratiam; ſed legem per ſervum miſit, cum gratia ipſe deſcendit; ut,
„ quia lex oſtendit peccata, non tollit, volentes legem viribus ſuis
„ exequi, nec valentes, cogantur ad gratiam (confugere), quæ & im-
„ poſſibilitatis morbum, & inobedientiæ aufert reatum.“ Hic quoque
maniſeſte alluditur ad baculum Eliſæi, doceturque Judæos ſub lege con-
ſtitutos non minus caruiſſe gratiâ ad implendam legem neceſſariâ, quàm
puer mortuus ſub baculo poſitus caruit auxilio ad vitam recuperandam
neceſſario, quoadusque Eliſæus ipſe veniens, Chriſtumque præfigu-
rans, eum à mortuis divina virtute revocaret.

Auctor librorum *de Vocatione Gentium*, lib. I. cap. 8: „ Lex, ait,
„ quod fieri aut non fieri jubet, non præſtat ut fiat aut non fiat, quia
„ ſeveritati ejus non libertate, ſed timore ſervitur. Dominus autem,
„ ut legem non ſolveret, ſed adimpleret, per gratiæ auxilium efficax
„ fecit legis imperium.“

S. Gregorius magnus, lib. VII Moralium, cap. 9: „ Lex, inquit,
„ carnaliter deguſtata mortem detulit,..... quia & per præceptum
„ culpam innotuit, & hanc per gratiam non delevit.“

S. Hildebertus, Serm. 57 in feſto Purificationis B. Mariæ, de veteri
teſtamento loquens: „ Ibi, inquit, erat præceptum & mandatum ſine
„ adjutrice gratia; ibi erat cognitio peccati, ſed non conſumptio: per
„ eam cognoſcebat homo morbum ſuum, ſed ex ea non habebat reme-
„ dium; unde Apoſtolus: *Lex ſubintravit ut abundaret delictum.*“

Petrus Celleņſis, Carnotenſis Epiſcopus, Serm. I. in feſto S. Mariæ
Magdalenæ, quam cum peccatrice confundit: „ *Lex*, inquit, *usque ad
„ Joannem*, & bene usque ad Joannem, qui interpretatur gratia.....
„ Timens igitur Maria Magdalene legem ſine gratia, acceſſit ad fontem

Digitized by Google

„ gratiæ“ (Chriſtum). Ergo, juxta hunc ſcriptorem, legis veteris id proprium fuit, ut gratiam ſibi adjunctam non haberet.

Guibertus Abbas, B. Lanfranci diſcipulus, lib. 1 Moralium in Geneſim, pag. 12, ait filios Iſrael „ primò ſine fructu de ſuo torpore doluiſ- „ ſe, de quo ſe excutere non poterant, quia ſine luce gratiæ cœleſtis „ erant.“

SS. Patribus conſentiunt celebriores Scholæ Magiſtri.

Petrus Lombardus, Pariſienſis Epiſcopus, quem vocant Magiſtrum Sententiarum, lib. 3. diſt. 40: „ Lex bona eſt, inquit, & tamen occi- „ dit ſine gratia, cùm ſit virtus peccati, quæ jubet quod ſine gratia „ impleri non poteſt. Gratia autem deerat, & ideò lex occidens erat.“

Pag. 104. col. 2. Robertus Pullus, part. 3 Sententiarum, cap. 10: „ Dominus, ait, per „ Moyſen veteri populo veterem impoſuit legem, in qua initia quæ- „ dam edocuit bonæ vitæ, ſed implendi auxilium non tulit. Quibus „ ergo? Omnibus ferè.“ Igitur, ipſius judicio, pauciſſimis legis tempore Deus auxilium gratiæ largitus eſt.

S. Thomas, 1. 2. quæſt. 98. art. 1. ad 3um: „ Jugum legis, inquit, „ ſervari non poterat ſine gratia adjuvante, quam lex non dabat.“ Et quæſt. 99. art. 2. ad 3um: „ Sicut Auguſtinus probat in lib. *de Spiritu* „ *& littera*, etiam littera legis, quantùm ad præcepta moralia, occide- „ re dicitur occaſionaliter, in quantùm ſcilicet præcipit quod bonum „ eſt, non præbens auxilium gratiæ ad implendum.“

Dionyſius Carthuſianus, in Epiſt. ad Rom. cap. 5, dicit occaſione legis peccatum abundaſſe, „ quia lex non præſtabat auxilium gratiæ, „ quâ vitentur peccata: hanc autem inſufficientiam Deum voluiſſe eſſe „ in lege, ut omnes ad Chriſtum confugerent.“ Et in 2 ad Corinth. cap. 3. art. 3: „ Littera, quæ eſt lex ſcripta, occidebat occaſionaliter, „ quia non contulit gratiam, & auxit concupiſcentiam.“

Richardus de Media Villa, ex ordine Minorum, in 3um Sentent. diſt. 40. art. 2. quæſt. 4: „ Gratia, inquit, non dabatur obſervatori- „ bus decalogi non ſide Chriſti, ſed ſecundum litteralem ſenſum & prop- „ ter bona temporalia.“ Tales autem fuiſſe omnes ferè Judæos extra dubium eſt.

Cajetanus, in Epiſt. ad Rom. cap. 6, hæc verba exponens, *non eſtis ſub lege ſed ſub gratia*, docet ſtatum veteris legis tribus conditionibus conſtitiſſe. Prima conditio fuit, inquit, obligatio obſervandi totam legem Moſaicam; *altera* fuit *negatio gratiæ*, ... *tertia*, *quòd homo ſub lege conſtitutus erat ſibi ipſi derelictus, ut pote non adjutus interno gratiæ dono*. Hæc Cajetani verba adoptavit ſuaque fecit Pererius Jeſuita, Comment. in eumdem locum, diſput. 4. num. 22.

Toletus & ipſe Jeſuita, Comment in Joann. cap. 1, ad hæc verba: *Accepimus gratiam pro gratia*, obſervat gratiam apud Apoſtolum legi ſem-

Digitized by Google

ſemper opponi; & poſteà: „ Lex, inquit, præcipiebat & prohibebat ea „ quæ ſine gratia impleri non poterant, nec tamen habebat virtutem „ aut efficaciam donandi gratiam....... In lege ergo non erat gratia.“ Ex his textibus aliisque ſimilibus planè liquet, in Theologorum, ſicut & in SS. Patrum, mente unum & idem eſſe, legem non donaſſe gratiam, & ſub lege gratiam datam non fuiſſe.

Maldonatus quoque Jeſuita, commentans eadem verba: „ Lex quidem data erat, inquit, gratia non erat...... Lex quaſi mortuum corpus erat;..... jubebat, non juvabat; quod tam ſæpè dicere ſolet „ Auguſtinus...... Gratia verò anima legis eſt, quæ vigorem illi, ut „ ſervari queat, imprimit...... Quod in prima hominis formatione „ Deus fecerat, hoc in ſecunda ejus reformatione fecit. Primùm dedit „ Adamo corpus inane, deinde animam adjecit; & hominibus reformandis priùs dedit legem, deinde tradidit gratiam.“

Bellarminus, lib. 4 *de Juſtificatione*, cap. 2: „ Teſtamentum vetus, „ inquit, propriè non continet niſi quod Moſes attulit, id eſt, legem „ ſcriptam in tabulis; quæ quidem in ſervitutem generat,..... quoniam oſtendit quid facere oporteat, & non dat vires faciendi.“ Et cap. 4: „ Itaque qui legem in monte Sina per Moyſen acceperunt, doctrinam tantum acceperunt...... Qui verò per Chriſtum Evangelium „ acceperant, non ſolùm doctrinam, ſed etiam gratiam acceperunt, ut „ non modò inter virtutes & vitia diſcernerent, ſed etiam ut juſtitiam „ diligerent, & odio haberent iniquitatem.“

Doctiſſimi Wallemburgenſes, Tract. 7 *de Juſtificatione*, cap. 94, num. 10: „ Hoc ipſo, inquiunt, lex, ſeu vetus teſtamentum, ab evangelio, „ ſeu novo teſtamento, diſcriminatur, quòd lex venerit ſola, rigidè „ imperans & exigens, evangelium autem non ſolum, ſed cum gratia, „ ac proinde juvans & vires ſubminiſtrans idoneas ac ſufficientes, pro „ ſtatu viæ, ad officia quæcunque illo præſcripta exequenda.“ Tom. 2. pag. 596, col. 1.

Noriſius, in *Vindiciis Auguſtinianis*, cap. 3. §. 6, latè & ex profeſſo probat ſtatui veteris legis adjunctum non fuiſſe gratiæ adjutorium ſufficiens, vel ad rectè agendum, vel etiam ad orandum.

Denique, pluribus aliis ſilentio prætermiſſis, Facultas Theologica Pariſienſis, à Capitulo Metropolitano Turonenſi conſulta, doctrinali Judicio dato 5 Junii 1717 damnavit iſtam propoſitionem à Jeſuitis Turonenſibus aſſertam: ***Adfuit igitur Judæis gratia ad obſervandam legem ſufficiens, ipſiſque bona ſpiritualia, quod negat Janſenius, promiſſa ſunt; neque Synagoga, etiam quatenùs Synagoga, fuit cœtus hominum duntaxat carnalium; neque ſtatus veteris legis, quatenùs talis, ſcilicet quatenùs lex vetus eſt, fuit ſtatus peccati: quod tamen utrumque aſſerit Janſenius:*** damnavit, inquam, tanquàm ***falſam, erroneam & manifeſtè contrariam iis quæ ſcriptura & traditio docent circa diſcrimen duorum fœderum, & novi præ antiquo prærogativas.*** Hoc autem Judicium à Venerabili Ca-

Digitized by Google

Capitulo Turonenſi, Sede vacante, ad ſingulos diœceſis Parochos promulgandum miſſum eſt.

2°. Homines ſub lege ſibi ipſis fuiſſe derelictos.

Docent 2° Scriptura, Patres ac Theologi, Judæos ſub veteri lege ſibimet derelictos vires ad implenda mandata ſufficientes non habuiſſe.

Sic loquitur S. Paulus, Rom. VIII. 3 & 4: *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum.* Opponit hìc Apoſtolus ſtatum Judæorum ſub veteri lege ſtatui Fidelium in nova lege, eoque diſtinguit, quòd lex Judæis data fuerit impotens, infirma, ſpiritu gratiæ deſtituta, in nova autem lege detur gratia interior per Spiritum ſanctum: declarat *impoſſibile* fuiſſe per legem præcepta impleri, propter hominum, in quibus caro ſeu concupiſcentia dominabatur, infirmitatem, quam lex ſanare nullomodò poterat; ideòque miſſum eſſe Filium Dei, ut morte ſua peccatum damnaret ac deſtrueret, ut ſanaret hominum infirmitatem, ut mandata, quæ ſub lege impleri non poterant, per gratiam ſuam impleri faceret.

Ibidem, cap. VII. 5 & 6, ait Apoſtolus: *Cùm eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti. Nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritûs, & non in vetuſtate litteræ.* Duo pariter ſtatus reales hìc deſcribuntur, unus Judæorum ſub lege agentium, alter Fidelium ſub gratia. Illi *in carne* erant, id eſt, concupiſcentiæ ſubditi, & nedum paſſiones ſeu deſideria peccatorum in eis per legem extinguerentur, è contrario magis invaleſcebant & *fructificabant* morti; atque ita lex, quamvis bona, illis evaſit *lex mortis.* At verò Fideles per gratiam *ſoluti à lege mortis, in qua* priùs *detinebantur,* ſerviunt Deo *in novitate ſpiritûs.* Ut ergo ſtet Apoſtoli antitheſis, confitendum eſt Judæos ſub lege conſtitutos non habuiſſe gratiam Spiritûs ſancti, ſed ſolam *litteræ vetuſtatem*, ſuæque concupiſcentiæ dimiſſos nonniſi peccato & morti fructificaſſe.

Iſtam Apoſtolicam doctrinam diſertè confirmant SS. Patres.

S. Ambroſius, lib. de Noë & arca, cap. 13: „ Quid proderat (Judæis), inquit, ut tabulas tenerent, quarum præcepta tenere non „ poſſent? "

Tom. 9, al. tom. 4. pag. 412.

S. Chryſoſtomus, hom. 11 in Epiſt. ad Rom. num. 3, explicans hæc verba capitis VI, *peccatum vobis non dominabitur, non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia*, ſtatum Judæorum ſub lege degentium ſic depingit: „ Corpus noſtrum ante Chriſti adventum peccato captu facile erat..... „ Neque enim aderat ſpiritus qui juvaret, neque baptiſmus qui mortifi- „ care poſſet; ſed velut effrænis equus currebat quidem, ſed ſæpè aber- „ rabat; quandoquidem lex quæ agenda & non agenda eſſent edicebat „ quidem, ſed nihil præter verborum monita certantibus ſuppeditabat.

„ Poſt-

Digitized by Google

„ Poſtquàm autem Chriſtus advenit, certamina deinceps faciliora fue-
„ runt..... Neque enim tantum lex eſt quæ præcipiat, ſed etiam gra-
„ tia, quæ & præterita condonet, & ad futura muniat & confirmet.“
Et hom. 13 in eamdem Epiſtolam, num 6: „ Quod enim in lege non
„ potuiſti, inquit (Apoſtolus), hoc nunc poteris, rectè nempe ince-
„ dere, ſi Spiritûs opem obtineas.“

S. Auguſtinus, lib. 6 *contra Julianum*, cap. 23. num. 73, explicans extremam partem cap. VII Epiſt. ad Romanos: „ His omnibus, inquit,
„ tempus ſignificare intelligitur (Apoſtolus), quo ſub lege vivebat, &
„ nondum adjutus gratiâ concupiſcentiis carnalibus vincebatur.“

Lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 12. num. 24: „ Sub lege enim
„ erant, ait, non ſub gratia; & ideò eis dominabatur peccatum, à quo
„ non ſit homo liber lege, ſed gratiâ...... Non quia lex mala eſt, ſed
„ quia ſub illa ſunt, quos reos facit jubendo, non adjuvando. Gratia
„ quippe adjuvat ut legis ſit quiſque factor, ſine qua gratia ſub lege
„ poſitus tantummodò erit legis auditor.“

Tandem lib. 1 *ad Simplicianum*, quæſt. 1. num. 17: „ Lex, ait,
„ quid aliud quàm ſola littera eſt iis qui eam legere noverunt, & im-
„ plere non poſſunt? Non enim ignoratur ab eis quibus conſcripta ſit;
„ ſed quoniam in tantum nota eſt in quantùm ſcripta legitur, non in
„ quantum dilecta perficitur, nihil eſt talibus aliud niſi littera; quæ
„ littera non eſt adjutrix legentium, ſed teſtis peccantium.“

Hæc Patrum teſtimonia planè adſtruunt Judæos ſub lege ſibimetipſis fuiſſe derelictos, ſolâque acceptâ legis litterâ abſque auxilio Spiritûs ſancti, infirmos remanſiſſe, ac præcepta legis præ infirmitate & concupiſcentiæ dominio implere non potuiſſe.

His adjungemus ſuffragium S. Thomæ, qui omnium Theologorum nobis inſtar erit. Sic ille loquitur, 1. 2. quæſt. 106. art. 3. in corp:
„ Lex nova eſt lex gratiæ; & ideò primò oportuit quòd homo relin-
„ queretur ſibi in ſtatu veteris legis, ut in peccatum cadendo ſuam infir-
„ mitatem cognoſcens, recognoſceret ſe gratiâ indigere.“ Et in Comment. in Epiſt. ad Galatas, cap. 3. lect. 7: „ Quia præſumebat homo
„ de potentia, ideò, inquit, data eſt lex quæ cognitionem peccati fa-
„ ceret, quæ tamen auxilium gratiæ non dabat ad vitandum peccata,
„ ut ſic homo ſub lege conſtitutus & vires ſuas experiretur, & ſeip-
„ ſum recognoſceret, inveniens ſe ſine gratia peccatum vitare non
„ poſſe, & ſic avidiùs quæreret gratiam.“ Quomodò, quæſo, homo ſibi relictus fuiſſe dici poteſt, ſi, quoties præceptum aliquod implendum ſeſe offerebat, gratiam ad illud implendum ſufficientem ſemper habuit? Quomodò infirmitatem ſuam experiri & recognoſcere potuit, ſi per hujuſmodi gratiæ adjutorium ſemper ſatis virium habuit ad benè agendum? Quomodò agnovit ſe ſine gratia peccatum vitare non poſſe, ſi gratia ad vitandum peccatum neceſſaria nunquam illi defuit?

Do-

Digitized by Google

3°. Legem Moſaicam fuiſſe *miniſtrationem mortis &c.*

Docent 3° Scriptura & SS. Patres legem Moſaicam, ſeu vetus teſtamentum, fuiſſe *miniſtrationem mortis*, *miniſterium damnationis*, 2 Corinth. III; *litteram occidere*, ibidem; *iram operari*, Rom. IX. 15; *virtutem peccati* fuiſſe, 1 Corinth. XV. 56; *in lege neminem juſtificari apud Deum*, Galat. III. 11; *non* fuiſſe ſub lege *juſtum quemquam*, *non* fuiſſe *qui faceret bonum*, ne *unum* quidem, Rom. III; *peccatum per* legis *mandatum*, id eſt, ſumptâ ex ipſo mandato occaſione, *operatum eſſe omnem concupiſcentiam*, *ſeduxiſſe*, *occidiſſe*, *ſupramodùm peccaſſe*, & *per bonum operatum eſſe mortem* &c, Rom. VII. Superfluum foret hîc proferre SS. Patres, qui eiſdem loquendi modis utuntur, maximè cùm plures hujuſmodi ſupra protulerimus. Supra, Art. 2.

Ex his omnibus ſcripturæ ſacræ oraculis exurgit invictum noſtræ propoſitionis argumentum. Manifeſtum quippe eſt legem, quæ gratiam ſibi adjunctam ſemper habuerit, nullomodò dici poſſe *miniſtrationem mortis*, *virtutem peccati*, atque alia hujuſmodi.

Reſpondent adverſarii illa ſcripturæ loca intelligi debere de lege conſiderata quatenus à gratia ſejungeretur, ſenſumque eſſe legem, ſi gratia deſtituta ſit, occidere, non autem talem reipſâ datam à Deo fuiſſe Judæis legem. Sed contra ejuſmodi interpretationem apertè reclamant ipſimet textus ſacri. Non enim hypotheticè loquitur Apoſtolus, ſed abſolutè declarat qualis Judæorum ſub lege conſtitutorum conditio fuerit, nec deſcribit ſtatum quemdam idealem & chimericum, qui nunquam exstiterit, ſed ſtatum realem ac poſitivum, qui mortis & damnationis occaſio fuit, antequàm Chriſtus gratiam & veritatem revelaverit.

Et certè ſi gratiæ adjutorium legi veteri adjunctum ſemper fuit, vera juſtitia rectaque mandatorum obſervatio ſub lege viguiſſe potuerunt, ut fateri coguntur adverſarii. Cur ergo ſcripturarum veraciſſima auctoritas abſolutè declarat *in lege* non fuiſſe *juſtum quemquam*, *non* fuiſſe *qui faceret bonum*, *in lege neminem juſtificari apud Deum*, datam non fuiſſe *legem quæ poſſet vivificare?* Advertendum eſt inſuper has voces, *per legem*, *ex lege*, *in lege*, *ſub lege*, promiſcuè ſumi in Scripturis & apud SS. Patres, eumdemque ſenſum habere. Cùm igitur fide certum ſit neminem *ex lege* aut *per legem* juſtum eſſe, bonumque operari poſſe, pro certo quoque tenendum eſt neminem *in lege* aut *ſub lege* mandata, ut oportet, obſervaſſe; cùm tamen contrarium prorſus dici deberet, ſi *in lege* aut *ſub lege* gratia ad rectè agendum neceſſaria nunquam defuit.

Demùm, etſi adverſariis concederemus textibus Apoſtoli nihil aliud ſignificari, niſi legem, ſi gratiâ deſtituatur, occidere, iram operari, peccati virtutem eſſe, nihil inde obtinerent, immò cauſâ ſuâ penitus caderent. Ideò quippe auxilium gratiæ omnibus ſub veteri lege præſtò ſemper fuiſſe aſſerunt, quòd exiſtiment alioquin tranſgreſſiones legis juſtè imputari delinquentibus non potuiſſe. Proinde, nedum in ipſorum opinio-

nione dicendum ſit legem, ſi gratia deſtituatur, occidere & miniſterium eſſe damnationis, è contrario dicendum foret legem non occidere, non iram operari, non reos & prævaricatores conſtituere, niſi gratiam ſemper habeat comitem, per quam lex impleri poſſit, quia, juxta illos, homo gratiâ deſtitutus legem transgrediendo non peccat niſi materialiter, nullamque apud Deum pœnam meretur. Hoc autem poſito, falleret nos Apoſtolica veritas, quæ contrarium centies expreſſis verbis aſſerit. Quod cùm ſine ſumma impietate & inſania dici nequeat, concludendum eſt gratiam minime requiri, ut mandatorum transgreſſio juſtè imputetur & à Deo puniatur; falſumque eſſe & erroneum principium illud, quo adverſarii nituntur, ut probent gratiam ſufficientem ad implenda mandata Judæis ſub lege poſitis nunquam defuiſſe.

Docent 4° Scripturæ & SS. Patres veterem inter & novam legem præcipuum diſcrimen in eo poſitum eſſe, quòd illa nonniſi in tabulis lapideis exarata fuerit, hæc autem in ipſo corde ſcribatur, id eſt, quòd illa exterius tantum propoſita fuerit, hæc verò interior ſit, & per inſpirationem dilectionis à Spiritu ſancto cordibus inſcribatur. Scripturæ & Patrum textus proferemus in Articulo ſequenti, ubi de utriusque teſtamenti differentiis ex inſtituto tractabimus. *4°. Legem veterem extrinſecus tantùm in tabulis exaratam fuiſſe, non intrinſecus & in corde.*

Hoc autem diſcrimen in religione certiſſimum ac notiſſimum planè tollit adverſariorum opinio. Si enim tam in veteri quàm in novo testamento præcepta gratiam ſufficientem ſibi adjunctam habeant, quid fiet de illa utriusque teſtamenti differentia toties tamque expreſſè aſſerta? Quænam erit Chriſtianorum ad novum teſtamentum pertinentium ſupra Judæos ſub lege poſitos prærogativa? In quo filii liberæ, filii promiſſionis filiis ancillæ ſecundùm carnem natis præcellent, ſi per gratiam ſufficientem utriſque ex æquo aditus pateat ad juſtitiam? Cur etiam non licebit cum Pelagio dicere *legem ſic mittere ad regnum, quemadmodùm & evangelium;* quod tamen à Palæſtinis Patribus anathemate damnatum eſt, teſte S. Auguſtino, lib. *de Geſtis Pelagii*, cap. 11 & 35? Demum, ſi per gratiam veteri legi adjunctam homines ad juſtitiam & ſalutem pervenire potuerunt, quid opus fuit aliud teſtamentum in Chriſti ſanguine dedicari? Nam, ut ait Apoſtolus, Galat. II. 21: *Si per legem*, vetusque teſtamentum, *juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.*

Huic argumento ac præcedentibus reſpondent adverſarii, non ſequi ex allatis textibus Judæos ſub lege conſtitutos gratiâ Chriſti ad benè agendum neceſſariâ deſtitutos fuiſſe; ſed ſequi tantummodò: 1°. Non virtute ipſius legis, ſed virtute meritorum Chriſti gratiam tunc datam fuiſſe. 2°. Gratiam tunc minùs abundanter datam fuiſſe, nec niſi quantùm oportuit ut Judæi infirmitatem ſuam agnoſcerent, ad Chriſtum confugerent, majusque auxilium implorarent; eoque ſenſu Patres dixiſſe hanc fuiſſe legis utilitatem, ut homines de ſua infirmitate convictos compelleret ad medici opem recurrere: ita, inter alios, ſenſiſſe S. Auguſtinum, *Epiſc. Sueſſion. (Languet), V Epiſt. Paſt. part. 3. ſect. 1. §. 17.*

lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 9. num. 10, cùm dicit: „ Lex ut multùm „ adjuvet, ad hoc adjuvat ut gratia Dei requiratur:“ S. Proſperum, Epigramm. 144, ubi ait: „Lex igitur facit ut poſcatur gratia Chriſti:“ & S. Thomam, 1. 2. quæſt. 106. art. 3. in corp., ubi obſervat gratiam Spiritûs ſancti „ abundanter dari non debuiſſe, antequàm impedimen„ tum peccati ab humano genere tolleretur.“

Verùm nulla harum reſponſionum vim argumentorum noſtrorum infringit. Non prima: nam Scriptura & SS. Patres non dicunt tantummodò, non virtute ipſius veteris legis gratiam Judæis fuiſſe datam, ſed abſolutè dicunt illam non fuiſſe datam, Judæos ſub lege ſibi ipſis fuiſſe derelictos, non potuiſſe legis mandata implere, legem exterius tantùm eis propoſitam fuiſſe, non verò cordibus eorum inſcriptam. 2°. Si in veteri teſtamento gratia Judæis omnibus dabatur virtute meritorum Chriſti, ergo vetus teſtamentum, non ſecùs ac novum, ſanguine Chriſti ſancitum eſt. Atqui id apertè repugnat ſcripturis, quibus docemur ſanguinem Chriſti fuſum fuiſſe ad fœdus novum feriendum. *Hic eſt*, ait ipſe Chriſtus, *ſanguis meus novi & æterni teſtamenti.* Et S. Paulus, Hebr. IX. 15, dicit Chriſtum *novi teſtamenti mediatorem eſſe, ut, morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis:* vetus autem teſtamentum, non Chriſti, ſed carnalium victimarum ſanguine dedicatum eſſe; Moyſen enim, lecto omni mandato legis, & accepto ſanguine vitulorum & hircorum, librum & omnem populum aſperſiſſe, dicendo: *Hic ſanguis teſtamenti quod mandavit ad vos Deus*, ibid v. 18 & ſeq. Docet quoque alibi (Galat. III) promiſſiones ſpiritales Abrahæ factas & per Chriſtum complendas, non in veteri teſtamento, ſed in novo impletas fuiſſe. Igitur omnino falſum eſt virtute meritorum Chriſti gratiam vulgo Judæorum in veteri lege datam fuiſſe.

Secunda reſponſio non minùs infirma eſt. Nam 1° non dicunt SS. Patres gratiam in veteri lege minùs abundanter collatam fuiſſe, ſed abſolutè negant eam fuiſſe collatam. 2°. Si novi teſtamenti ea tantùm eſt prærogativa, quòd in illo abundantior gratia detur quàm in veteri, ergo ea tantum erit novi teſtamenti utilitas, quòd in eo juſtitia & ſalus faciliùs comparentur quàm in veteri. Atqui allati Patrum textus apertè docent juſtitiam & ſalutem per vetus teſtamentum acquiri nequaquam potuiſſe. 3°. In adverſariorum opinione, gratia Judæis data debuit eſſe planè ſufficiens ad ſalutem conſequendam, taliſque ut per illam Judæi habuerint virium æquilibrium, ſaltem mediatum, quo, ſi minùs præcepta difficiliora obſervare, at ſaltem majora adjutoria poſcere & impetrare poſſent. Atqui, juxta eoſdem, gratia, quæ nobis nunc ſub novo teſtamento datur, nihil amplius præſtat quàm æquilibrium illud virium, ſive immediatum, ſive mediatum; ac proinde in ipſorum doctrina eædem hominis ſub utroque fœdere vires, adeòque utriuſque fœderis diſcrimen peni-

Digitized by Google

penitùs evaneſcit. 4°. Ad deſiderandam & implorandam gratiam Chriſti neceſſaria eſt imprimis fides in Chriſtum, & propriæ infirmitatis humilis & ſubmiſſa confeſſio. Atqui Scripturæ & Patrum dictis nihil magis repugnat, quàm in Judæis ſub lege poſitis admittere humilem illam ſuæ infirmitatis agnitionem; cum è contrario proprius ipſorum caracter, teſte Apoſtolo Rom. X. 3, ſemper fuerit, quòd *ignorantes juſtitiam Dei*, id eſt, juſtitiam quæ ex Deo eſt, *& ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non esſent ſubjecti.* Dici igitur nullomodò poteſt Judæis ſub lege poſitis præſtò ſemper fuiſſe adjutorium gratiæ ſufficiens, ad poſtulandam gratiam Chriſti medicinalem.

Non minùs abſurdum eſt, ex eoquòd SS. Patres doceant legem ideò datam fuiſſe, ut hominum ad benè agendum infirmitas & impotentia demonſtraretur, concludere gratiam Judæis ſimul cum lege datam fuiſſe, quâ infirmitatem ſuam reipſâ agnoſcerent. Si enim lex hominis ſuperbientis ac de ſe ſtolidè præſumentis infirmitatem oſtendit, id non præſtitit niſi quatenùs lex exteriùs tantùm poſita præſtare potuit, mandata ſcilicet proponendo, peccatum arguendo, prævaricatores puniendo, non verò humilitatem ſuique diffidentiam interius inſpirando; quemadmodùm ſtatus naturæ ante legem convicerat hominem de defectu ſcientiæ, non ei proponendo aliquam legis doctrinam, ſed ſuis eum erroribus dimittendo. Hic manifeſtè ſenſus eſt SS. Auguſtini & Proſperi in textibus qui nobis objiciuntur.

Quod autem S. Thomas ait, *gratiam abundanter dari non debuisſe*, antequàm Chriſtus morte ſuâ impedimentum peccati tolleret, non ſignificat gratiam ſemper hominibus datam fuiſſe, quamvis minùs abundanter; ſed ſignificat eam multò paucioribus datam fuiſſe ante Chriſtum, quàm poſt Chriſtum in carne natum ac paſſum. Ibi quippe triplicem rationem affert „ quare lex nova dari non debuit à principio mundi. „ Prima eſt, quia lex nova principaliter eſt gratia Spiritûs ſancti, quæ „ abundanter dari non debuit antequàm impedimentum peccati ab hu„ mano genere tolleretur, conſummatâ redemptione per Chriſtum. Un„ de dicitur Joann. VII: *Nondum erat Spiritûs datus, quia Jeſus non„ dum erat glorificatus.*" Hæc autem ratio manifeſtè ſupponit gratiam non omnibus datam fuiſſe tempore veteris legis: ſiquidem Angelicus Doctor expreſſè definit *legem novam esſe principaliter* ipſammet *gratiam Spiritûs ſancti*, eamque gratiam vulgò datam non fuiſſe antequàm Chriſtus eſſet glorificatus. Idem clariùs adhuc luceſcit ex tertia ratione, quam ſic exponit: „ Tertia ratio ſumitur ex hoc quòd lex nova eſt lex gra„ tiæ: & ideò primò oportuit quòd homo relinqueretur ſibi in ſtatu „ veteris legis, ut in peccatum cadendo ſuam infirmitatem cognoſcens „ recognoſceret ſe gratiâ indigere." Apertiùs adhuc hoc liquet ex primâ objectione & ejusdem ſolutione. En objectio: „ Non eſt perſo„ narum acceptio apud Deum; ſed omnes homines peccaverunt & egent

„ gra-

„ gratia Dei. Ergo à principio mundi lex Evangelii dari debuit, ut „ omnibus per eam ſubveniretur.“ Non reſpondet S. Doctor, etiam ante adventum Chriſti, omnibus ſubventum eſſe per gratiam, quamvis minùs abundanter quàm poſt ipſius adventum; ſed è contrario dicit „ quòd humanum genus propter peccatum primi parentis meruit pri- „ vari auxilio gratiæ; & ideò quibuscunque non datur, hoc eſt ex jus- „ titia, quibuscunque autem datur, hoc eſt ex gratia, ut Auguſtinus „ dicit in lib. *de Perfectione juſtitiæ*. Unde non eſt perſonarum accep- „ tio apud Deum, ex hoc quod non omnibus à principio mundi legem „ gratiæ propoſuit, quæ erat debito ordine proponenda.“ Conſtat igitur gratiam, juxta S. Thomam, proprium eſſe novi teſtamenti donum, nec datam eam fuiſſe vulgo Judæorum, ſed eis duntaxat qui, antequam Chriſtus in carne naſceretur, ad novum teſtamentum gratuito Dei munere pertinuerunt.

5°. Judæos ſub lege ſincera in Chriſtum fide caruiſſe.

5°. In ſcripturis & traditione capitale dogma eſt, neminem juſtitiam & ſalutem conſequi unquam potuiſſe absque fide in Chriſtum mediatorem, ut in capite præcedenti abundè probavimus. Proinde quibus defuit fides in Chriſtum mediatorem, ii gratia quoque ad benè agendum juſtitiamque impetrandam neceſſaria deſtituti ſunt. Atqui ex ſcripturis & traditione pariter conſtat, vulgus Judæorum ſub veteri lege poſitorum non habuiſſe veram fidem in Chriſtum mediatorem, ut pote nondum propalatam, ſed per novum teſtamentum revelandam. *Priusquàm veniret fides*, inquit Apoſtolus, Galat. III. 23, *ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo.* Paulò ante dixerat (v. 11): *Quoniam autem in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt quia juſtus ex fide vivit. Lex autem non eſt ex fide, ſed, qui fecerit ea vivet in illis.*

Hìc perſpicuè cernimus fidem, quæ Chriſto mediatori innititur, à ſtatu veteris legis omnino abſuiſſe; ante adventum Chriſti ac prædicationem Evangelii tempus nondum fuiſſe fidem palam revelandi; *legem* & *fidem* ſibi mutuò opponi tanquàm duo valdè diverſa; ideò Judæos *ſub lege juſtificatos* non fuiſſe, *quia juſtus ex fide vivit*, quâ illi carebant; *legem non eſſe ex fide*, nec in illa confidere, *ſed* præcipere duntaxat quid agendum ſit, ac dicere: *Qui fecerit ea, vivet in illis.* Cùm ergo vulgo Judæorum defuerit fides in Mediatorem, defuit quoque gratia, ſine qua nihil ſufficit ad juſtitiam aſſequendam.

Hunc Apoſtoli textum exponens S. Auguſtinus, lib. 19 contra Fauſtum Manichæum, cap. 7, ita loquitur: „ Antequàm ſpiritualem gra- „ tiam humiliati reciperemus, nihil niſi mortificabat nos littera, jubens „ quod non poſſumus implere...... Rurſùs ejusdem Apoſtoli verba ſunt: „ *Si enim data esſet lex quæ posſet vivificare, verè ex lege esſet juſtitia;* „ *ſed concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Chriſti da-* „ *retur*

Digitized by Google

„ *retur credentibus.....* Quia lex enim ſuperbos etiam prævaricationis „ reatu devinxit, augendo peccatum, eùm jubet quod implere non poſ- „ ſunt, ipſius legis impletur juſtitia per gratiam Spiritûs, in eis qui diſ- „ cunt à Chriſto mites eſſe atque humiles corde.“

Eamdem doctrinam dilucidiùs adhuc declarat in *Expoſitione Epiſtolæ ad Galatas*, num. 24. „ Sanati ſunt, inquit, ab impietate ſuper- „ biæ, ut reconciliarentur Deo, quicunque homines humilitatem Chriſ- „ ti, & per revelationem antequàm fieret, & per Evangelium poſteà „ quàm facta eſt, credendo dilexerunt, diligendo imitati ſunt. Sed hæc „ juſtitia fidei, quia non pro merito data eſt hominibus, ſed pro mi- „ ſericordia & gratia Dei, non erat popularis antequàm Deus homo in- „ ter homines naſceretur. *Semen* autem *cui promiſſum* eſt populum „ (Chriſtianum) ſignificat, non illos pauciſſimos, qui revelationibus „ eam futuram cernentes, quamvis per eamdem ſalvi fierent, populum „ tamen (Judaicum, apud quem verſabantur) ſalvum facere non po- „ terant.“ Et paulò poſt de iiſdem loquens, quibus fides in Chriſtum venturum donata fuerat; „ dicit illos fuiſſe pauciſſimos, qui ex fide „ Domini, fide propheticâ, ante ambos adventus ejus ſalutem gratiæ „ perceperunt.“ Quid diſertius deſiderari poteſt?

S. Bernardus, Serm. 2 in Cantica, num. 4, pariter docet fidem in Chriſtum, priusquàm in carne naſceretur, fuiſſe pauciſſimorum. „ Nam- „ que, ait, tempore illo rara fides in terris, & tenuis admodùm ſpes „ in pluribus quoque illorum qui expectabant redemptionem Iſraël.“

Objiciet forſitan aliquis Judæos credidiſſe omnibus quæ per Moyſen & per Prophetas fuerant revelata, immò Meſſiam venturum expectaſſe, ac proinde fide non caruiſſe: ſed fruſtra id objiceretur. Nam pleríque Judæi, quæcunque in lege & Prophetis ſcripta ſunt, nonniſi carnaliter intelligebant, Meſſiamque expectabant, non qui mandatorum obſervationem juſtitiamque donaret, ſed qui gentem ſuam divitiis, victoriis, omnibusque aliis bonis temporalibus cumularet: atque adeò fide illâ penitùs carebant, quam commendat Apoſtolus, Galat. V. 5, eùm dicit: *Nos autem ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectamus.* Fides in Chriſtum non eſt qualiscunque expectatio Meſſiæ, ſed pia voluntatis affectio, quâ homo, infirmitatem indignitatemque ſuam agnoſcens, humiliter poſtulat à Deo per merita Chriſti, ut ſibi ad juſtè vivendum, ad implenda mandata, ad peccatorum ſuorum veniam impetrandam ſubveniatur. Longè aliter affecti fuerunt Judæi ſub lege conſtituti, confidebantque ſe ſibi per liberum ſuum arbitrium ſufficere ad implenda quæcunque mandata. Hinc, quando illis decalogi præcepta Dei juſſu à Moyſe propoſita ſunt, nequaquam popoſcerunt vires ſibi ad ea obſervanda ſubminiſtrari, ſed *omnis populus* propriis ſuis viribus innitens *reſpondit unâ voce: Omnia verba Domini, quæ locutus eſt, faciemus, & erimus obedientes.* Exod. XXIV. 3 & 7. Hinc etiam Apoſtolus, Rom. IX. 31, de Judæis loquens, dicit

Digitized by Google

dicit *Iſraël, ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenisſe. Quare* autem, inquit? *Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus;* id eſt, quia fide deſtituti juſtitiam, non à Deo poſtulatam ac donatam, ſed à ſeipſis partam habere voluerunt. Idem denuò repetit ibidem, X. 2: *Ignorantes*, inquit, *juſtitiam Dei*, id eſt, juſtitiam quam Deus in nobis per fidem operatur, *& ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti:* id eſt, non ſeſe Deo per fidem ſubmittunt, ut eos juſtitiæ participes faciat. Illam porro Judaicam præſumptionem lex per ſe non reprimebat, imò ſilentio ſuo quodammodò fovebat, cum præciperet tantum quid agendum, quidve cavendum eſſet, præmiaque factoribus legis promitteret, ſed non indicaret cujus munere lex implenda foret. Is manifeſtè ſenſus eſt horum Apoſtoli verborum, Galat. III. 12: *Lex non eſt ex fide, ſed, qui fecerit ea vivet in illis.* Quaſi diceret: Lex quidem mandata obſervantibus vitam æternam pollicetur, ſed non admonet, ad obſervanda mandata, confugiendum eſſe ad gratiam Dei per fidem Jeſu Chriſti. „ Non igitur mirandum eſt, ait S. Auguſtinus, lib. *de Continentia*, cap. 3. num. 7, „ quòd humana infirmitas etiam de lege „ bona vires malo addidit, dum ad ipſam legem faciendam de ſuis vi- „ ribus fidit. Ignorans quippe juſtitiam Dei, quam dat infirmo, & „ ſuam volens conſtituere, quâ caret infirmus, juſtitiæ Dei non eſt „ ſubjectus reprobus & ſuperbus." Et Epiſt. 82, al. 19, ad S. Hieronymum, cap. 2. num. 20: „ Hos, inquit, damnabiliter dicit Apoſ- „ tolus eſſe ſub lege, quos reos facit lex, non implentes legem, dum „ non intelligendo gratiæ beneficium, ad facienda Dei præcepta, quaſi „ de ſuis viribus ſuperbâ elatione præſumunt." Et lib. 2 *contra Adverſarium legis & Prophetarum*, cap. 11. num. 36: „ Mandata ſancta, „ & juſta, & bona, ſuperbis tamen, non de ipſius gratia, ſed de ſuâ vir- „ tute fidentibus, non quibus viverent, ſed quibus morerentur, ut con- „ vincerentur, dedit (Deus)." Demum in lib. *de Catechizandis rudibus*, cap. 22. num. 39, dicit pauciſſimis ante Chriſti adventum datum fuiſſe, ut gratiæ ipſius neceſſitatem agnoſcerent & confiterentur. „ Ex Chriſti „ adventu, inquit, ſexta ætas agitur, ut jam ſpirituali gratiâ, quæ „ pauciſſimis tunc Patriarchis & Prophetis nota erat, manifeſtaretur „ omnibus gentibus." Igitur quamvis, generatim loquendo, Judæi fidem quamdam habuerint iis quæ in lege & Prophetis continebantur, caruerunt tamen eâ fide quâ ſolâ homines juſtificari dicit Apoſtolus, & Meſſiam propriè non expectabant ut juſtitiæ auctorem & conſummatorem, ſed tantummodò ut regem præpotentem ac triumphatorem, per quem cæteris omnibus gentibus dominaturi eſſent.

Quamobrem ex mox dictis ſic concludo: Fides in Chriſtum, ſaltem inchoata, eſt prima gratia Chriſti, ut libro IV probabitur. Atqui vulgus Judæorum non habuit fidem in Chriſtum, nequidem inchoatam, ſed in ſuis viribus & in lege duntaxat ſemper fiduciam habuit. Ergo vul-

Digitized by Google

vulgus Judæorum non habuit gratiam ſufficientem ad implenda mandata. Aliud etiam argumentum inde exurgit priori ſimile, nec minus validum. Conſtat quippe apud ſanctos gratiæ defenſores „ primam divini mune-„ ris gratiam hanc eſſe, ut erudiat nos ad noſtræ infirmitatis confeſſio-„ nem, & cognoſcere faciat quòd, ſi quid boni agimus, per illum poſ-„ ſumus, ſine quo nihil poſſumus," ut loquitur poſt S. Auguſtinum S. Proſper, Sentent. 105. Atqui Judæis hujuſmodi eruditio omnino defuit. Quomodò ergo gratiam ad rectè vivendum neceſſariam ac ſufficientem habuiſſe dici poſſunt?

Docent 6° Scriptura & SS. Patres gratiam Chriſti, ſine qua nihil benè fit, eſſe inſpirationem caritatis ſeu ſanctæ dilectionis, ut fusè probabimus Libro ſequente. Atqui Judæi ſub lege veteri conſtituti caritatem non habuerunt, etiam inchoatam, ſed tantum *ſpiritum ſervitutis in timore;* ideòque vetus teſtamentum dicitur *in ſervitutem generaſſe*, ut expreſſe docent S. Paulus, Rom. VIII & Galat. IV, & SS. Patres, quorum textus recitabimus in ſubſequenti Articulo. Nonnullos tantum hic proferemus, in quibus SS. Patres inde concludunt gratiam ſub lege datam non fuiſſe, quòd tunc caritas defuerit, quæ gratiæ Chriſti proprium donum eſt. 6°. A lege veteri caritatem abſuiſſe, quæ propriè gratia Chriſti eſt.

S. Auguſtinus, Epiſt. 140, al. 120, ad Honoratum, cap. 4. num. 11: „ Legis ſacramenta, inquit, percepit (Chriſtus), *ut eos qui ſub lege* „ *erant redimeret*, id eſt, quos lex reos tenebat, occidente litterà, dum „ præceptum non impleretur, antequàm vivificaret Spiritus: quia cari-„ tas Dei, quæ præceptum implet, diffunditur in cordibus noſtris per „ Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis." Et Serm. 32, cap. 8: „ Non „ erat in illis (Judæis) caritas, quæ eſt per gratiam, ſed timor erat. „ Præcepta Domini pœnalia erant illi populo, quia impleri non pote-„ rant amore. Conabantur, ſed cupiditate ſuperabantur. Cùm ergo „ quiſque ad gratiam tranſitum fecerit, non alia præcepta implet: ſed „ ipſa, quæ hac (cupiditate) impleri non poterant, hac (caritate) im-„ plentur. Non eſt tamen vis præceptorum, ſed vis gratiæ Dei..... „ Qui tranſit ad Chriſtum, tranſit à timore ad amorem, & incipit amo-„ re jam poſſe quod timore non poterat; & qui trepidabat in timore, „ non trepidat in amore." Et lib. 1 *ad Simplicianum*, quæſt. 1. num. 17: „ Idem præceptum timentibus lex eſt, amantibus gratia eſt. Eadem quippe lex, quæ per Moyſen data eſt ut formidaretur, gratia „ & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt, ut impleretur...... Quoniam „ lex littera eſt eis qui eam non implent per ſpiritum caritatis, quò „ pertinet teſtamentum novum...... Lex enim tantummodò lecta, & „ non intellecta, vel non impleta, utique occidit, tunc enim appellatur „ littera; ſpiritus autem vivificat, quia plenitudo legis eſt caritas." Al. Serm. 30 de Diverſis.

Primaſius, Comment. in Epiſt. ad Rom. cap. 8, exponens hæc verba: *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem* &c: „ Ideò, Tom. 10 Bibl. PP. pag. 159.

„ in-

„ inquit, non implebitur lex, quia ipſius juſtitiæ nondum erat caritas,
„ quæ interiore delectatione teneret mentem, ne ad peccatum delecta-
„ tione rerum temporalium traheretur. Ergo lex infirmabatur per car-
Pag. 151. „ nem." Superius dixerat: „ Hoc efficit fides quod lex jubet: quæ
„ fides ſi non ſit, jubet tantum lex, & non implentes juſſa reos tenet,
„ quæ non impletur niſi per caritatem, quam Spiritus ſanctus infundit
„ per gratiam ſuam.

S. Thomas, 1. 2. quæſt. 107. art. 1. ad 2um: Lex vetus, inquit, etſi „ præcepta caritatis daret, non tamen per eam dabatur Spiritus ſanc- „ tus, per quem diffunditur caritas in cordibus noſtris." Et Comment. in Epiſt. ad Rom. cap. 6, ad hæc verba: *Peccatum vobis non dominabitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia*, ſic loquitur: „ Dicitur „ aliquis eſſe ſub lege, quaſi à lege coactus: & ſic dicitur eſſe ſub lege, „ qui non voluntarie ex amore, ſed timore cogitur legem obſervare. „ Talis enim caret gratiâ; quæ, ſi adeſſet, inclinaret voluntatem ad „ obſervationem legis, ut ex amore moralia ejus præcepta impleret."

Hoc argumento, ut & præcedenti, probatur, non tantum gratiam benè agendi, ſed etiam gratiam orandi Judæis ſub lege veteri datam non fuiſſe. Non enim ſine aliqua fide & caritate orari poteſt ſicut oportet. *Quomodò enim invocabunt in quem non crediderunt*, ait Apoſtolus, Rom. X? S. quoque Auguſtinus ſæpiſſimè docet *fidem orando impetrare quod lex jubet.* Non etiam oratur per ſpiritum ſervitutis in timore, ſed per *ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater;* Rom. VIII. Unde S. Auguſtinus dicit: *Amore petitur, amore quæritur, amore pulſatur.* Cum igitur Judæi ſub lege poſiti nullum veræ fidei, nullum caſtæ dilectionis initium habuerint, optimè concluditur eos gratiam ad rectè orandum neceſſariam non habuiſſe.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt cum Pelagianis Moyſen, Joſue, Davidem, Prophetas, plurimoſque alios juſtos ſub veteri teſtamento ſanctiſſimè vixiſſe, Deoque fuiſſe acceptos, ac proinde gratiam ad benè agendum neceſſariam non defuiſſe ſub veteri teſtamento.

Reſpondeo omnes illos juſtos, non per gratiam veteri teſtamento annexam placuiſſe Deo, ſed per gratiam novi teſtamenti, cujus erant participes. Quamvis enim vixerint tempore veteris legis, quamvis eam temporaliter diſpenſaverint, ejuſque ritus cum carnali populo celebraverint, tamen per fidem, ſpem & caritatem Chriſto adunati ad novum teſtamentum pertinebant, ut centies docent S. Auguſtinus cæterique omnes Patres, quorum teſtimonia retulimus ſupra. Unde S. Thomas, 1. 2. quæſt. 106. art. 1. ad 3um: „ Nullus, ait, unquam habuit gra- „ tiam Spiritûs ſancti, niſi per fidem Chriſti explicitam vel implicitam.

„ Per

Digitized by Google

„ Per fidem autem Chriſti pertinet homo ad novum teſtamentum. Unde quibuscunque fuit lex gratiæ indita, ſecundùm hoc ad novum teſtamentum pertinebant.“ Et quæſt. 107. art. 1. ad 2um: „ Fuerunt aliqui in ſtatu veteris teſtamenti habentes caritatem & gratiam Spiritûs ſancti, qui principaliter expectabant promiſſiones ſpirituales & æternas, & ſecundùm hoc pertinebant ad legem novam.“

Objiciunt 2° nonnulla ſcripturæ ſacræ loca, ex quibus concludunt gratiam nunquàm defuiſſe Judæis ſub lege poſitis. 1°. Deuter. VIII. 18, ſic loquitur Moyſes: *Recorderis Domini Dei tui, quòd ipſe tibi vires præbuerit, ut impleret pactum ſuum.* Quænam ſunt illæ vires, inquiunt, niſi gratia interior & adjuvans? 2°. Reverâ ſæpiſſimè Judæi Dominum ſibi elegerunt in Deum. Deuter. XXVI. 17, ait Moyſes: *Dominum elegiſti hodie, ut ſit tibi Deus, & ambules in viis ejus, ... & Dominus elegit te hodie ut ſis ei populus peculiaris.* Sub Judicibus & Regibus ſæpè ab hoſtibus ſuis oppreſſi ad Deum confugerunt, peccata ſua confeſſi ſunt, veniam inſtanter & cum lacrymis poſtulatam impetraverunt: Macchab. lib. I. cap. XII. 9, Judæi profitentur habere ſe pro ſolatio ſanctos libros: tempore Esdræ ſummo cum ſtudio ſacrorum librorum lectionem auſcultarunt: tempore Judith Deum precati ſunt cum omni humilitate & contritione cordis, & poſteà ex toto corde glorificaverunt. Num autem, aiunt, hæc omnia absque auxilio gratiæ fieri potuerunt? 3°. Hujusmodi converſionibus implebatur quod Moyſes prædixerat, Deuteron. XXX, his verbis: *Cùm, ductus pœnitudine cordis tui in univerſis gentibus, in quibus diſperſerit te Dominus Deus tuus, reverſus fueris ad eum, & obedieris ejus imperiis, ſicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo & in tota anima tua, reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miſerebitur tui &c.* 4°. 2 Macchab. VI. 14, auctor ſacer aſſerit Deum nunquam Judæos dereliquiſſe; ſic enim loquitur: *Non enim, ſicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat, ut eas, cùm judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat, ità & in nobis ſtatuit, ut, peccatis noſtris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet. Propter quod nunquam quidem à nobis miſericordiam ſuam amovet; corripiens verò in adverſis populum ſuum non derelinquit.* 5°. S. Stephanus, Act. VII. 51, manifeſtè ſupponit gratiam Spiritûs ſancti nunquam Judæis defuiſſe; ſiquidem principes populi alloquens: *Vos*, inquit, *ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis: ſicut patres veſtri, ita & vos.*

Epiſc. Sueſſ. [Languet] V Epiſt. Paſt. part. 3. ſect. 1. §. 13.

Respondeo illis omnibus ſcripturæ textibus nihil contra nos probari.

Nam 1° vires, quas Deus populo Iſraelitico præbuiſſe memoratur, non ſunt internæ vires voluntatis ad faciendum bonum, alioquin dicendum foret Judæos nunquam fuiſſe infirmos & impotentes ad bonum, quod tamen ſcriptura & SS. Patres conſtanter docent; ſed robur & protectio neceſſaria ad poſſidendam terram patribus eorum repromiſſam, gentesque Chananæorum debellandas. Hunc ſenſum perſpicuè indicat

 tota

tota ſacri textûs ſeries. Moyſes quippe, enumeratis beneficiis exterioribus, quæ Deus Iſraelitis per quadraginta annos in deſerto præſtiterat, promittit Deum eos introducturum eſſe in terram optimam, ubi rerum omnium abundantiâ fruituri eſſent, additque, v. 12 & ſequentibus: *Ne, poſtquàm comederis & ſatiatus fueris, domos pulchras ædificaveris & habitaveris in eis, habuerisque armenta boum & ovium greges, argenti & auri, cunctarumque rerum copiam, elevetur cor tuum, & non reminiſcaris Domini Dei tui, qui te eduxit de terra Ægypti* &c. *Ne diceres in corde tuo: fortitudo mea & robur manûs meæ hæc mihi omnia præſtiterunt; ſed recorderis Domini Dei tui, quòd ipſe vires tibi præbuerit, ut impleret pactum ſuum ſuper quo juravit patribus tuis.* Quid ex hujuſmodi textu concludi poteſt, ad aſſerendam gratiam ſufficientem Judæis omnibus ſub lege veteri datam?

2°. Ut converſionum Judaicarum, quæ in veteri teſtamento memorantur, vera æſtimatio fiat, conſiderandum eſt quænam Judæorum & cultûs Judaici conditio fuerit. Judæis attributa fuerat unius veri Dei cognitio, præſcriptique fuerant ritus quibus eum colere deberent. Quod profectò beneficii genus nulli alii terrarum populo præſtitum fuerat. Hinc, cæteris omnibus gentibus ſacra idolis falſiſque numinibus facientibus, Iſraelitæ uni vero ac ſummo Deo ſacrificabant, ſed, adhuc carnales, non ideò illum adorabant, ut juſtitiam internam bonaque ſpiritualia ab ipſo obtinerent, ſed ut bonis temporalibus, quæ unicè appetebant, pacificè fruerentur; atque adeò non recto corde, nec propter ipſum Deum Deo ſerviebant. Inde frequenter eveniebat ut, deſerto Dei cultu, ad Gentilium prophanos ritus converterentur, falſaque vicinorum populorum numina ſacrilegis cæremoniis aliiſque infandis criminibus venerarentur. Tunc verò variis calamitatibus à Deo immiſſis caſtigabantur, ut qui ſpiritualia diligere nondum noverant, flagellorum ſaltem experimento agnoſcerent temporalem quoque felicitatem in ſolius Dei poteſtate eſſe. Reverâ, cùm tribulationibus attriti erant, idola ſtatim projiciebant, confitenteſque non alium eſſe bonorum omnium largitorem, quàm Deum, qui in manu forti eduxerat eos de ergaſtulo Ægyptiorum, ad ipſum revertebantur, veniam ab ipſo ſuppliciter expoſcebant, atque à malis, ſub quibus gemebant, liberationem impetrabant. Quòd autem hujuſmodi converſiones non ex amore juſtitiæ, ſed ex ſolo flagellorum divinorum ſenſu, & ex terrenæ felicitatis cupiditate procederent, conſtat 1°, quia alioquin dicendum foret Judæos omnes in illis temporum articulis verè juſtos fuiſſe, nullumque ipſos inter & ſincerè Chriſtianos diſcrimen interceſſiſſe: quod, opinor, nemo ſanæ mentis dicere audebit. 2°. Quia, teſte Apoſtolo, *omnia* Iſraelitis *in figura contingebant*, ac proinde ipſorum ad Deum converſiones, non veræ, ſed verarum umbra tantùm ac typus fuerunt. 3°. Quia externæ illæ converſiones paulò poſt evaneſcebant. Nam, ſtatim atque flagella ceſſabant,

Digitized by Google

bant, ad priſtina revertebantur, ut videre eſt in libro Judicum. Porro veræ converſiones, quas non parit niſi amor Dei in corde dominans, vulgò ſtabiles ſunt, nec adeò frequentibus relapſibus obnoxiæ. 4°. Demum, quid de illis converſionibus ſentiendum ſit, apertè declarat Propheta regius, Pſalmo 77, ſic loquens: *Cùm occideret eos, quærebant eum & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum; & rememorati ſunt quia Deus adjutor eſt eorum, & Deus excelſus redemptor eorum eſt; & dilexerunt eum in ore ſuo, & linguâ ſuâ mentiti ſunt ei; cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento ejus.* Quamobrem S. Auguſtinus ſæpiſſimè dicit Judæos non niſi propter bona temporalia ad Deum confugiſſe, atque adeò non ipſum Deum, ſed bona illa quæſiviſſe. Nihil tamen obſtat quin nonnulli ex Judæis per gratiam peculiarem, quæ novi teſtamenti proprium donum eſt, ex caritate ſincera ad Deum converſi fuerint.

Saltem, inquies, illis converſionibus, quibus Deus placabatur & propitius fiebat, aliquid inerat boni, quod nonniſi gratiæ Dei deputandum eſt.

Reſpondeo reverà in illis Judæorum precationibus & lacrymis aliquid boni fuiſſe. Quis enim neget bonum eſſe idola abjicere, divinam ultionem ſentire ac pertimeſcere, flagella impendentia precando avertere, bona ipſa terrena ab uno vero Deo potiùsquàm à falſis numinibus expectare? Hæc enim omnia fuiſſe Dei munera quis ambigat? Sed quia deerat juſtitiæ dilectio, quæ ſola bonum benè facit, illa munera dona erant exhæredatorum, non gratia Chriſti propriè dicta, de qua hîc agimus.

3°. Inde etiam patet reſponſio ad tertium: vel potius dicendum eſt Moyſen quidem allatis verbis monuiſſe Iſraelitas, ut in rerum anguſtiis ad Deum in toto corde ſuo & ex amore juſtitiæ reverterentur; illos verò huic monito ex parte tantùm obtemperaſſe, quatenus tum cultui idolorum renuntiabant, & ex parte non obtemperaſſe, quatenùs ſcilicet non amore juſtitiæ, ut Deus præcipiebat, ſed ex timore & ex cupiditate carnali Deum requirebant.

4°. Quod objicitur ex lib. 2 Macchabæorum probat quidem ſpecialem Dei providentiam erga Judæos nunquam deſtitiſſe, atque adeò ex flagellis, quibus interdum afflicti ſunt, inferri nequaquam poſſe Religionem quam profitebantur Deo exoſam fuiſſe. Quibus verò machinis inde erui poſſet omnibus Judæis præſtò ſemper fuiſſe gratiam ſufficientem ad implenda mandata, prorſus non video. Addi poteſt Deum Judæos nunquam ſic deſeruiſſe, quin, dum gentem univerſam inter proſpera & adverſa peculiari curâ gubernabat, aliquos ſemper ex illa gente verâ juſtitiâ & ſanctitate per merita Chriſti donaverit, quales fuerunt, ipſis Macchabæorum temporibus, venerandus ille ſenex Eleazarus, ſeptem fratres qui unà cum matre mortem pro lege fortiter appetiverunt, ipſimet Macchabæi, aliique quos auctor ſacer ibi memorat, aut de quibus ſilet.

5°. Verborum S. Stephani ſenſus non eſt, Judæos ſemper habuiſſe inſpirationes internas Spiritûs ſancti, eisque reſtitiſſe; ſed ſenſus eſt illos ſemper reſtitiſſe ſignis, portentis, Prophetarum oraculis, aliisque exterioribus operationibus divinis, quæ in ſcripturis Spiritui ſancto peculiariter attribuuntur, & metonymicè Spiritus ſanctus appellantur. Quamobrem ſtatim addit S. Protomartyr: *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Juſti, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis: qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis.* In his quippe omnibus nonniſi externæ Spiritûs ſancti operationes deprehenduntur.

Objiciunt 3°. Deus Judæos ſub typo vineæ à ſe plantatæ & excultæ objurgat apud Iſaiam, cap. V. 3 & 4. *Nunc ergo, habitatores Jeruſalem & viri Juda, judicate inter me & vineam meam. Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Inde ſic argumentantur: Declarat Deus ſe vineæ ſuæ, id eſt, Judæis præſtitiſſe omnia ad producendos bonos fructus neceſſaria. Atqui gratia interior eſt imprimis neceſſaria ad producendos fructus juſtitiæ. Ergo Judæis nunquam defuit hujusmodi gratia planè ſufficiens. Aliàs, quomodò Deus ſeriò dicere potuiſſet ſe expectaſſe ut facerent juſtitiam, ſi noverat eos caruiſſe mediis ad id omnino requiſitis?

Respondeo ex illo textu ab adverſariis usque ad nauſeam objectato nihil pro ipſis concludi poſſe. Nam 1°, ex eoquòd Deus vineæ ſuæ omnia quæ debuit præſtiterit, minimè ſequitur Deum gratiam interiorem Judæis largitum eſſe, niſi ſupponatur gratiam hominibus eſſe *debitam*; quod manifeſtè erroneum eſt. 2°. Ut ex eodem textu aliquid legitimè concludatur, ſuppponi etiam debet Deum, ſubminiſtratis omnibus gratiæ auxiliis ad ſalutem neceſſariis ac ſufficientibus, expectare conſenſum voluntatis creatæ, non autem conſenſum ipſum interiùs operari. Atqui hæc doctrina à concilio Arauſicano II, univerſa in Eccleſia recepto, dudum damnata eſt, can. 14. „ Si quis, inquiunt Patres, ut à peccato purgemur, Deum voluntatem noſtram expectare contendit, non „ autem, ut etiam purgari velimus, per S. Spiritûs infuſionem & operationem in nobis fieri confitetur, reſiſtit Spiritui ſancto per Salo„ monem dicenti: *præparatur voluntas à Domino*, & Apoſtolo ſalubri„ ter prædicanti: *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere pro bo„ na voluntate.*" Ex hoc canone exurgit iſtud argumentum: Ut peccata vitentur & mandata impleantur, non ſufficit Deum, impertitâ quâdam gratiâ generali, expectare voluntatis creatæ conſenſum; ſed neceſſe eſt ut Deus conſenſum ipſum in voluntate operetur. Atqui in textu allato dicitur Deus expectaſſe voluntatem Judæorum, non verò eam præveniſſe ac determinaſſe. Ergo Judæis data non fuit gratia neceſſaria ad implenda mandata, peccataque vitanda.

Quid

Digitized by Google

Quid ergo ſibi vult, inquies, divina illa increpatio, ſi Deus ſub lege poſitis auxilium gratiæ ſufficiens non dedit ad operandam juſtitiam?

Reſpondeo increpationem illam juſtiſſimam fuiſſe comparatè ad mentem Judæorum. Judæi, ut jam multoties diximus, de ſuis viribus præſumentes ſuperbiaque inflati, arbitrabantur ſe ſibi ad legem obſervandam ſufficere, nec niſi externâ legis promulgatione indigere. Dicebant, ut aiunt S. Auguſtinus & S. Thomas: *Non deeſt qui impleat, ſed deeſt qui jubeat.* Ad comprimendam arrogantem illam elationem, Dei patientia legem ipſis maximo cum apparatu dedit bonam, & juſtam, & ſanctam; ſed gratiam interiorem non dedit, quæ cordis duritiam frangeret, voluntatemque corruptam ſanaret, ut proprio & diuturno experimento cognoſcerent legis notitiam nequaquam ſibi ſufficere, ſed opus ſibi eſſe præpotenti medico, qui inſpiratâ juſtitiæ dilectione cordis illorum affectus mutaret. Externæ legis publicationi adjunxit innumera prodigia, beneficia inſignia, procellarum, fulgurum, tonitruum terrorem, montis fumantis aſpectum terribilem, promiſſa quoque & minas adjecit, populum ſuum in terram bonis omnibus refertam, expugnatis Chananæis, introduxit, peccantes flagellis corripuit, legem exteriùs obſervantes plurimis bonis auxit, aliaque hujusmodi externa ſubſidia abundanter præbuit, quibus ad ſibi obſequendum invitarentur, tanquam dicens: Jam *non deeſt qui jubeat, ſed deeſt qui impleat.* Verùm tot tantiſque externis præſidiis, ultrà quam ſperare potuiſſent, muniti, nihilominùs legem transgreſſi ſunt: *non fuit qui faceret bonum, non fuit usque ad unum*, ut ait, poſt Prophetam regium, Apoſtolus. Meritò itaque Deus illos objurgat, atque *ad hominem*, ut inquiunt, illos corripiens, planè inexcuſabiles eſſe demonſtrat hiſce verbis: *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Quaſi diceret: Solâ legis notitiâ vos indigere contenditis; legem dedi vobis juſtam, & ſanctam, & bonam: multò plus etiam feci quam volebatis; promiſſa minasque adjeci, atque opere ipſo complevi; portentis anteà inauditis potentiam majeſtatemque meam vobis demonſtravi; uno verbo omnia, quibus ad implenda mandata mea invitari poteratis, cumulatiſſimè & ſuprà expectationem veſtram vobis præſtiti. *Quid debui ultrà facere, & non feci?* Auditâ lege, non poſtulaſtis dari vobis cor novum & obediens, ſed de vobis ipſis ſuperbè præſumentes obedientiam voviſtis, atque unâ voce dixiſtis: *Omnia quæcunque locutus eſt Dominus faciemus, & obedientes erimus.* Fruſtra *expectavi* ut ſolemnem illam abſolutamque promiſſionem facto compleretis, *faceretis* que *judicium, & ecce iniquitas; & juſtitiam, & ecce clamor.* Quid reſtat, niſi ut in vos ira mea deſæviat? *Nunc ergo habitatores Jeruſalem & viri Juda, judicate inter me & vineam meam.* Quamobrem ad objectionem reſpondeo diſtinguendo majorem propoſitionem. Declarat Deus ſe Judæis abundè tribuiſſe ea omnia quæ ad prodeendos fructus juſtitiæ ſufficiebant in mente ipſorum Judæorum, id eſt, in genere auxiliorum ex-

Digitized by Google

teriorum, quæ ſibi ſatis ſuperque eſſe arbitrabantur, concedo: quæ reipſâ ſufficiebant, nego. Diſtinguo pariter minorem. Gratia interior eſt abſolutè neceſſaria ad implenda mandata, ſed Judæi longè aliter ſentiebant, concedo: & id Judæi confitebantur, nego minorem.

Inſtant. Quis credat Deum ſummè bonum tam durè egiſſe erga populum ſibi peculiariter dicatum, ut ei gratiæ auxilium non contulerit, ſine quo lex ipſa erat occaſio ſeverioris damnationis? Nonne multò benignius cum Judæis egiſſet, ſi illos, ſicut & cæteros populos, reliquiſſet abſque adjutorio legis ſcriptæ?

Hujuſmodi rationis humanæ querelis nihil aliud opponere debemus, quàm hæc Appſtoli verba, Rom. IX: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Ex ſcripturis & traditione certum eſt divinam providentiam ita cum Judæis ſe geſſiſſe, ut, eos ſibimetipſis ſub lege dimittendo, futuris retro generationibus demonſtraret, nihil ad ſalutem prodeſſe externa quælibet ſubſidia, ſi deſit gratia interior Chriſti Servatoris. Quis verò dicat ei: *Quare feciſti ſic?* Non inanibus humanæ ſuperbiæ conjecturis argumentandum eſt contra ſcripturarum oracula, ſed divinæ auctoritati colla religioſè ſubdenda ſunt. Quid verò mirum eſt infirmam rationem noſtram caligare circa legis veteris œconomiam, in quâ S. Auguſtinus obſervat latere *magnum myſterium* ſubmiſſe adorandum, non curioſe ſcrutandum? Quin potius obtemperemus huic ſaluberrimo ejuſdem S. Doctoris monito, Concione 27 in pſalmum 118, num. 3: „ Noli ſuperbire, noli de tua, quæ nulla eſt, virtute præſumere; & „ intelliges quare ſit à bono Deo bona lex data, quæ tamen vivificare „ non poſſet. Ad hoc enim data eſt, ut te de magno parvulum face„ ret, ut te ad faciendam legem vires de tuo non habere monſtraret; „ ac ſic inops, indigus & egenus ad gratiam confugeres, & clamares: „ *Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum.*"

Judæos quidem à cæteris populis Deus ſecrevit, ſeque illis peculiariter manifeſtavit; ſed non eâ conditione illos elegit, ut in eis promiſſiones ſpirituales Abrahæ factas impleret. Appellabantur quidem populus Dei, ſed imperfectè ac figurativè; tum quia Deum unum & verum agnoſcebant, externoque cultu captui ſuo accommodato colebant; tum quia temporalia bona, quibus inhiabant, ab ipſo ſolo expectanda eſſe ſciebant; tum quia peculiari quodammodò à Deo gubernabantur ac protegebantur; tum quia typum gerebant veri populi Dei ex fide in Chriſtum victuri. Ut enim ait S. Auguſtinus lib. 15 *de Civitate Dei*, cap. 2, „ pars quædam „ terrenæ civitatis imago cœleſtis civitatis effecta, & ideò ſerviens, non „ propter ſeipſam, ſed propter alteram ſignificandam eſt inſtituta:" ac proinde populo illi figurativo & ſerviliter ſervienti dari non debuit, quod filiis tantum liberæ matris repromiſſum fuerat. Eſſet forſitan aliquis conquerendi locus, ſi Judæi gratiam Chriſti deſideraſſent, eamque ſibi dari poſtulaſſent, nec tamen impetraſſent. Cum verò de ſeipſis ſuperbè præſumen-

Digitized by Google

mentes gratiæ interioris neceſſitatem nunquam agnoverint, nequaquam eis negatum eſt quod nullatenus petiverunt; ſed juſto Dei judicio datum non eſt ſuperbis & in ſeipſis confidentibus, quo ſe indigere non arbitrabantur.

Et certè ſi cæteræ gentes à Deo ſibi derelictæ, absque adjutorio legis ſcriptæ, nullam habent juſtam excuſationem, nec juſtam conquerendi cauſam, quantò magis Judæi, quos Deus, cum eos absque ulla injuſtitia in tenebris ignorantiæ relinquere potuiſſet, gratuitâ bonitate per legem edocuit, miraculis erudivit, promiſſis invitavit, beneficiis allexit, minis terruit, flagellis ſæpè corripuit? Siquidem *annuntiavit verbum ſuum Jacob, juſtitias & judicia ſua Iſrael*, nec *fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Psalm. 147. Tot bonis ſibi præſtitis plerique abuſi ſunt, ſed ſuâ propriâ voluntate, non legis vitio, quæ, quantum in ipſa fuit, docendo, monendo, hortando, terrendo, à peccato retrahebat. Numquid enim, quia externa legis promulgatio ſola non ſufficit ad producendam juſtitiam, ideò non magnum per ſe beneficium eſt, aut culpandus eſt Deus docens & terrens, quia ſuperbos, qui ſanos ſe eſſe jactabant, non ſanavit? Imò pötiùs gratiæ agendæ ſunt legiſlatori, quia, cum peccatoribus nihil niſi ſupplicium deberet, legem optimam multaque alia externa præſidia gratuitò donavit. Damnanda verò humani cordis pravitas, quæ ex lege ſancta & optima occaſionem ſumpſit graviùs peccandi. Agnoſcendum quoque eſt ex continuis Judæorum prævaricationibus quid nos quoque faceremus, ſi gratiæ adjutorium non ſubveniat. Occultum quidem, ſed absque ulla dubitatione juſtum eſt judicium Dei, ſolam legis litteram absque gratiæ auxilio ſuperbis dantis. Si enim absque ulla Dei reprehenſione, *qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*, quo jure conqueri de Deo poſſunt, qui, cùm *in lege* peccaverint, *per legem judicabuntur?*

Objiciunt 4°. Magiſter Sententiarum, lib. 3. diſt. 40, dicit „ gratiam non abundaſſe in lege, ut in evangelio." Ergo cenſuit gratiam, etſi minùs abundantem, nemini ſub lege defuiſſe.

Nego conſequentiam. Senſus quippe Magiſtri eſt, gratiam tempore legis minùs abundaſſe extenſivè, id eſt, multò paucioribus datam fuiſſe, quàm poſt promulgationem evangelii. Ita ſeipſum ſtatim exponit, addendo: „ Lex ergo bona eſt, & tamen occidit ſine gratia, cùm ſit virtus peccati, quæ jubet quod ſine gratia impleri non poteſt: gratia autem deerat, & ideò littera occidens erat."

Objiciunt 5°. S. Thomas ſic loquitur, 1. 2. quæſt. 18. art. 2. ad 4um: „ Quamvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandos homines, tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus, ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant, ſcilicet fides Mediatoris, per quam juſtificati ſunt antiqui Patres, ſicut etiam nos juſtificamur: & ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilia." Ergo, juxta S. Thomam, gratia tempore legis veteris nunquam Judæis defuit.

Ne-

Nego conſequentiam. Ait quidem Angelicus Doctor extitiſſe quovis tempore medium à Deo proviſum perveniendi ad juſtitiam, nempe fidem in Mediatorem promiſſum & venturum; ſed nullatenus dicit medium illud omnibus applicatum fuiſſe. È contrario certum eſt fidem in Mediatorem tunc paucorum fuiſſe, ſive, ut loquitur S. Auguſtinus in Epiſt. ad Galatas, cap. 24, *non fuiſſe popularem*, quia, teſte Apoſtolo, Galat. V, *priusquàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in eam fidem quæ revelanda erat.* Angelici Doctoris doctrinam textus illius ſupra allati ſatis ſuperque manifeſtam faciunt. Proinde, cùm dicit fidem Mediatoris ſimul cum lege hominibus adſuiſſe, intelligit revelationem Mediatoris in libris veteris Teſtamenti conſignatam fuiſſe, licet apprehenderetur intelligentiâ paucorum, hoc ipſo ad novum teſtamentum pertinentium. Quòd autem cæteros latuerit, in ipſis cauſa fuit, non in Deo.

ARTICULUS QUINTUS.

De veteris & novi teſtamenti differentiis.

Obſervandum eſt vocibus veteris & novi teſtamenti hic à nobis intelligi, non libros ſacros, quorum alii, ante Chriſti adventum ſcripti, dicuntur vetus, alii autem, poſt Chriſti ortum inſpirati, vocantur novum Teſtamentum; ſed vetus teſtamentum appellari id omne quod Deus ſub lege Judæis præſtitit, beneficia quæ ipſis largitus eſt, doctrinam quam eis tradidit, promiſſiones quibus ſeſe erga illos obſtrinxit, & alia id genus: novum autem teſtamentum dici id omne quod fidelibus per merita Chriſti confertur, & quo ad juſtitiam & ſalutem æternam perducuntur.

Omnes conſentiunt ambo illa fœdera inſigniter differre quoad cultum ritusque externos, Chriſtumque, abrogatis obſervationibus Moſaicis, pauciora, faciliora & efficaciora ſacramenta inſtituiſſe. Conſentiunt pariter Chriſtianos ſub novo teſtamento conſtitutos, non minùs quàm Judæos, lege morali in decalogo contentâ teneri, excepto quòd ſabbathum obſervare non debeant, cui Dominica dies ſubſtituta fuit. Sed circa alia plurima nonnulli moderni diſſentiunt, adeò ut quidam eorum vetus & novum teſtamentum penè æquiparent. Quamobrem non abs re futurum arbitror, ſi, duobus teſtamentis ſecum mutuò collatis, proprios cujusque caracteres diſtinctè aſſignavero.

Prima differentia.

Vetus teſtamentum fuit ſtipulatio quædam Deum inter & Iſraelitas, quâ Deus ex una parte ſeſe obſtrinxit ad protegendos Iſraelitas, modò ipſius mandatis obtemperarent, & Iſraelitæ, ex altera parte, plenam, in-

integram & abſolutam legis obſervationem polliciti ſunt. Novum verò eſt merum Dei munus gratuitum, abſolutum & efficax, quo Deus juſtitiam & vitam æternam, abſque ullâ conditione promiſſam, novi teſtamenti hæredibus largitur. Hanc differentiam penitus tollunt, quicunque in utroque teſtamento gratiam Chriſti omnibus dari, eamque non per ſeipſam efficacem eſſe, ſed verſatilem, atque pro ſolo voluntatis arbitrio effectum ſuum conſequi vel non conſequi contendunt.

Verùm eam diſertè adſtruit S. Paulus, Galat. III, ubi legem promiſſioni Abrahæ factæ opponens: *Si ex lege hæreditas*, inquit, *jam non ex promiſſione; Abrahæ autem per repromiſſionem donavit Deus.* Addit paulò poſt *legem ordinatam fuiſſe per Angelos in manu mediatoris*, nempe Moyſis qui, veluti ſequeſter Deum inter & populum, verba Dei ad populum, & verba populi ad Deum retulit. *Mediator autem*, ait, *unius non eſt;* id eſt, nullum habet locum, niſi ubi ſunt plures contrahentes, & ſeſe viciſſim pro ſua parte obligantes. In promiſſione verò Abrahæ facta nullus medius intervenit, ſed Deus ſolus locutus eſt: *Deus autem*, inquit, *unus eſt.* Audire juvabit Petavium, eruditum Societatis Jeſu Theologum, verba illa Apoſtoli explanantem, lib. 12 *de Incarnatione*, cap. 1. „ Lex, inquit, pacto quodam & mutuâ quaſi „ ſtipulatione & obligatione tranſacta eſt: promiſſio verò ſolâ promit„ tentis voluntate conſtat.“ Et allato Apoſtoli textu: „ Duo, inquit, „ iis in verbis ab Apoſtolo docentur. Primum eſt diſcrimen promiſſio„ nis illius Abrahamo divinitùs editæ, & juſtitiam per Chriſtum „ illatam myſticè ſignificantis, ac legis per ſequeſtrem Moſem Iſraeli„ tico populo latæ. Alterum eſt, eamdem ipſam legem juſtitiam non „ poſſe tribuere. Quod ad prius ſpectat, in eo diſcrepat lex à Moſe lata „ ab terræ pollicitatione Abrahamo facta, quòd illa non ſine medio ali„ quo interprete ac ſequeſtre data eſt Iſraelitis, ſed per mediatorem...... „ At promiſſio ab ipſo Deo facta eſt Abrahamo, interventore ac ſe„ queſtre nullo. Nam legiſlatio pactum quoddam fuit, quod inter am„ bos neceſſariò tertii alicujus interventu tranſactum eſt. Non enim „ ante legem populo Deus edidit, quàm, fidejuſſore Moſe, populus ſpo„ pondit ſe in omnibus obſecuturum, ac ſervaturum quidquid juſſiſſet „ Deus...... Hujuſmodi fœderis ac ſtipulationis manifeſta eſt formula „ in Exodi cap. 19. Ibi Dominus, antequàm legem daret, Moſen ad „ ſe vocatum jubet conditiones ineundi pacti ad Iſraelitas perferre, in „ hæc verba: *Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum* „ *meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea eſt enim omnis* „ *terra: & eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Venit Mo*„ *ſes, &, convocatis majoribus natu populi, expoſuit omnes ſermones* „ *quos mandaverat Dominus; reſponditque omnis populus ſimul: cuncta* „ *quæ locutus eſt Dominus faciemus.* Ea populi verba retulit Moſes ad „ Dominum, qui ſanctificari populum juſſit, ac deinde legem tulit.

Digitized by Google

„ At promiſſio," pergit ille, „quâ Deus Abrahamo & ejus poſteritati poſ-
„ ſeſſionem terræ Chananææ" (ſimulque juſtitiam regnumque cœleſte per illam adumbrata) „ pollicitus eſt, nullam pacti aut fœderis rationem habuit, ſed teſtamenti ac promiſſionis ſimplicis & abſolutæ, „ cujus tota vis & obligatio ex unius voluntate pendet. Nam gratuita „ fuit, & interventore ac mediatore nihil opus habuit, cùm à ſolo Deo „ ſic obita perfectaque ſit, ut ad firmitatem ſuam nihil aliunde requireret."

„ Hinc autem alterum illud ſequitur, non poſſe per legem conſtare „ juſtitiam ac fidem. Hæc enim ad gratiam ſpectant, quam merè gratuitam oportet eſſe, hoc eſt, nulla ex ratione meriti vel ſtipulatione „ profectam. Itaque nullus hîc interponi mediator debuit, qui præſtandum aliquid caveret ac ſtipularetur. Verùm Deus ſolus auctor illius „ eſt, qui, cùm unus ſit, tam naturâ ſuâ, quàm in iſto genere tranſigendæ pactionis & obligationis mutuæ, nullum interpretem adhibet." Hactenùs Petavius.

Itaque in veteri teſtamento Deus & populus Iſraeliticus ſua quiſque ex parte aliquid ſpoponderunt. Deus plurima bona Iſraelitis promiſit, dummodò legem ſuam implerent: populus promiſit ſe omnia legis mandata ſervaturum. Hujus mutui pacti mediator ac veluti publicus miniſter Moſes fuit, mutuæque promiſſiones ſanguine victimarum ratæ ac ſancitæ, & ab utraque parte acceptæ. Proinde in eo fœdere Deus nullomodò promiſit ſe juſtitiam rectamque voluntatem populo daturum, ſed tantummodò promiſit ſe populum bonis omnibus cumulaturum, poſito quòd legem ſibi datam obſervarent; populusque per Moyſen pollicitus eſt de ſuo ſe legi in omnibus obtemperaturum; adeòque in veteri teſtamento promiſſio divina non fuit abſoluta, ſed conditionata, ut patet ex iſta verborum formula: *Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis gentibus.* È contrario in novo fœdere Deus gratis & abſolutè promittit ac donat, nihil ab homine exigit ex propriis & non à ſe acceptum afferendum, ſed ipſemet promittit ac donat tum ipſam juſtitiam, tum mercedem & coronam juſtitiæ. Includitur quidem in novo teſtamento obligatio obſervandi mandata divina usque ad finem vitæ, ſine qua obſervatione adulti ad vitam æternam non perveniunt, ſed non ideò novum teſtamentum eſt conditionatum, quia ipſa conditio quam Deus exigit, & poſcitur ſuppliciter ab hominibus, & donatur ab ipſo Deo, qui *operatur* in ſanctis ſuis & *velle & perficere.*

Tom. 2. pag. 576. Id dilucidè admodùm explicant doctiſſimi fratres & Epiſcopi Wallemburgenſes, Tract. 8 *de Meritis*, cap. 18. „ Notamus, inquiunt, eſſe „ conditionem in fœdere gratiæ, & tamen fœdus gratiæ non eſſe conditionatum; fœdus autem legis eſſe propriè conditionatum. Eſſe conditionem in fœdere gratiæ, conſtat ex coquòd, ut veniamus ad vitam „ &c.

„ & gloriam æternam, juxta formam fœderis gratiæ, prærequiratur juſ-
„ titia & ſanctitas. Neque propterea ipſum fœdus gratiæ eſſe propriè
„ conditionatum cenſendum eſt: ubi enim eſt fœdus propriè conditio-
„ natum, neceſſe eſt ut conditio dependeat ab eo cui ea ponitur, & ut
„ impletio conditionis ad ejus facultatem & virtutem remittatur, non
„ autem ad operationem dependentem à potentia ejus qui conditionem
„ ponit; quia conditio eſt medium perveniendi ad finem, pro quo eſt
„ conditio. Ubi autem medium obtinendi finem dependet ab eodem
„ principio, cum obtentione finis, deſtinatio ad finem non poteſt dici
„ conditionata, quamvis, in relatione inter finem & medium, ipſum
„ medium reverâ ſit & neceſſariò conſideretur ut conditio præcedens
„ finem...... Sed in fœdere gratiæ ſanctificatio peccatoris, quæ eſt
„ conditio gloriæ, non minùs eſt opus Dei quàm ipſa gloria: hoc &
„ illud operatur Deus per ſpiritum ſuum...... In ſcriptura divina
„ idipſum apertè traditur, videmusque conditionem novi fœderis non
„ dependere à corde hominis, ſed à virtute Dei qui illam in cor im-
„ mittit. Jerem. XXXI. 33: *Hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſrael*
„ *poſt dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in viſceribus eorum, & in*
„ *corde eorum ſcribam eam.*" Itaque quamvis in novo teſtamento teneantur fideles mandata perſeveranter obſervare, juxta illud, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, nihilominùs novum teſtamentum abſolutum eſt, non conditionatum, eoquòd obſervationem ipſam mandatorum fideles non à ſeipſis expectant, ſed ſuppliciter à Deo poſtulant, eamdemque donaturum ſe eſſe Deus abſolutè promiſerit. Unde fit ut, quando Deus ſanctorum ſuorum merita coronat, non niſi dona ſua coronet. Contra verò in veteri teſtamento, nec Deus obſervationem legis Judæis ſe donaturum eſſe promiſerat, nec ipſi Judæi illam tanquam Dei donum à Deo poſtulabant, ſed à ſeipſis ac propria ſua voluntate expectabant.

Hanc utriusque fœderis differentiam inculcat denuò Apoſtolus, Galat. III. 12, cùm ait: *Juſtus ex fide vivit: lex autem non eſt ex fide, ſed, qui fecerit ea, vivet in illis:* id eſt, nemo juſtus eſt vivitque vitâ ſpirituali, niſi quatenùs humili & ſubmiſſâ fide juſtitiam ipſam, à Chriſto nobis promeritam, à Deo poſtulat & impetrat. Porro lex præcipit tantum exteriùs, nec admonet obſervationem legis non eſſe niſi à Deo. Dicendo quippe, *qui fecerit ea, vivet in illis*, promittit quidem vitam æternam legis factoribus, ſed hominem ad eam obſervandam ſibi dimittit. Duplex illud legis & fidei diſcrimen breviter exprimit S. Auguſtinus, lib. *de Spiritu & littera*, cap. 13. num. 22, his verbis: *Lege operum*, quæ lex vetus eſt, *dicit Deus: Fac quod jubeo. Lege fidei*, quæ nova lex eſt, *dicitur Deo: Da quod jubes.*

Ex hac utriusque teſtamenti differentia manifeſtè patet gratiam novi teſtamenti propriam eſſe ſeipſâ efficacem. Si enim eſſet verſatilis, ejusque effectus à liberi arbitrii conſenſu primariò penderet, jam non Deus

 bo-

bonam voluntatem donaret, quâ ſolâ mandata implentur, ſed daret tantummodò poſſibilitatem obſervandi mandata; ac proinde vitam æternam non promitteret nec deſtinaret abſolutè, ſed conditionatè, videlicet ſi homines gratiâ ſibi datâ benè uti voluerint.

Secunda differentia ex prima conſequens.

In veteri lege Deus nihil promiſit gratis donandum; in nova autem omnia daturum ſe gratis promiſit, ab initio fidei uſque ad finalem perſeverantiam & glorificationem.

Hæc differentia ex prima ſequitur. Si enim omnes veteris teſtamenti promiſſiones conditionatæ fuerunt, & ab humanæ voluntatis obedientia ſuſpenſæ, promiſſiones autem novi teſtamenti abſolutæ ſint, & à ſolâ Dei promittentis voluntate omnipotente dependentes, manifeſtum eſt Deum in veteri teſtamento nihil niſi mercedis titulo, in novo autem nihil niſi gratuitò donandum, nulloque proprio hominis labore promeritum promiſiſſe. Id confirmat Apoſtolus Paulus, Rom. IV. 4, his verbis: *Ei qui operatur* (ex propriis) *merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum; ei verò qui non operatur* (ex propriis), *credenti autem in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundùm propoſitum gratiæ Dei.* Quapropter *vitam* ipſam *æternam*, quamvis reverâ ſit *corona juſtitiæ*, appellat ibidem, VI. 23, *gratiam Dei in Chriſto Jeſu Domino noſtro*, quia merita quibus redditur Dei dona ſunt.

Tertia differentia.

Lex vetus in tabulis lapideis tantùm ſcripta fuit: lex nova in corde ipſo ſcribitur. Illa merè exterior fuit, iſta interior; illa lex erat jubens tantummodò, hæc propriè gratia Chriſti eſt. Hanc differentiam evertunt qui in veteri perinde ac in novo teſtamento gratiam datam fuiſſe aſſerunt: quem errorem, jam ſuperiùs confutatum, novo argumentorum genere refellere cogit inſtituta à nobis methodus.

Probatur itaque memorata differentia 1° Scripturarum auctoritate.

Jeremiæ XXXI. 31, Deus Judæis, ſive, ut alii codices habent, velut ipſum *teſtamentum vituperans*, ſic loquitur: *Ecce dies veniunt, & feriam domui Iſrael & domui Juda fœdus novum, non ſecundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum*, id eſt, eos mihi ſubjeci in ſervos ac durè imperavi eis, *ait Dominus* (Hebræorum X, ubi iſtud oraculum refertur, ſic legitur: *Et ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus*). *Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde*

Digitized by Google

de eorum ſcribam illam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, & non docebit ultra vir proximum ſuum & vir fratrem ſuum, dicens: cognoſce Dominum: id eſt, opus non erit homines, quibuscum hoc fœdus feriam, increpare, minisque ac correptionibus ad ſalubrem cognitionem Domini & ad mandatorum obſervationem compellere; *omnes enim cognoscent me, à minore eorum usque ad maximum, dicit Dominus, quia propitius ero iniquitati eorum & peccati eorum non recordabor ampliùs.* Manifeſtum eſt hoc in textu fœdus novum à veteri eo diſtingui, quòd per illud lex Dei in corde ipſo ſcribatur per inſpirationem ſanctæ dilectionis, quæ eſt propriè gratia novi teſtamenti, ideòque obſervetur; ac proinde in antiquo fœdere lex exterius tantùm in tabulis ſcripta fuerit, atque idcirco violata: alioquin magnum illud utriusque teſtamenti diſcrimen penitus evaneſceret.

Prophetæ concinit Apoſtolus, 2 Corinth. IV. 4, ubi fideles novi teſtamenti hæredes ſic alloquitur: *Epiſtola eſtis Chriſti, ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus:* quibus verbis fideles opponit Judæis, quibus lex in tabulis tantum lapideis propoſita fuit, non cordibus inſcripta.

Probatur 2° teſtimoniis ſanctorum Patrum.

S. Macarius Abbas Ægyptius, Hom. 47. num. 5 & 6: „ Illis (Ju- Pag. 227.
„ dæis), inquit, data eſt lex in tabulis ſcripta lapideis: nobis verò le-
„ ges ſpirituales ſcriptæ in tabulis cordis carneis.“ Hunc novi teſta-
menti proprium caractérem fuſius explicat, Hom. 15, his verbis: „ Qui- Pag. 85.
„ cunque ſunt filii lucis & miniſterii novi teſtamenti per Spiritum ſanc-
„ tum, hi nihil ab hominibus didicerunt, quia à Deo ſunt edocti. Ip-
„ ſa enim gratia inſcribit in cordibus eorum leges ſancti Spiritûs. Quam-
„ obrem non tantùm in ſcripturis atramento ſcriptis debent confidere,
„ ſed in tabulis cordis gratia divina deſcribit leges ſpirituales & myſte-
„ ria cœleſtia.“

S. Auguſtinus, lib. *de Spiritu & littera*, cap. 17. num. 29: „ Ibi,
„ inquit, (in veteri teſtamento) in tabulis lapideis digitus Dei opera-
„ tus eſt; hic (in novo) in cordibus hominum: ibi ergo lex extrin-
„ ſecùs poſita eſt, quâ injuſti terrerentur; hic intrinſecùs data eſt, quâ
„ juſtificarentur.“ Et quæſt. 21 in Deuteron: „ Hoc diſcernit teſta-
„ mentum novum à veteri, quòd in veteri data eſt lex in tabulis la-
„ pideis, in novo autem in cordibus, quod fit per gratiam.“ Idque probat hisce Apoſtoli verbis: *Idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti, non litterâ, ſed ſpiritu*, ſive, uti legebat, *non litteræ, ſed ſpiritûs.* Idem inculcat lib. *de Spiritu & littera*, cap. 19. num. 33, Serm 155, al 6, de Verbis Apoſtoli, cap. 6, & alibi paſſim.

Salvianus, lib. 2 *ad Eccleſiam Catholicam*, pag. 371: „Judæi, inquit,
„ habebant quamdam umbram rerum, nos veritatem; .... Judæi litte-

Digitized by Google

„ ram interficientem, nos ſpiritum vivificantem; Judæi maledicta, nos „ gratiam."

Tom. 10. Bibl. PP. pag. 2. Primaſius, in Epiſt. ad Hebræos, cap. 10, idipſum ex Prophetæ & Apoſtoli verbis diſertè adſtruit.

S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 1 *Differentiarum*, differ. 28: „ Inter legem, inquit, & evangelium hoc intereſt, quòd in lege littera, in „ evangelio gratia: illa habet umbram, iſta imaginem: illa data eſt propter transgreſſionem, iſta propter juſtificationem: illa ignoranti demonſtrat peccatum, iſta agnitum adjuvat ut vitetur: illa flagitiis deditos „ increpat, iſta precantes bonitate propriâ liberat."

S. Thomas, 1. 2. quæſt. 106. art. 1. in corp., proprium novæ legis caracterem ſic exprimit: „ Unaquæque res illud videtur eſſe quod in ea „ eſt potiſſimum...... Id autem, quod eſt potiſſimum in lege novi teſtamenti, & in quo tota ejus virtus conſiſtit, eſt gratia Spiritûs ſancti, quæ datur per fidem Chriſti. Et ideò principaliter lex nova eſt „ ipſa gratia Spiritûs ſancti, quæ datur Chriſti fidelibus.... Et ideò dicendum eſt quòd principaliter lex nova eſt lex indita; ſecundariò autem eſt lex ſcripta." Et art. 2, in corp., dicit adeò eſſentiale eſſe legi novæ per gratiam inſcribi cordibus, ut „ etiam littera evangelii occideret, niſi adeſſet interius gratia fidei ſanans."

Cardinalis Hoſius in Tractatu *de Fide & ſymbolo*, pag. 11, ait „ inter legem veterem & novam hoc intereſſe, quod illam in tabulis lapideis Moyſes conſignavit, hanc verò Chriſtus in mentibus hominum, „ in viſceribus & in cordibus eorum, ſicut ab Hieremia Propheta prædictum fuerat, inſcripſit."

Quarta differentia.

Lex vetus ſervos timorem imprimendo generavit, cupiditatibusque ſuis deditos ſibimetipſis dimiſit: nova per ſanctæ dilectionis inſpirationem filios gignit, cupiditatumque victrix eſt.

Hic præmittendum eſt legem veterem, non ſecus ac novam, culpaſſe cupiditatem & præcepiſſe caritatem: verùm in veteri teſtamento caritas imperabatur tantummodò, non inſpirabatur, cupiditasque vetabatur tantum, non ſanabatur; atque adeò quando Judæi ſub lege aliquid boni exteriùs operari videbantur, id non liberaliter atque ex juſtitiæ dilectione, ſed tanquam ſervi ex timore, vel tanquam mercenarii ex terrena cupiditate operabantur. Contra verò per novam legem caritas ipſa cordi inſeritur, cupiditasque vincitur. „ Præcepta caritatis, ait S. Auguſtinus, lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 18, num. 37, „ per legem dantur „ & veterem & novam, quamvis in nova veniret gratia, quæ promittebatur in vetere."

Pro-

Digitized by Google

Probatur 1° Judæorum ſub lege degentium proprium caracterem fuiſſe terrenam cupiditatem; fidelium autem, ad novum teſtamentum pertinentium, caracterem peculiarem eſſe caritatem.

Id expreſſe docet multis in locis S. Auguſtinus. Lib. 3 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 4. num. 9, ſic loquitur: „ Illi „ etiam qui in veteri teſtamento erant, ſola quæ ibi Deus pollicetur „ promiſſa terrena ſectantes, & quid pro novo teſtamento ea ipſa ſignificent ignorantes, eorum adipiſcendorum amore & amittendorum „ timore Dei præcepta ſervabant, imò non ſervabant, ſed ſibi ſervare „ videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, ſed „ terrena cupiditas metusque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, „ procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit. Magis „ vult enim omnino non facere, ſi ſecundùm ea quæ cupit & metuit „ permittatur impunè: ac per hoc in ipſa voluntate intus reus eſt, ubi „ ipſe qui præcipit inſpicit Deus." Et num. 11: „ Hæc planè magna diſtantia eſt, quòd faciunt illa (mandata) ſub lege poſiti, quos „ littera occidit, terrenam felicitatem vel cupiditate adipiſcendi, vel „ timore amittendi; & ideò non verè faciunt, quoniam cupiditas carnalis, quâ peccatum commutatur potiùs vel augetur, cupiditate aliâ „ non ſanatur. Hi ad vetus pertinent teſtamentum, quod in ſervitutem generat, quia facit eos carnalis cupiditas vel timor ſervos, non „ evangelica fides, ſpes & caritas liberos. Sub gratia verò poſiti, quos „ vivificat ſpiritus, ex fide iſta faciunt, quæ per dilectionem operatur, in ſpe bonorum, non carnalium, ſed ſpiritualium, non terrenorum, ſed cœleſtium, non temporalium, ſed æternorum, præcipuè „ credentes in Mediatorem, per quem ſibi non dubitant & ſpiritum „ gratiæ ſubminiſtrari, ut benè iſta faciant, & ignoſci poſſe cum peccant. Hi pertinent ad teſtamentum novum, filii promiſſionis, regenerati Deo Patre & liberâ matre. Hujus generis fuerunt omnes antiqui juſti, & ipſe Moyſes teſtamenti miniſter veteris, hæres novi."

Terrenis carnalis populi affectibus accommodatæ erant promiſſiones veteris teſtamenti. Nam, ut ait idem S. Doctor, lib. 1 *Retractationum*, cap. 22. num. 2, „ regnum cœlorum illi populo promiſſum fuiſſe non „ legimus, in iis quæ promiſſa ſunt lege datâ per Moyſen in monte „ Sina, quod propriè vetus dicitur teſtamentum." Quàm verum illud ſit facilè cognoſcet, quisquis attentè legerit benedictiones & maledictiones in Deuteronomio & aliis Pentateuchi libris annuntiatas. Unde ait idem S. Auguſtinus in lib. *de Geſtis Pelagii*, cap. 5. num. 14: „ Illa „ terra, quò eſt populus introductus & per eremum ductus, terra promiſſionis vocatur, in qua pax, & regnum, & ab inimicis victoriarum „ reportatio, & abundantia filiorum & fructuum terrenorum, & ſi qua „ hujusmodi ſunt promiſſa veteris teſtamenti, quibus etſi figurantur ad „ novum teſtamentum pertinentia ſpiritualia, tamen qui propter illa ter-

„ rena.

Digitized by Google

„ rena ſuſcipit legem Dei, ipſe eſt hæres veteris teſtamenti. Ea quip„ pe ſecundùm vetus teſtamentum promittuntur atque tribuuntur, quæ „ ſecundum hominem veterem concupiſcuntur: quæ autem illic ad no„ vum teſtamentum pertinentia figurantur, alios homines quærunt.“ Abſit tamen ut Deus ideò Judæis bona temporalia promiſiſſe exiſtimetur, ut in eis affectum ſuum figerent; ſed, cùm noſſet eos carnales eſſe, nec ſpiritualium promiſſionum capaces, hujusmodi terrenis promiſſionibus illos exteriùs continuit, ne, ſuo cultu penitùs deſerto, falſorum numinum ſimulachris, cæterarum gentium more, ſacra facerent. Aliunde terrena illa bona voluit eſſe typum & pignus cœleſtium, ſolaque Judæorum cupiditas, quæ ex ipſis, non ex Deo erat, obſtitit quominus per illa viſibilia ad inviſibilium, quæ illis adumbrabantur, amorem aſſurgerent.

Et ſanè nunquam defuerunt in populo Iſraelitico viri ſpirituales, ad æterna ſub temporalium velamine aſpirantes, atque hoc ipſo non ad vetus, ſed ad novum teſtamentum pertinentes. Eos S. Auguſtinus, Enarrat. in Pſalm. 72, num. 6, appellat *paucos intellectores regni cœleſtis æterni*, & in lib. *de Cathechizandis rudibus*, cap. 23. num. 40, *paucos intelligentes Patriarchas & Prophetas, & nonnullos latentes Sanctos*. De iisdem ſic loquitur lib. 4 contra Fauſtum, cap. 2: „ Nec ipſos illius „ temporis ſanctos & ſpirituales viros, Patriarchas & Prophetas, his „ terrenis rebus fuiſſe deditos credimus. Intelligebant enim, revelante „ ſibi ſpiritu Dei, quid tempori illi congrueret, & quibus modis Deus „ per omnes illas res geſtas & dictas futura figuranda & prænuntianda „ decerneret; magisque deſiderium eorum de novo teſtamento erat, ſed „ præſens functio corporalis ad ſignificanda nova ventura pollicitatio„ nibus veteribus præbebatur...... Carnalis autem populus promiſſis „ vitæ præſentis inhærebat.“ Meritò itaque S. Doctor, Epiſt. 140, al. 120, ad Honoratum, cap. 8. num. 22, fideles, ut pote ad novum teſtamentum vocatos, invitabat ad deſiderium cœleſtium. „ Homines, „ inquiebat, diſcite per gratiam novi teſtamenti vitam concupiſcere „ ſempiternam.

Dixi 2° novum teſtamentum eo differre à vetere, quòd Judæi ſub lege poſiti ſolo timore, tanquam ſervi, Deo ſervirent, hæredes verò novi teſtamenti caſtâ dilectione juſtitiæ ad implenda mandata moveantur. Id pariter conſtat expreſſis Scripturæ & SS. Patrum teſtimoniis.

S. Paulus Romanos ad fidem converſos alloquens, Rom. VIII. 15: *Non accepiſtis*, inquit, *ſpiritum ſervitutis iterum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus:* ABBA, PATER.

Galat. IV. 22 & ſeq., vetus ac novum teſtamentum, propriumque cujusque caracterem, figurata eſſe dicit per duos Abrahæ filios, nempe Iſmaelem filium Agar ancillæ, & Iſaac filium Saræ liberæ. *Scriptum eſt*, inquit, *quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, &*

Digitized by Google

& unum de libera; ..... quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta; unum quidem in monte Sina, in ſervitutem generans, quæ eſt Agar, id eſt, quæ ſignificatur per Agar ancillam Abrahæ & matrem Iſmaelis. *Sina enim mons eſt in Arabia, qui conjunctus eſt ei quæ nunc eſt Jeruſalem, & ſervit cum filiis ſuis. Illa autem, quæ ſurſùm eſt, Jeruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra...... Sed quid dicit ſcriptura? Ejice ancillam & filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque jam non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ, quâ libertate Chriſtus nos liberavit.* Poterat-ne apertius declarari ad vetus teſtamentum pertinuiſſe timorem, ad novum autem caritatem pertinere? Nam agere ex timore, ſervorum eſt; agere ex dilectione, liberorum. Unde idem Apoſtolus, 2 Timoth. I. 8, alludens ad duo teſtamenta: *Non dedit nobis Deus*, inquit, *ſpiritum timoris*, ut in veteri lege, *ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis.*

Hanc veritatem oculis quodammodò ſubjicit modus planè diverſus quo ambo illa fœdera ſancita ſunt. Vetus enim in monte Sinaï cum terrifico apparatu, fulguribus coruſcantibus, tonitruis latè reſonantibus, monte ipſo ardente ac fumante, perculſum eſt. Novum autem in die Pentecoſtes fidelium cordibus per Spiritum ſanctum inditum eſt. Illic Judæi timore perterriti dixerunt Moyſi: *Non loquatur nobis Dominus; loquere tu nobis, ne fortè moriamur.* Quibus verbis, uti obſervat S. Auguſtinus Quæſt. 73 in Exodum, „ multùm & ſolidè ſignificatur ad „ vetus teſtamentum timorem potiùs pertinere, ſicut ad novum dilec- „ tionem." Hîc verò fideles, induti virtute ex alto, per Chriſtum accedunt cum fiducia ad thronum gratiæ. Quamobrem, Hebr. XII. 18, Apoſtolus ait: *Non acceſſiſtis ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem, & turbinem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excuſaverunt ſe ne eis fieret verbum; non enim portabant quod dicebatur: & ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur, Moyſes dixit: exterritus ſum & tremebundus. Sed acceſſiſtis ad Sion montem & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cœleſtem, & multorum millium angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum qui conſcripti ſunt in cœlis, & judicem omnium Deum, & ſpiritus juſtorum perfectorum, & teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel.*

Idem docent SS. Patres.

S. Irenæus, lib. 4 *adverſùs Hæreſes*, cap. 9. num. 2, al. cap. 22, ſic loquitur: „ Major eſt legiſlatio quæ in libertatem, quàm quæ data eſt „ in ſervitutem." Et cap. 13. num. 2, al. cap. 27: „ Lex, quippe ſer- „ vis poſita, per ea, quæ foris erant, corporalia animam erudiebat, ve- „ lut per vinculum attrahens eam ad obedientiam præceptorum, uti „ diſceret homo ſervire Deo. Verbum autem liberans animam, & per „ ipſam corpus voluntariè emundari docuit: quo facto, neceſſe fuit „ au-

„ auferri quidem vincula ſervitutis, quibus jam homo aſſueverat, & „ ſine vinculis ſequi Deum, ſuperextendi verò decreta libertatis, & „ augeri ſubjectionem quæ eſt ad Regem, ut non retrorſùs quis reni- „ tens indignus appareat ei qui ſe liberavit." Ubi videmus Judæos quidem, tanquam ſervos, *per vinculum* timoris & obſervationum legalium onus, *ad obedientiam præceptorum* compulſos & quaſi *tractos* fuiſſe; nos verò per gratiam Chriſti liberatos, *ablatis vinculis ſervitutis*, per dilectionem Deo adhærere.

S. Clemens Alexandrinus, lib. 1 *Pædagogi*, cap. 7. pag. 111: „ Priùs „ itaque veteri populo vetus erat teſtamentum, & lex cum metu popu- „ lum erudiebat, & Verbum erat Angelus: novo autem & recenti po- „ pulo novum ac recens teſtamentum datum, & Verbum fuit genitum, „ & metus in dilectionem converſus eſt."

Tom. 9, al. tom. 4, pag. 192. S. Chryſoſtomus, Homil. 14 in Epiſt. ad Rom. num. 2: „ Illi (Ju- „ dæi) etſi filii Dei vocabantur, at tanquam ſervi: nos verò ut liberi „ effecti adoptionem accepimus & cœlum expectamus. Illi ex timore „ ſupplici omnia faciebant; at ſpirituales ex deſiderio & amore."

Al. Serm. 6 de Verbis Apoſtoli. Hoc argumentum plurimis in locis eximiè, ſuo more, tractat S. Auguſtinus. Serm. 155, cap. 5 & 6, cùm obſervaſſet legem veterem quinquageſimo poſt agni Paſchalis immolationem die, & novam pariter quinquaginta diebus poſt mortem & reſurrectionem Chriſti datam, & in utraque digitum Dei operatum fuiſſe, utriusque differentiam ſtatim exponit. „ Sed videte, inquit, ibi quomodò, & hic quomodò. Ibi plebs „ longè ſtabat; timor erat, amor non erat...... Deſcendit ergo Deus „ in Sina in igne, ſed plebem longè ſtantem territans, & digito ſuo „ ſcribens in lapide, non in corde. Huc autem quando venit Spiritus „ ſanctus,..... non in monte terruit, ſed in domum intravit. „ De cœlo quidem factus eſt ſubitò ſonus, quaſi ferretur flatus ve- „ hemens; ſonuit, ſed nullus expavit. Audiſti ſonum, vide & ignem, „ quia & in monte utrumque erat, & ignis, & ſonitus; ſed illic „ etiam fumus, hic verò ignis ſerenus...... Numquid de longinquo „ territans? Abſit. Nam inſedit ſuper unumquemque eorum, & cœ- „ perunt linguis loqui, ſicut ſpiritus dabat eis pronuntiare. Audi lin- „ guam loquentem, & intellige ſpiritum non in lapide, ſed in corde „ ſcribentem. Lex ergo ſpiritus vitæ, ſcripta in corde, non in lapide, „ in Chriſto Jeſu, in quo celebratum eſt veriſſimum Paſcha, liberavit „ te à lege peccati & mortis." Similia dicit in lib. *de Spiritu & littera*, cap. 17. num. 29.

Concione 2 in pſalm. 90, num. 8: „ Data eſt, inquit, lex illa ad „ timorem, non ad amorem: ut autem timor converteretur in amo- „ rem,..... venit Spiritus ſanctus jam in plenitudine amoris, non in „ pœna timoris."

Lib. *contra Adimantum*, cap. 17. num. 2: „ Hæc eſt breviſſima & „ aper-

„ apertiſſima differentia duorum teſtamentorum, timor & amor: illud „ ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet."

Lib. 2 *contra Adverſarium Legis & Prophetarum*, cap. 7. num. 24: „ Hoc eſt teſtamentum novum diſtans à vetere, quia ibi vetus homo „ formidinis coarctatur anguſtiis, hic novus homo ſpatiatur latitudine „ caritatis."

Et Serm. 145, num. 3: „ Quid autem intereſt inter legem & gra- „ tiam, quandoquidem unus dator legis & gratiæ? Lex terret de ſeip- „ ſo præſumentem; gratia adjuvat in Deum ſperantem." Idem inculcat in *Expoſitione quarumdam Propoſitionum ex Epiſt. ad Romanos*, prop. 52, Quæſt. 55 in Exodum, & alibi paſſim.

S. Fulgentius, lib. 2 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 7: „ Illic, ait, (per legem) incutit divina juſtitia terrorem, hic (per „ gratiam) infundit miſericordia caritatem. Per illam accepit voluntas „ ſpiritum ſervitutis in timore, per iſtam accepit ſpiritum adoptionis „ filiorum."

Salvianus Maſſilienſis, lib. 2 *ad Eccleſiam Catholicam*: „ Judæi, in- Pag. 37. „ quit, habuerunt umbram rerum, nos veritatem: Judæi fuerunt ſervi, „ nos adoptivi: Judæi acceperunt jugum, nos libertatem: Judæi ma- „ ledicta, nos gratiam: Judæi litteram interficientem, nos ſpiritum „ vivificantem."

Primaſius, Comment. in Epiſt. ad Galatas, ad hæc verba: *Si ſpiritu* Tom. 6 Bi- *ducimini, non eſtis ſub lege*, & Sedulius in Epiſt. ad Rom., docent le- bliotb. PP. pag. 517. gem veterem timoris fuiſſe, novam caritatis: illam ſervos, hanc filios generare.

S. Gregorius magnus, lib. 9 *Moralium*, cap. 22. num. 32: „ Quia „ per Moyſen, inquit, terrorem legis intulit, quaſi per puerum virgam „ miſit. Sed puer cum baculo mortuum ſuſcitare non valuit,..... quia „ is, quem terroris virga ſuſcitare non valuit, per amoris ſpiritum puer „ ad vitam rediit.

S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 1 *Differentiarum*, different. 28: „ Lex, „ ait, redactos homines ſervos effecit, & ideò ſpiritum ſervitutis ha- „ buiſſe priorem populum Apoſtolus dicit. Evangelium verò veniens „ crudelitatem legis amovit, peccata, quæ lex puniebat per ſpiritum „ ſervitutis, laxavit per ſpiritum adoptionis, filios ex ſervis reddidit, „ amorem implendæ legis omnibus condonavit.

Claudius Taurinenſis, in Epiſt. ad Galatas, cap. 5, exponens hæc verba: *Omnis lex in uno ſermone impletur*, dicit Chriſtum non ſolviſſe legem, ſed adimpleviſſe, quia „ erat ablaturus timorem carnalem, ſpi- „ ritalem autem caritatem daturus, quâ ſolâ lex impleri poteſt."

Lanfrancus Epiſcopus Cantuarienſis, in hæc verba Epiſt. ad Rom. VIII: *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore*, ait „ omnes

„ cultores Dei, in quocunque tempore, aut ſervos fuiſſe, ut Judæos, „ aut filios, ut Chriſtianos.“

Guibertus Abbas, Lanfranci diſcipulus, lib. 1 *Moralium in Geneſim*, pag. 12, ait: „ Filii Iſrael pœnas, quas lex minabatur, timentes, nec „ metu pœnarum, nec carnalium præmio promiſſorum à legis prævaricatione teneri poterant, quia nullo Dei amore ad benè faciendum „ animos applicabant, ſed totum coacti ſerviliter, non ſpiritu adoptionis agebant.“ Addit in nova lege „ unctionem ſpiritûs, quæ docet „ de omnibus & roborat, adeſſe.“

Robertus Pullus, parte 3 Summæ, cap. 10, quærens „ cur lex vetus „ lex appellata ſit ſervitutis & mortis, nova autem libertatis & gratiæ; „ cùm in utraque abundent ſervi tandem proſcribendi, rari ſint liberi „ patris hæreditate donandi,“ reſpondet in veteri lege gratiam abſuiſſe, & ſolo pœnarum timore mandata obſervata eſſe; per novam verò donari „ caritatem. Et cap. 11: „ Tunc, inquit, ſpiritus timore turbavit, „ ut vel ſic cogeret ſervituti: nunc autem caritatem donat, quâ inſtructi, tanquam filii obediant patri...... Tempus illud inſtitutum „ erat timori, noſtrum autem caritati.“

S. Thomas, 1. 2. quæſt. 91. art. 5, in corp. „ Ad legem pertinet, „ inquit, inducere hominem ad obſervantias mandatorum, & hoc quidem faciebat timore pœnarum; lex autem nova hoc facit per amorem, „ qui in cordibus noſtris infunditur per gratiam Chriſti, quæ in lege „ nova confertur, ſed in lege veteri ſignificabatur.“ Et quæſt. 107. art. 1, ad 2um: „ Lex vetus, quæ dabatur imperfectis, id eſt, nondum conſecutis gratiam ſpiritualem, dicebatur lex timoris, in quantùm inducebat ad obſervantiam præceptorum per comminationem „ pœnarum quarumdam, & dicitur habere temporalia quædam promiſſa. „ Illi autem qui habent virtutem, inclinantur ad virtutum opera agenda propter amorem virtutis, non propter aliquam pœnam aut remunerationem extrinſecam; & ideò lex nova, cujus principalitas conſiſtit in ipſa ſpirituali gratia cordibus indita, dicitur lex amoris, & „ dicitur habere promiſſa ſpiritualia & æterna, quæ ſunt objecta virtutis, præcipuè caritatis; & ita per ſe in ea inclinantur, non quaſi in „ extranea, ſed quaſi in propria. Et propter hoc etiam lex vetus dicitur cohibere manum, non animum; quia qui timore pœnæ ab aliquo „ peccato abſtinet, non ſimpliciter voluntas ejus à peccato recedit, ſicut recedit voluntas ejus qui amore juſtitiæ abſtinet à peccato: & „ propter hoc lex nova, quæ eſt lex amoris, dicitur animum cohibere.“ Idem docet Comment. in Joann. cap. 15, lect. 7, & in Epiſt. ad Rom. cap. 8, lect. 3.

Edit. Antwerp. p. 289. Cardinalis Hoſius in tractatu *de Traditionibus*: „ Fuit illa (lex) timoris, inquit, hæc amoris: cohibebat illa manum, cohibet hæc animum.“

Car-

Cardinalis Noriſius, Vindiciarum Auguſtinianarum cap. 3. §. 6: „ Sicut „ Hebræi, inquit, non ex amore juſtitiæ bona opera faciebant, ita „ mala vitabant timore tantum pœnæ. Hinc Auguſtinus dicit opera „ Judæorum in veteri lege fuiſſe peccata, & legem illam fuiſſe ſervilem, „ quòd illi qui eam implebant timori inſervirent. Erat ergo lex vetus „ lex timoris, quòd carnalis ille populus, ſe & ſua tantùm amans, „ quidquid boni juxta legis mandata faciebat, amore ſui faciebat, vo- „ lens ſibi bona, & timens mala. Lex ergo tanquam ſervis intulit „ timorem; gratia, quæ per fidem Chriſti impetratur, inſpirat amo- „ rem.“

Ex tot tamque perſpicuis teſtimoniis liquidò conſtat, legem veterem non ideò præciſe appellari legem ſervitutis, quòd multiplicum obſervationum jugo Judæos ſubjiceret, ſed quia non aderat caritas, quæ ſola efficit filios Dei, ſed timor tantùm incutiebatur, qui propriè ſervorum eſt.

Nec dicas duo teſtamenta non rectè diſtingui per timorem & amorem; ſiquidem in novo quoque teſtamento, quod eſt Eccleſia Chriſti, plurimi ſunt carnales, qui vel ſolo metu vel cupiditate terrenâ à peccato abſtinent. Qui enim hujuſmodi ſunt, quantuſcunque ſit eorum numerus, quamvis Chriſtiani dicantur, quamvis tempore novi teſtamenti vivant, quamvis in externa Eccleſiæ communione verſentur, ad novum teſtamentum propriè non pertinent, ſed ad vetus, ut in Articulo ſequenti dicetur. Verùm Eccleſiam inter & Synagogam hoc intereſt, quòd, cùm utraque carnales & ſpiritales comprehendat, Eccleſia tamen, per ſe & ex inſtitutione Chriſti, ſit cœtus hominum ſpiritualium ex fide viventium, ſempiterna bona deſiderantium, Deumque ſummum ſuum bonum finemque ultimum in ſpiritu & veritate adorantium. Ad hos quippe ſalubres effectus producendos directè & immediatè tendunt quæcunque in Eccleſia Catholica aguntur, verba Evangelica, Apoſtolorum ſcripta, publicæ conciones, ipſa Cathechumenorum inſtitutio, ſacræ liturgiæ, ritus, formæ ſacramentorum, tota que Eccleſiæ conſtitutio. Illis omnibus vita æterna palam & apertè ſignificatur, & fidelibus inquirenda proponitur: quo fit ut carnales, quantùmcunque illorum numerus accreſcat, tametſi in corpore viſibili Eccleſiæ verſentur, ab ipſa tamen Eccleſiæ anima alieni ſint, ſuæque profeſſioni omnino contradicant. Contra verò Synagoga, in ſeipſa conſiderata, directè & immediatè non tendebat ad ſupernorum deſiderium, ſed rebus terrenis tota inhiabat; adeò ut qui in ejus externa ſocietate ſpiritales erant, non ex ipſius Synagogæ inſtitutione, ſed peculiari gratiæ beneficio quæ ſurſum ſunt ſaperent & requirerent, neque, ut multoties diximus, ad vetus teſtamentum, ſed ad novum pertinerent.

Digitized by Google

Quinta differentia.

Lex vetus nunquam rectè atque ut oportet obſervata eſt; nova autem ſemper impletur.

Molinæ aſſeclæ contendunt mandata veteris legis ab aliquibus Judæis ſub lege poſitis verè & coram Deo obſervata fuiſſe, novam autem legem à multis violari; quia nimirum in ſtatu veteris legis gratiam ſufficientem exiſtimant omnibus datam fuiſſe, in nova autem nullam gratiam ſeipſâ efficacem dari.

Utrumque illud commentum ex dictis ſuperiùs abundè refellitur. Si enim lex vetus in tabulis tantùm lapideis ſcripta fuit, nova autem in ipſo corde per dilectionem inſcribitur: ſi ſub illa Judæus carnalis ſolo timore, in iſta verò ſinceré Chriſtianus juſtitiæ dilectione ducitur, quid ſequitur, niſi illam, ut pote gratiâ interiore & caritate deſtitutam, nunquam, ut par eſt, obſervatam fuiſſe; hanc verò, quia ipſamet gratia eſt ſanctæque dilectionis inſpiratio, nunquam non obſervari. Siquidem mandata quæ, gratiâ non adjuvante, ſolo pœnarum metu non verè obſervantur, per gratiam & amorem juſtitiæ non modò obſervari poſſunt, ſed etiam reipſâ certiſſimè obſervantur, quia plenitudo legis dilectio.

Probatur inſuper oraculis ſcripturæ, ſententiis SS. Patrum, & ſuffragiis Theologorum.

Jeremiæ cap. 31 novum teſtamentum à veteri eo diſtinguitur, quòd vetus violatum ſit (*pactum*, ait Dominus, quod *irritum fecerunt*, vel, ut habetur Hebr. X, *& ipſi non permanſerunt in teſtamento meo*); per novum autem mandata in ipſo corde ſcribantur, & ſancto amore impleantur.

Ibidem, cap. XXXII. 37, novum teſtamentum à Deo promittitur tanquam certò ac perſeveranter obſervandum. *Erunt mihi in populum*, inquit, *& ego ero eis in Deum: & dabo eis cor unum & viam unam, ut timeant me omnibus diebus,..... & feriam eis pactum ſempiternum, & non deſinam eis benefacere, & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me.*

Eadem divina promiſſio renovatur Ezechielis XI. 18, his verbis: *Dabo eis cor unum, & ſpiritum novum tribuam in viſceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, & judicia mea cuſtodiant, faciantque ea.* Et cap. XXXVI. 25 & ſeq: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab univerſis idolis veſtris mundabo vos; & dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis & operemini.*

Hæ promiſſiones abſolutæ ſunt, nullaque conditione ſuſpenſæ. Non enim

enim pollicetur Dominus ſe daturum cor novum & ſpiritum novum, ſi homines recipere voluerint; ſed abſolutè pollicetur effecturum ſe efficaciter ut velint, & ex corde mandata perficiant, auferendo cordis duritiem, quâ bonum reſpuebatur, & dando cor novum, quo mandata lubentiſſimè & ex animo cuſtodiantur.

Idem quoque docet Apoſtolus, Rom. VI. 14, cùm dicit: *Peccatum vobis non dominabitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Quibus verbis duo manifeſtè declarantur: primum quidem, ſub lege *peccatum dominari;* alterum, ſub gratia *peccatum* non ampliùs *dominari*, ſed ſuperari.

His concinunt SS. Patres.

S. Chryſoſtomus, Hom. 16 in Matth. num. 2, exponens plurimos ſenſus, quibus Chriſtus dixiſſe intelligendus eſt ſe *non veniſſe ſolvere legem, ſed adimplere:* „ Secundo modo, inquit, (Chriſtus legem implevit), „ quia per nos quoque idipſum facit. Nam, quod mirum eſt, non „ modò ipſe implevit, ſed illud quoque largitus eſt, ut nos implere„ mus; quod Paulus ſic declarat: Quoniam *finis legis Chriſtus ad juſti„ tiam omni credenti, & peccatum* illum *damnaſſe* dixit *in carne, ut jus„ tificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambula„ mus, ſed ſecundùm ſpiritum.* Et rurſus: *Legem ergo deſtruimus per „ fidem? Abſit: ſed legem ſtatuimus.* Quia enim lex ſtudebat hominem „ facere juſtum, ſed infirmabatur, veniens ipſe & modum juſtitiæ „ inducens, nempe per fidem, legis voluntatem ſtatuit, & quod illa „ non potuerat per litteras, id ipſe per fidem perfecit.“ En una ex parte legis veteris infirmitas & inſufficientia, ex altera gratiæ novæ legis virtus & efficacia. Tom. 7, al. tom. 1. pag. 189.

S. Auguſtinus, Concione 2 in pſalm. 90, num. 8: „ Timor, inquit, „ legem non implebat: amor implevit. Timuerunt homines & non im„ pleverunt, amaverunt & impleverunt.“

Lib. 83 *Quæſtionum*, quæſt. 66. num. 1: „ Lex peccati & mortis, „ id eſt, quæ impoſita eſt peccantibus & morientibus, jubet tantùm „ ne concupiſcamus, & tamen concupiſcimus: lex autem ſpiritus vitæ, „ quæ pertinet ad gratiam, & liberat à lege peccati & mortis, facit „ ut non concupiſcamus, & impleamus juſſa legis, non jam ſervi le„ gis per timorem, ſed amici per caritatem...... Ideòque veriſſimè dic„ tum eſt: *Legem ergo evacuamus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatuimus.* „ Hoc enim efficit fides quod lex jubet.“ Duo hic novi teſtamenti propria dicuntur, fides ſcilicet & caritas, & per utramque mandata obſervantur, quia fides impetrando, caritas rectè operando, implent legem. In veteri autem teſtamento, fide in Chriſtum & caritate deſtituto, mandata non implentur veraciter, quia nonniſi fide per dilectionem operante implentur.

Præclaram hujus rei imaginem in duplici tabularum legis traditione nobis

nobis detegit S. Doctor, Quæſt. 166 in Exodum. Expendens enim cur primæ tabulæ digito Dei, ſecundæ verò digito Moyſis ſcriptæ dicantur: „ Quomodo, inquit, hæc ſolvitur quæſtio, quare illæ opus Dei, „ iſtæ opus hominis; & illæ conſcriptæ digito Dei, iſtæ ſcriptæ ab ho- „ mine? An forte ideo magis in illis prioribus vetus ſignificatum eſt „ teſtamentum, quia Deus ibi præcepit, ſed homo non fecit? Lex „ enim poſita eſt in vetere teſtamento, quæ convinceret tranſgreſſores, „ quæ ſubintravit ut abundaret delictum. Non enim implebatur timo- „ re, quæ non impletur niſi caritate. Et ideò dicitur opus Dei, quia „ Deus legem conſtituit, Deus conſcripſit: nullum opus hominis, quia „ Deo homo non obtemperavit, & eum potius reum fecit. In ſecun- „ dis autem tabulis homo per adjutorium Dei tabulas facit atque con- „ ſcribit, quia novi teſtamenti caritas legem facit.“

Auctor *Operis imperfecti in Matthæum*, inter Opera S. Chryſoſtomi, homilia 28: „ Apud Judæos quidem, inquit, erat lex levis & juſta, „ ſed ſine gratia inveniebatur gravis; ſine gratiæ enim auxilio omnis „ juſtitia hominibus gravis eſt; quia lex præceptum eſt nudum, gratia „ autem virtus Dei eſt. Lex in libro conſcribitur, gratia autem in cor- „ de plantatur: ideò lex inſufferibile pondus eſt, gratia autem delec- „ tatio cordis eſt...... Ergo lex non ſolùm ideò gravis eſt, quia gra- „ via præcipit obſervationis mandata; ſed quia præcipit fieri, & facien- „ di non præſtat auxilium. Nec ideò ſolum gratia levis eſt, quia le- „ via ponit mandata, ſed quòd fieri præcipit, & ipſa in nobis faciendi „ operatur virtutem...... In gratia Dei totum poſſumus, ſine gratia „ autem nihil, dicente Apoſtolo: *Omnia poſſum in eo qui me confor-* „ *tat.*“ Hoc teſtimonio non id tantummodò aſſeritur quod hic intendimus, nempe legem veterem nunquam impleri veraciter, novam autem ſemper impleri; ſed etiam confirmantur quæcunque hactenus de lege veteri dicta ſunt, nimirum illam fide & caritate deſtitutam fuiſſe, legem autem novam, quæ propriè gratia Chriſti eſt, inſpirationem eſſe caſtæ dilectionis, quâ lex dulceſcit, amatur & obſervatur.

S. Fulgentius, lib. 2° *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 7: „ Hæc, inquit, inter litteram jubentem & ſpiritum vivificantem, id „ eſt, inter legem gratiamque diſtantia eſt, quia lex convenit, gratia „ convertit hominis voluntatem, ut bonum velimus. Illa clamat, hæc „ donat.“

Tom. 10 Bibl. PP. pag. 147. Primaſius in Epiſt. ad Rom: „ Lex auditores facit, gratia factores. „ ..... Dicimus lege fieri ut Deus quid fieri velit audiatur: gratiâ ve- „ rò fieri ut legi obediatur.“

Sedulius, Comment. in Epiſt. ad Rom. cap. 5, in illud: *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia*, dicit eſſe ſub lege idem eſſe ac peccati dominio ſubjici, eſſe verò ſub gratia idem eſſe ac peccato dominari.

Demum ex Theologis doctiſſimus Eſtius, in caput 8 Epiſt. ad Hebræos,

Digitized by Google

bræos, exponens hæc verba, *dabo leges meas in mentem eorum*, ſic loquitur: „ Senſus promiſſionis eſt: Legem meam inſeram ani- „ mis eorum, potenter in eis operando ut eam cognitam obſervent: „ quod quidem facere Dei proprium, ait B. Thomas in Commentario. „ ..... *Et in corde eorum ſuperſcribam eas:* id eſt, per gratiam effica- „ cem inclinaturus eorum voluntates, ut legem meam ament & impleant. „ Hæc gratia novi teſtamenti eſt." Et aliquantò poſt: „ Refellitur ima- „ ginatio, quâ dicere quis poſſet hanc promiſſionem...... ratam non „ fore, niſi etiam homo ſuum aliquid afferat, præter id quod Deus ſe „ daturum promittit. Sic enim non abſolutè nec ſine conditione pro- „ miſiſſet Deus. Quod ſi conceſſeris, poterit ergo novi teſtamenti pro- „ miſſio fruſtrari, perinde ut veteris, homine pactam conditionem non „ ſervante; & de novo teſtamento dicetur, ſicut de veteri, *quoniam* „ *ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos:* quod eſt „ manifeſtè contra promittentis intentionem." •

Denique plurimæ Galliarum Eccleſiæ ſuis in Breviariis, in feſto ſanctorum Evangeliſtarum, hymnum inſeruerunt, in quo duorum teſtamentorum oppoſiti caracteres non minùs perſpicuè quàm eleganter delineantur his verbis:

Inſculpta ſaxo lex vetus
Præcepta, non vires, dabat:
Inſcripta cordi lex nova
Quidquid jubet dat exequi.

Opponet forſitan quiſpiam novum teſtamentum commendari magnificentiùs non poſſe, quàm dicendo illud eſſe ipſammet gratiam Chriſti, porro gratiam non ſemper eſſe efficacem, ſed quandoque fruſtrari effectu ad quem tendit; ac proinde novum teſtamentum non ſemper impleri. Verùm in promptu eſt reſponſio, ſcilicet novum teſtamentum ſemper impleri, tametſi non omnis gratia eum effectum aſſequatur ad quem ultimò tendit. *Quomodò verum ſit novum teſtamentum ſemper impleri, cùm non omnis gratia ſit efficax.*

Quod ut intelligatur, dico 1° gratiam Chriſti, quamvis non ſemper producat effectum ulteriorem, ad quem excitat voluntatem, ſemper tamen producere illum effectum, ad quem producendum proximè & abſolutè ordinatur à Deo, ut alibi declarabitur. Exempli cauſâ, gratia quæ peccatorem excitat ad converſionem, etiamſi peccatorem non convertat, operatur tamen in eo deſiderium & inchoationem converſionis. Probabimus inſuper gratiam Chriſti, quatenùs Chriſti eſt, ſemper eſſe efficacem; quatenùs verò effectum ulteriorem interdum non producit, non eſſe propriè gratiam Chriſti, ſed ſub eo reſpectu aliquo modo pertinere ad legem & ad doctrinam, quæ oſtendunt quidem & ſuadent

 quod

Digitized by Google

quod bonum eſt, non autem & perſuadent. Dico 2° novum teſtamentum abſolutè conſideratum, prout in ſcripturis deſcribitur, non eſſe qualemcunque gratiam, ſed gratiam ſeipſâ efficacem, quæ operatur in nobis velle & perficere. Id demonſtrant allata Prophetarum oracula, quibus cordis novi creatio, cordis lapidei ablatio, mandatorumque impletio abſolutè promittuntur, non autem imperfectum & inefficax boni deſiderium. Proinde novi teſtamenti, propriè loquendo, hæredes non ſunt, qui ex parva & tenui gratia juſtitiam diligere & ſectari incipiunt, ſed illi duntaxat qui, plenâ & integrâ voluntate ad Deum converſi, ipſum tanquam omnis juſtitiæ fontem ſuper omnia diligunt, qui hac dilectione moventur ad obſervanda mandata, & in quibus impletur illud quod ſcriptum eſt: *Faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis & operemini:* & rurſus: *Peccatum vobis non dominabitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Donec eò perventum fuerit, poteſt quidem homo aliquatenus particeps eſſe novi teſtamenti, ſed ſimpliciter loquendo nondum pertinet ad teſtamentum novum.

Quamobrem tres hominum claſſes in viſibili corpore Eccleſiæ diſtingui poſſunt. Plurimi nullum penitùs ſanctæ dilectionis initium habent: & ſi fortè nonnunquam faciunt quod lex imperat, non amore juſtitiæ id faciunt, ſed vel ſolo pœnarum metu, vel aliquâ terrenâ cupiditate. Alii odio habent peccatum, Deum ſuper omnia diligunt, eoque affectu à peccatis abſtinent, & mandatis promptè atque ex animo obtemperant. Cæteri, tenui tantùm gratiâ præventi, incipiunt quidem diligere Deum, ſed nondum eum rebus omnibus creatis præponunt, praviſque cupiditatibus irretiti peccato adhuc ſerviunt. Prima claſſis ſub lege eſt, nullatenùs ſub gratia, atque ad novum teſtamentum nulla ex parte pertinet: ſecunda ſub gratia eſt, pertinetque propriè ad novum teſtamentum: tertia, quatenus incipit juſtitiam diligere, integramque cordis converſionem & bona cœleſtia deſiderare, inchoatè quidem & imperfectè particeps eſt novi teſtamenti; quatenùs verò peccatum carnaliſque cupiditas adhuc ei dominatur, ad vetus teſtamentum adhuc pertinet: *ſub gratia* quippe, ut ait Apoſtolus, *peccatum non dominatur.* Unde, cum ſecundùm id homines æſtimandi ſint, quod in eis dominatur, quicunque in hac tertia claſſe adhuc jacent, ſimpliciter & abſolutè loquendo ſub veteri ſunt teſtamento, ad novum autem non pertinent niſi imperfectè & ſecundùm quid.

Sexta differentia.

Judæis ſub lege ſervientibus impoſitum fuit grave jugum obſervationum legalium, quarum ſpirituali intelligentiâ carebant. Novi autem teſtamenti hæredibus, tanquam filiis & amicis, pauci facileſque ritus præ-

præſcribuntur, quorum, ſicut & obſervationum legalium, intelligentia illis datur

Ratio poſtulat ut aliter cum ſervis, aliter cum liberis agatur. Servis, quos ſolus pœnarum metus in officio continet, multa & gravia imperantur, ad domandam illorum duritiem, ac ne conceſſo ſibi otio ad licentiam abutantur; eorum autem quæ ipſis imperantur ratio non redditur, nec intelligentia datur. At filiis & liberis, quos amor ad officia impellit, pauca & levia præſcribuntur, eorumque utilitas & finis revelatur. Primo modo ſub lege veteri, ſecundo ſub nova ſe geſſit divina ſapientia. Judæos ſub lege poſitos plurimis obſervationibus ſubjecit, quæ à S. Petro, Act. XV. 10, appellantur *jugum, quod neque nos*, inquit, *neque patres noſtri portare potuimus*. Præterea vulgo Judæorum datum non eſt noſſe & intelligere quid illarum obſervationum copiâ & apparatu ſignificaretur; ſed paucis tantummodò ac ſpiritualibus, qui tunc ex fide viventes, & Chriſtum, tanquam finem legis juſtitiæque auctorem, ſub externis ſignorum involucris intuentes, intelligenter frequentabant ea ſacramenta, quæ à cæteris ſerviliter obſervabantur. „ Sub „ lege ſervit, ait S. Auguſtinus lib. 3 *de Doctrina Chriſtiana*, cap. 9. num. 13, qui operatur aut veneratur aliquam rem ſignificantem, ne„ ſciens quid ſignificet: qui verò aut operatur, aut veneratur utile ſig„ num divinitùs inſtitutum, cujus vim ſignificationemque intelligit, non „ hoc veneratur quod videtur & tranſit, ſed illud potiùs quò cuncta „ talia referenda ſunt. Talis autem homo ſpiritalis & liber eſt, etiam „ tempore ſervitutis, quo carnalibus animis nondum oportet ſigna illa „ revelari, quorum jugo edomandi ſunt. Tales autem ſpiritales erant „ Patriarchæ ac Prophetæ.“ Et in *Expoſitione Epiſt. ad Galatas*, num. 19: „ In obſervationibus, ſi non intelligantur, ſervitus ſola eſt, qua„ lis erat in populo Judæorum, & eſt usque adhuc: ſi autem & obſer„ ventur illa, & intelligantur, non modò nihil obſunt, ſed proſunt „ aliquid, ſi tempori congruant; ſicut ab ipſo Moyſe Prophetiſque ob„ ſervata ſunt, congruentibus illi populo, cui adhuc talis ſervitus „ utilis erat, ut ſub timore cuſtodiretur. Nihil enim tam piè ter„ ret animam quàm ſacramentum non intellectum; intellectum au„ tem gaudium pium parit, & celebratur liberè, ſi opus eſt tempori; „ ſi autem non eſt opus, cum ſuavitate ſpiritali tantummodò legitur & „ tractatur.“

Duplex eſt igitur fidelium ad novum teſtamentum pertinentium dignitas. 1° Quidem quòd cognoſcant finem legis, myſteriaque ſub litteræ cortice latentia intelligant. Propterea dicebat Chriſtus Apoſtolis, Joannis XV. 15: *Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit quid faciat dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* 2°. Quòd Moſaicarum obſervationum jugo li-

 be-

berati, ſacramentis numero pauciſſimis, uſu facillimis, virtute præſtantiſſimis, in unum cum Chriſto corpus coaleſcant.

Inde concludere eſt Chriſtianam libertatem novique teſtamenti prærogativas ab eis craſſè ignorari, qui, neglectâ caritate Dei & proximi, quæ plenitudo legis eſt, plebem Chriſtianam minutis quibusdam obſervationibus ad libitum excogitatis onerant, quaſi in corporalibus exercitationibus religionis ſumma conſiſteret. Religioſè retineantur ſalubres conſuetudines ac cæremoniæ, quas Eccleſia à Patribus accepit, ſancivit, conſecravit. At devotiones novæ, inanes, ad veram & intimam pietatem non conducentes, communi Eccleſiæ uſu non receptæ, & quæ à ſimplicibus plerumque in ſuperſtitionem varioſque abuſus convertuntur, quæ tamen nonnulli tantò ſtudioſiùs venditare ſolent, quantò magis prætermittunt quæ graviora ſunt legis, liberè reſpuantur, caveaturque ne fideles, ſanguine Chriſti in libertatem filiorum aſſerti, ſub jugo ſervitutis ad libitum hominum detineantur. At verò, cùm in ſacroſanctis myſteriis celebrandis, publiciſque officiis obeundis, graves piæque cæremoniæ antiquiſſimo Eccleſiæ uſu inſtitutæ ſint, quæ, ſi ſpiritaliter intelligantur, ad fidem erudiendam, ad religionem nutriendam, ad attentionem excitandam non parum afferunt utilitatis, ſapientiſſimè Tridentina Synodus, ſeſſ. 22. cap. 8, præcepit omnibus „ Paſtoribus & ſingulis cu„ ram animarum gerentibus, ut frequenter intra Miſſarum celebrationem, „ vel per ſe, vel per alios, ex iis quæ in miſſa leguntur aliquid expo„ nant.“ Cùm enim, ait eadem ſancta Synodus ibidem, cap. 5, Eccleſia „ cæremonias adhibuerit ex Apoſtolica diſciplina & traditione, „ quò...... mentes fidelium, per hæc viſibilia religionis & pietatis ſig„ na, ad rerum altiſſimarum contemplationem excitarentur,“ neceſſe eſt ut de illarum ſignificatione & fructu ſedulò erudiantur fideles.

ARTICULUS SEXTUS.

An omnes qui in externa Eccleſiæ communione verſantur ad novum pertineant teſtamentum; & quid ſit eſſe ſub lege.

Hæ quæſtiones ex dictis hactenùs facilè ſolvi poſſunt. Quoniam tamen ad mores juxta evangelii normam informandos, atque ad veram juſtitiam à falſa diſcernendam non parum conducunt, in eis aliquantiſper immorari viſum eſt.

Amborum fœderum differentia, ſi attentè conſideretur, affectuum magis quàm temporum eſſe dignoſcitur. Siquidem & ante incarnationem Domini non pauci fuerunt viri ſancti ex fide viventes, atque ad novum teſtamentum reipſâ pertinentes; & nunc, tempore prædicationis evangelicæ, plurimi nomine tenus tantùm Chriſtiani ſunt, ut egregiè ex-

exponit Nicolius, in Epiſtolam Dominicæ intra octavam Nativitatis Domini. Tria Chriſtianorum genera diſtinguit ſcriptor ille celeberrimus. Primum eſt eorum qui effræni licentia peccato cupiditatibusque ſuis ſerviunt, de acquirenda juſtitia minimè ſolliciti. Alterum eſt eorum qui juſtitiam ſectantur quidem, ſed minimè apprehendunt, ſive quia externæ tantùm juſtitiæ ſimulacro paſcuntur, ſive quia ſolo gehennæ metu, non verò ex amore juſtitiæ à peccatis abſtinent, ſive quia, propriis viribus juſtos fieri ſe poſſe præſumentes, juſto Dei judicio ſibimetipſis dimittuntur. Tertium denique eorum eſt qui Deum ſincerè & ex corde colunt, qui ad ſuperna bona toto pectore anhelant, qui ex fide per dilectionem operante mandata obſervant. Primum genus ne Judæorum quidem nomine dignùm eſſe pronuntiat, quippe quòd de legis cuſtodia nullomodò curet. Alterum, perinde ac Judæos quorum affectus gerit, ad vetus teſtamentum pertinere definit. Tertium duntaxat verè Chriſtianum, novoque teſtamento deputandum eſſe declarat. De primo ac de tertio genere hic non agimus, ſed de ſecundo tantùm.

Nonnullis forſitan inſtar paradoxi videbitur, ſi fortè audierint homines in externa Eccleſiæ ſocietate viventes, non ad novum, ſed ad vetus teſtamentum pertinere: ſed iſtud paradoxum apud SS. Patres atque optimos Theologos uſitatiſſimum eſt.

Inter alios S. Auguſtinus, lib. 1 *de Baptiſmo contra Donatiſtas*, cap. 15. num. 24, ſic loquitur: „ Sicut in ſacramentis veteris teſtamenti vivebant quidam ſpirituales, ad novum ſcilicet teſtamentum, quod tunc occultabatur, occultè pertinentes, ſic & nunc in ſacramento novi teſtamenti, quod jam revelatum eſt, plerique vivunt animales. Qui proficere ſi nolunt ad percipienda quæ ſunt Spiritûs Dei, quò eos hortatur ſermo Apoſtolicus, ad vetus teſtamentum pertinebunt: ſi autem proficiunt, & antequàm capiant ipſo profectu & acceſſu ad novum pertinent.“ Per iſtos proficientes intelligendi ſunt juſti adhuc imperfecti, qui ad perfectionem tendunt, & quibus S. Doctor ibidem applicat hæc verba pſalmi 138: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur.*

Robertus Pullus, Summæ Sentent. part. 3. cap. 10, de juſtis, qui ante Chriſti adventum vixerunt, dicit *iſtos ſub lege militaſſe gratiæ.* De Chriſtianis autem carnalibus loquens: „ Quamplures, inquit, tempore gratiæ degentes ad tempus vetuſtatis potiùs pertinere cernuntur, dum intentione caducorum Deo ſerviunt: faciunt quidem quod debent quia Domino ſerviunt, ſed non quomodò debent, quia non propter ipſum.“

S Thomas, 1. 2. quæſt. 107. art. 1. ad 2um, cùm dixiſſet nonnullos extitiſſe tempore veteris teſtamenti, qui ad novum pertinuerunt, addit: „ Similiter etiam in novo teſtamento ſunt aliqui carnales, nondum per-

„ tingentes ad perfectionem novæ legis, quos oportuit, etiam in novo „ teſtamento, induci ad opera virtutis per timorem pœnarum, & per „ aliqua temporalia promiſſa." Quem textum commentans Sylvius: „ „ Nunc, inquit, tempore legis novæ, quidam ſunt Chriſtiani pertinentes ad legem veterem, ſeu ad teſtamentum vetus, ſcilicet qui non „ habentes ſpiritum caritatis, vel à malo non abſtinent, vel, ſi abſtinent, id faciunt ſolo timore pœnarum."

Eſtius pariter, in cap. 8 Epiſt. ad Hebræos, docet „ Chriſtianos „ ad novum teſtamentum non pertinere, niſi quatenùs in eis promiſſio „ gratiæ novi teſtamenti impletur. Itaque fatemur, inquit, tempore „ veteris teſtamenti quosdam fuiſſe novi teſtamenti filios; & contra, „ tempore novi teſtamenti, non paucos cenſeri filios veteris teſtamenti, „ videlicet eos omnes, qui carnalibus Judæis ſimiles timore pœnæ, non „ amore juſtitiæ legem ſervant, imò non ſervant, ſed ſibi ſervare videntur, ut loquitur S. Auguſtinus lib. 3 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 4."

Quid verò mirum eſt eos Judæis ſub lege carnaliter ſervientibus accenſeri, veterique teſtamento attribui, quos ſcriptura ſacra à regno Dei extraneos juſtitiæque exſortes eſſe pronuntiat?

Fruſtra objiceres per novum teſtamentum Eccleſiam coaleſcere; ac proinde, ſi Chriſtiani carnales non pertinerent ad novum teſtamentum, nec ad Eccleſiam eos pertinere. Hanc enim objectionem ſolvit S. Thomas, 2. 2. quæſt. 108. art. 1. ad 3, dicendo hujusmodi Chriſtianos, *etſi numero ſint de Eccleſia, non tamen merito*, hoc eſt, externæ communionis Eccleſiæ participes eſſe, ſed ad animam Eccleſiæ, quæ caritas eſt, non pertinere; adeòque, quandiu eo in ſtatu ſunt, non frui prærogativis novi fœderis.

Simili argumento Calviniani probare conati ſunt Eccleſiam eſſe inviſibilem, ſolosque electos complecti. Sed illos ſolidè refellit Bellarminus lib. 3 *de Eccleſia militante*, cap. 15. „ Quamvis, inquit, teſtamentum „ novum propriè ſit caritas, quæ eſt lex in corde ſcripta, teſtamentum „ vetus propriè ſit doctrina exterior, ſive lex ſcripta in lapidibus, tamen non ſequitur Eccleſiam novi teſtamenti eſſe inviſibilem. Ut enim „ corpus cujuslibet animalis viſibile eſt, & tamen habet multa intus „ quæ non videntur, ut cor, hepar &c; ita Eccleſia viſibilis habet „ multa inviſibilia, fidem, ſpem & caritatem, & quamvis hæc dona „ inviſibilia ſint neceſſariò in Eccleſia, & in ſola Eccleſia, non tamen „ in omnibus ejus partibus; ſicut ſenſus eſt neceſſariò in animali, & in „ ſolo animali, & tamen non eſt in omnibus ejus partibus."

Si autem quæras quinam adhuc in lege eſſe cenſeantur, quamvis ex præcedentibus id colligere in promptu ſit, paucis accipe.

Sub lege ſunt 1° qui, gratiæ Chriſti neceſſitatem virtutemque ignoran-

rantes ſeu negantes, ex ſeipſis juſtos eſſe ſe poſſe confidunt. „ Ad teſtamentum vetus..... illi pertinent, ait S. Auguſtinus lib. 3 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 4. num. 9, qui putant ſibi ad vi-
„ tam (legis) litteram poſſe ſufficere, & ideò, quà fiant factores legis,
„ divinam miſericordiam non requirunt; ſed, ignorantes Dei juſti-
„ tiam, & ſuam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.“
Ibid. cap. 7. num. 20 & 22, dicit Judæos in ſcipſis, Apoſtolos autem & omnes promiſſionis filios in Chriſto gloriari. Vide ejuſdem Epiſt. 157, al. 89, ad Hilarium, cap. 2. num. 6.

Sub lege ſunt 2° qui terrena bona magis quàm ſpiritalia & æterna diligunt. Sic loquitur idem S. Doctor, Tract. 11 in Joann. num. 8: „ Ad
„ vetus teſtamentum pertinent dilectores temporalium, dilectores ſæcu-
„ li; ad novum teſtamentum dilectores vitæ æternæ.“ Et Serm. 14, cap. 13: „ Qui carnaliter vivunt, carnaliter credunt, carnaliter ſpe-
„ rant, carnaliter diligunt, adhuc ad vetus teſtamentum pertinent,
„ nondum ad novum: adhuc in ſorte ſunt Eſaü, nondum in benedic-
„ tione Jacob.“

3°. Sub lege ſunt qui peccato adhuc ſerviunt, necdum valent cupiditates ſuas vincere. „ Unde enim, ait S. Auguſtinus, Tract. 3 in Joann. num. 2, facti erant homines ſub lege? „ Non implendo legem.
„ Qui enim legem implet, non eſt ſub lege, ſed cum lege: qui autem
„ ſub lege eſt, non ſublevatur, ſed premitur lege.“

Sub lege ſunt 4° qui non juſtitiæ dilectione, ſed ſolo gehennæ metu à peccatis abſtinent, & ea faciunt quæ lex præcipit. Ut enim ait Apoſtolus, Galat. III, *ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege:* quæ verba ſic interpretatur S. Auguſtinus lib. *de Natura & gratia*, cap. 57. num. 67: „ In quantùm quiſque ſpiritu ducitur, non eſt ſub lege,
„ quia in quantùm condelectatur legi Dei, non eſt ſub legis timore,
„ quia lex timorem habet, non delectationem. Sub lege eſt, inquit
„ ibidem, qui timore ſupplicii, quod lex minatur, non amore juſtitiæ
„ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber, & non alienus à
„ voluntate peccandi.“ Idem docet iiſdem verbis Primaſius, in eadem Tom. 16 Bibl.
Apoſtoli verba. Remigius Autiſſiodorenſis in Pſalm. 1: „ Qui timo- PP. pag. 1047.
„ re pœnæ legem cuſtodit, inquit, ſub lege eſt, quia ex neceſſitate be-
„ nè agit, non ex voluntate.“ Et S. Thomas, 2. 2. quæſt. 108. art. 1. ad 3: „ Illis qui ex amore bonum operantur, qui ſoli propriè ad
„ evangelium pertinent, non eſt timor incutiendus per pœnam, ſed
„ ſolum illis qui ex amore non moventur ad bonum, qui, etſi nume-
„ ro ſint de Eccleſia, non tamen merito.“

Quiſquis ergo ſincerè vult ad novum teſtamentum veraciter pertinere, & in eo proficere, ex corde confiteatur ſe ſine gratia Chriſti nihil poſſe. Si juſtitiæ donum jam conſecutus eſt, quotidianum gratiæ adju-

to-

Digitized by Google

torium aſſiduè expoſcat, quo in acceptis bonis perſeveret; ſpretis temporalibus, ſola æterna concupiſcat; ſtudeat in caritate magis ac magis radicari & fundari, & per eam in obſervatione mandatorum delectari; & quantò plus in his profecerit, tantò plus confidat ſe divina miſericordia ad novum teſtamentum pertinere.

F I N I S *Libri Tertii.*

INDEX

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM AC TITULORUM
LIBRI TERTII.

Liber Tertius. *De variis humanæ naturæ ſtatibus.* Pag. 1.
Dissertatio Prima. *De ſtatu naturæ innocentis.* 3.
Caput Primum. *De dotibus naturæ innocentis.* ibid.
Quæstio I. *Utrùm primis parentibus in ipſa ſua creatione Deus caritatem gratiamque ſanctificantem indiderit, & utrùm in eo ſtatu gratia dici debeat naturalis, an ſupernaturalis.* 4.
Propositio. *Adamus creatus eſt in gratia & ſanctitate.* 5.
An gratia primo homini in creatione collata dici poſſit naturalis, & quo ſenſu. 10.
Quæstio II. *An primi parentes, antequàm peccaſſent, ignorantiæ & concupiſcentiæ penitùs expertes fuerint.* 15.
Prima Propositio. *In ſtatu innocentiæ nulla fuit ignorantia, ſed clara & certa cognitio omnium quæ primos humani generis parentes noſſe expediebat.* 16.
Secunda Propositio. *Nulla concupiſcentia, nullus innatus appetitus propriæ excellentiæ, nullus voluntatis motus inordinatus, rationem præveniens, extitit in ſtatu innocentiæ.* 18.
An voluptates ſenſibiles locum habuerint in ſtatu naturæ innocentis. 21.
Quæstio III. *De corporis in ſtatu innocentiæ dotibus, & maximè de immortalitate.* 23.
An Adamus, ſi non peccaſſet, fuiſſet moriturus. ibid.
Propositio. *Natura humana ſic à creatore inſtituta eſt, ut, ſi anima non peccaſſet, corpus nunquam moreretur.* 24.
Quo ſenſu Adamus immortalis fuit. 26.
Undenam homini innocenti proveniebat illa immortalitas. 27.
Utrùm immortalitas hominis innocentis fuerit naturalis, an ſupernaturalis. 29.
Utrùm primi parentes ante peccatum cibo & potu indiguerint. 30.
An homo innocens ſomno indiguerit. 31.
Quæstio IV. *De Paradiſo terreſtri, aliiſque ſtatûs innocentiæ commodis.* 33.
De ſitu Paradiſi terreſtris. ibid.
De ligno ſcientiæ boni ac mali: cur homini vetitum ſit de illius fructu edere ibid.

Hominis in Paradiſo poſiti beatitudo. Pag. 35.
CAPUT SECUNDUM. *De gratiæ auxiliis ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ neceſſariis.* 36.
QUÆSTIO I. *An homo innocens opus habuerit adjutorio gratiæ ad perſeverandum in juſtitia, & ad ſingulos actus bonos.* ibid.
PROPOSITIO. *Homo innocens indigebat auxilio gratiæ ad perſeverandum in juſtitia, & ad ſingulos actus.* ibid.
Exponitur mens S. Thomæ. 40.
QUÆSTIO II. *Quali adjutorio gratiæ primus homo indiguerit ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ.* 42.
PRIMA PROPOSITIO. *Gratia propriè dicta, ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ requiſita, non fuit* adjutorium quo, *ſeu per ſe efficax, ſed* adjutorium ſine quo, *ac tale ut illo uti vel non uti in libero voluntatis arbitrio relinqueretur.* 44.
Quodnam fuerit illud adjutorium ſine quo, *& in quo poſitum.* 48.
Adjutorium ſine quo *non fuit ipſamet libertas arbitrii.* ibid.
Non fuit gratia ipſa habitualis. 49.
Non fuit concurſus concomitans. ibid.
Non fuit ſimplex illuſtratio intellectûs. 50.
Non fuit gratia præveniens verſatilis. ibid.
Non fuit gratia ſufficiens Thomiſtica. 51.
Non fuit continuata productio gratiæ ſanctificantis, nec præmotio phyſica ad perſeverandum homini jam volenti conceſſa. ibid.
S. Auguſtinus, in eis quæ docuit de adjutorio naturæ innocentis, nullatenus hæſit in errore Maſſilienſium. 53.
Adjutorium ſine quo *fuit motio moralis, ſeu delectatio boni indeterminata.* 55.
SECUNDA PROPOSITIO. *Homo innocens, præter adjutorium* ſine quo, *quod erat gratia illius ſtatûs propria, indigebat, ad volendum bonum & ad ſingulos pietatis actus, motione Dei phyſicâ & prædeterminante.* 61.
Deus angelos bonos à malis peculiari auxilio diſcrevit. ibid.
Homo innocens opus habuit auxilio per ſe efficaci ad perſeverandum in bono. 68.
Primus homo, quando peccavit, à Deo deſertus ſibique dimiſſus eſt. 69.
Virium integritas non excludit neceſſitatem prædeterminationis phyſicæ. 71.
Si Adamus, Deo non præmovente, in bono perſeveraſſet, meliorem ſeipſum feciſſet quàm Deus fecerat. ibid.
Potuiſſet in ſeipſo gloriari & in ſeipſo confidere. 72 & 73.
Non debuiſſet poſcere à Deo perſeverantiam in bono, nec de illa gratias agere Deo. 73 & 74.
TERTIA PROPOSITIO. *Prædeterminatio phyſica, ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ, multiplici ſenſu dici poteſt gratia; propriè tamen & ſtrictè loquendo, non eſt ea gratia pro qua contra Pelagianos Eccleſia decertavit.* 75.
Multiplex differentia gratiæ propriè dictæ & præmotionis phyſicæ. 76.

Sol-

Digitized by Google

Solvuntur objectiones adverſùs ſecundam Propoſitionem. Pag. 80.
S. Auguſtini propoſitum in libro de Correptione & gratia. *Cur ibi de præmotione phyſica ſilendum duxerit.* 82.
Cur libero arbitrio attribuatur quod ſine præmotione phyſica non fit. 85.
Quo ſenſu merita ſtatûs innocentiæ dici poſſunt merita humana. 87.
QUÆSTIO III. *De differentiis gratiæ ſtatûs naturæ innocentis, & gratiæ reparatricis naturæ lapſæ.* 89.
CAPUT TERTIUM. *De peccato primi parentis.* 93.
QUÆSTIO I. *Quodnam fuerit primum Adami peccatum, & quomodò in illud inciderit.* ibid.
Primum hominis peccatum fuit ſuperbia. 94.
Quo pacto Adamus in peccatum lapſus eſt. 96.
QUÆSTIO II. *Quàm grande fuerit Adami peccatum.* 98.
Undenam repetatur gravitas peccati primorum parentum. ibid.
QUÆSTIO III. *Cur Deus hominem tentari & cadere permiſerit.* 100.
Ex permiſſione peccati peccator non excuſatur. 107.
DISSERTATIO SECUNDA. *De ſtatu naturæ lapſæ.* 109.
CAPUT PRIMUM. *De peccati primi parentis ad omnes ejus poſteros propagatione, ſive de peccato originali.* ibid.
QUÆSTIO I. *De exiſtentia peccati originalis.* 110.
PRIMA PROPOSITIO. *Peccatum Adami ad omnes ejus poſteros per generationem tranſit, ſeu omnes homines, qui viâ ordinariâ naſcuntur, peccati maculam ac reatum naſcendo contrahunt.* 113.
Probatio 1. ex Scripturis. ibid.
Ex Scripturis, omnes homines naſcuntur peccato obſtricti. ibid.
Adami peccatum in omnes homines tranſit. Textus Apoſtoli, Rom. V, à pravis Pelagianorum interpretationibus vindicatur. 114.
Chriſtus omnium hominum redemptor, etiam parvulorum, nonniſi pro peccatoribus incarnatus ac mortuus eſt. 119.
Probatio 2ª. ex Traditione. 122.
S. Juſtinus martyr. ibid.
S. Irenæus Epiſcopus & martyr. ibid.
S. Clemens Alexandrinus. Textus quidam illius exponitur. 123.
Origenes. 124.
Tertullianus. 125.
S. Cyprianus cum Epiſcoporum ſynodo. 126.
Reticius Epiſcopus. — Olympius Epiſcopus. — S. Hilarius. — S. Athanaſius. — S. Optatus. 127.
S. Baſilius. — S. Gregorius Nazianzenus. — S. Ambroſius. 128.
Rufinus. — S. Hieronymus. — S. Chryſoſtomus. 129.
Solvuntur duæ ex S. Chryſoſtomo objectiones. 130.
S. Auguſtinus. 133.

Digitized by Google

Argumentum à præſcriptione petitum. Pag. 133.
Probatio 3ª ex Conciliis & ſummis Pontificibus. 135.
Probatio 4ª ex rationibus Theologicis. 136.
SECUNDA PROPOSITIO. *Peccatum originale eſt unicuique proprium & inhærens, ac juſtè imputatur à Deo tanquam peccatum propriè dictum.* 140.
Solvuntur objectiones Pelagianorum. 144.
De lege non occidendi filios propter peccata patrum. ibid.
Injuſtum non eſt peccatum primi parentis ad ejus poſteros, Deo ita permittente, tranſire. 149.
An & quomodò peccatum originale voluntarium ſit. 151.
Cur ex parentibus juſtis non juſti, ſed peccatores naſcantur. 157.
An aliorum parentum peccata tranſeant ad filios. 158.
Non ſolis actibus, ſed habitibus quoque bonis vel malis, laudabiles vel culpabiles ſumus. 166.
APPENDIX. *De Conceptione B. Virginis Deiparæ. An fuerit à peccati originalis labe immunis.* 167.
Quid hac de re Scriptura doceat. ibid.
Sancti Patres multis modis docent B. Virginem non fuiſſe in ſua conceptione immunem à macula peccati originalis. ibid.
Idem ſenſerunt plurimi veteres Scholaſtici. 170.
Argumenta ſanctorum Patrum ac Theologorum contra opinionem conceptionis immaculatæ. 172.
Contrariæ opinionis origo & progreſſus. 173.
Præcipua hujus opinionis argumenta. 177.
Quid contra reſpondeatur. ibid.
De feſto Conceptionis B. Mariæ. 179.
QUÆSTIO II. *Quomodò anima naſcentis infantis peccato originali obſtricta teneatur.* 182.
De animæ origine: utrùm ſcilicet ex anima primi parentis per traducem naſcatur, an ſingulæ de novo creentur ad informanda ſingula humana corpora. 184.
S. Auguſtinus nunquam definire auſus eſt utrùm animæ ex traduce naſcantur, an ſingulæ de novo creentur. 185.
Multi alii Patres circa eamdem quæſtionem incerti manſerunt. 186.
Expenduntur ea quæ circa hanc quæſtionem in Scripturis habentur. 187.
Multi Patres aſſerunt animas quotidie novas creari. 188.
Eamdem doctrinam adſtruunt validiſſima rationis argumenta. 189.
Utrùm hæc doctrina ad fidem catholicam pertineat. 191.
Propterea omnes homines naſcuntur peccato obſtricti, quia omnes in primo parente peccaverunt, & quia anima per corporis, cui naturaliter unitur, ſocietatem verè peccatrix evadit. 193.
Nullomodò peccati originalis transmiſſio juſtitiæ divinæ adverſatur. 195.

QUES-

QUÆSTIO III. *An ſit in parentibus gignentibus vitioſum aliquid, per quod peccatum originale trajiciatur in prolem, & quid illud ſit.* Pag. 196.
PRIMA PROPOSITIO. *Peccatum originale non traducitur vi cujuſdam pacti, quo Deus omnium Adami poſterorum conditionem ipſius Adami, ſive peccantis, ſive in juſtitia permanentis, conditioni alligaverit.* 197.
SECUNDA PROPOSITIO. *Peccatum originale per concupiſcentiam, ſive libidinem parentum transmittitur.* 198.
Ideò Chriſtus conceptus eſt ſine peccato, quia ex Virgine abſque ullo libidinis interventu conceptus eſt. 203.
Parentes regenerati per concupiſcentiam, quæ in ipſis remanet, originale peccatum transmittunt. 206.
Quo ſenſu intelligendum eſt peccatum originis transmitti per concupiſcentiam. 207.
QUÆSTIO IV. *Quid ſit, & in quo conſiſtat peccatum originale.* 208.
PROPOSITIO. *Peccatum originale conſiſtit in reatu ſeu dominio concupiſcentiæ, prout eam ex Adamo trahimus, in quo peccante fuimus omnes, & quocum unum ſumus donec renaſcamur in Chriſto.* 210.
Quodnam ſit ſubjectum peccati originalis. 216.
An peccatum originale æquale ſit in omnibus hominibus. 217.
QUÆSTIO V. *De ſtatu parvulorum non regeneratorum ex hac vita decedentium.* ibid.
PRIMA PROPOSITIO. *Nullatenus toleranda eſt eorum opinio, qui docent parvulos cum originali peccato decedentes beatitudine qualibet naturali fruituros eſſe.* 224.
Hic error in Pelagianis damnatus eſt. ibid.
Parvuli, ſi non ſint baptizati, damnantur, pereunt, iræ filii ſunt. 227.
Nullus eſt in altera vita locus medius parvulis non baptizatis deſtinatus. 229.
Parvuli non baptizati ſunt ſub poteſtate diaboli. 231.
Status, in quo nunc ſunt parvulorum animæ corporibus exutæ, in perpetuum duraturus eſt. ibid.
Contrariæ opinionis auctores fidem evertunt peccati originalis. 232.
Doctiſſimorum Præſulum ac Theologorum de illa opinione judicium. ibid.
SECUNDA PROPOSITIO. *Parvuli non renati verè miſeri ſunt, & de privatione regni cœleſtis gravi & perenni doloris ſenſu afficiuntur.* 234.
TERTIA PROPOSITIO. *Scriptura ſacra & SS. Patres docent parvulos, qui cum originali peccato decedunt, non tantùm pœnâ quam* damni *vocant, ſed etiam pœnâ quam* ſenſûs *appellant, puniri.* 236.
Solvuntur objectiones. 242.
Nonnulla ex doctrina peccati originalis conſectaria obiter eruuntur. 246.
CAPUT SECUNDUM. *De ignorantia, quæ prima originalis peccati pœnalitas eſt: utrùm contra legem agentes excuſet à peccato.* 248.
Multiplex ignorantiæ genus. 249.

Quæ ignorantia excuſet à peccato: quæ non excuſet. Pag. 250.
Quo ſenſu ignorantia juris naturalis dici poſſit vincibilis vel invincibilis. 251.
An ignorantia juris naturalis aliquando à peccato excuſet. Variæ hac de re opiniones & aberrationes. 252.
PRIMA PROPOSITIO. *Ignorantia legis naturalis pœna eſt peccati originalis.* 256.
SECUNDA PROPOSITIO. *Ignorantia juris naturalis nunquam eſt abſolutè invincibilis.* 257.
Deus legis naturalis notitiam nunquam negat petentibus. ibid.
Ineſt homini naturaliter potentia, ſaltem remota, cognoſcendi ſingula legis naturalis præcepta. 258.
Semper cognoſcitur in genere quod contingit ignorari in particulari. 259.
Nulla ſunt legis naturalis præcepta, quæ ipſo ſolo rationis lumine ab aliquibus cognita non fuerint. 261.
TERTIA PROPOSITIO. *Ignorantia legis naturalis plerùmque ipſa peccatum eſt.* 263.
QUARTA PROPOSITIO. *Ignorantia juris naturalis nunquam excuſat penitùs à peccato; minuit tamen quandoque peccati gravitatem.* 267.
Quo ſenſu S. Paulus dicat ſe miſericordiam conſecutum *eſſe*, quia ignorans *fecerat in* incredulitate. 268.
In peccatis ignorantiæ reperiuntur quæcunque ad peccatum propriè dictum conſtituendum requiruntur. 277.
Ejus, qui ignorans agit contra legem naturalem, voluntas mala eſt. 278.
Ignorantia non magis excuſat à peccato quàm concupiſcentia & infirmitas. 279.
Nec excæcati, nec ipſi etiam juſti ex ignorantia excuſantur. ibid.
QUINTA PROPOSITIO. *Ignorantia actualis, quæ oblivio vel inadvertentia dicitur, ſi verſetur circa jus naturale, nequaquam excuſat à peccato: ſeu, ad peccatum formale & propriè dictum non requiritur attentio actualis ad malitiam actionis.* 281.
Solvuntur objectiones adverſùs 2am & 4am *Propoſitiones.* ibid.
APPENDIX. *De peccato Philoſophico.* 286.
Quid intelligitur nomine peccati Philoſophici. ibid.
Peccatum Philoſophicum à multis Jeſuitis aſſertum. 287.
Hujus doctrinæ denuntiatio & condemnatio. 289.
PROPOSITIO. *Doctrina peccati Philoſophici ſummo cum horrore rejicienda eſt.* 291.
CAPUT TERTIUM. *De Concupiſcentia, quæ eſt altera pœnalitas peccati originalis.* 294.
Concupiſcentia vulnus omnium graviſſimum. ibid.
QUÆSTIO I. *Quid ſit concupiſcentia.* 295.
Varia concupiſcentiæ nomina. 297.
Subjectum concupiſcentiæ. 298.
Concupiſcentia alia permanens, alia actualis & tranſiens. ibid.

Error

Digitized by Google

Error Manichæorum de concupiſcentia. Pag. 299.
Quid materiale, quid formale ſit in concupiſcentia. ibid.
Concupiſcentiæ objectum. 300.
Tria concupiſcentiæ membra, ex quibus tentationes & peccata omnia oriuntur. ibid.
Illius triplicis concupiſcentiæ origo in peccato primorum parentum. 301.
QUÆSTIO II. *Utrùm concupiſcentia ſit veri nominis peccatum in regeneratis.* 303.
Lucta carnis & ſpiritûs. ibid.
PROPOSITIO. *Concupiſcentia non eſt peccatum propriè dictum in renatis, qui motibus ejus non conſentiunt.* 306.
Expoſitio præcepti: Non concupiſces. 309.
Cur concupiſcentia non ſit peccatum in non conſentientibus. 311.
QUÆSTIO III. *An concupiſcentia ſit ex ſe mala & inordinata.* 312.
PROPOSITIO. *Concupiſcentia eſt per ſe mala & inordinata.* ibid.
Exponitur textus Apoſtoli, Rom. VII. 316.
QUÆSTIO IV. *An licitum ſit in aliquibus concupiſcentiæ obſequi, ſeu an liceat res creatas amare propter ſeipſas.* 320.
PROPOSITIO. *Nunquam licitum eſt obſequi concupiſcentiæ, nec licet res creatas quaslibet amare propter ſeipſas, ſeu illis frui velle.* 321.
Cupiditas quid ſit. 326.
Quid ſit uti, quid frui: Deo ſolo fruendum. 327.
Creaturæ ſoli gloriæ divinæ, ad quam conditæ ſunt, inſervire debent. 329.
Creaturas eo modo amare debemus quo amantur à Deo. ibid.
Creaturæ nonniſi pro modo ſuæ bonitatis amandæ ſunt. ibid.
Amor creaturarum curſum ad cœleſtem patriam impedit aut retardat. 331.
Peccatum conſiſtit in converſione ad creaturas. ibid.
Amor creaturarum amantem pungit & cruciat. 333.
Chriſtus exemplo ſuo jubet nos rebus creatis non adhærere. ibid.
Oppoſitæ opinionis contradictio. ibid.
Quo ſenſu nonnullæ delectationes licitæ dicantur. ibid.
CAPUT QUARTUM. *Cur, deleto per baptiſmum peccato originali, ignorantia, concupiſcentia, aliæque illius peccati pœnalitates remaneant.* 334.
Baptiſmus omnia reparat, ſed paulatim: illius efficacia. ibid.
Plurima commoda quæ ex hujus vitæ miſeriis electis proveniunt. 336.
DISSERTATIO TERTIA. *De ſtatu naturæ puræ: an ſit poſſibilis.* 339.
Exponitur ſtatus quæſtionis. ibid.
Errores Pelagianorum. 343.
Variæ Theologorum ſententiæ. 344.
PROPOSITIO. *Status naturæ puræ divinis attributis repugnat, adeòque non eſt poſſibilis.* 345.
Primum Argumentum. ibid.
Secundum Argumentum. ibid.

Tertium Argumentum. Pag. 347.
Quartum Argumentum. 348.
Quintum Argumentum. 349.
Sextum Argumentum. 351.
I. *Divinæ ſapientiæ ac providentiæ repugnat hominem ordinari ad alium finem, quàm adfruendum Deo.* ibid.
Solâ Dei fruitione ſatiari & expleri poteſt innatum creaturæ rationalis deſiderium. ibid.
Deus ipſe eſt bonum illud, quod omnis homo naturaliter appetit ſub ratione boni univerſalis. 353.
Mens humana naturaliter deſiderat claram Dei viſionem. Sex argumenta S. Thomæ. ibid.
Nullius rei creatæ fruitione expleri poteſt naturale hominis deſiderium mentisque capacitas. 355.
Naturali & æternâ lege jubemur diligere Deum, ut ſolum bonum noſtrum finemque ultimum. 356.
Philoſophorum conſenſus. 357.
S. Auguſtinus ex profeſſo aſſeruit contra Pelagianos, repugnare juſtitiæ divinæ hominem innocentem excludi à regno cœlorum, extra quod, inquit, non poteſt non eſſe miſer. 358.
II. *Divina bonitas & ſapientia creare hominem non potuit gratiâ ſive caritate deſtitutum.* 362.
III. *Deus ſummè bonus, ſapiens, omnipotens & juſtus non potuit creare hominem cum ignorantia quacum naſcimur.* 366.
Ignorantia homines facit miſeros. ibid.
Ignorantia mater peccatorum. 367.
Ex S. Auguſtino, ignorantia & concupiſcentia non poſſunt eſſe naturæ primordia. 368.
IV. *Divinæ bonitati, ſanctitati ac ſapientiæ repugnat creari hominem concupiſcentiæ obnoxium.* 370.
Ex S. Auguſtino, ſi concupiſcentia ad naturam hominis pertineret, vincerent Manichæi. 371.
V. *Divinæ bonitati, ſapientiæ, juſtitiæ & omnipotentiæ repugnat, hominem primitùs creari mortis neceſſitati, aliiſque hujus ærumnoſæ vitæ miſeriis ſubjectum.* 376.
S. Auguſtinus docet Deum injuſtum fore, ſi innocentibus mala inferri fineret. ibid.
S. Auguſtinus exceſsûs argui non poteſt. 377.
Non etiam hypotheticè, ſed abſolutè locutus eſt. 378.
Neque hujus vitæ mala ſpectavit ut pœnalia, ſed in ſeipſis. 380.
Alii SS. Patres S. Auguſtino conſentiunt. 381.
Solvuntur objectiones. 391.
Quo ſenſu naturalia manſerunt integra poſt peccatum. ibid.

Quo

Quo ſenſu fruitio Dei dicatur finis ſupernaturalis creaturæ rationalis. Pag 392.
Quo ſenſu gratia dici queat homini innocenti debita. 394.
Solvitur difficultas ex libro 3° S. Auguſtini de Libero Arbitrio. 395.
Solvitur objectio ex Bulla Pii V. 404.
Quo ſenſu hujus vitæ miſeriæ naturales dici queant. 406.
DISSERTATIO QUARTA. *De œconomia reparationis naturæ lapſæ, nec non de variis humani generis ſtatibus ante legem & ſub lege.* 408.
CAPUT PRIMUM. *An fides & gratia Chriſti mediatoris omnibus hominibus, poſt Adami lapſum, abſolutè neceſſaria ſit, ſemperque fuerit, ad juſtitiam ſalutemque æternam conſequendam.* ibid.
Multiplices hac de re errores. 409.
Status quæſtionis. 411.
PRIMA PROPOSITIO. *Poſt Adami lapſum nemo prorſus liberari, juſtitiamque & ſalutem conſequi unquam potuit ac poterit, niſi per gratiam Chriſti mediatoris.* 413.
SECUNDA PROPOSITIO. *Poſt Adami lapſum nemo juſtitiam conſequi unquam potuit abſque fide in Chriſtum mediatorem, neque ſuffecit unquam fides qualiſcunque in Deum unum, creatorem, remuneratorem ac vindicem,* 419.
Doctrina Epiſcoporum Galliæ. ibid.
Argumentum 1um è ſcripturis. 421.
Argumentum 2um ex damnatione Pelagianorum. 422.
Argumentum 3um ex conſenſu SS. Patrum. 423.
Argumentum 4um ex conciliis Valentino & Tridentino. 433.
Argumentum 5um ex judicio ſummorum Pontificum & Cleri Gallicani. 435.
Argumentum 6um ductum ex confeſſione Semipelagianorum. ibid.
Argumentum 7um petitum à conſenſu Theologorum. ibid.
Argumentum 8um petitum à rationibus Theologicis. 437.
Solvuntur objectiones. 443.
An fides in Chriſtum ante ipſius incarnationem diſtincta & explicita eſſe debuerit. 45?.
An fides in Chriſtum ante ipſius incarnationem multorum fuerit, & an, poſt datam legem Moſaicam, aliquibus extra populum Iſraeliticum Mediatoris venturi revelatio innotuerit. 455.
Corollarium. 456.
CAPUT SECUNDUM. *De variis humani generis ſtatibus poſt Adami lapſum.* 457.
Cur Mediatoris adventus diu dilatus fuerit. ibid.
Humanum genus, velut unus homo, per varias profecit ætates. Quatuor illius ætates. 460.
QUÆSTIO I. *De ſtatu humani generis ante legem.* 465.
QUÆSTIO II. *De ſtatu hominum ſub lege veteri ſeu Moſaica.* 466.
Veteris legis, ſeu veteris teſtamenti duplex acceptio. ibid.
Lex moralis & lex cæremonialis. Quando & cur lex cæremonialis data fuerit. 467.

Duo errores oppoſiti circa legem veterem, Manichæorum & Pelagianorum. Pag. 468.
ARTICULUS I. PROPOSITIO. *Lex Moſaica bona, juſta & ſancta fuit.* 469.
Præcepta moralia optima & ſancta ſunt. ibid.
Quo ſenſu littera occidit. ibid.
Præcepta quoque cæremonialia bona fuerunt in ſuo genere. 470.
Ex promiſſis temporalibus malè inferretur legem malam fuiſſe. 471.
ARTICULUS II. *An lex vetus ſufficiens fuerit ad obſervanda mandata, juſtitiamque conſequendam.* 474.
Status quæſtionis. ibid.
PROPOSITIO. *Cum ſolo legis ſcriptæ adjutorio perveniri non poteſt ad veram & ſinceram præceptorum Dei obſervationem, ne quidem ad breviſſimum tempus.* ibid.
Mandata non obſervantur ſicut oportet, niſi per dilectionem Dei, quæ propriè gratia Chriſti eſt. ibid.
Per ſolum legis adjutorium mandata impleri impoſſibile eſt. 475.
Per legem non datur niſi cognitio peccati. 476.
Quælibet doctrina, quomodòlibet exteriùs propoſita, nihil prodeſt ad juſtitiam absque gratia interiore. 478.
Si per legem mandata impleri poſſent, exinanita eſſet divina promiſſio & abolita fides. 479.
Sub lege nemo eſt qui faciat bonum, ne unus quidem. 481.
Sine gratia Chriſti lex aut apertè violatur, aut non veraciter obſervatur. 482.
Lex ſine gratia, nedum peccatum vincat, illud potiùs auget occaſionaliter. 483.
Quomodò lex peccatum auxiſſe dici poſſit, cùm vel ipſo pœnarum metu retraxerit ab opere externo peccati. 487.
An lex cæremonialis juſtificandi virtutem habuerit. 489.
PROPOSITIO. *Sacramenta & ſacrificia veteris legis gratiam ſanctificantem non conferebant ex opere operato. De ipſa etiam circumciſione idem dicendum eſt.* 490.
Argumentum ex Scripturis. ibid.
Argumentum ex SS. Patribus. 492.
Argumentum ex Theologis. 493.
Argumentum ex concilio Tridentino. ibid.
Circumciſio non delebat peccatum originale ex opere operato. 494.
Solvuntur objectiones. 498.
Quo ſenſu ſacramentis antiquæ legis remiſſio peccatorum attribuatur. 499.
Exponitur S. Auguſtini doctrina de circumciſionis effectu. 508.
ARTICULUS III. *Quo conſilio Deus legem veterem Iſraelitis dederit.* 514.
§. I. *Quo conſilio Deus legem moralem Judæis dederit.* 515.
Status quæſtionis. ibid.

PRO-

Digitized by Google

Propositio. *Eo conſilio Deus legem moralem promulgavit, ut, peccato ipſius legis occaſione ingraveſcente, homines de ſua ad implenda mandata infirmitate tandem convicti, admonerentur ad Chriſtum per fidem recurrere, ejusque gratiæ adjutorium implorare.* Pag. 516.
Argumentum primum ex Scripturis. ibid.
2um *Argumentum ex S. Auguſtino.* 517.
Magnum in lege myſterium. 520.
3um *Argumentum ex conflictu Eccleſiæ cum Pelagianis.* 522.
4um *Argumentum ex aliis Eccleſiæ Patribus.* 523.
5um *Argumentum ex Theologis.* 526.
6um *Argumentum ductum ab eventu.* 527.
Solvuntur objectiones. 528.
§. II. *Quam ob cauſam Judæis data ſit lex cæremonialis, quæ per ſe non poterat juſtificare.* 529.
Prima ratio. ibid.
Secunda ratio. Tota lex cæremonialis fuit myſteriorum Chriſti & Eccleſiæ figurativa. 530.
Quis modus in allegoricis Scripturæ interpretationibus ſervandus ſit. 540.
An ſenſus allegorici intenti fuerint à Spiritu ſancto. ibid.
An Judæi cognoverint totum cultum ſuum eſſe figurativum. 542.
Articulus IV. *An Judæis ſub lege veteri conſtitutis gratiæ interioris adjutorium ſufficiens datum fuerit, quo poſſent divina ſervare mandata.* 543.
Propositio. *Vulgo Judæorum ſub lege conſtitutorum datum non fuit gratiæ interioris auxilium, ad vitandum peccatum legemque ſervandam.* ibid.
Scripturæ & Patres docent 1° Judæis ſub veteri lege poſitis gratiam interiorem datam non fuiſſe. 544.
2°. *Homines ſub lege ſibimetipſis fuiſſe derelictos.* 550.
3°. *Legem Moſaicam fuiſſe miniſtrationem mortis &c.* 552.
4°. *Legem veterem extrinſecùs tantùm in tabulis exaratam fuiſſe, non intrinſecùs & in corde.* 553.
5°. *Judæos ſub lege ſincera in Chriſtum fide caruiſſe.* 556.
6°. *A lege veteri caritatem abfuiſſe, quæ propriè gratia Chriſti eſt.* 559.
Solvuntur objectiones. 560.
Articulus V. *De veteris & novi teſtamenti differentiis.* 568.
Prima differentia. ibid.
Secunda differentia ex prima conſequens. 572.
Tertia differentia. ibid.
Quarta differentia. 574.
Quinta differentia. 582.
Quomodò verum ſit novum teſtamentum ſemper impleri, cùm non omnis gratia ſit efficax. 585.

Sexta differentia. Pag. 586.
ARTICULUS VI. *An omnes qui in externa Eccleſiæ communione verſantur ad novum pertineant teſtamentum, & quid ſit eſſe ſub lege.* 588.

FINIS Indicis Libri Tertii.

LIBER

Digitized by Google

LIBER QUARTUS

De GRATIA CHRISTI SALVATORIS.

INGREDIMUR tandem operoſam tractationem ipſius gratiæ, quâ Chriſtiani ſumus credimusque ſalvari, pro qua Eccleſia multis annis adverſus Pelagianos, aliosque variis ætatibus ejus adverſarios ſtrenuè dimicavit, pro cujus expoſitione ac defenſione ipſius Eccleſiæ nomine plus omnibus laboravit, indutus virtute ex alto, ſanctiſſimus Præſul Hipponenſis, quam in celeberrimis Congregationibus *de Auxiliis* fortiter propugnavit, & contra Molinæ novitates vindicavit doctiſſimus Ordo S. Dominici, quæ, poſtremis his-ce temporibus potentiſſimorum inimicorum apertâ factione impugnata, ſuos ipſa diſcipulos invictos præſtitit, cui per quatuor annorum millia via præparata eſt iteratis novi fœderis promiſſionibus, multiplicibus Prophetarum oraculis, umbrarum ac figurarum allegoriis, nec non diuturno humani generis ad rectè agendum infirmitatis experimento.

Hujus doctrinæ elucidandæ fundamenta hactenùs poſuimus, damnatos hæreticorum errores variasque Theologorum opiniones ſumma cum fide exponendo, præſtantiſſimos itineris duces, regulasque certiſſimas indicando, quarum ope iſto in ſtudio tutò dirigamur, ſupremam primæ cauſæ potentiam eminentiamque, & cauſarum ſecundarum omnimodam ab illa dependentiam aſſerendo, fidei in Chriſtum quovis tempore abſolutam neceſſitatem ad juſtitiam ſalutemque conſequendam vindicando, ingentia per primi parentis prævaricationem in nos transfuſam inflicta humanæ naturæ vulnera detegendo, diverſos humani generis ſtatus poſt commu-

nem illam ruinam deſcribendo, naturæ corruptionem, legiſque ſcriptæ ad illam ſanandam inſufficientiam, ex ſacrorum librorum ſanctorumque Patrum auctoritate demonſtrando.

Ordo jam poſtulat ut de ipſa medicinali gratia, quam Chriſtus paſſione & morte ſua nobis promeruit, juxta ſcripturæ & traditionis documenta diſſeramus, ne illam (quod abſit!) extenuando, cœleſti medico ingrati ejuſque ope indigni efficiamur: arduum ſanè opus periculoſæque plenum aleæ, quod propriæ tenuitatis conſcius refugiſſem, niſi ipſiuſmet gratiæ, quam pro virili tractare aggredior, adjutorio fretus confiderem, fore ut inſcium erudire, incertum dirigere, nutantem firmare, & in medio laqueorum incedentem jugiter comitari tutarique dignetur; utque etiam, legentium corda (quod ſola poteſt) ſuaviter fortiterque præveniendo, in ſalubrem veritatis cognitionem inducat. Quis enim dignè atque ut oportet de gratia eloquatur, niſi qui priùs in interiore gratiæ ſchola edoctus fuerit? Quis etiam ea, quæ de gratia rectè dicta vel ſcripta fuerint, piè intelligat & amplectatur, niſi quem priùs ipſa fecerit veritatis ſine fictione diſcendæ avidum, & cui eam inveniendæ, amandæ, firmiter tenendæ donum fuerit impertita?

Iſtius gratiæ plurima ſunt in Scripturis & SS. Patribus nomina. Dicitur Joann. XIV. 10, *donum Dei*; ibidem, v. 14, *fons aquæ ſalientis in vitam æternam*; Rom. VIII. 2, *lex ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu*, quâ *liberamur à lege peccati & mortis*, *lex ſcripta*; non in tabulis, ſed *in corde*, gratia liberatrix, reparatrix, medicinalis, gratia Chriſti, gratia Mediatoris, gratia novi teſtamenti &c.

Duplex autem diſtinguitur: alia habitualis, quam propriè ſanctificantem vocant, per quam caritas diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum in nobis inhabitantem, noſque juſtos ac Dei filios efficientem. Hæc in juſtis manet per modum habitûs, niſi per aliquod mortale peccatum amittatur. Alia eſt actualis, quæ datur ad ſingulos actus, & quâ ſemper indigemus ad benè agendum, ſive ut ad gratiam ſanctificantem recipiendam diſponamur, ſive ut in ea jam accepta per bona opera perſeveremus ac proficiamus. De gratia habituali dicturi ſumus Libro ſexto: in iſto de gratia tantùm actuali, ſive de gratiæ adjutorio ad rectè agendum neceſſario ſermo erit.

Ad ſex capita revocabimus quæcunque actualem Chriſti gratiam ſpectant. 1°. Exponemus quid ipſa ſit & in quo conſiſtat. 2°. Agemus de illius ad omne opus bonum neceſſitate. 3°. De variis gratiæ diviſionibus. 4°. De ipſius virtute & efficacia, nec non de gratia quam vocant ſufficientem. 5°. De ipſius gratiæ diſtributione, an ſcilicet detur omnibus hominibus. 6°. De illius gratuitate.

DISSERTATIO PRIMA.

De natura & definitione gratiæ Chriſti.

Gratiæ nomen diverſimodè in communi hominum uſu accipitur. De nomine gratiæ.
1°. Sumitur pro venuſtate ſeu elegantia ſive ſermonis, ſive faciei, ſive totius externi habitûs. Hoc ſenſu dicitur in pſalmo 44: *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Non in iſto ſenſu gratiam hîc accipimus, tametſi hæc qualiſcunque venuſtas & elegantia gratuitum ſit Dei creatoris munus.

2°. Sumitur pro gratitudine, quâ collata in nos beneficia cum memoris animi ſenſu recognoſcentes, gratias habemus & agimus eis qui de nobis ſunt benè meriti. Hic quoque ſenſus à noſtro propoſito alienus eſt, niſi quatenus animi gratitudo, quando ad Deum omnis boni largitorem refertur, gratiæ Chriſti munus eſt.

3°. Gratiæ nomine generatim ſignificatur omne bonum, quod abſque ullo merito noſtro & ex mera liberalitate datur. Gratia ſic accepta conſiderari poteſt vel ex parte Dei bonum largientis, vel ex parte hominis cui bonum illud confertur. Ex parte Dei gratuitus eſt Dei favor, ſeu quædam benefica ipſius voluntas & operatio. Ex parte hominis eſt illud quodcunque beneficium à Deo gratis acceptum, ſeu illud omne quod à Deo homini confertur abſque ullo ipſius merito, cujuſcunque ordinis ſit illud bonum.

Hinc gratia ſic generatim accepta dividitur in naturalem & in ſupernaturalem. Gratiæ divisiones. Gratiæ naturalis nomine intelligitur quidquid à Deo creaturis donatur, intra naturæ fines comprehenſum, & in ordine ad vitæ hujus præſentiſque ſæculi ornatum ac felicitatem. Hoc ſenſu ratio, corporis & animæ dotes, robuſta valetudo, felix ingenii vena, formæ elegantia, divitiæ, & alia hujuſmodi dici poſſunt gratiæ. Gratia autem ſupernaturalis eſt omne donum ſeu beneficium naturæ limites excedens, & per ſe immediatè ordinatum ad ſalutem æternam, ſive ſit habituale, ſive actuale, ſive internum, ſive externum. Hoc namque ſenſu lex ipſa Judæis data dici poteſt donum ſupernaturale, tametſi extrinſeca tantùm fuerit, tum quia divina & ſtupenda revelatione promulgata fuit, tum quia mens humana, peccatorum tenebris involuta, mandata Dei perſpicuè ac certò cognoſcere, niſi Deo ipſo revelante, non potuiſſet; unde Apoſtolus ait: *Peccatum non cognovi niſi per legem.*

Gra-

Digitized by Google

Gratia ſupernaturalis dividitur 1° in gratiam gratis datam, & in gratiam gratum facientem: 2° in gratiam internam & gratiam externam.

Gratia gratis data, & gratia gratum faciens.

Gratia gratis data eſt donum ſupernaturale aliquibus conceſſum, atque ad aliorum utilitatem ac ſalutem primariò ac per ſe ordinatum. Dico, *primariò & per ſe*, quia qui hujusmodi gratiæ participes ſunt, poſſunt & debent eis piè uti ad propriam ipſorum ſalutem, juxta illud Danielis, XII. 3: *Qui docti* (hebraicè: *doctores*) *fuerint*, *fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti*, *& qui ad juſtitiam erudiunt multos*, *quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Plures gratiæ gratis datæ ſpecies enumerat Apoſtolus, 1 Corinth. XII. 8. *Unicuique*, inquit, *datur manifeſtatio ſpiritûs ad utilitatem. Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eumdem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.* De quibus conſule S. Thomam, Comment. in hunc locum, & Summæ 1. 2. quæſt. 3. art. 4. *Per ſermonem ſapientiæ* intelligit Apoſtolus donum capiendi & exponendi altiora & ſublimiora religionis myſteria: per *ſermonem ſcientiæ* donum perſpicuè proponendi communia fidei dogmata: *fidem* appellat, non virtutem illam Theologicam quâ veritates à Deo revelatæ creduntur, ſed donum rudes edocendi ea quæ ad fidem pertinent. Tria illa gratiarum genera vulgò dantur per modum habitûs, permanentque in anima; cætera verò non menti inhærent, ſed tranſeunt cum actibus qui ad illa pertinent.

Iſta denominatio ſumpta videtur ex Evangelio, ubi Chriſtus dixit Apoſtolis, Matth. X. 8: *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite: gratis accepiſtis, gratis date.* Obſervat autem Eſtius in 2um Sentent. diſtinct. 26. §. 1, gratias gratis datas in ſeipſis conſideratas, quamvis Chriſti meritis debeantur, „ non eſſe numerandas inter beneficia gratiæ Chriſti, ſed tantùm quatenùs ordinentur „ efficaciter ad ſalutem vel initium aliquod ſalutis aliorum:“ quia „ gratia Chriſti non eſt ſine aliquo ſaltem initio veræ juſtitiæ & ſalutis:“ tuncque non reſpectu illas habentium ſunt gratiæ Chriſti, ſed reſpectu eorum ad quorum ſalutem, inchoatè ſaltem, efficaciter ordinantur. Quamobrem dicit Apoſtolus, 1 Corinth. VIII: *Scientia inflat, caritas vero ædificat.* Ipſa etiam miraculorum operatio nonnunquam peccatoribus tribuitur, ſicuti Judæ proditori; & Matth. VII. 22 & 23, Chriſtus declarat in die judicii multos ipſi dicturos eſſe: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc*, inquit, *confitebor illis, quia nunquam novi vos, diſcedite a me qui operamini iniquitatem.* In quæ verba ſic loquitur S. Auguſtinus lib. 2 Quæſtionum ad Simplicianum, quæſt. 1. num. 9: „ Non mentientes putamus dicturos iſta in illo ju„ di-

„ dicio, ubi nullus erit fallendi locus, aut ullam vocem talium legi-
„ mus dicentium: dileximus te. Poterunt ergo dicere, *in nomine tuo*
„ *prophetavimus*, cùm ſint improbi & reprobi; non autem poterunt di-
„ cere: dilectionem quam mandaſti tenuimus; nam ſi dicent, non eis
„ respondebitur, *non novi vos. In hoc enim cognoſcetur*, inquit, *quòd*
„ *diſcipuli mei eſtis, ſi vos invicem diligatis.*" Vide etiam S. Chryſoſtomum, Hom. 24 in Matth. ad eadem verba. Hinc ſancti omnes hujusmodi dona formidarunt magis quàm ſibi optaverunt, niſi fortè ad converſionem infidelium veritatiſque defenſionem neceſſaria viderentur: caritatem autem, quæ ſola cæteris Dei donis benè utitur, ferventibus continuiſque precibus efflagitarunt.

Gratia gratum faciens eſt ea quæ primariò & per ſe ordinatur ad ejus cui tribuitur ſanctificationem, in eoque aliquod ſaltem veræ juſtitiæ initium operatur. „ Quamvis enim, dicit Eſtius in 2. diſtinct. 26. §. 1,
„ non omnia beneficia Dei, quæ ad hoc diviſionis membrum referenda
„ ſunt, ejusmodi ſint ut hominem ſtatim in Dei amicitia conſtituant,
„ eò tamen omnia per ſe diriguntur, ut hominem Deo reconcilient,
„ & ad æternam perfectamque Dei amicitiam tandem perducant, etiam
„ ipſâ perfectâ amicitiâ in illis comprehenſâ, unà cum omnibus vitæ In 1. 2. quæſt. 3. art. 1.
„ æternæ bonis, quemadmodùm benè docet Medina. In hoc genere
„ ſunt fides, ſpes, bona voluntas, imò qualecunque fidei, ſpei ac bonæ
„ voluntatis initium, pœnitentia, remiſſio peccatorum, caritas, juſtitia,
„ bona opera, virtutes earumque augmenta, perſeverantia, & denique
„ vita æterna, ad quam, tanquàm conſummatam gratiam,..... prio-
„ ra omnia Dei beneficia deſtinantur...... Neque enim Patres eo nomi-
„ ne ſolam habitualem ac ſanctificantem gratiam intellexerunt, ſed etiam
„ fidem & cætera ad juſtitiam conducentia. Sic de gratia Chriſti loquuntur
„ concilia Milevitanum, Arauſicanum, Tridentinum: ſic Auguſtinus,
„ Hieronymus, Proſper: ſic Pontifices Innocentius I, Zozymus, Cæ-
„ leſtinus, & alii."

Valde notandum eſt gratiam gratum facientem non eo ſenſu opponi gratiis gratis datis, quaſi & ipſa non gratis detur, ſed eo ſenſu quòd, præterquàm quòd gratis datur, directè & per ſe tendat ad operandum, vel proximè, vel remotè & inchoatè, ſalutem ejus cui datur, eoque nomine multùm præcellere aliis gratiis gratis datis quibuscunque. Hinc S. Paulus, 1 Corinth. XII, enumeratis pluribus donis gratuitis: *Æmulamini*, inquit, *chariſmata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* Quæ vero illa ſit, ſic exponit cap. XIII: *Si linguis hominum loquar & angelorum, caritatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens* &c. Et Lucæ X. 19, ſeptuaginta duobus diſcipulis ad Dominum cum gaudio reverſis, ſibique gratulantibus quòd in ipſius nomine etiam dæmonia ipſis ſubjicerentur, reſpondit Chriſtus: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſupra* om-

omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.

Cæterùm, quemadmodùm gratiæ gratis datæ ſic ordinantur ad aliorum utilitatem, ut illorum etiam quibus conferuntur ſaluti ſæpè inſerviant, ita gratia gratum faciens, tametſi directè & immediatè tendit ad ad propriam accipientis ſalutem, indirectè & mediatè vergit etiam in bonum aliorum, tum propter exemplum bonorum operum, de quibus ait Chriſtus, Matth. V. 16: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt*; tum propter eam, quæ in Eccleſia viget, bonorum ſpiritualium inter fideles ſocietatem, ratione cujus Propheta regius dicit, Pſalmo CXVIII, 63: *Particeps ego ſum omnium timentium te & cuſtodientium mandata tua.* Unde etiam S. Paulus dicit, Coloſſ. I. 24: *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*; tum denique quia per gratiam gratum facientem fideles orant pro invicem ut ſalventur, eaque deprecatio, teſte S. Jacobo, multum valet apud Deum.

Utriusque illius gratiæ quis fructus ſit, quisque uſus eſſe debeat, nonminùs ſolidè quàm piè exponit S. Bernardus, Serm. 88 de Diverſis, num. 1. „ Duplex eſt, inquit, operatio ſancti Spiritûs: operatur enim „ in nobis aliud propter nos, aliud propter proximos. Propter nos, „ id eſt, propter utilitatem noſtram operatur in nobis primò compunc„ tionem, conſumendo peccata; ſecundò devotionem, ungendo & ſa„ nando vulnera; tertiò, creando intellectum, tanquam pane confir„ mat nos & roborat; quartò, hæc ipſa multipliciùs augendo & amo„ rem infundendo, quaſi vino inebriat. Cætera charismata, id eſt, „ ſapientia, conſilia & hujusmodi dantur nobis ad utilitatem aliorum.“ Et num. 2: „ In quibus operibus cavendum eſt duplex pericu„ lum, ne vel illa, quæ dantur propter nos, dividamus proximis, vel „ illa, quæ propter proximos, reſervemus nobis. Si enim, quæ pro „ utilitate aliorum accipimus, reſervemus tantùm nobis, caritatem non „ habemus, & dicitur nobis: *Sapientia abſcondita & theſaurus inviſus,* „ *quæ utilitas in utrisque?* Rurſùs, ſi de bonis Dei velimus innoteſce„ re hominibus, non Deo in occultis cordis placere, humilitatem per„ dimus ..... Rectus ergo profectûs noſtri ordo eſt, ut illis donis, „ ſcilicet compunctione & cæteris, ſtudeamus impleri primùm; deinde, „ ſi per gratiam Spiritûs ſancti cætera ſupercreverint, id eſt, ſapientia „ & ſcientia, curemus illa proximis largiri.“

Gratia exterior, & gratia interior.

Gratia exterior eſt illud omne quod, extra hominem poſitum, eum ad bonum provocat, ſive docendo, ſive monendo, ſive invitando, ſive terrendo. Talia ſunt lex, doctrina, conciones evangelicæ, exhortationes, correptiones, exempla virtutum, miracula, & cætera id genus.

„ Hu-

Hujuſmodi gratiæ, quando ſolæ ſunt gratiâque interiori deſtitutæ, nullum producunt fructum, imò non rarò earum occaſione cordis duritia augetur potiùs quàm emollitur.

Gratia interior eſt donum quod in homine ipſo recipitur ad ipſius ſalutem, dividiturque in gratiam Creatoris & gratiam Redemptoris.

Gratia Creatoris eſt illa quâ Angeli, ac primus homo ante peccatum, ad perſeverandum in juſtitia adjuti ſunt, & quæ ipſis à Deo creatore immediatè data eſt, absque ullius mediatoris interventu. Gratia Creatoris & gratia Redemptoris.

Gratia Redemptoris, ſeu Chriſti, generatim loquendo eſt illud omne, quod, per mortem & merita Chriſti nobis acquiſitum, ad ſalutem conducere poteſt. Hæc latiſſimo ſenſu gratiæ Chriſti dici poſſunt, quæcunque poſt lapſum primi parentis nobis à Deo conceduntur, quatenùs proſunt vel prodeſſe poſſunt ad vitam æternam conſequendam, ſive illa interna ſint, ſive etiam externa, ſicuti vita ipſa, ſanitas, opes &c. Cùm enim per peccatum bonis quibuslibet indigni effecti fuerimus, quidquid nobis commodi advenit, id totum meritis Chriſti acceptum referre debemus. Dixi, *prout proſunt vel prodeſſe poſſunt ad conſequendam vitam æternam*, quia *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum* nihil temporale pro nobis poſtulavit, niſi in ordine ad ſalutem; & Eccleſia ipſa, ſpiritu Chriſti in ſuis precibus ſemper animata, nunquam à Deo per Jeſum Chriſtum poſtulat fructuum abundantiam, terræ fertilitatem, aeris ſerenitatem, imbres opportunos, corporum ſanitatem, tranquillam pacem, cæteraque ejusdem generis, niſi ut ea omnia ad fidelium ſalutem inſerviant.

Verùm S. Auguſtinus cæterique Patres gratiam Chriſti ſtrictiori ſenſu accipere conſueverunt, nempe quatenus differt à lege & doctrina, quatenùs naturæ corruptæ vulneribus medetur, quatenùs præſtat ut mandata impleantur.

Gratia autem ſic accepta dividitur in habitualem & in actualem.

Gratia habitualis eſt ea quæ animæ infunditur & inhæret permanenter, ad modum habitûs, quandiu homo illam non amittit per mortale peccatum. Duo ſunt illius effectus. 1°. Animam ornat, ſanctificat, Deoque gratam & amicam facit. 2°. Eamdem roborat inclinatque ad benè agendum, ſicut cæteri habitus inclinant habilesque faciunt ad producendos actus ipſis conſentaneos. Præter habitum autem caritatis, qui ſolus propriè dicitur gratia habitualis, quique per mortale peccatum deperditur, infunduntur ſimul in anima habitus ſupernaturales fidei, ſpei, aliarumque virtutum, qui ſtare poſſunt, etiam amiſſâ per peccatum caritate habituali. Gratia habitualis & gratia actualis.

Gratia actualis interior vel ſolum afficit intellectum, vel afficit etiam voluntatem, illa eſt interna intellectûs illuſtratio, quâ detegitur quod verum ac bonum eſt, quâ mentis oculi aperiuntur ad diſcernendum quid Gratia intellectûs & gratia voluntatis

quid facto opus ſit, quâ revelatur & ſuadetur ſapientia. Hæc verò eſt pia motio voluntatis ad verum bonum diligendum & faciendum.

Gratia intellectûs poteſt eſſe absque ullo pio voluntatis affectu; ſed gratia voluntatis, quæ propriè gratia Chriſti eſt, ſemper adjunctam habet piam intellectûs illuſtrationem; ideòque definiri ſolet pia mentis illuſtratio & pia motio voluntatis. De hac gratia, ut jam præmonui, toto hoc in Libro nobis agendum erit.

Hæc gratia rurſùs dividitur in prævenientem, concomitantem & ſubſequentem, in operantem & cooperantem, in excitantem & adjuvantem, in efficacem & inefficacem, vulgò dictam ſufficientem: verum de hac diviſione dicemus poſteà.

Diviſio gratiæ in increatam & creatam.

Unum eſt quod hîc omitti non debet, eoquòd ad probè intelligendas Scripturas, & Conciliorum Patrumque textus plurimum inſerviat, ſcilicet gratiam Chriſti ſub triplici reſpectu conſiderari poſſe ac debere: 1° principiativè, prout eſt in Deo: 2° eminenter & meritoriè, prout eſt in Chriſto mediatore & capite: 3° ſubſecutivè, prout recipitur in homine lapſo.

Gratia principiativè ſumpta, quæ propriè dicitur gratia increata, eſt gratuitus Dei favor, miſericordia, bona voluntas ſeu beneplacitum, omnipotens ac benefica operatio Dei, quâ bonam voluntatem ac bona opera in nobis operatur. Hoc ſenſu gratia ſumitur ab Apoſtolo, ad Titum, cap. III, ubi dicit: *Apparuit gratia Salvatoris noſtri Dei*; quod aliis verbis exprimit cap. ſequenti: *Cùm benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei*: & Rom. IV: *Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam, ſecundùm propoſitum gratiæ Dei.* Eodem ſenſu, Geneſ. VI, dicitur *Noë inveniſſe gratiam coram Domino*; & Gabriel Angelus B. Virginem alloquens, Luc. I: *Ne timeas, Maria*, inquit, *inveniſti enim gratiam apud Deum.* Gratia quippe apud Deum, non, ut apud homines, affectio eſt ſterilis, ex ſe inefficax & impotens, ſed benevolentia efficax, cauſaque effectrix omnium bonorum, quæ ab ipſo in creaturas proveniunt.

Gratia increata vocatur paſſim in ſcripturis *miſericordia*, *beneplacitum*, *bona voluntas Dei.* Sic Pſalm. LVIII. 11: *Miſericordia ejus præveniet me*; Pſalm. XCIII. 19: *Miſericordia tua, Domine, adjuvabat me*; Pſalm. XXIX, 6: *Ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus*; Pſalm. CXLIX, 14: *Beneplacitum eſt Deo in populo ſuo*; Philipp. II. 13: *Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*; 1 Corinth. VII, 25: *Miſericordiam conſecutus ſum (à Domino), ut ſim fidelis*: quo textu allato, S. Gelaſius Papa, Epiſt. 7 ad Epiſcopos per Picenum, hæc addit: „ Nec aliud eſt miſericordia divina, quàm gratia.“

Non alio ſenſu gratia ſumitur à ſynodo Arauſicana II, can. 25, cùm definit neminem, poſt peccatum primi parentis, diligere Deum, aut cre-

credere in Deum poſſe, *niſi gratia eum & miſericordia* divina præveneri t.

Gratiæ increatæ à creata diſtinctionem eleganter exprimit S. Auguſtinus lib. *de Spiritu & littera*, cap. 32. num. 56, ubi illam appellat caritatem Dei *quâ nos ipſe diligit*, hanc verò caritatem Dei *quâ nos facit dilectores ſuos.* Pariter quod dicit idem S. Doctor, lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 15. num. 31, „ eâ gratiâ ab initio fidei ſuæ „ fieri hominem quemlibet Chriſtianum, quâ gratiâ homo ille (Jeſus) „ ab initio ſuo factus eſt Chriſtus," de gratia increata intelligendum eſſe obſervat S. Thomas, part. 3. quæſt. 7. art. 13. ad 1. „ Auguſti- „ nus, inquit, ibi gratiam nominat gratuitam Dei voluntatem gratis „ beneficia largientem; quia utrumque gratuitâ Dei voluntate abſque „ meritis factum eſt."

Eamdem diſtinctionem adhibent Magiſter Sententiarum, diſtinct. 27, litt. D, alteram vocans *gratiam gratis dantem, id eſt, Deum*, alteram *gratiam gratis datam, quæ voluntatem hominis prævenit*; ac S. Thomas, Quæſt. 24 *de Veritate*, art. 14: „ Quamvis, inquit, communiter lo- „ quentes utantur nomine gratiæ pro dono habituali ſanctificante, ge- „ neralius tamen gratia intelligi poteſt miſericordia Dei, per quam in- „ terius motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominis ſalu- „ tem." Et Summæ 1. 2. quæſt. 110. art. 1: „ Quandoque gratia Dei „ dicitur ipſa divina dilectio, ſecundum quod etiam dicitur gratia præ- „ deſtinationis, ſecundùm quod Deus gratuitò & non ex meritis aliquos „ prædeſtinavit." Et part. 3. quæſt. 2. art. 10, in corp: „ Gratia du- „ pliciter dicitur: uno modo voluntas Dei gratis aliquid dantis, alio „ modo ipſum gratuitum Dei donum. „ Et quæſt. 86. art. 2, in corp: „ Bona voluntas Dei, quæ in nomine gratiæ intelligitur, eſt cauſa „ omnis boni creati." Duplicem illam gratiæ acceptionem commemorant pariter Thomas Bradwardinus Archiepiſcopus Cantuarienſis, lib. 2 *de Cauſa Dei*, cap. 6; Eſtius in 2. diſt. 26, §. 1; Typhanius Jeſuita lib. *de Ordine*, cap. ultimo; Wallemburgenſes in *Compendio controverſiarum particularium*, cap. 52, & alii plurimi.

Quia verò miſericordia, bona voluntas & operatio Dei ſunt ipſemet Deus, rectè concludit Franco Abbas Affligenſis, in Epiſtola ad Fulgentium Abbatem, initio librorum *de Gratia Chriſti*, gratiam in Deo Tom. 10 Bibl. PP. Colon. part. 2. pag. 449, al. 1. conſideratam nihil aliud eſſe quàm ipſum Deum, quatenùs, quidquid boni in nobis eſt, operatur. „ Quid aliud, inquit, gratiam Dei, „ quàm ipſum Deum eſſe dixerim? Si enim virtus Dei, ſapientia Dei, „ decor ejus, & gloria ejus nihil aliud quàm ipſe Deus eſſe creditur, „ nihilominùs & gratia Dei Deus ipſe creditur, ſi rectè dicitur."

Inde inferendum eſt diviſionem gratiæ in efficacem & inefficacem nequaquam cadere poſſe in gratiam increatam, ſed tantummodò in gratiam creatam, quæ ſola fruſtrari poteſt effectu ad quem tendit, & ad

Digitized by Google

quem excitat voluntatem. Nam gratia increata, cùm nihil aliud ſit quàm ſuprema & omnipotens voluntas Dei, cui nihil reſiſtit, quominus id totum quod vult operetur, nunquam, abſolutè & propriè loquendo, inefficax dici poteſt, ut poſteà, Deo dante, probabimus.

Gratia eminenter & meritoriè conſiderata, prout eſt in ſanctiſſima Chriſti humanitate (nam ad naturam ejus divinam pertinet gratia increata mox expoſita), fluit ab unione ipſius hypoſtatica cum Verbo divino, conſiſtitque in juſtitia infuſa, quâ, ſtatim ab ortu, abſque ulla menſura repleta eſt præ participibus ſuis, & *de cujus plenitudine nos omnes accepimus*, ait S. Præcurſor, Joann. I. 16, nec non in meritis ſuperabundantibus, quæ per totam vitam ſuam, ac paſſione imprimis, precibusque in diebus carnis ſuæ cum lacrymis & clamore valido Deo Patri oblatis, cumulatiſſimè comparavit. Quemadmodùm enim principium & fons vitæ naturalis in capite viget, unde in ſingula membra diffunditur; & ſicut palmites ex vitis ſucco oriuntur, vireſcunt, creſcunt ac fructificant, ita Chriſto, tanquam veræ viti & capiti corporis Eccleſiæ, *non ad menſuram dat Deus ſpiritum* (Joann. III. 34); atque *ex ipſo totum corpus compactum & connexum, per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem ſui in caritate* (Ephes. IV. 16).

Gratia ſubjectivè conſiderata, prout recipitur in homine lapſo, quæ eſt propriè gratia creata, eſt illud ipſum bonum quod Deus, tanquam gratia increata, in homine operatur, hominive præſtat in ordine ad ſalutem.

De natura & definitione gratiæ. Error Pelagianorum exponitur ac refellitur.

Quæritur autem quid ſit gratia iſta Chriſti, & in quo præciſè conſiſtat.

Pelagiani primùm docuerunt gratiam creatam nihil aliud eſſe, quàm naturalem liberi arbitrii facultatem gratis à Deo hominibus conceſſam: poſteà verò illam in lege & doctrina, in remiſſione peccatorum, in præceptis Evangelicis & Chriſti exemplis ſitam eſſe dixerunt: demùm non refugerunt admittere gratiam quamdam interiorem, quæ poſita ſit in illuſtratione intellectûs & excitatione voluntatis; ſed nunquam confeſſi ſunt eam in caſta boni dilectione à Spiritu ſancto inſpirata conſiſtere; aut, ſi hujusmodi gratiam aliquando admiſerunt, eam non ad bonæ voluntatis initium, ſed ad illius augmentum facilius aſſequendum dari contendebant. „ Gratiam Dei & adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, inquit S. Auguſtinus lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 3, aut in „ natura, aut in libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina, ut „ videlicet, cum adjuvat Deus hominem ut declinet à malo & faciat „ bonum, revelando & oſtendendo quid fieri debeat adjuvare credatur, „ non autem cooperando & dilectionem inſpirando, ut, quod cognoverit „ faciendum eſſe, faciat. Et lib. *de Hæreſibus*, Hæreſi 88, quæ eſt Pelagianorum, cùm idem teſtatus eſſet, ſic concludit: „ Ac per hoc di„ vinitus nobis dari ſcientiam confitentur, quâ ignorantia pellitur; ca-

„ ri-

„ ritatem verò dari negant, quâ piè vivitur: ut ſcilicet, cùm ſit Dei „ donum ſcientia, quæ ſine caritate inflat, non ſit Dei donum ipſa ca- „ ritas, quæ, ut ſcientia non inflet, ædificat.“

Omnes hujus hæreſis anfractus occludit S. Doctor. Ac 1° quidem gratiam eſſe donum Dei à natura & libero arbitrio planè diverſum oſtendit, tum ex eoquòd *omnibus communis ſit natura, non gratia*, Serm. 26. cap. 4; tum quia, licet gratia magna dicenda ſit, quâ homines rationis compotes facti ſumus, multò certè præſtantior eſt illa quâ Chriſtiani & juſti facti ſumus. „ Iſtam, inquit ibidem, cap. 11. num. 12, „ quâ conditi ſumus, quanquàm hoc nomine appellatam minimè legerimus, tamen, quia gratis data eſt, gratiam fateamur; ſed oſtendamus vobis majorem eſſe iſtam quâ Chriſtiani ſumus. Attendite: antequàm conditi eſſemus, nihil boni merebamur, & ideò gratia eſt „ quâ conditi ſumus, cùm boni nihil merebamur. Si ergo magna eſt „ gratia quando nihil boni merebamur, quanta gratia eſt quando tantùm mali merebamur? Qui nondum erat, benè non merebatur: peccator & malè merebatur. Nondum erat qui factus eſt,..... ſed nec „ offenderat. Nondum erat, & factus eſt: offendit, & ſalvus eſt.“ Al. Serm. 11 de Verbis Apoſtoli.

2°. Gratiam à lege & doctrina planè diſtinctam eſſe probat, tum auctoritate Apoſtoli dicentis, Galat. III. 21: *Si per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*; tum quia, ſi ad cognoſcendum quid agendum ſit (quod minus eſt) homo indiget adjutorio legis & doctrinæ, multò potentiori adjutorio indiget ad obſervanda mandata, quod certè multò præſtantius ac difficilius eſt. 3°. Gratiam non conſiſtere duntaxat in internis revelationibus & excitationibus demonſtrat, ex eoquòd hujuſmodi illuſtrationes & adhortationes, quantumvis internæ ſupponantur, revocentur ad legem & ad doctrinam, quatenùs tantummodò jubent, admonent, hortentur & invitant, quod per legem quoque & doctrinam præſtatur, bonam autem voluntatem non operentur.

A Pelagianorum errore vix recedit Vasquez in 1. 2. diſput. 189. cap. 16, & part. 1. diſput. 91. cap. 11 & 14, & 2. 2. diſput. 190. cap. 8., ubi docet bonam cogitationem, ordinis etiam naturalis, ſi congruo & opportuno tempore immittatur, eſſe gratiam ſufficientem ad mandata obſervanda tentationesque ſuperandas. Opiniones Theologorum.

Cæteri Moliniani & Congruiſtæ vulgò dicunt gratiam actualem conſiſtere in pia illuſtratione intellectûs & motione voluntatis, ad bonum aliquod faciendum, peccatumve aliquod vitandum excitante; ſed negant piam illam motionem eſſe inſpirationem ſanctæ dilectionis, tum quia pios admittunt voluntatis motus qui non ſint Dei dilectio, nec ab illa procedant; tum quia contendunt gratiam actualem, ad diligendum Deum allicientem, non ipſum dilectionis actum producere, ſed excitare tantummodo voluntatem ad illum producendum, ſi illa voluerit. Ejuſmo-

modi etiam opinio nihil continet quod à Pelagianis, ſalvâ ipſorum doctrinæ ſubſtantiâ, admitti non potuerit.

Malebranchius, in lib. *de Natura & gratia*, & in Epiſtola 2ª adverſùs Arnaldum, gratiam creatam definit ſenſum indeliberatum, ſive delectationis, ad bonum allicientem, ſive horroris, à malo avertentem; qui ſenſus non ſit ipſamet boni dilectio, nec ipſummet odium peccati, ſed aliquid interiùs alliciens ad dilectionem boni & ad fugam peccati.

Nonnulli Auguſtiniani ſentiunt gratiam actualem eſſe delectationem prævenientem, quæ non ſit propriè dilectio, ſed quæ voluntatem moraliter ſimul & efficaciter moveat ad dilectionem. Ita auctor anonymus duarum Epiſtolarum ad Epiſcopum Senecenſem (de Soanen) *de Senſibilitate gratiæ actualis*, quæ refelluntur aliis Epiſtolis ad eumdem Præſulem directis anno 1717.

Quidam Thomiſtæ docent actualem gratiam non aliud eſſe quàm prædeterminationem Dei phyſicam, quâ efficienter producit omnes pios motus & actus voluntatis, ſive indeliberatos, ſive deliberatos, ſive ſint actus dilectionis Dei ab illa profluentes, ſive cujusvis alterius virtutis à dilectione Dei ſejunctæ.

Cæteri Auguſtiniani ac Thomiſtæ conſtanter docent gratiam Chriſti propriè dictam eſſe inſpirationem dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus. Ut autem omnis æquivocatio calumniæque occaſio penitùs tollatur, ſedulò obſervant ſtatum quæſtionis non eſſe, utrùm piæ cogitationes, excitationes internæ ad bonum, conſcientiæ remorſus, metus gehennæ, conſideratio turpitudinis peccati, ſint dona Dei, atque aliquo ſenſu gratiæ munera dici poſſint ac debeant, de quo nequaquam ambigunt; ſed quæri tantummodò an illa omnia, quando à dilectione veri ac ſummi boni, etiam inchoatâ & imperfectâ, ſejuncta ſunt, ſint gratia Chriſti propriè dicta, gratia novi teſtamenti ad quemlibet veræ pietatis actum requiſita. His præmiſſis, ſit ſequens:

PRO-

P R O P O S I T I O.

Gratia Chriſti propriè dicta, prout opponitur legi atque doctrinæ, ſeu gratia novi teſtamenti ad omnes veræ pietatis actus requiſita, eſt inſpiratio caritatis ſeu dilectionis Dei, ſaltem inchoatæ, ut cognita ſancto amore faciamus.

ID evincit I° genuinus caracter novi teſtamenti, cujus munus eſt, quemadmodùm ſupra ex Jeremiæ & Ezechielis oraculis probatum eſt, ut lex & mandata Dei in corde ſcribantur per dilectionem juſtitiæ. Hoc argumentum frequenter adhibet S. Auguſtinus. Sic in lib. *de Spiritu & littera*, cap. 25. num. 42: „ Cùm igitur, inquit, hæc appareat diſtan- „ tia veteris & novi teſtamenti, quod lex ibi in tabulis, hic in corde „ ſcribitur, ut quod ibi forinſecùs terret, hic delectet interius, ibique „ fiat prævaricator per occidentem litteram, hic dilector per vivifican- „ tem ſpiritum, non ideò dicendum eſt quòd Deus adjuvet nos ad ope- „ randam juſtitiam, atque operetur in nobis & velle & perficere pro „ bona voluntate, quia præceptis juſtitiæ forinſecùs inſonat ſenſibus „ noſtris, ſed quia intrinſecùs incrementum dat, diffundendo caritatem „ in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.“ Et cap. 28. num. 49: „ Conſtat gratiam Dei promiſſam eſſe novo teſta- „ mento per Prophetam, eamdemque gratiam in eo eſſe deſignatam, „ ut ſcribantur leges Dei in cordibus hominum..... Hoc donum Spi- „ ritûs ſancti eſt, quo diffunditur caritas in cordibus noſtris.“ Item lib. 2 *contra Adverſarium Legis & Prophetarum*, cap. 3. num. 10, exponens hæc verba, Joann. I: *Lex per Moyſen data eſt; gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*, dicit „ gratiam factam eſſe per Jeſum „ Chriſtum, cùm, per ejus Spiritum caritate diffuſâ in cordibus noſtris, „ fit ut quod lex præcipit impleatur.“ Hinc lib. 1 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 8. num. 13, gratiam iterum legi opponens: „ Lex, inquit, jubere novit, cui ſuccumbit infirmitas; gratia juvare, „ quâ infunditur caritas.“

I. Proprium novi teſtamenti donum eſt caritas.

Idem argumentum adhibet Angelicus Doctor 1. 2. quæſt. 106. art. 1, & Commentario in Epiſt. 2 ad Corinth. cap. 3. lect. 2, ubi, allato Jeremiæ vaticinio, ſic concludit: „ Vetus lex eſt teſtamentum litteræ, ſed no- „ vum teſtamentum eſt teſtamentum Spiritûs ſancti, quo caritas Dei „ diffunditur in cordibus noſtris, & ſic, dum Spiritus ſanctus facit in „ nobis caritatem, quæ eſt plenitudo legis, eſt teſtamentum novum.“

Digitized by Google

Recenſe, ſi placet, quæ ſub finem præcedentis Libri de duorum teſtamentorum differentiis dicta ſunt, ac præſertim quartam differentiam.

II. Argumentum ductum ex damnatione Pelagianorum.

II°. Idem demonſtrat damnatio Pelagianorum. Ideò quippe ab univerſa Eccleſia damnati ſunt, quòd gratiam Chriſti, qualis confitenda eſt, confiteri ſemper detrectaverint. Porro admittere non refugerunt, ſaltem in progreſſu erroris ſui, gratiam internam in illuſtrationibus & excitationibus ſitam, ut alibi probavimus. In hoc ergo hæretici fuerunt, quòd negaverint gratiam in ſanctæ dilectionis inſpiratione conſiſtere. Id teſtantur SS. Alypius & Auguſtinus, Epiſt. 188, al. 149, ad Julianum, cap. 2. „ Deus, inquiunt, in nobis operatur velle & „ operari pro bona voluntate, non, ſicut iſti ſentiunt, tantummodò „ ſcientiam revelando, ut noverimus quid facere debeamus; ſed etiam „ inſpirando caritatem, ut ea, quæ diſcenda novimus, etiam diligendo „ faciamus." Et cap. 3. num. 13: „ Non ſolâ revelatione ſapientiæ „ nos divinitùs adjuvamur, ut piè juſtèque vivamus, quæ ſine caritate „ inflat; verùm etiam inſpiratione caritatis ipſius, quæ plenitudo legis „ eſt, & quæ cor noſtrum, ut ſcientia non inflet, ædificat. Sed ad„ huc nuſquam tale aliquid in eorum (Pelagianorum) litteris potuimus „ invenire."

In libro etiam *de Gratia Chriſti*, cap. 30. num. 31, S. Auguſtinus dicit: „ Iſtam gratiam, quâ juſtificamur, id eſt, quâ caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt no„ bis, in Pelagii & Cæleſtii ſcriptis, quæcunque legere potui, nuſquam „ eos inveni, quemadmodùm confitenda eſt, confiteri." Ex quibus ſic concludit Petrus Soto in Epiſt. 2 ad Ruardum Tapperum: „ Confidendum eſt Auguſtinum ideò dixiſſe Pelagianos gratiam non confiteri „ quemadmodùm confitenda eſt, quòd non illam, per quam caritas „ diffunditur, id eſt, per quam fit ut verâ caritate diligamus, confi„ terentur. Hæc igitur ſola vera eſt gratia neceſſaria ad ſalutem, quam „ Catholica confitetur Eccleſia." Hinc totam Eccleſiæ cum Pelagianis de gratia concertationem ad iſtud caput revocat S. Doctor, undenam ſit in hominibus caritas Dei & proximi. „ Si enim eſt ex hominibus, „ inquit, vicerunt Pelagiani: ſi autem ex Deo eſt, vicimus Pelagia„ nos."

Ad calcem libri Reginaldi *de Mente concilii Tridentini circa gratiam ſeipſâ efficacem*, pag. 37.

Errorem illum Pelagianum expreſſè damnavit concilium plenarium totius Africæ, Carthagine celebratum anno 418. Cùm enim can. 4° definiviſſet, gratiam Dei per Jeſum Chriſtum non valere tantummodò ad remiſſionem peccatorum, ſed etiam adjuvare ut non peccemus, ſtatim, canone 5°, ſub anathematis pœna declarat, per hujuſmodi adjutorium inſpirari nobis à Deo dilectionem juſtitiæ. En ipſius verba: „ Quiſquis „ dixerit eamdem gratiam Dei per Jeſum Chriſtum propter hoc tantùm „ nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur & „ aperitur intelligentia mandatorum,..... non autem per illam nobis „ præſ-

„ præſtari ut, quod faciendum cognovimus, etiam facere DILIGAMUS „ & valeamus, anathema ſit. Cùm enim dicat Apoſtolus, *ſcientia* „ *inflat, caritas verò ædificat*, valde impium eſt ut credamus ad eam „ quæ inflat nos habere gratiam Chriſti, ad eam quæ ædificeat non ha- „ bere; cùm ſit utrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, „ & DILIGERE UT FACIAMUS...... Sicut enim de Deo dictum „ eſt: *Qui docet hominem ſcientiam*; ita etiam ſcriptum eſt: *Caritas ex* „ *Deo eſt.*" Demum can. 6 decernit gratiam illam, quâ caritas inſpiratur, abſolutè neceſſariam eſſe ad implenda mandata. „ Item placuit, „ inquit, ut quicunque dixerit ideò nobis gratiam juſtificationis dari, „ ut, quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs poſſimus „ implere per gratiam, tanquam, etiamſi gratia non daretur, non „ quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa implere divina „ mandata, anathema ſit."

Quamobrem S. Auguſtinus in lib. *de Gratia Chriſti*, quem paulò poſt illius concilii definitiones ſcripſit, cum probaſſet, cap. 26, *ubi non eſt dilectio, nullum bonum opus imputari, nec rectè bonum opus vocari*, ſic concludit: „ Ac per hoc gratiam Dei, quâ diffunditur caritas Dei in „ cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, ſic confi- „ teatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni ſine illa, „ quod ad pietatem pertinet veramque juſtitiam, fieri poſſe non du- „ bitet."

III°. Non his tantùm in locis, ſed & in aliis quàmplurimis idem, tanquam certiſſimam Eccleſiæ doctrinam, inculcat S. Doctor. Ex innumeris pauca quædam ſeligemus. III. Argumentum ex S. Auguſtino.

Lib. *de Spiritu & littera*, cap. 3. num. 5, exponens in quo gratia Chriſti poſita ſit: „ Nos dicimus, inquit, humanam voluntatem ſic „ divinitùs adjuvari ad faciendam juſtitiam, ut, præter quòd creatus „ eſt homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam quâ „ ei præcipitur quemadmodùm vivere debeat, accipiat Spiritum ſanc- „ tum, quo fiat in animo ejus delectatio dilectioque ſummi illius atque „ incommutabilis boni, quod Deus eſt." Cur autem gratiam ſic definiat, paulò poſt declarat his verbis: „ Nam neque liberum arbitrium „ quidquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via; & cùm id „ quod agendum & quò nitendum eſt cœperit non latere" (quod fit per legem & per doctrinam, ſive externam, ſive internam), „ niſi etiam „ delectet & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non benè vivitur. „ Ut autem diligatur, caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non „ per liberum arbitrium quod ſurgit ex nobis, ſed per Spiritum ſanc- „ tum qui datus eſt nobis."

Eamdem doctrinam frequentiſſimè etiam aſſerit in lib. *de Gratia Chriſti*, ubi, cùm Pelagium confutaſſet gratiam in lege atque doctrina, nec non in mentis illuſtrationibus & excitationibus reponentem, ſic ipſe illam defi-

Digitized by Google

definit, cap. 13. num. 14: „ Hæc gratia, ſi doctrina dicenda eſt, certè „ ſic dicatur, ut altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili ſuavitate „ credatur infundere;..... ita ut non oſtendat tantummodò veritatem, „ verùm etiam impertiat caritatem.“ Et cap. 35, num. 38, exigit à Pelagio ut „ credat aliquod adjutorium benè agendi, adjunctum natu- „ ræ atque doctrinæ per inſpirationem flagrantiſſimæ ac luminoſiſſi- „ mæ caritatis.“ Et lib. 4 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 5. num. 11, nomine gratiæ intelligi vult *inſpirationem dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus; quæ*, inquit, *propriè gratia eſt.* Et in eodem opere, lib. 2. cap. 9. num. 21: „ Ergo benedictio dulcedinis eſt „ gratia Dei, quâ fit in nobis ut nos delectet & cupiamus, hoc eſt, „ amemus quod præcipit nobis.“

Lib. *de Correptione & gratia*, cap. 2. num. 3: „ Intelligenda eſt, „ inquit, gratia Dei per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, quâ ſolâ „ homines liberantur à malo, & SINE QUA NULLUM PRORSUS, ſive „ cogitando, ſive volendo & amando, ſive agendo, FACIUNT BONUM, „ non ſolùm ut, monſtrante ipſâ quid faciendum ſit, ſciant, verùm „ etiam ut, præſtante ipſâ, faciant CUM DILECTIONE quod ſciunt.“ Et Quæſt. 15 in Deuteronomium, num. 2: „ Cùm verè fit opus legis, „ caritate fit, non timore; quæ caritas gratia eſt novi teſtamenti.“

Adverte, quæſo, quàm frequenter, quàm diſertè, quàm ſecurè & aſſeveranter inculcet S. Doctor gratiam Chriſti, gratiam novi teſtamenti, gratiam quæ ſola nos liberat à peccato, gratiam ad omne opus bonum neceſſariam, & ſine qua nullum prorſus homines faciunt bonum, ut fieri debet, non aliud eſſe quàm caritatem, quàm delectationem dilectionemque ſummi boni, impertitionem inſpirationemque ſanctæ dilectionis, benedictionem dulcedinis, quâ fit ut ametur quod Deus præcipit. Similia legi poſſunt lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 19. num. 33; lib. *de Spiritu & littera*, cap. 29. num. 51; lib. *de Natura & gratia*, cap. 57. num. 67, & alibi paſſim.

Hoc fundamento nixus duo divinorum donorum genera diſtinguit, alia quæ ſunt filiorum ſeu hæredum propria, alia quæ vocat exhæredatorum. Ad hoc ſecundum genus donorum, quæ non proſunt ad ſalutem æternam, pertinere dicit patientiam, quâ ſchiſmatici interdum gehennæ metu mortem piâ confeſſione nominis Chriſti ſuſtinent, eamque, quamvis donum Dei ſit, gratiam Chriſti eſſe negat. En ipſius verba lib. *de Patientia*, cap. 28. num. 25: „ Proinde ſicut ne- „ gandum non eſt hoc eſſe donum Dei, ita intelligendum eſt alia eſſe „ Dei dona filiorum illius Jeruſalem, quæ ſurſum libera eſt, mater „ noſtra,..... alia verò quæ poſſunt accipere etiam filii concubina- „ rum, quibus Judæi carnales & ſchiſmatici vel hæretici comparantur.“ Et, commemorato exemplo Abrahæ, qui concubinarum ſuarum filiis munera largitus, ſoli Iſaaco Saræ filio hæreditatem ſervavit, ſic concludit:

dit: „ Si ergo filii ſumus ſupernæ Jeruſalem, alia dona exhæredatorum, „ alia intelligamus hæredum. Hi enim hæredes ſunt, quibus dicitur: „ *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis* „ *ſpiritum adoptionis filiorum*,“ qui profectò ſpiritus eſt dilectionis ſeu caritatis.

Non minùs expreſſè loquitur lib. 15 *de Trinitate*, cap. 18. num. 32. „ Dantur, inquit, & alia per Spiritum ſanctum munera, ſed ſine caritate nihil proſunt...... Nec Spiritus propriè dicitur donum, niſi „ propter dilectionem...... Donum Dei propriè quid niſi caritas in- „ telligenda eſt, quæ perducit ad Deum, & ſine qua quodlibet aliud „ donum Dei non perducit ad Deum?“

Omnino non video quid tam apertis textibus reſponderi poſſit, niſi fortaſſe caritatis ſeu dilectionis vocabulum latiori ſenſu ſumi à S. Auguſtino pro quacunque bona affectione, etiam à caſto Dei amore ſejuncta. Verùm hujuſmodi interpretationem planè excludit verborum perſpicuitas ac proprietas, quibus manifeſtè exprimitur illa dilectio & caritas quam Apoſtoli commendant, cùm dicunt *caritatem Dei diffuſam eſſe in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum*, *caritatem ex Deo eſſe*, *Deum eſſe caritatem*, ſine caritate *nihil prodeſſe*. 2°. De illa caritate loquitur S. Doctor, ſine qua nullum actum, nullum voluntatis motum omni ex parte bonum eſſe perſuaſum habuit. Atqui ex dicendis paulò poſt manifeſtè patebit S. Auguſtinum nullum agnoviſſe actum, nullum voluntatis motum omni ex parte bonum, niſi procedat ex dilectione Dei, ſaltem inchoata.

IV°. S. Auguſtino conſentiunt alii Patres. IV. Argumentum ex aliis Patribus.

S. Macarius Abbas Ægyptius, hom. 16: „ Quemadmodùm apis, inquit, ſecretò favum conficit in alveo, ſic & gratia DILECTIONEM „ SUAM ſecretò in cordibus exercet, & quod amarum eſt mutat in dul- „ ce, quod aſperum in planum.“ Et hom. 24 dicit „ fermentum pec- „ cati per Adamum ſubintroductum, hoc eſt, concupiſcentiam apud „ homines ita invaluiſſe, ut ne Deum quidem eſſe putarent, ſed ado- „ rarent lapides animâ carentes, neque poſſent intellectu Deum capere; „ tam profundè fermentum illud nequitiæ conſperſerat progeniem ve- „ teris Adæ. Ad eumdem modum placuit Deo in adventu ſuo..... „ fermentum cœleſte bonitatis fidelibus animis infundere, quæ ſub pec- „ catum redactæ fuerant, & ita promotione ac cremento omnem man- „ datorum juſtitiam ac virtutes univerſas in eis complere, donec in „ bono fermentarentur in unum, & cum Domino evaderent in unum „ ſpiritum, juxta Pauli verbum; ita ut ne ad cogitationem quidem „ animæ ſpiritu divino planè fermentatæ vitium aut nequitia perveni- „ re poſſet, ſicut dictum eſt: *Caritas non cogitat malum*, & quæ ſe- „ quuntur. Porro impoſſibile eſt abſque fermento cœleſti, quod eſt „ virtus Spiritûs ſancti, animam aſpergi bonitate divina & ad vitam

„ pervenire." Perſpicuum eſt fermentum illud cœleſte, quod eſt gratia Chriſti, quodque concupiſcentiæ ſeu pravo creaturarum amori opponitur, nihil aliud eſſe quàm caritatis inſpirationem.

S. Ephrem, Serm. 1 de Martyr: „ Dominum deprecemini ut divinam ſuam in nos infundat gratiam, quæ corda noſtra ſanctæ caritatis radio jugiter illuſtret atque illuminet, quò ipſum toto corde, totaque mente diligere valeamus." Ergo, juxta S. Doctorem, proprius gratiæ novæ legis effectus in inſpiratione & infuſione caritatis conſiſtit, quâ ſolâ Deum diligere, & mandata propter Deum adimplere poſſumus.

S. Joannes Chryſoſtomus, hom. 14 in Epiſt. ad Rom. num. 2, exponens hæc verba: *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum*, docet per gratiam, quâ carebant Judæi, adoptionis ſpiritum nos accepiſſe, „ ut ne ultra, inquit, „ ex timore præſentis pœnæ, ſed ob ipſius (Dei) amorem tum virtutis habitus, tum cætera rectè facta procedant."

Auctor Operis imperfecti in Matthæum, inter Opera S. Chryſoſtomi, hom. 28: „ Lex, inquit, in libro conſcribitur, gratia in corde plantatur: ideò lex inſufferibile pondus eſt, gratia autem delectatio cordis eſt."

S. Leo, Serm. 1 de Jejunio decimi menſis: „ Diligendo nos, ait, „ Deus ad imaginem ſuam nos reparat, & ut in nobis formam ſuæ bonitatis inveniat, dat unde ipſi quoque quod operatur operemur: accendens ſcilicet mentium noſtrarum lucernas, & igne nos ſuæ caritatis inflammans, ut non ſolùm ipſum, ſed etiam quidquid diligit „ diligamus." En, juxta magnum illum Pontificem, in quo ſita eſt gratia Chriſti reparatrix, in caritate ſcilicet quâ Deum eique placita diligimus.

S. Prosper in pſalmum 118, ad hæc verba v. 103: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua:* „ Hæc eſt, ait, ſuavitas quam Deus donat, ut „ terra noſtra det fructum ſuum, & ut bonum verè, benè, id eſt, non „ mali carnalis formidine, ſed boni ſpiritualis delectatione faciamus." Et ibidem in v. 127: „ Id agit gratia Dei, ut mandata Dei dilectione „ impleantur, quæ impleri timore non poterant." Quæ verba deſumpta ſunt ex Concione 26 S. Auguſtini in eumdem pſalmum, num. 8.

S. Fulgentius, lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 22, cùm dixiſſet „ hominem ab homine inutiliter ſermonem doctrinæ cœleſtis audire, niſi ei magiſter Deus revelando miſericorditer loquatur „ in corde," ſtatim quæ ſit divina illa revelatio facta in corde ſic exponit: „ Hæc autem revelatio ſpecialis eſt filiorum Dei, quâ non ſolum cognitionis donum, ſed etiam divinæ dilectionis accipiunt...... „ Illa ergo manifeſtatio, quâ cognoverunt Deum qui cognitum non dilexerunt, gratiam non habuit, quâ Deus ſic cognoſcitur ut ametur."

Et

Digitized by Google

Et cap. 23: „ Quia ergo gratiam non acceperunt, propterea cognoſcen-
„ tes Deum gratias non egerunt...... In hac autem revelatione, quam
„ gratia Dei in vaſis miſericordiæ operatur, ſimul homini divinitùs ag-
„ nitio Dei dilectioque confertur. Quamdiu enim non eſt dilectio,
„ nec gratia Chriſti eſt.“ Quid luculentius dici poteſt?

Amolo Archiepiſcopus Lugdunenſis, in Opuſculo ad Hincmarum Remenſem: „ Per hanc gratiam, inquit, id eſt, per gratuitum donum „ ſuum trahit Pater quos vult ad Filium ſuum; trahit autem non ne- „ ceſſitate, ſed delectabili voluntate & amore:“ ubi *delectabilis voluntas, amor, gratuitum Dei donum*, ſeu *gratia*, pro uno & eodem ſumuntur.

Illius fragmentum habetur in Diſſert. Mauguini, pag. 24.

Florus ejusdem Eccleſiæ Diaconus & magiſter doctiſſimus, in lib. *adverſùs Scotum Erigenam*, cap. 3, docet gratiam eſſe caritatem, ideòque multiformem dici, quia caritas multiformiter operatur. „ Quia, „ inquit, per ipſum donum caritatis multiplicia & innumerabilia bona „ operatur Deus in ſanctis ſuis, dicitur etiam in ſcripturis multiplex: „ ipſa eſt enim gratia Dei.“

S. Bernardus, Serm. 1 in feſto Pentecoſtes, num. 5, gratiæ naturam his verbis deſcribit: „ Ad faciendum bonum quid in nobis Spiri- „ tus ſanctus operatur? Profectò monet, & movet, & docet: monet „ memoriam; rationem docet, movet voluntatem...... Memoriæ ſugge- „ rit bona in cogitationibus ſanctis...... Multi monentur ut benè fa- „ ciant, ſed minimè ſciunt quid agendum ſit, niſi adſit denuò gratia „ Spiritûs, &, quam inſpirat cogitationem, doceat in opus proferre.“ Priora illa duo ad legem & doctrinam quodammodò pertinent, nondum ad gratiam Dei propriè dictam, quæ in motione voluntatis conſiſtit. Quid verò ſit motio illa voluntatis, ex eodem S. Doctore diſcamus. „ Non ſolùm moneri & doceri, inquit, verùm etiam moveri & „ affici ad bonum neceſſe eſt, ab eo utique Spiritu qui adjuvat infir- „ mitatem noſtram, & per quem in cordibus noſtris diffunditur cari- „ tas, quæ eſt bona voluntas.“ Igitur, juxta S. Bernardum, interior gratiæ motio ad faciendum bonum neceſſaria nihil aliud eſt, *quàm bona voluntas* ſeu *caritas*. Et Serm. 2 in idem feſtum, num. 6, proprium Spiritûs ſancti effectum exponens: „ Spiritus ſanctus, ait, robur eſt „ vitæ, ut quod per naturam tibi eſt impoſſibile, per gratiam non ſo- „ lùm poſſibile, ſed & facile fiat; ita ut in laboribus, in vigiliis, in „ fame & ſiti...... delectabiliter incedas, ſicut in omnibus divitiis.“ Delectationem autem quam Spiritus ſanctus inſpirat, caritatem eſſe, aut à caritate profluere quis neget?

V°. Eccleſiæ Patribus nonnullos Scholæ magiſtros adjungere non abs re erit.

V. Argumentum ex Theologis.

S. Thomas, Comment. in Epiſt. ad Rom. cap. VI. 14, ait „ ſub „ lege eſſe qui, non voluntate & ex amore, ſed timore cogitur legem

„ ob-

„ obſervare: talem autem carere gratiâ, quæ, ſi adeſſet, inclinaret voluntatem ad obſervationem legis, ut ex amore moralia ejus præcepta impleret.“ Ergo, juxta Doctorem Angelicum, gratiæ Chriſti, gratiæ novi teſtamenti proprius effectus eſt, ut ex amore præcepta impleri faciat.

Ad eadem Reginaldi. pag. 24, 25 & 26.

Petrus Soto, Epiſtolâ 2 ad Ruardum Tapperum, poſt multa hanc in rem dicta ſic concludit: „ Ex quibus omnibus manifeſtum habetur nullum Dei donum, ſive auxilium, quantùmvis magnum, nullam inſpirationem & vocationem, ſine vera & non ficta volitione boni & caritate, eſſe gratiam quam ad benè operandum ſcriptura neceſſariam dicit...... Ne videamur de nomine tantùm diſputare, vocentur, ſi libet, dona illa divinæ gratiæ & miſericordiæ...... Patres illi...... nihil, quod infra hanc eſt, de quâ loquimur, gratiam quâ convertimur, nomine hoc gratiæ Chriſti dignati ſunt.“ Id verò inſuper probat plurimis S. Auguſtini teſtimoniis.

Eſtius in 2um Sentent. diſtinct. 26. §. 1, probat „ gratiam Chriſti non eſſe ſine aliquo ſaltem initio veræ juſtitiæ & ſalutis,“ adeòque ſine aliqua ſaltem inchoata caritate, quandoquidem, uti ibidem obſervat, inchoata juſtitia eſt caritas inchoata. Inde concludit nec ſcientiam legis, quantacunque ſit, nec meram benè agendi poſſibilitatem, ex quolibet fonte fluat, nec metum gehennæ eſſe propriè gratiam Chriſti. „ Ad gratiam Chriſti, inquit, ſecundum ſe non pertinet quantumcunqoe magna legis ac myſteriorum ſcientia, ut quæ à bona voluntate penitus ſejuncta eſſe poteſt...... At neque poſſibilitas ſervandi mandata Dei pars eſt gratiæ Chriſti, ſive ea poſſibilitas intelligatur quæ omnibus adeſt, etiam infidelibus,..... ſive ea quâ quis præ aliis poſſe dicitur, propter ſpecialia quædam adminicula naturæ, vel etiam gratiæ gratis datæ, qualis eſt doctrina & legis cognitio, vel omnino amor percipiendæ veritatis; ſive denique eam poſſibilitatem intelligas, qua quis dicitur poſſe propter excitationes quaſdam internas, quibus tamen nondum in homine fiat ut velit aut velle incipiat. Ratio manifeſta eſt, quia omnis hujuſmodi poſſibilitas, quoniam ab actu ſeparata eſſe poteſt, conſiſtit abſque initio bonæ voluntatis & juſtitiæ, ſine quo tamen initio non conſiſtit ea quæ vocatur gratia Chriſti, quemadmodùm Auguſtinus docet lib. *de Natura & gratia*, cap. 42..... Poſtremò nec timor ſervilis ſub hac gratia continetur. Nam gratia Chriſti eadem eſt cum gratia novi teſtamenti: timor autem ſervilis effectus eſt veteris legis & ad vetus teſtamentum pertinet; nec immeritò, nam timor ille manum quidem coercet à perpetratione peccati, ſed voluntatem nulla ex parte corrigit.“ Idem argumentum iterum tractans in diſtinct. 28. §. 3, concludit „ ad legem pertinere omnes illuſtrationes, inſpirationes, exhortationes, correptiones, terrores, ſuaſiones tam internas, quàm externas, quamdiu non „ tan-

„ tangunt affectum, nec cor emolliunt. Proprius autem effectus gra„ tiæ, inquit, eſt amor, obedientia, voluntas bona, cor novum & „ ſpiritus novus. Unde Pelagius conſtituens gratiam Chriſti in lege & „ doctrina, quamvis ab ea non excluderet inſpirationes & ſuaſiones di„ vinas, haudquaquam Patribus viſus eſt rectam & ſinceram gratiæ con„ feſſionem tenere.“ Hactenus doctiſſimus Eſtius.

Idem docet Petavius *Dogmatum Theologicorum* tom. IX, de Pelagianorum & Semipelagianorum hæreſi, lib. unico, cap. 8, cujus titulus hic eſt: „ *Qualem gratiam adverſùs Pelagianos eorumque reliquias Au„ guſtinus, Proſper & Catholici per illud tempus aſſeveraverint.* Eam „ fuiſſe quæ non ſolùm mentem illuminet, ſed etiam voluntatem mo„ veat,“ in corpore dicit, num. 9. „ Alterum gratiæ genus, quod in mo„ tione voluntatis poſitum eſt, (Auguſtinus) declarat in illis omnibus „ locis quæ paulò ante commemoravimus, ac paſſim id eſſe ſitum do„ cet in delectatione & ſuavitate dilectionis, quam Deus cordibus noſ„ tris inſpirat.“ Et num. 10 de eodem probat „ Chriſti Redemptoris „ gratiam poſitam eſſe in inſpiratione dilectionis.“

Eamdem doctrinam ſtrenuè aſſertam videre eſt apud Illuſt. Boſſuetum, tum in *Refutatione Catechiſmi Pauli Ferri* (Calviniſtæ), ſect. 2. cap. 10, tum in *Meditationibus in Evangelia*, ultimâ hebdomadâ Salvatoris, die 49; apud Cardinalem Orſi in *Libro Apologetico Patris à Soto*, Romæ edito anno 1734, & Clementi XII dedicato, cap. 5. art. 1. §. 6; apud Laurentium Berti in *Auguſtiniano Syſtemate vindicato* (quod opus typis Vaticanis excuſum, impellente ipſo S. Pontifice Benedicto XIV ſuſceptum, eodem annuente ac palam protegente in publicum emiſſum eſt), & in *Expoſtulatione adverſùs Joann. Joſephi Languet Archiep. Senon. Judicium*: in quibus propoſitionem noſtram non ſolùm egregiè defendit, verùm etiam plurimorum Theologorum, Theſiumque Romæ, in Italia, in Germania, aliiſque regionibus Catholicis publicè propugnatarum ſuffragio confirmat.

Tom. V, pag. 421.

Tom. IX, pag. 164.

VI°. Memoratis auctoritatibus accedunt rationes Theologicæ maximi ponderis.

VI. Argumentum ex rationibus Theologicis. Sola Dei dilectio concupiſcentiam vincere & legem implere poteſt.

1°. Duas præcipuè ob cauſas gratiâ Chriſti in hoc naturæ lapſæ ſtatu indigemus, ſcilicet ad reſiſtendum concupiſcentiæ, quæ nos continuò ad peccatum impellit, & ad obſervanda divina præcepta. Porro ſola caritate ſeu dilectione Dei illa duo præſtari poſſunt. Primò quidem nonniſi caſta dilectione reſiſtitur concupiſcentiæ; amor quippe inordinatus ſui & creaturarum, in quo concupiſcentiam poſitam eſſe ſupra oſtendimus, ſuperari minuive nequit niſi per amorem rectum & ordinatum, qui nullus alius eſt quàm amor veri & ſummi boni. Omnis enim amor in individuo, ſeu ratione ultimi ſui finis conſideratus, vel caritatis eſt, vel cupiditatis, ut in ſequenti Diſſertatione expreſſis ſcripturæ ac SS. Patrum textibus probabitur. Meritò itaque S. Auguſtinus, lib. *de Fide* &

& *operibus*, cap. 23. num. 43, concludit caritatem ſolam eſſe quæ cupiditatem ſuperare valeat. „ Gratia Spiritûs ſancti per Jeſum Chriſtum „ Dominum noſtrum, inquit, diffuſâ caritate in cordibus noſtris, do„ nat juſtitiæ delectationem, quâ immoderatio concupiſcentiæ ſupera„ tur." In lib. *de Spiritu & littera*, cap. 4. num. 6: „ Ubi ſanctus non „ adjuvat Spiritus, inſpirans pro concupiſcentia mala concupiſcentiam „ bonam, id eſt, caritatem infundens in cordibus noſtris, profectò illa, „ quamvis bona, auget prohibendo deſiderium malum." In *Enchiridio*, cap. 117. num. 31, probat „ ſine Dei dono, id eſt, ſine Spiritu ſanc„ to, per quem diffunditur caritas in cordibus noſtris, jubere legem „ poſſe, non juvare, quia regnat carnalis cupiditas ubi non eſt Dei „ caritas." Et cap. 121. num. 32: „ Minuitur cupiditas, caritate cre„ ſcente, donec veniat hæc ad tantam magnitudinem quâ major eſſe „ non poſſit...... Ibi autem quis explicet quanta caritas erit, ubi cu„ piditas, quam vel coercendo ſuperet, nulla erit?" Idem inculcat lib. 1 *Retractationum*, cap. 22. num. 1. 2°. Solâ caritate, ſaltem inchoatâ, non autem alio quovis motivo mandata divina obſervari ſicut oportet, paulò poſt ex inſtituto oſtendemus. Sufficiat impræſentiarum iſtud S. Auguſtini teſtimonium ex Enarratione in pſalmum 142, num. 2: „ Lex, „ inquit, ſine gratia impleri non poteſt." Audite quare: „ Plenitudo „ enim legis eſt caritas. Et unde eſt illa caritas? Vide ſi non ex gra„ tiâ: *Caritas*, inquit, *diffuſa eſt* &c." Ideò igitur gratia neceſſaria eſt ad implenda mandata, quia illa non implet niſi caritas.

Gratia actualis ſpecie non differt à gratia habituali, nec ab ipſa vita æterna.

2°. Gratia actualis non differt ſpecie à gratia habituali, nec ab ipſa vita æterna. Actûs enim & habitûs inchoatio & perfectio non differunt ſpecie, ſed tantùm penes ſtatum vel gradum. Atqui gratia habitualis nihil aliud eſt quàm caritas ipſa habitualis, aut certè, ut omnes Theologi confitentur, à caritate habituali divelli omnino nequit. Pariter vita ipſa æterna, ſeu caritas patriæ, nihil aliud eſt quàm caritatis ipſius plenitudo perfectaque conſummatio. Ergo pariter gratia actualis, quâ vel benè operando ad juſtificantem & habitualem gratiam disponimur, vel in juſtitia ſtando ac proficiendo ad vitam æternam caritatemque patriæ tendimus, caritas eſt actualis, ſaltem inchoata.

Gratiæ & caritatis iidem ſunt caracteres.

3°. Inde quoque id patet, quòd iidem ſint gratiæ & caritatis caracteres. Enimverò gratia actualis eſt pia motio voluntatis: fons eſt & origo omnis juſtitiæ omniſque meriti: ſine gratia nullum eſt opus omni ex parte bonum, cum ipſa cuncta bona ſunt: gratia præſtat ut bonum promptè & ſuaviter operemur: ipſa diſcernit bonos à malis: voluntatem ſanat & roborat: gratiâ nemo abutitur, quamvis eâ non utique deeſſe quiſque poſſit: denique omnium Dei donorum gratia præſtantiſſimum eſt. Porro omnes iſti caracteres caritati pariter conveniunt, & quidem ipſi ſoli. Ipſa ſola eſt pia voluntatis motio: nam, ut ait S. Auguſtinus Epiſt. 140, al. 120, ad Honoratum, cap. 18. num. 45: „ pie-

tas

tas Dei cultus eſt, nec colitur niſi amando." Fons eſt & origo omnis boni actûs. „ Quid eſt enim bona voluntas, niſi caritas," inquit idem S. Doctor, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 21. num. 22? Caritas ſola juſtitiam inchoat, provehit ac perficit, juxta vulgatiſſimum ejuſdem dictum, lib. *de Natura & gratia*, cap. ult. num. 84: „ Caritas inchoata, „ inchoata juſtitia eſt; caritas provecta, provecta juſtitia eſt; caritas „ magna, magna juſtitia eſt; caritas perfecta, perfecta juſtitia eſt." Sola Deo gratum hominem facit, radixque eſt omnis meriti, ut poſt S. Auguſtinum ſæpiſſimè docet Angelicus Doctor. Sine caritate, ſaltem inchoata, *nihil prodeſſe* declarat Apoſtolus 1 Corinth. XIII, nec fidem, etiamſi montes transferat, nec eleemoſynarum largitionem, nec prophetiæ donum, nec ipſum martyrium. Cum caritate verò proſunt omnia, quantùmvis ex ſe exigua, qualis eſt calix aquæ frigidæ in nomine Chriſti datus. Sine caritate nihil eſt verè atque omni ex parte bonum: cum ipſa verò nihil non bonum eſſe definit concilium Pariſienſe anni 829. Sola caritas facit mandata promptè & ſuaviter obſervari. „ Non enim, ait S. Auguſtinus Enarrat. in pſalm. 67, num. 18, ob aliud rectè intelligitur dictum, *onus meum leve eſt*, niſi quia „ dat Spiritum ſanctum, per quem diffunditur caritas in cordibus noſ„ tris, ut amando liberaliter faciamus quod, qui timendo facit, ſervi„ liter facit:" cujus ratio eſt, quia, ut idem obſervat in lib. *de Bono viduitatis*, cap. 21. num. 26, „ in eo quod amatur, aut non labora„ tur, aut & ipſe labor amatur." Sola caritas, juxta eumdem S. Doctorem, diſcernit bonos à malis. „ Donum dilectionis, inquit, ſolum „ eſt quod diſcernit inter filios regni æterni & filios perditionis æternæ: lib. 15 *de Trinitate*, cap. 18. num. 32. Sola caritas ſanat & roborat voluntatem, tum quia ſola vincit aut minuit cupiditatem, quæ morbus eſt animæ, tum quia, cùm voluntas tota ſit amor, tota ejus ſanitas vel perverſitas ex recto vel perverſo amore pendet. „ Pondus meum amor meus, ait S. Auguſtinus lib. 13 *Confeſſionum*, cap. 9 num. 10, eò feror quò„ cunque feror. Dono tuo accendimur, & ſurſum ferimur, inardeſcimus „ & imus, aſcendimus aſcenſiones in corde, & cantamus canticum gra„ duum." Sola caritas eſt quâ nemo malè utitur, & ſine qua cæteris omnibus quiſque malè utitur. Univerſa quippe inutiliter habet, qui unum illud, quo univerſis utatur, non habet, inquit idem S. Doctor Serm. 88, cap. 18. num. 21: & Epiſt. 177, num. 17: *Caritas ſola non peccat*. Denique caritas eſt omnium donorum Dei excellentiſſimum, quandoquidem Apoſtolus, 1 Cor. XII & XIII, enumeratis pluribus ſupernaturalibus Dei donis: *Æmulamini*, inquit, *charismata meliora, & adhuc ſupereminentiorem viam vobis demonſtro*. Declarans autem quænam illa ſit: *Si linguis*, inquit, *hominum loquar & angelorum, caritatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens*. Cum igitur quæcunque de gratia dicuntur, eadem de caritate ſeu dilectione

Al. Serm. 18 de Verbis Apoſtoli.

Digitized by Google

dici poſſint ac debeant, cui non perſpicuum eſſe debet gratiam Chriſti nihil aliud eſſe, quàm ſanctæ dilectionis inſpirationem?

Ex hac gratiæ definitione fluunt omnes illius proprietates.

4°. Ex hac gratiæ definitione ſponte ſuâ fluunt quæcunque de gratia Chriſti in ſcripturis & in traditione docentur. Inde v. g. intelligitur cur gratia Chriſti ad omne opus verè bonum abſolutè neceſſaria ſit; quia videlicet nullus actus omni ex parte bonus eſt, niſi ex amore Dei procedat. Intelligitur gratiam ſemper eſſe efficacem alicujus effectûs; quia, ut ait S. Auguſtinus Enarrat. in pſalmum 121. num. 1, „ habet omnis amor vim ſuam, nec poteſt vacare in anima amantis." Intelligitur gratiam efficaciſſimam nequaquam lædere, ſed potiùs perficere libertatem arbitrii; quia nihil liberiùs facimus, quàm quod ex dilectione operamur. Intelligitur gratiæ interiori interdum reſiſti, ſeu gratiam non ſemper habere eum effectum ad quem tendit, & ad quem excitat voluntatem; quia nempe cœleſti delectatione terrena cupiditas tunc vehementior eſt. Intelligitur gratiam non omnibus hominibus dari, cùm vel ipsâ experientiâ conſtet non omnium eſſe caritatem Dei, etiam in infimo gradu. Intelligitur tandem gratiam nullis præcedentibus meritis dari, quandoquidem abſque dilectione Dei nihil verè bonum ac meritorium eſt.

Gratia non eſt delectatio à dilectione Dei diſtincta.

Ex dictis hactenùs refelluntur non ſolùm ii qui gratiam Chriſti in ſolis internis illuſtrationibus & excitationibus collocant, verùm etiam illi qui eam ſitam eſſe volunt in delectatione quadam à ſancta dilectione diſtincta. Ut tamen dubium omne præcludatur, non pigebit iſtam opinionem peculiaribus argumentis confutare. Nonnulla breviter attingam.

1°. Nullus concipi poteſt voluntatis motus, etiam indeliberatus, qui non ſit amor, aut ex amore aliquo non procedat, cùm ipſa voluntas, tota quanta eſt, ſit amor, omneſque ejus affectiones ab amore profluant.

2°. Si non ipſâ dilectio, ſed tantùm delectatio quædam à dilectione diverſa per gratiam Chriſti inſpiratur, jam ſola poſſibilitas diligendi Deum, quantacunque ſupponatur, à Deo datur; quod à Pelagiano errore non ſatis recedit.

3°. Cùm in mente ſic opinantium hujuſmodi delectatio ſit aliquid minus quàm ipſamet dilectio, voluntas per illam allecta, producendo actum dilectionis, aliquid de ſuo adderet, ſeque ipſam faceret de non diligente diligentem, ac proinde non immeritò in ſeipſa gloriari poſſet.

Nec dicas gratiam à S. Auguſtino frequenter appellari caſtam delectationem, delectationem autem non eſſe formaliter quid idem cum dilectione. Nam, quidquid ſit de Philoſophica iſta quæſtione, utrùm ſcilicet delectatio mentis ſit affectio formaliter diſtincta à cognitione & amore, uti nonnulli exiſtimant; an verò, ut alii ſentiunt, ſit duntaxat appendix ſeu modificatio cognitionis & amoris, circa quod conſuli ro-

Digitized by Google

poteſt liber *Actionis Dei in creaturas*, ſect. 3. cap. 8., & ſect. 4. cap. 9, certum eſt delectationem & dilectionem pro uno & eodem promiscuè ſumi à S. Auguſtino. Utrumque conjungit lib. *de Spiritu & littera*, cap. 3. num. 5, ubi gratiam definit *delectationem dilectionemque ſummi boni*, additque bonum non agi nec ſuſcipi, *niſi delectet & ametur*. Et lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 9. num. 21: „ Benedictio dul- „ cedinis, inquit, eſt gratia Dei, quâ fit in nobis ut nos delectet & „ cupiamus, HOC EST, AMEMUS quod præcipit nobis." Immo multò frequentiùs utitur vocibus *caritatis*, *dilectionis*, *amoris*, ad explicandam naturam gratiæ, quàm voce delectationis, ut ex textibus ſuperiùs allatis manifeſtum eſt. Proinde, quoties dicit gratiam eſſe ſanctam delectationem, nullum dubium eſt quin hoc vocabulo dilectionem ipſam ſeu caritatem ſignificare voluerit. Et ſanè ſi gratia eſſet delectatio à caritate diſtincta, per hujusmodi delectationem in ſeipſa conſideratam mandata impleri poſſent: contra verò S. Auguſtinus aliique Patres conſtanter docent mandata non impleri niſi caritate. Ergo apud S. Auguſtinum delectatio boni vel ipſa dilectio eſt, vel ejus appendix comesque individua.

Inde colligere eſt voces *caritatis*, *dilectionis* & *amoris Dei* multò aptiores eſſe ad exprimendam naturam gratiæ Chriſti, quàm voces delectationis aut ſanctæ voluptatis. 1°. Quia nomen delectationis ambiguum eſſe poteſt, nomina autem dilectionis, amoris, caritatis neutiquam. Quamobrem S. Auguſtinus hæc absque ullo addito ſæpiſſimè adhibet, illud autem aut nunquam, aut raró admodùm adhibet, quin ex adjunctis illud determinet ad ſignificandam ipſammet dilectionem. 2°. Quia, tametſi gratia Chriſti adjunctam ſemper habeat internam quamdam ſuavitatem, quæ à caritate divelli nunquam poteſt, non infrequenter tamen deſtituitur eâ delectatione quæ mentem ſenſibiliter afficiat, ut apparet in plurimis juſtis, qui interdum, absque ullo pietatis ſenſibilis motu, viam tamen mandatorum ipſo robore caritatis conſtanter ac libenter currunt. 3°. Quia metuendum eſt ne fortè nonnulli, illam delectationis vocem non rectè accipientes, Deo ſervire velint propter ſuavitatem illam ſenſibilem, quam inde percipiunt aut percepturos ſe ſperant, non propter ipſum Deum, atque in illa ſuorum operum finem ultimum collocent; quod profectò perverſum foret, cùm hujusmodi ſuavitas condimentum quoddam ſit pietatis, non ipſius merces vel finis. 4°. Quia nonnulli, eâdem voce malè intellectâ decepti, arbitrari poſſent id ſibi agendum eſſe, quo ſe magis delectari, & ad quod ſuaviter ſe allici ſentiunt; quod in morum diſciplina valde periculoſum eſt, viamque innumeris illuſionibus aperit. Etſi enim gratia interdum occultâ inſpiratione aliquos ad externa quædam religionis aut pœnitentiæ exercitia allicit, ad quæ alios non allicit, ut conſtat ex Vitis multorum Sanctorum, moraliter tamen loquendo gratia non ideò datur ut ſit re-

Digitized by Google

gula agendorum, ſive ut ejus ope certò dignoſcatur quid agendum ſit, quidve non agendum, quod ad legem potius & doctrinam pertinet; ſed ut ſit noſtræ infirmitatis adjutorium, utque, quod faciendum eſſe cognovimus, pio ſanctoque amore faciamus.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt adversùs aſſertam à nobis Propoſitionem. Si omnis gratia Chriſti eſſet inſpiratio caritatis, omnes qui aliquo gratiæ motu præveniuntur, caritatem haberent. Iſtud abſurdum eſt; ergo & illud.

Nego antecedens. Quamquam enim omnis gratia Chriſti propriè dicta ſit aliqua caritatis inſpiratio, non ideò omnes quibus datur caritatem habere cenſendi ſunt, quia ſæpè contingit nonniſi tenuem juſtitiæ dilectionem à Deo inſpirari, quæ per concupiſcentiæ validioris reſiſtentiam facilè ſuperatur. Porro, licet tenuis illa juſtitiæ dilectio ſit aliquod caritatis initium, is tamen, qui non habet niſi debilem illam & inchoatam boni dilectionem, non poteſt dici ſimpliciter & abſolutè habere caritatem, eoquòd unuſquiſque ſecundum eum affectum æſtimetur, qui in ejus corde dominatur.

Objiciunt 2°. Totidem admittendæ ſunt ſpecies gratiæ, quot ſunt actus virtutum diverſi, ad quos per gratiam impellimur: v. g. alia eſt gratia humilitatis, alia fidei, alia miſericordiæ, & ſic de cæteris.

Reſpondeo multiformem quidem eſſe gratiam, quatenus diverſos virtutum actus operatur; unius tamen eſſe ſpeciei quoad operandi modum ac motivum. Quemadmodum enim caritas, cum in ſeipſa una ſit, effectibus tamen ſuis multiplex eſt, juxta iſtud Apoſtoli, 1 Cor. XIII: *Caritas patiens eſt, benigna eſt, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet;* ita & gratia, inſpirando caritatem, operatur patientiam, benignitatem, fidem, ſpem, ſuſtinentiam, cæterarumque virtutum diverſos actus, in quantùm illos ex radice caritatis exurgere facit.

Objiciunt 3°. Præter gratiam quæ impellit ad diligendum Deum, admittenda eſt gratia quæ moveat ad deteſtandum & odio habendum malum: hæc autem gratia non eſt inſpiratio dilectionis. Ergo &c.

Nego minorem. Nam omne odium naſcitur ex amore illius boni, cui opponitur malum quod odio habetur; ac proinde odium peccati procedit ex amore juſtitiæ, juxta iſtud S. Auguſtini dictum: *Tantùm quiſque peccatum odit, quantùm juſtitiam diligit.*

Objicies 4°. Ex S. Auguſtino, gratia prævenit bonam voluntatem & caritatem: non autem illam præveniret, ſi eſſet ipſamet bona voluntas & caritas. En S. Doctoris verba, lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 16. num. 41: „ Si gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, „ profectò prævenit omnem obedientiam: prævenit etiam caritatem, quâ „ uno Deo veraciter & ſuaviter obeditur; & hæc omnia gratia in eo „ cui datur, & cujus hæc omnia prævenit, operatur."

Diſtinguo majorem. Gratia increata, id eſt, divina operatio prævenit bonam voluntatem, concedo: gratia creata, nego. Manifeſtè loqui-

quitur ibi S. Doctor de gratia increata, ſeu de operatione divina, quæ reipſâ bonam hominis voluntatem caritatemque prævenit, ſicut omnis cauſa præcedit, ſaltem ratione, ſuum effectum. Quòd autem de gratia increata ibi ſermo ſit, ex ipſo textu perſpicuum eſt, ubi dicit S. Doctor: *& hæc omnia gratia in eo cui datur, & cujus hæc omnia prævenit, operatur.* Gratiâ verò creata non prævenit bonam voluntatem & caritatem, quia nihil aliud eſt quàm ipſa bona voluntas ſeu caritas, à Deo tanquam gratiâ increatâ inſpirata. Senſus ergo S. Auguſtini eſt nihil boni eſſe in homine, quod divinæ & increatæ gratiæ operationem præveniat.

Legi poſſunt circa iſtam quæſtionem nona & decima pars *Reſponſionum* (D. Petitpied) *ad primam Admonitionem* Epiſcopi Sueſſionenſis (Languet.)

Quæres utrùm gratia ſit inſpiratio dilectionis deliberatæ ac liberæ, an indeliberatæ & à deliberata diſtinctæ?

Utrùm ſancta dilectio per gratiam inſpirata ſit deliberata an indeliberata.

Reſpondeo Theologos, ſive Thomiſtas, ſive Auguſtinianos, circa iſtam quæſtionem varias in partes abire. Ut enim primùm de Thomiſtis loquar, „ in hoc inter ſe diſcrepant," uti obſervat Antonius Arnaldus in *Diſſertatione Quadripartita*, part. 3. art. 2, „ quòd nonnulli, præcipue ex recentioribus, præter voluntatem divinam, quæ liberam voluntatem, ipſâ etiam in juſtis habituali gratiâ inſtructam, ad opus applicat, requiri volunt vel qualitatem quamdam tranſeuntem, vel ſaltem motionem quamdam virtuoſam, quæ ſit inſtrumentum Dei ad producendum in libero arbitrio pium voluntatis motum. Alii autem mediam illam, vel qualitatem, vel motionem virtuoſam omninò rejiciunt, & ipſam gratiam efficacem, prout eſt principium bonæ voluntatis, nihil aliud eſſe volunt, quàm gratuitum Dei favorem, miſericordiam, & ipſam divinam operationem (ipſa autem nihil eſt aliud reipſâ quàm Deus operans), quæ ſimul cum libero arbitrio, prius tamen ordine cauſalitatis quàm liberum arbitrium, bonam voluntatem in nobis producit." Addit hanc ſententiam, præter alios veteres Scholaſticos, diſertiſſimè tenuiſſe Thomam Bradwardinum, Eſtium & Typhanium. Inter Auguſtinianos pariter alii gratiam conſtituunt in delectatione indeliberata, quæ liberum voluntatis actum antecedat, & ab eo diſtinguatur: nonnulli verò, uti obſervat Berti, *de Diſciplinis Theologicis*, tom. 3. lib. 14. cap. 8. pag. 15, „ defendunt hujuſmodi delectationem eſſe actum deliberatum, affirmantes in eodem puncto, quò gratia inclinat movetque ſuaviter, voluntatem delectatam victrice gratia actum amoris elicere, ita ut ſit iſte pleniſſimè in liberi arbitrii poteſtate." Monet tamen illa duo conciliari facilè poſſe, „ Etenim, inquit, ſi gratia accipiatur ex parte Dei, quatenùs eſt ipſa miſericordia movens & inſpirans caritatem, nullatenùs cum noſtra deliberatione conjuncta eſt; & hoc ſenſu ait Auguſtinus, *ut velimus, ſine nobis operatur.* Si conſideretur ex parte noſtra, promanans à

Extat in Cauſa Arnaldina.

„ vo-

Digitized by Google

„ voluntate, tamen eſt à Deo intimè præſente præmota. . . . . Quarè, ut „ ſupra dictum eſt, gratia quæ prævenit caritatem, eſt caritas Dei, ſeu „ Deus nobis ſpiritum ſuæ dilectionis inſpirans.“

Coll. ct. Oper. Arnaldi Tom. III. Al. Epiſt. tom. 7. Ep. 598.

Ut autem ad Arnaldum redeamus, ſic mentem ſuam aperit Doctor ille celebris in Epiſt. ad D. Duvaucel, datâ die 8 Maii 1693: „ Le „ vrai ſentiment de S. Auguſtin, de S. Bernard & de S. Thomas, tou„ chant la grace actuelle, eſt celui d'Eſtius, qui ne met rien d'ac„ tuel produit de Dieu dans la volonté, entre la volonté de Dieu, „ qu'il appelle la grace incréée, & le mouvement libre de la volonté „ humaine que la grace incréée produit en elle: ce qui n'empêche pas „ que ce premier mouvement libre produit par cette grace incréée ne „ ſerve ſouvent à en produire d'autres, avec le ſecours de la même „ grace incréée, comme le marque S. Auguſtin dans cette belle défi„ nition de la grace: *inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore fa„ ciamus.* Car cela veut dire que Dieu nous inſpire ſon amour, afin „ que nous puiſſions par cet amour faire les bonnes œuvres. . . . . Mais „ on ne voit point dans tout cela ni de *qualitas fluens*, ni d'*actus inde„ deliberatus.*“ Idem, tanquam *aliquid maximè in materiâ gratiæ momenti*, obſervat in Epiſt. 965, al. 610, ad Illuſtr. Boſſuetum, ſcripta eodem

Ibid. pag. 661.

anno, menſe Julio. Commemoratis quippe variis Theologorum opinionibus circa gratiam actualem, quæ eſt bonæ voluntatis principium, quam quidam collocant *in miſericordia Dei & forma inhærente*, alii verò *in miſericordia Dei, qui interiùs motum mentis operatur*, quid ipſe pro certo teneret ſtatim exponit his verbis: „ Je ſuis perſuadé que cette derniere „ expoſition eſt celle de S. Auguſtin & de S. Thomas, & la plus con„ forme à la raiſon, & qu'en la ſuivant il eſt bien plus aiſé d'expli„ quer l'efficace de la grace, & de concilier cette efficace avec la liber„ té.“

In eamdem ſententiam ultrò deſcendo. Ut autem res dilucidior fiat, cenſeo primam gratiam, ſeu primum bonæ voluntatis actum liberum, quo incipit homo venire ad Chriſtum, non produci abſque aliquo motu præveniente deliberationem, quo peccator ad Deum diligendum alliciatur & attrahatur. Cum enim voluntas non agat niſi prout affecta eſt, nihilque diligat quod eam non delectet, fieri nullomodò poſſe videtur, ut homo à Deo averſus, totuſque ad creaturas converſus, deliberatè ſe moveat ad diligendum Deum, niſi ad ſanctam illam & caſtam dilectionem allici & attrahi ſe ſentiat: alioquin diligeret abſque ullo prævio diligendi motivo cor ejus afficiente; quod ipſius naturæ repugnare videtur. Porro interna illa ſuavitas, quâ peccator allicitur ad diligendum Deum, quem anteà nullatenùs diligebat, aliud eſſe non poteſt quàm motus caritatis ante omnem mentis deliberationem voluntati impreſſus, quo Deus ſumma juſtitia ſummumque bonum dulceſcere incipit. Neque enim ſatis eſt intellectu percipere Deum eſſe ſummo

amore

amore dignum (quod per legem quoque cognoſci poteſt), niſi Deus ipſe agat in cor, illud tangat, moveat, intimè afficiat, internâque immiſſâ delectatione, ad ſui amorem illud inclinet ac determinet. Sic namque impletur quod dicitur in Cantico Canticorum, I. 3: *Trahe me, poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum;* quodque Deus pollicitus eſt, Oſee XI. 14: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis.*

Hic tamen dilectionis motus, absque ulla prævia deliberatione in cor à Deo immiſſus, non diſtinguitur reipſâ ab ipſa dilectione deliberata & libera, quam Deus ſimul, unicâ & eâdem operatione, cum libero arbitrio & per illud phyſicè producit. Ex Evangelio enim, trahi à Patre ut veniatur ad Chriſtum, & dari à Patre ut veniatur ad Chriſtum, quod fit per actum deliberatum fidei & caritatis, unum & idem ſunt, ut ex eo patet quòd, cùm, Joann. VI. 44, dixiſſet Chriſtus: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, eamdem veritatem paulò poſt his verbis exprimit ibidem, v. 66: *Dixi vobis quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Cùm ergo non veniatur ad Chriſtum, niſi per liberum voluntatis actum, nemo quoque trahitur à Patre ut veniat ad Chriſtum, quin ſimul eâdemque operatione illi donetur ut reipſâ ac libera voluntate veniat. Proinde *nemo venit niſi tractus*, ut ait S. Auguſtinus tract. 26 in Joannem, ſed quiſquis trahitur, hoc ipſo, Deo operante, venit: *Omnis enim qui audivit à Patre & didicit, venit ad me*, inquit Chriſtus ibidem, v. 45: venit autem pro modo ac menſura gratiæ ipſum trahentis. Quando fortis ac potens eſt motio gratiæ, plenum & integrum voluntatis aſſenſum operatur, ut in B. Paulo contigit, qui, ſimul atque Chriſtus ipſum allocutus eſt, exclamavit: *Domine, quid me vis facere?* At plerumque primi dilectionis motus à Deo inſpirati debiles ſunt, diuturnoque profectu indigent, ut oppoſitas cupiditates omnino vincant. Tunc peccator deliberatè quidem ac liberè, ſed remiſſè atque imperfectè fertur in bonum, vult & non vult, ſecum ipſe luctatur, ſemiſauciamque voluntatem modò ad Deum, modò ad creaturas convertit, ut ſibi accidiſſe teſtatur S. Auguſtinus in lib. 8 Confeſſionum.

Aliter ſentiendum eſſe videtur de homine juſto, in quo regnat Dei caritas. Cùm enim ejus voluntas jam inclinata ſit habitualiter ad bonum faciendum peccatumque fugiendum, opus non eſſe arbitror ut ad ſingulos actus bonos alliciatur per motus deliberationem ejus prævenientes, ſed ſufficere ut juſtitiæ dilectio, in ejus corde jam exiſtens ac dominans, determinetur & applicetur ad ſingula pietatis officia affectui ejus habituali proportionata. Ibi tantummodò locum habent motus illi deliberationem prævenientes, ubi homo ad malum converſus, cupiditatibusque totus deditus, nullo dilectionis Dei initio inclinatur ad rectè agendum. At quando ad Deum converſus ipſum ſuper omnia diligit, non video quare hujusmodi motus ad ſingulos actus requirerentur.

Et reverâ hæc doctrina eſt SS. Patrum, qui gratiam Chriſti dividunt in operantem, quæ bonæ voluntatis initium *in nobis ſine nobis*, non quidem liberè volentibus & conſentientibus, ſed non priùs volentibus, deſiderantibus, petentibus, conantibus, operatur; & in cooperantem, quæ bonum quod jam volumus nobiſcum operatur. Id enim quid aliud eſt, quàm docere hominem priùs nolentem motibus deliberationem prævenientibus allici atque impelli debere ad bonum amplectendum; hominem autem jam benè volentem indigere duntaxat adjutorio gratiæ piis affectibus in ejus corde jam procreatis cooperante, eoſque ad rectè agendum applicante? Meritò itaque concludit Bellarminus lib. 1 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 14, „ ad primum duntaxat actum volunta-
„ tis requiri gratiam operantem, ad reliquos autem non eſſe neceſſa-
„ riam operantem, ſed cooperantem. Nam, inquit, poſteà quàm cœpi-
„ mus converti ad Deum, jam nos ipſi non tantùm per liberum arbitrium
„ producimus, Deo juvante, reliquos actus, ſed etiam nos incitamus &
„ impellimus, Deo cooperante, ad eos.“ Sed hac de re pleniùs agemus poſteà Diſſertat. III, ubi de diviſionibus gratiæ in prævenientem & ſubſequentem, in excitantem & adjuvantem, in operantem & cooperantem ſermo erit.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO SECUNDA.

De neceſſitate gratiæ Chriſti ad omnes & ſingulos pietatis actus.

DOCEBANT Pelagiani hominem ſine auxilio gratiæ Chriſti poſſe bene agere, Deum ſuper omnia diligere, mandata omnia obſervare, tentationeſque ſuperare. Quamvis enim gratiæ neceſſitatem vocetenùs agnoſcere quandoque non reſugerent, nunquàm tamen eam, ut jam dixi, qualis in Eccleſia creditur & prædicatur, confeſſi ſunt; vel ita illam confeſſi ſunt, ut contenderent eam non eſſe abſolutè neceſſariam ad implenda mandata, ſed utilem tantùm ut faciliùs impleantur. Errores & variæ opiniones.

Presbyteri Maſſilienſes, Semipelagiani dicti, fatebantur bona opera, virtutum actus, atque in bona vita perſeverantiam, dona eſſe gratiæ Chriſti medicinalis; ſed negabant eam gratiam neceſſariam eſſe ad fidei, bonæ voluntatis orationiſque initia, atque in illis perſeverantiam.

Utroſque damnavit Eccleſia plurimis in conciliis, definivitque nullum opus verè bonum fieri, nullum veræ virtutis actum exerceri, nullumque fidei ac bonæ voluntatis initium, vel in bono perſeverantiam haberi poſſe, abſque adjutorio gratiæ Chriſti naturam corruptam ſanantis ac reparantis.

Non pauci moderni Scholaſtici, dum antiqua illa Eccleſiæ decreta venerari ſe profitentur, utrumque illum errorem reipſâ inſtaurant. Hi ſcilicet bonorum operum virtutumque duplicem ordinem diſtinguunt, ſupernaturalem unum, ad quem gratiam requiri fatentur; alterum naturalem, ad quem illam requiri negant. Addunt actus bonos, virtuteſque quas naturali ordini deputant, omni prorſus vitio ac defectu carere, etiam ratione finis ultimi: tum quia, in eorum opinione, non tenetur homo omnes actus ſuos ad Deum tanquam finem ultimum referre; tum quia Deum amari, legiſque naturalis præcepta ex illo amore abſque auxilio gratiæ Chriſti obſervari poſſe contendunt. Hinc in ipſis infidelibus actus omni ex parte bonos ac vitii penitùs expertes, veraſque virtutes admittunt, non quidem regno cœlorum, quod ordinis eſt ſupernaturalis, ſed naturali quadam æternaque beatitudine dignas. Inde concludunt gratiam Chriſti, propriè loquendo, neceſſariam non eſſe ad faciendum bonum, ad ſuperandas tentationes, ad diligendum Deum, ad dolendum de peccatis, ad exercenda quælibet virtutum offi-

Digitized by Google

officia; ſed tantummodò, 1° ut illa omnia per longum tempus abſque ullo gravi offendiculo fiant; quia nempe, inquiunt, in præſenti naturæ ſtatu ignorantia & concupiſcentia obſtant, quominùs homo totam legem naturalem abſque ullo mortali peccato diu obſervare valeat, niſi divinitùs adjuvetur: 2° ut illa omnia præſtentur ſupernaturaliter, id eſt, eo modo qui proſit ad ſalutem, vitamque æternam promereatur; eoquòd tanta ſit gloriæ cœleſtis ſublimitas, ut nulla bona opera illi proportionata ſint, niſi fiant ſupernaturaliter.

Si verò ab illis quæras quid diſcriminis ſit inter virtutes naturales & virtutes ſupernaturales, inter actus bonos ordinis naturalis & actus bonos ordinis ſupernaturalis, inter amorem Dei naturalem & amorem ſupernaturalem, tunc varias in partes diſtrahuntur. Alii quippe ſentiunt cum Molina iſtud diſcrimen non repeti ab intenſione vel remiſſione actuum, neque à fine aut circumſtantiis, ſed tantummodò à principiorum ex quibus procedunt diverſitate: adeò ut illi actus ſint merè naturales, in quos, ſimul cum concurſu Dei generali ac ſimultaneo, ſolæ liberi arbitrii vires influunt; illi verò ſint ſupernaturales, in quos gratia quoque influit. Alii autem diſcrimen illud deſumunt ex fine ultimo, dicuntque actus illos ordinis eſſe naturalis, qui fiunt propter finem aliquem honeſtum, vel etiam propter Deum conſideratum ut auctorem naturæ; illos autem ſupernaturales, qui fiunt ex motivo aliquo ſupernaturali per revelationem & per fidem cognito, v. g. ex metu gehennæ, vel ex ſpe cœleſtis beatitudinis, vel ex amore Dei ſpectati ut auctoris gratiæ & gloriæ.

Frivolâ illâ diſtinctione Pelagianiſmum ſe effugere, & Eccleſiæ definitionibus obſequi ſe arbitrantur. Quidquid enim ex Conciliis aut SS. Patribus objeceris, ut probes nihil prorſus boni fieri poſſe ſine auxilio gratiæ Chriſti, iſtâ futili viâ eludunt: bonum ſupernaturale vitæque æternæ meritorium ſine gratia fieri non poſſe concedunt; bonum naturalis ordinis, negant.

Renovato Pelagianiſmo, mirum non eſt eos Semipelagianiſmum quoque ſuſcitare. Plurimi namque illorum docent auxilium gratiæ illis conferri, qui ſolis naturæ viribus conantur facere quod in ſe eſt, imò poſſe hominem ſolis naturæ viribus gratiam deſiderare, ad eamque remotè ſe præparare, aut ſaltem obicem illi non ponere.

Hos ſimul cum Pelagianis & Semipelagianis confutabimus. Ut autem argumenti vis dilucidior & efficacior ſit, principia primum ſtabiliemus, ex quibus cætera, veluti confectaria, ſponte ſuâ profluant. Quamobrem hanc Diſſertationem in plura Capita diſtribuemus. In primo probabimus nullam actionem ſub omni reſpectu bonam fieri poſſe ſine caritate, ſeu dilectione Dei, ſaltem inchoata. In ſecundo oſtendemus nullam dilectionem Dei ſolis naturæ viribus produci, ſeu Deum nullomodò verè diligi poſſe ſine gratia Chriſti. In tertio concludemus nullum ac-

Digitized by Google

actum omni ex parte bonum fieri poſſe ſine gratia Chriſti. In quarto aſſeremus nullam gratiam Chriſti propriè dictam dari ante initium fidei, ſeu fidem fideive initium eſſe primam gratiam Chriſti. In quinto diſſeremus de operibus & virtutibus infidelium.

CAPUT PRIMUM.

Utrùm actus ſub omni reſpectu moraliter boni fieri queant abſque dilectione Dei, ſaltem inchoata.

Quæstio non eſt de actibus conſideratis ex parte ſolius objecti ſeu officii: omnes quippe conſentiunt plurima virtutum officia impleri poſſe abſque ullo amore Dei, ſcilicet vel ob vanam gloriam aliudve quodlibet commodum temporale, vel etiam, tametſi rariùs, ob ſolam actuum honeſtatem. Sed agitur de actibus conſideratis ſub omni reſpectu, ac præſertim ex parte finis ultimi; quæriturque an hujuſmodi actus ſub omni reſpectu boni eſſe poſſint, abſque ullo amore Dei ſaltem inchoato. Status quæſtionis.

2°. Non etiam quæritur utrùm opera, quæ non procedunt ex amore Dei, vitam æternam mereri poſſint, ſed tantummodò an poſſint eſſe omni ex parte bona, & omni vitio carere: neque utrùm illa opera in ſeipſis & intrinſecè mala ſint, ſed tantùm an rectè fiant.

3°. Non etiam quæritur utrùm defectus relationis in Deum, ut finem ultimum propter ſe dilectum, ſit peccatum mortale, ſed ſimpliciter an peccatum ſit, actumque aliqua ex parte vitiet.

4°. Demum non quæritur an actus omnes humani, ut omni ex parte boni ſint, naſci debeant ex amore Dei actuali ac reflexo. Quod ut intelligatur, conſiderandum eſt duobus modis actum in Deum referri, nimirum vel actualiter, vel virtualiter. Actum ſuum actualiter refert in Deum, qui inter agendum de Deo actu cogitat, atque expreſſe intendit agere propter gloriam Dei: virtualiter autem refert, qui, tametſi de Deo actu non cogitet, operatur ex quadam intentione placendi Deo, quæ præceſſit, nec ullo contrario actu revocata eſt. „ Ad cujus evidentiam, inquit S. Thomas in *Quæſtionibus diſputatis*, quæſt. *de Caritate*, art. 11. ad 2, „ conſiderandum eſt quòd, ſicut in cauſis efficientibus virtus primæ cauſæ manet in omnibus cauſis ſequentibus, ita „ etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus ſecundariis. Itaque quicunque intendit finem aliquem ſecundarium, virtute intendit finem principalem: ſicut medicus, dum colligit herbas, ac- „ tu

„ tu intendit facere potionem, nihil fortaſſè de ſanitate cogitans; vir-
„ tualiter tamen intendit ſanitatem, propter quam potionem dat. Sic
„ igitur, cum aliquis ſeipſum ordinat in Deum, ſicut in finem, in
„ omnibus quæ per ſeipſum facit, manet virtute intentio finis ultimi,
„ qui Deus eſt." Nemo eſt qui actualem & expreſſam ſingularum actionum ad Deum relationem præcipi, aut etiam hac in vita poſſibilem eſſe cenſeat; ac proinde id unum quæritur, an relatio virtualis, quæ omnium judicio ſufficit, neceſſaria ſit ut actiones humanæ omni ex parte peccato careant.

5°. Nonnulli hæretici, maximè ex grege Proteſtantium, docuerunt nullam eſſe actionem bonam, niſi procedat ex caritate & gratia ſanctificante; ita ut omnes eorum actus, qui in ſtatu peccati mortalis verſantur, totidem ſint peccata. Hunc errorem Catholici omnes deteſtantur, certòque tenent ad actuum bonitatem nequaquam requiri ut agens ſit in ſtatu gratiæ, ſed ſatis eſſe ut operetur ex dilectione Dei inchoata & adhuc imperfecta. Ad præcludendas tamen adverſariorum calumnias, non abs re erit errorem illum breviter evertere, antequàm ad reliqua pergamus.

Ante gratiam ſeu caritatem habitualem fieri poſſunt opera bona, nec omnia peccatorum opera ſunt peccata.

Dico igitur opera verè bona Deoque accepta fieri poſſe ante juſtificationem, adeòque ſine gratia & caritate habituali.

Id demonſtrant 1° plurima è ſcripturis deſumpta exempla, ſpeciatim verò illius Publicani, qui (Luc. XVIII. 13), cùm aſcendiſſet in templum ut oraret, ex ſincera contritione & humilitate cordis *à longè ſtabat, nec audebat oculos ad cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus, propitius eſto mihi peccatori;* & Cornelii Centurionis, qui, antequàm juſtificationis gratiam obtinuiſſet, dicitur (Act. X. 2) fuiſſe *vir religioſus ac timens Deum, faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper.* Nam Publicani confeſſionem humilemque orationem Deo gratam fuiſſe teſtatur Chriſtus, cùm dicit illum *deſcendiſſe in domum ſuam juſtificatum.* Dicit quoque S. Auguſtinus, tract. 44 in Joann. num. 13, eum *iſtâ confeſſione meruiſſe juſtificationem:* & lib. 2 *contra Epiſtolam Parmeniani*, cap. 8. num. 17: „ Ut juſtificaretur, peccator
„ orabat, & peccator confitebatur, & exauditus juſtificatus eſt, ut de-
„ ſineret eſſe peccator. Non utique deſineret eſſe peccator, niſi priùs
„ exaudiretur peccator." De Cornelio pariter declarat ſacer textus eleemoſynas & deprecationes ejus *aſcendiſſe in memoriam in conſpectu Dei.* Unde concludit S. Auguſtinus lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 7, & lib. 2 *ad Simplicianum*, quæſt. 2, in eodem Cornelio, antequàm, loquente Petro, Spiritum ſanctum accepiſſet, fuiſſe opera bona Deoque placentia.

2°. Idem S. Doctor frequenter inculcat *fidem* piè orando & operando *impetrare caritatem & juſtitiam*, atque in peccatoribus, antequàm remiſſionem peccatorum accipiant, aliquod fidei inchoatæ meritum præcedere.

„ Quis

Digitized by Google

„ Quis credat, inquit lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 2. num. 4, „ eum, qui jam cœpit credere, ab eo in quem credidit nihil mereri?“ Et Epiſt. 194, al. 105, ad Sixtum, cap. 3. num. 9: „ Nec ipſa remiſſio „ peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat. Neque „ enim nullum eſt meritum fidei, quâ fide ille dicebat: *Deus propi-* „ *tius eſto mihi peccatori*, & deſcendit juſtificatus merito fidelis humili- „ tatis, quoniam qui ſe humiliat exaltabitur.“

3°. Idem concilia definierunt. In concilio Conſtantienſi, Seſſ. XV, inter 260 Articulos Wiclefi damnatus eſt iſte 29us: *Ex principiis fidei eſt per ſe notum quòd, quidquid homo in peccato mortali fecerit, peccat mortaliter.* Ibidem reprobatus eſt iſte articulus 17us ex triginta Joannis Hus: *Diviſio immediata humanorum operum eſt, quòd ſint vel virtuoſa, vel vitioſa: quia ſi homo eſt vitioſus & agat quidquam, tunc agit vitioſè; & ſi eſt virtuoſus & agat quidquam, tunc agit virtuoſè: quia ſicut vitium, quod crimen dicitur, ſive peccatum mortale, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi, ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.*

Idem contra Lutherum ſancivit concilium Tridentinum, ſeſſ. 6 *de Juſtificatione*, can. 7, qui ſic ſe habet: „ Si quis dixerit omnia opera „ quæ ante juſtificationem fiunt, quâcunque ratione facta ſint, vera „ eſſe peccata, vel odium Dei mereri, aut quantò vehementiùs quis „ nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare, anathe- „ ma ſit.“

4°. His auctoritatibus accedunt rationes invictæ. Prima eſt, nullum adultum ad gratiam juſtificationis pervenire poſſe, quin priùs per actus fidei, ſpei & ſinceræ contritionis ad eam recipiendam ritè ſit diſpoſitus. Atqui abſurdum eſt quemquam diſponi ad juſtificationem per actus qui pravi ſint. Ergo ante juſtificationem fieri poſſunt & fiunt actus omni ex parte boni Deoque grati. Altera eſt, omnem actum, qui fit ex dilectione Dei, non poſſe non eſſe bonum. Atqui peccator, etſi nondum acceptâ remiſſione peccatorum, poteſt diligere Deum, & ex illa dilectione operari. Quamvis enim caritas & cupiditas in corde ſimul dominari nequeant, minimè tamen repugnat ſanctæ dilectionis initium ibi reperiri, ubi regnat carnalis cupiditas; ſicut non repugnat parvam cupiditatem ibi remanere, ubi regnat Dei caritas. Unde quemadmodùm juſti ex cupiditate, quæ nunquam hac in vita penitùs extinguitur, interdum peccant venialiter, ita & peccatores ex inchoata caritate boni aliquid operari poſſunt.

Opponunt id quod dicitur Joann. IX. 31: *Deus peccatores non audit*. Verùm, uti obſervat S. Auguſtinus tract. 44 in Joannem, hæc verba non ſunt Spiritûs ſancti, ſed cæci nati cui Chriſtus viſum donaverat, adeòque ex ſeipſis nullius ſunt auctoritatis. Veriſſima tamen ſunt eo ſenſu quo prolata ſunt. Non enim de quibuslibet peccatorum precibus ibi agebatur, ſed de illis tantùm quibus poſtularentur à Deo mira-cula.

cula ad confirmationem erroris. Scribæ & Phariſæi contendebant Chriſtum, à quo cæcus illuminatus fuerat, peccatorem eſſe. Cæcus è contrario reſpondet: *Si peccator eſt, neſcio: unum ſcio, quia, cæcus cùm eſſem, modò video...... Scimus autem quia peccatores Deus non audit, ſed ſi quis Dei cultor eſt & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. A ſæculo non eſt auditum quia quis aperuit oculos cæci nati. Si non eſſet hic à Deo, non poterat facere quidquam:* id eſt, Deus non audit peccatores volentes miracula inſignia patrare ad aſſerendam falſam doctrinam. Ex hac autem inconcuſſa ſententia minimè ſequitur Deum non audire peccatores, qui ex fidei & pietatis initio peccatorum remiſſionem ſibi concedi ſuppliciter poſtulant, cùm è contrario ſcripturæ declarent cor contritum & humiliatum à Deo non deſpici.

Opponi etiam poſſunt nonnulli S. Auguſtini textus, in quibus videtur nulla opera bona niſi in juſtificatis agnoſcere. Sic in Epiſt. 140., al. 120, ad Honoratum, cap. 30. num. 71: „ Ex hoc, ait, incipiunt „ opera bona, ex quo juſtificamur, non quia præceſſerunt juſtifica- „ mur...... Opera bona ex ipſius juſtificatione operamur.“ Et lib. 1 *Quæſtionum ad Simplicianum*, quæſt. 2. num. 3: „ Nemo propterea „ bona operatur, ut accipiat gratiam, ſed quia accepit. Quomodò enim „ poſſet benè vivere, qui non fuerit juſtificatus; vel omnino vivere, „ qui non fuerit vivificatus? Juſtificat autem gratia, ut juſtificatus „ poſſit vivere juſtè. Prima igitur eſt gratia; ſecunda bona operatio.“

Al. Serm. 13 de Sanctis.

Et Serm. 292, num. 7: „ Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona, & malus homo de malo theſauro cordis ſui profert mala. „ Homines arbores poſuit, theſauros actus poſuit. Qualis homo eſt, „ tales actus habet. Si bonus homo eſt, bonos actus habet: ſi malus „ homo eſt, malos actus habet. Non poteſt bonus homo malos actus „ habere; nec malus homo bonos actus habere.“

Quo ſenſu *juſtificationis* vocabulum interdum ſumatur à S. Auguſtino.

Reſpondeo his in locis aliiſque ſimilibus juſtificationis vocabulo non intelligi à S. Doctore juſtificationem abſolutam, quæ includit remiſſionem peccatorum & amicitiam cum Deo, ſed qualecunque initium juſtitiæ, quæ nulla prorſus eſt in homine priuſquàm per gratiam Chriſti initium ſanctæ dilectionis acceperit, juxta illud quod dicit lib. *de Natura & gratia*, cap. & num. ultimo, *caritatem inchoatam, inchoatam eſſe juſtitiam:* & in Pſal. 57: „ Ex quo jam credidiſti, jam incipis vo- „ cari juſtus.“ Senſus ergo duorum priorum textuum eſt, neminem rectè operari, niſi prius aliquod juſtitiæ initium acceperit, adeòque gratiam non dari propter bona opera quæ præceſſerint, quia ante initium juſtitiæ, quod per primam Chriſti gratiam confertur, nulla ſunt in homine opera bona. De prima enim gratia ibi loqui S. Doctorem demonſtrant hæc ipſius verba: *Nemo propterea bona operatur, ut accipiat gratiam, ſed quia accepit...... Prima igitur eſt gratia: ſecunda, bona operatio.*

Tertius autem textus eo modo intelligendus eſt, quo ipſius Chriſti ver-

verba, Matth. VII. 27 & 28, & XII. 35: ſcilicet hominem operari prout affectus eſt, benè ſi bonus ſit, malè ſi malus. Hominem autem bonum non facit niſi voluntas bona, nec malum niſi voluntas mala. Si homo eſſet perfectè bonus, nunquam ageret niſi benè: ſi eſſet perfectè malus, nec ullum haberet bonæ voluntatis initium, nunquam ageret niſi malè. Verùm, quemadmodùm nemo hac in vita perfectè bonus eſt, quia nunquam omnis concupiſcentiæ & cupiditatis penitùs expers vivit, ideòque, quamvis quatenùs bonus eſt peccare nequeat, peccare tamen ſemper poteſt in quantùm non eſt perfectè bonus: ita etiam malus homo, etſi quatenùs malus eſt benè agere nequit, habere tamen poteſt aliquod bonæ voluntatis initium, ex quo nonnulla benè operetur.

Illo hæreticorum craſſiſſimo errore repulſo, remanet alia maximi momenti quæſtio, utrùm ſcilicet dentur actus omni ex parte boni, veræ virtutes, veraque tentationum victoria absque ulla dilectione Dei?

Id affirmarunt olim Pelagiani: virtutes enim & bona opera duplicis generis diſtinguebant; alia quæ fructuoſa ſint ad ſalutem æternam conſequendam, alia quæ ſub illo reſpectu ſterilia ſint. Illa naſci dicebant ex dilectione Dei, hæc absque ulla dilectione Dei fieri poſſe contendebant. *Ego*, inquiebat Julianus, apud S. Auguſtinum, lib. 4 contra ipſum, cap. 3. num. 33, *ſteriliter bonos dixi homines, qui, non propter Deum faciendo bona quæ faciunt, non ab eo vitam conſequentur æternam.* De actibus absque ulla dilectione Dei factis. Doctrina Pelagianorum & nonnullorum Recentiorum.

Plurimi moralis diſciplinæ tractatores neoterici pariter negant hominem teneri omnes actus ſuos ad Deum ex dilectione referre: immo hanc doctrinam erroribus accenſere non erubuit Pirot Jeſuita in *Apologia pro Caſuiſtis*. Eamdem dicteriis & ſcommatibus impetere non veriti ſunt Jeſuitæ in libello cui titulum hunc præfixerunt, *Remontrances à M. l'Evêque d'Auxerre* (de Caylus), cum approbatione ac permiſſu ſuorum ſuperiorum edito anno 1726, ut vindicarent propoſitionem à Sodali ſuo Le Moyne propugnatam, quâ licitum eſſe contendebat *in pluribus vitæ actibus deponere perſonam hominis Chriſtiani.*

Illos omnes audaciâ quodammodò ſuperavit Joſephus Languet, tunc Epiſcopus Sueſſionenſis, poſteà Senonenſis Archipræſul, in V° Documento Paſtorali, part. 4. Ibi inter *errores funeſtos & monſtruoſos*, *ad quorum ſingulos anathemate feriendos tota Eccleſia omni ex parte conſentit*, quos *ſancta Sedes & omnes Epiſcopi perfecta cum unanimitate damnant*, inter *exceſſus in univerſa Eccleſia Dei anathemate confixos* reponit eorum doctrinam, qui tenent *absque caritate theologica* (ſaltem inchoata) *omnes actus eſſe corruptos & peccata, vel omnes actus eſſe peccata, ſi non referantur ad Deum ex amore caſto Dei propter ſe dilecti, aut conſiderati tanquam finis ultimi, vel quamlibet aliam relationem ad Deum ab illa diverſam non impedire quominùs actio, in ſe alioqui bona, peccatum ſit,..... vel demum omnem actum deliberatum, cujus caritas,* Pag. 877, 888 & 895.

 ſal-

ſaltem actualis (& *inchoata*, ut ibidem expreſſè loquitur), *non eſt principium*, eſſe peccatum

Luctuoſum profectò eſt eam doctrinam, quæ totius Moralis Chriſtianæ fundamentum eſt, à viro Catholico & Gallicano Antiſtite palam repudiari; luctuoſius illam reprobari tanquàm *errorem funeſtum*, tanquam *exceſſum monſtruoſum*, *provocandæ indignationi horrorique incutiendo natum;* luctuoſiſſimum ſenſus adeò perverſos *univerſæ Eccleſiæ omnibusque catholici orbis Epiſcopis, ab oriente usque ad occidentem*, affirmanter attribui.

Ad amovendum, quantùm in nobis eſt, tam grave ſcandalum, quod à multis nimis patienter toleratur, tria demonſtrare aggredimur: 1°. Nullum actum humanum bonum eſſe ſub omni reſpectu, niſi procedat à caſto amore Dei, ſaltem inchoato. 2°. Nullam eſſe ſimpliciter veram virtutem, niſi ex eodem ſancto amore naſcatur. 3°. Nullam tentationem rectè ſuperari, niſi ex ejusdem dilectionis motivo ſuperetur.

QUÆSTIO PRIMA.

An dentur actus humani boni ſub omni reſpectu, omnique vitio carentes, absque ulla dilectione Dei ſaltem inchoata.

PROPOSITIO.

Nullus eſt actus humanus omni ex parte bonus vitiique expers, niſi procedat ex dilectione Dei ſaltem inchoata, & per illam referatur in Deum ut finem ultimum.

TRIBUS firmiſſimis principiis hæc noſtra propoſitio ſtabilietur. Primum eſt, hominem præcepto teneri omnes actus ſuos deliberatos in Deum tanquam finem ultimum referre; alterum, iſtam actuum in Deum relationem non fieri niſi ex amore Dei propter ſe; tertium, duos tantùm ratione finis ultimi amores eſſe, ex quibus omnes humani actus procedunt, ſcilicet amorem Dei propter ſe, & amorem creaturarum propter ſe, ſeu caritatem & cupiditatem: illam ſemper eſſe bonam, hanc verò ſemper eſſe malam & inordinatam. Ex illis concludemus omnem actum humanum, qui non ſit ex aliqua Dei propter ſe dilectione, ſub illo reſpectu malum eſſe ac vitioſum.

Pri-

Digitized by Google

Primum Principium.

Actus omnes deliberati ad Deum referendi. Hæc obligatio apertè continetur in primo divinæ legis mandato.

Homo divino præcepto tenetur omnes actus ſuos deliberatos ad Deum tanquam finem ultimum referre.

Id ſacræ litteræ plurimis in locis expreſſè docent.

Primò quidem jubent nos Deum diligere ex toto corde.

Deuteron. VI. 5 & ſeq: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua; eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi, in corde tuo, & enarrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens; & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & movebuntur ante oculos tuos, ſcribeſque ea in limine & in oſtiis domûs tuæ.* Hoc præcepto, ex verbis ipſis & juxta unanimem Patrum expoſitionem, Deus totum cor hominis ipſius dilectioni conſecrari exigit, id eſt, omnes voluntatis motus, ita ut nullus ſit qui ex illa ſancta dilectione non procedat. Totam quoque mentem & intellectum exigit, id eſt, omnes deliberatas cogitationes, ut ſcilicet nullæ ex ipſius dilectione non deriventur. Demum totam hominis virtutem, id eſt, quidquid homo poteſt & facit, ipſius dilectioni impendi jubet. Nam *totum* exigendo, nullam hominis facultatem, nullum voluntatis motum deliberatum, nullam cogitationem, nullam actionem, nullam vitæ noſtræ partem excipit, quæ ab illa dilectione vacet.

,, Hæc regula dilectionis divinitùs conſtituta eſt, inquit S. Auguſtinus lib. 1 *de Doctrina Chriſtiana*, cap. 22. num. 21, ut omnes cogitatio-
,, nes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum confe-
,, ras, à quo habes ea ipſa quæ confers. Cùm autem ait *toto corde*,
,, *totâ animâ*, *totâ mente*, nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ
,, vacare debeat, & quaſi locum dare ut aliâ re frui velit; ſed, quid-
,, quid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur quò totus
,, dilectionis impetus currit...... Quiſquis ergo ſe & proximum rectè
,, diligit, totam dilectionem ſuî & illius refert in illam dilectionem
,, Dei, quæ nullum à ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione
,, minuatur." Eodem modo primum illud mandatum exponit in libro *de Moribus Eccleſiæ*, cap. 8. num. 13, & lib. 10 *de Civitate Dei*, cap. 3. num. 2.

S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 1 *Differentiarum*, differ. 32: ,, Dum di-
,, citur, inquit, *dilige Deum ex toto corde tuo*, omnes cogitationes in
,, Deum referendas præcipit; dum verò dicitur, *ex tota anima*, omnes
,, affectiones animæ ad Deum referri juſſit; dum verò adjecit, *ex tota*
,, *mente*, indicat omnem rationem humanam, quâ intelligimus & diſ-
,, cernimus, in divinis eſſe occupandam."

S. Thomas, 1. 2. quæſt. 100. art. 10, ad 2: ,, Sub præcepto carita-
,, tis, ait, continetur ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod per-

„ tinet ut omnia referantur in Deum...... Et ideò præceptum carita-
„ tis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum.
„ Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex caritate honorare, non ex
„ vi hujus præcepti quod eſt, *honora parentes*, ſed vi hujus præcepti:
„ *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*"

Non aliter maximum illud mandatum interpretatur Boſſuetus in *Meditationibus in Evangelia*, ultimâ hebdomadâ Salvatoris, diebus 43 & 44. Sic ibi loquitur doctiſſimus Præſul: „ Le langage humain étant trop „ foible pour expliquer l'obligation d'aimer Dieu, le ſaint Eſprit a ra- „ maſſé tout ce qu'il y a de plus fort, pour nous faire entendre qu'il „ ne reſte plus rien à l'homme qu'il puiſſe ſe reſerver pour lui même, „ mais que tout ce qu'il a d'amour & de forces pour aimer ſe doit „ réunir en Dieu...... *Le Seigneur notre Dieu eſt le ſeul Seigneur.* Il n'y a pas pluſieurs Dieux...... Il n'y a pas auſſi pluſieurs objets entre „ leſquels on puiſſe partager ſon cœur. En un mot, il n'y a pas plu- „ ſieurs choſes à aimer. *Tu aimeras le Seigneur ton Dieu*, ce Dieu „ unique, ce Seigneur unique, *de tout ton cœur, de toute ton ame,* „ *de toute ta force*, uniquement comme il eſt unique, parfaitement „ comme il eſt parfait, en conſacrant à ce premier Etre, principe & „ moteur de toute la nature, l'amour qui eſt le principe & le moteur „ en toi même de toutes tes affections...... Tu peux bien changer tes „ autres emplois: mais celui d'aimer Dieu & de lui plaire eſt le ſoin „ perpetuel de ta vie,...... (obeis à ſa loi, & fais ſa volonté): & tout „ cela parceque tu aimeras le Seigneur ton Dieu, parce qu'on ne peut „ l'aimer ſans lui obeir, ni lui obeir ſans l'aimer...... Il ne ſuffit pas „ de garder l'exterieur de la loi,...... l'ame de la loi eſt d'aimer & de „ faire tout par amour."

Tom. IX. pag. 154 & ſeq.

Eodem divinæ legis præcepto teneri hominem omnes actus ſuos ad Deum referre, expreſſè etiam declaratur in Corpore Doctrinæ, cui anno 1720 centum Gallicani Epiſcopi ſubſcripſerunt. Sic illi loquuntur art. 5: „ L'obligation de rapporter à Dieu toutes ſes actions, RENFERMÉE DANS LE PREMIER PRECEPTE, fait partie du culte „ que nous devons au ſouverain Etre, & de la gloire que nous ſom- „ mes obligés de lui rendre. La doctrine qui établit cette obligation „ a de trop grands fondemens dans l'Ecriture & dans la Tradition, „ pour ſouffrir que des auteurs témeraires oſent la combattre."

Sed quid interpretibus opus eſt, cùm tenor ipſe divinæ legis nubes omnes depellat, jubendo ut hoc præceptum diligendi Deum ex toto corde in omnibus vitæ actibus, in omni converſatione, ſive domi, ſive foris, ſive dum quieſcimus, ſive cùm conſurgimus, ſemper ante oculos noſtros verſetur?

Nec dicas præceptum ſic intellectum eſſe obſervatu impoſſibile, cùm humana mens in Deum continuò intenta eſſe nequeat. Quaſi verò, ut om-

omnes actus noſtri ex dilectione Dei reipſâ fiant, neceſſe ſit ſemper actu de Deo cogitare. An non videmus mercatorem lucri avidum in omni emptione & venditione lucrum intendere, quamvis non perpetuò de lucro cogitet; viatorem patriæ amantem omnes greſſus ſuos ad patriæ deſiderium referre, tametſi aliis cogitationibus ſæpè occupetur? Quàm multa filius benè natus quotidie facit ex amore parentum, quæ tamen faciendo de parentibus actu non cogitat? Eodem modo intelligendum eſt præceptum omnia noſtra in Deum referendi. Nemo unquam cenſuit homini præcipi continuam & reflexam mentis attentionem ad Deum, quam hac in vita non eſſe poſſibilem omnes ſciunt: ſed præcipitur ut omnes cogitationes, omnes affectiones, omnes actiones noſtræ, ſaltem virtualiter, ſeu virtute intentionis quæ præceſſerit, dirigantur in Deum, & ex ejus dilectione procedant. „ Non oportet, ait S. Thomas 1. 2. quæſt. 1. art. 6, ad 3, „ ut ſemper aliquis cogitet de ultimo fine, quan- „ docunque aliquid appetit vel operatur; ſed virtus primæ intentionis, „ quæ eſt reſpectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuscun- „ que rei, etiamſi de ultimo fine actu non cogitetur: ſicut non opor- „ tet quòd qui vadit per viam in quolibet paſſu cogitet de fine.“

Eadem obligatio continetur in præcepto ſemper orandi.

II°. Scriptura ſacra præcipit ut ſemper oremus. Luc XVIII. 1, Chriſtus ait: *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* 1 Theſſalon. V. 17 & 18: *Sine intermiſſione orate; in omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu in omnibus vobis*: & Epheſ. VI. 18: *Per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu.* Hujus præcepti ſenſus non eſt ut ab actuali orationis exercitio nunquam ceſſemus, quod inter tot alia præſentis vitæ officia fieri nequit; ſed jubemur in eo omni quod agimus, quod cogitamus, quod volumus, per continuum ſancti amoris deſiderium à Dei adjutorio pendere, & ad ipſius gloriam tendere.

Audiamus SS. Patres mandatum iſtud exponentes:

S. Auguſtinus in Pſalmum 37, num. 14: „ Ipſum deſiderium, in- „ quit, oratio tua eſt, & ſi continuum deſiderium, continua oratio. „ Si non vis intermittere orare, noli intermittere deſiderare: continuum „ deſiderium continua vox tua eſt. Tacebis, ſi amare deſtiteris. Fri- „ gus caritatis, ſilentium cordis; flagrantia caritatis, clamor cordis. Si „ ſemper manet caritas, ſemper clamas.“

S. Gregorius magnus, lib. 26 *Moralium*, cap. 7, alludens ad mandatum iſtud Levit. VI. 12 & 13: *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos...... Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari*, hæc dicit: „ Altare Dei eſt cor noſtrum, in quo jubetur ignis ar- „ dere; quia neceſſe eſt ex illo ad Dominum caritatis flammam ſemper „ aſcendere.“

S. Thomas, 2. 2. quæſt. 83. art. 4, in corp., idem præceptum his verbis explicat: „ Cauſa orationis eſt deſiderium caritatis, ex quo proce-

„ dere debet oratio : quod quidem in nobis debet eſſe continuum, vel „ actu, vel virtute; manet enim virtus hujus deſiderii in omnibus quæ „ ex caritate facimus. Omnia autem debemus in gloriam Dei facere, „ ut dicitur 1 ad Corinth. X; & ſecundùm hoc oratio debet eſſe con-

Epiſt. 130, al. 121, cap. 9. num. 18.

„ tinua. Unde Auguſtinus dicit ad Probum: *In ipſa fide, ſpe & ca-* „ *ritate continuato deſiderio ſemper oramus.*" Igitur præceptum ſemper orandi exigit ut omnia quæ facimus, ex dilectione Dei & propter Deum faciamus.

Eadem obligatio expreſſè aſſeritur ab Apoſtolo.

III°. Scriptura diſertiſſimis verbis præcipit ut, quæcunque agimus, ex *caritatis* motivo, *in gloriam Dei, in Chriſti nomine agamus.*

1 Corinth. XVI. 14, dicit Apoſtolus: *Omnia veſtra in caritate fiant.* Quæ ſanè verba non ſignificant, ut contendit Joſephus Languet, omnes actus noſtros fieri debere in ſtatu gratiæ, eoquòd, inquit, alioquin non eſſent vitæ æternæ meritorii; ſed ſignificant omnia quæ agimus fieri debere ex motivo caritatis. Præterquàm quòd enim ſic intellecta ſunt à SS. Patribus, præcepta non dantur propriè de habitibus, ſed de actibus virtutum, ut docet S. Thomas: qui actus abſque ullo merito fierent ab homine, tametſi in ſtatu gratiæ conſtituto, ſi non ex caritate virtualiter ſaltem profluerent. Quamobrem idem Angelicus Doctor hunc textum commentans lect. 3: „ Omnia, inquit, referri debent ad „ finem caritatis, ut ſcilicet fiant propter Deum."

Idem Apoſtolus, 1 Corint. X. 3: *Sive manducatis*, ait, *ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei:* & Coloſſ. III. 17: *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.*

Eodem quoque tendunt illi ſacri textus, quibus jubemur ſoli Chriſto vivere, qui pro nobis mortuus eſt & reſurrexit. Quid eſt enim Chriſto vivere, niſi quidquid vitæ & actionis habemus, id totum gloriæ & dilectioni Chriſti impendere? Sic Rom. XIV. 7: *Nemo noſtrum ſibi vivit, & nemo ſibi moritur: ſive enim vivimus, Domino vivimus, ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ut & vivorum & mortuorum dominetur.* Et 2 Corinth. XV: *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.*

His omnibus in locis nihil prorſus excipitur: nullæ vitæ noſtræ actiones, ne communiores quidem, ab hac lege eximuntur, ita ut liberum ſit eas ad Deum non referre, tanquam ad finem ultimum.

Aërem verberant qui reſpondent in allatis ſcripturæ textibus relationem illam ad Deum ſuaderi duntaxat, ut quid optimum, non autem ſtrictè præcipi. Nam præterquàm quòd adeo frivolam interpretationem nulla auctoritate fulcire poſſunt, vel ipſe loquendi modus abſolutus & imperativus apertè demonſtrat verum ibi præceptum tradi, non merum con-

conſilium. Illa etiam quæ immediatè præcedunt & ſequuntur, eâdem verborum formâ enuntiata, præceptum abſolutum continent; ergo & iſta interjecta. Demum SS. Patres, à quorum conſenſu in exponendis ſcripturis recedere piaculum eſt, abſolutum præceptum his textibus exprimi docent: aliquos commemorabimus.

S. Hilarius, Comment. in pſalmum 1, num 7: „ Omnia quæcunque facitis, inquit, in gloriam Dei facite, ſive cùm manducatis, ſive cum bibitis, ſive cum aliud agitis. Per hoc enim efficitur ut ſine intermiſſione oremus: cum per opera Deo placita, & in gloriam ejus ſemper exercita, ſancti cujuſque viri vita omnis oratio ſit; ac ſic, SECUNDÙM LEGEM noctu dieque vivendo, vita ipſa nocturna legis erit & diurna meditatio." SS. Patres in verbis Apoſtoli verum præceptum contineri docent

S. Baſilius in *Regulis fuſiùs tractatis*, interrogat. 5, verum præceptum in Apoſtoli verbis contineri aſſirmat. „ Chriſtianus, inquit, omni actione tum parva, tum magna ad Dei voluntatem directa ſimul & officium ſuum diligenter conficit, & memoriam PRÆCIPIENTIS ſervat,..... quia & perficit PRÆCEPTUM ILLUD: *Sive manducatis* &c." Eadem verba paſſim in toto illo opere & lib. 1 *de Baptiſmo* appellat *præceptum*, *mandatum*. Et in pſalmum 44, num. 2: „ *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Illud *ex toto* nullam in alia partitionem admittit: quantùm enim dilectionis in hæc inferiora inſumpſeris, tantùm tibi neceſſariò deerit à toto." Tom. 2. pag. 313. Tom. 1, pag. 160.

S. Hieronymus in 1. ad Corinth. cap. 10, ad verba ſupra citata: „ Nihil, inquit, magis agendum eſt Chriſtiano, quàm ut in omni opere gloria Dei prædicetur."

S. Auguſtinus, lib. *de Correptione & gratia*, cap. 3. num. 5: „ PRÆCIPIT APOSTOLUS, inquit, dicens: *Omnia veſtra in caritate fiant.* Ergo, ipſo judice, verba illa non conſilium, ſed præceptum ſonant. Et in pſalmum 65, num. 3: „ Finem attende..... Quo fine facias (opera tua) vide. Si ideò facis ut tu glorificeris, hoc *prohibui*: ſi autem ut Deus glorificetur, hoc *juſſi*.

Theodoretus, in 1 Corinth. X, exponens hæc verba: *omnia in gloriam Dei facite*, ſic loquitur: „ Pulchrè omnia comprehendit, & ſedere, & ſtare, & ambulare, & differe, & miſereri, & docere, ut unus ſit omnibus ſcopus Dei gloria: ita etiam PRÆCIPIT DOMINUS."

S. Bernardus, Serm. 2 de Diverſis, num. 5: „ Quidquid facimus, inquit, JUBEMUR facere propter gloriam Dei." Quid clarius deſiderari poteſt? Et Serm. 19. num 9, hujus doctrinæ fundamentum ponens: „ Quidquid es, ait, quidquid potes, debes creanti, redimenti, vocanti." Quis autem dubitet quin vero præcepto teneatur homo Deo ſemper reddere, quod ei ſemper ac multiplici titulo debet?

Patribus conſentiunt Theologi & Scripturæ interpretes.

Guil-

Digitized by Google

Tom. 1, pag. 307.

Guillelmus Arvernus, Pariſienſis Epiſcopus, in tract. *de Virtutibus*, cap. 2: „ Si dixerit quis, inquit, quòd ſufficit ut in parte tantùm ſit „ Deo honorifica vita humana, errat indubitanter; quia, ſicut tota ex „ eo, ſic tota debet eſſe ad illum.“ Id autem demonſtrat plurimis argumentis ex ipſa ratione petitis, quorum nonnulla paulò poſt ſubjicimus.

S. Thomas, Comment. in Epiſt. ad Coloſſ. cap. 3, exponens iſta verba: *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere* &c: „ Quidam, „ ait, dicunt quod eſt conſilium; ſed hoc non eſt verum.“

Auctor librorum *de Imitatione Chriſti*, lib. 3. cap. 9. num. 1, Deum inducit ſic præcipientem: „ Omnia ad me principaliter referas; ego ſum „ qui omnia dedi. Sic ſingula conſidera quaſi ex ſummo bono manan- „ tia; & ideò ad me, tanquam ad ſuam originem, cuncta ſunt refe- „ renda...... Ego totum dedi: ego totum rehabere volo, & cum mag- „ na diſtrictione gratiarum actiones requiro.

S. Thomas Villanovanus, Valentinus in Hiſpania Epiſcopus, Serm. 1 in Dom. 17 poſt Pentecoſten, cùm latè probaſſet hominem vero præcepto teneri omnes actus ſuos ad Deum referre, ſic concludit: „ Si „ quam igitur cogitationem, ſi quam dilectionem in alio impendis, ſi „ quid aliud cupis aut ſapis, ſi quid agis vel meditaris quod non prop- „ ter ipſum eſt, fur es & latro, & alienum eſt quod prodigis...... Illi „ enim, qui tibi præſtitit ut eſſes, omnis actus & operatio tua jure „ debetur.“

Eamdem interpretationem videre eſt apud Catharinum in 1 Corinth. cap. 16; apud Salmeronem in Epiſtolam ad Coloſſenſes, disput. 17, dub. 8; apud Eſtium in eumdem locum; apud Sylvium in 1. 2. quæſt. 18. art. 9, & alios.

Cardinalis Bona, eruditione non minùs quàm pietate conſpicuus, lib. 1 *de Principiis vitæ Chriſtianæ*, §. 29, allatis Apoſtoli verbis: „ Hinc, „ inquit, Theologi docent eum peccare, qui reipſa dormit, edit, am- „ bulat, & hæc non refert ad ultimum finem; quia deficit à prima & „ univerſali regula humanarum actionum, quæ eſt idem finis ad quem „ quidquid agimus dirigere debemus.“ Et poſteà: „ Si rebus crea- „ tis adhæremus, & eas propter ſe diligimus, ſine ulteriori relatione ad „ Deum, damnata cupiditas eſt.“ Idem inculcat *in Manuductione ad Cœlum*, cap. 1. num. 2.

Memoire de pluſieurs Curés, Chanoines & autres Eccleſiaſtiques du diocefe de Sens, au ſujet du nouveau Catechiſme du diocefe de Sens. 1742.

His teſtimoniis accedit auctoritas plurimorum totius orbis Catholici Catechiſmorum, in quibus iſta doctrina tanquam indubitata, atque ad prima Chriſtianæ religionis elementa pertinens, fidelibus traditur. Illorum locupletiſſima collectio reperiri poteſt in grandi Memoriali Parochorum Senonenſium, tom. 1. art. 1, 15, 17 & 18, nec non in Additionibus ad eumdem articulum, ad calcem ejusdem tomi.

IV°. Ratio ipſa naturalis demonſtrat omnia noſtra ad Deum eſſe refe-

ferenda. Nam 1° quidquid ſumus, vivimus, agimus, movemur, totum Dei ſumus, qui nos, animam & corpus noſtrum, noſtras omnes facultates corporiſque ſenſus creavit ac jugiter conſervat. Ergo quidquid ſumus, volumus, cogitamus, agimus, Deo jugiter militare debet. Eadem obligatio ratione ipſa naturali demonſtratur.

2°. Res quælibet fructificat domino ſuo: ergo totus homo omneſque ejus potentiæ Deo, qui ſupremus eſt Dominus, fructificare debent. „ Cujus eſt arbor tota, inquit Guillelmus Pariſienſis ſupra citatus, & non eſt ejus totus fructus? Cujus totus ager, & non tota fruges? Cujus „ eſt totus equus, & non totus labor, totum ejuſdem equi ſervitium? „ Quia igitur totum quod ſumus, totum quod vivimus & movemur, „ totum boni quod vel habemus, vel facimus, totum eſt Dei opus, „ Dei donum, Dei beneficium, ex toto quolibet horum honorandus „ eſt à nobis. Quare totâ vitâ, totis operibus, tam interioribus, quàm „ exterioribus noſtris honorandus eſt Deus."

3°. Servi hominum non ſibi ipſis operantur, ſed dominis: quantò magis homo, ex natura ſua ſemper & ubique ſervus Dei, Deo ſemper & ubique operari tenetur? Tunc creaturæ rationali liceat aliquem actum ſuum ad Deum non referre, ſi, dum agit, non eſt per omnia Deo ſubdita, ſi tunc à Deo non dependet, ſi actum ipſum ſuum à Deo tanquam primâ cauſâ non habet. Cum verò nullum ſit inſtans in quo homo non ſit Deo ſubditus, & à Deo non totus pendeat, nullo quoque inſtanti non tenetur reddere Deo quod Dei eſt, cujus imaginem geſtat & ſuperſcriptionem.

4°. Tenetur homo ſemper agere propter finem ſuum ultimum. Porro non alius eſt, nec eſſe poteſt hominis finis ultimus, quàm ipſe Deus. Audiamus iterum Guillelmum Pariſienſem, ibidem, pag. 110: „ Quo„ niam, inquit, ad illam (felicitatem æternam, quæ Deus eſt) & na„ ti & creati ſumus totaliter, & quidquid naturaliter vel ſumus vel ha„ bemus, propter illam ſumus & habemus; ergo in illam totaliter con„ ferenda nobis ſunt omnia, ſeu referenda; illam ergo debemus inten„ dere per omnia quæ facimus."

Quintam rationem deducit idem Doctor ex felicitate ſeu ſuavitate hujus præcepti. Hanc quoque ipſiuſmet verbis exponam. „ Si honor „ Dei, inquit, adjunctus operibus noſtris bonis, vel indifferentibus (ut „ quibuſdam videtur), in nullo facit illa difficiliora vel magis gravia, „ numquid non culpabiliter præteribitur honor Dei in talibus? Quan„ tò fortius igitur, ſi ex hoc aut leviora erunt, aut jucundiora, non „ erit in illis prætereundus honor Dei? Verbi gratiâ, comedis, aut bi„ bis, aut dormis, exigente neceſſitate corporis: ſi adjeceris honorem „ Dei in intentione tua, & cogites in corde tuo quia etiam neceſſitati „ corporis vis conſulere propter honorem Dei, quid, quæſo, tibi de„ periet, vel quid gravaminis impoſitum eſt tibi ex hoc?..... Quin „ etiam ex hac appoſitione, niſi ultra modum perverſus es, magnæ Ibid pag. 109.

Digitized by Google

„ condimentum ſuavitatis operi tuo addidiſti, cùm intentione tuâ Dei „ honorem appoſuiſti.“

Inſulſè omnino, ad eludendam tot auctoritatum rationumque vim, reſpondent nonnulli, ſcripturam & traditionem exigere quidem ut omnes actus noſtri poſſint in Deum referri, id eſt, ut in ſeipſis, ſeu quoad objectum boni ſint, vel ſaltem indifferentes; non autem ut ab ipſo agente in Deum referantur. Quid enim, obſecro, iſtud eſt, niſi ſacris litteris ſanctisque Patribus, quos venerari te ſimulas, proterve illudere? Contra adeò ineptam interpretationem apertè reclamat prolatorum textuum perſpicuitas, reclamat & rationum evidentia. Longè enim aliud eſt actum aliquem eſſe referibilem, ſeu poſſe referri ad Deum, aliud eum reipſâ referri; quod tamen ſacer textus, quod Patres ac Theologi, quod ratio ipſa expreſſè exigunt. Non enim de brutis animantibus hîc agitur, quorum non eſt agere propter finem cognitum & amatum, ſed de homine animâ rationali prædito, qui nunquam deliberatè agit, niſi propter aliquem finem cognitum & amatum, quem Deus ad imaginem ſuam condidit, ipſum cognoſcendi ac diligendi capacem, quem juſſit ipſum diligere ex toto corde, & ex illa dilectione omnia ſua in ipſum dirigere.

Neque etiam dicas humanas actiones hoc ipſo cenſeri in Deum relatas, quòd ex objecto bonæ ſunt aut licitæ, nec referuntur ad finem poſitivè malum. Nam paulò poſt probabimus actionem omnem, quæ ab agente non refertur ad Deum, conſequenter referri ultimò ac terminari ad creaturam propter ſe dilectam; quod ex ſe inordinatum ac perverſum eſt. Quamobrem S. Thomas in 1 Sentent. diſtinct. 1. quæſt. 3. ad 3, dicit „ actum procedentem à ratione deliberata, ſi eſt „ referibilis in Deum, & non referatur, vanum eſſe & otioſum:“ de quo proinde reddetur ratio in die judicii.

Secundum Principium.

Vera actuum in Deum relatio fieri nequit niſi per amorem Dei.

Id declarant pleræque ex allatis ſupra auctoritatibus. Nam 1° docent omnes actus noſtros fieri debere ex caritate: *Omnia veſtra in caritate fiant*, ait Apoſtolus. 2°. Obligationem omnia referendi in Deum contineri affirmant in primo præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Ita S. Auguſtinus, S. Iſidorus Hiſpalenſis, S. Thomas, Boſſuetus, & centum Galliarum Epiſcopi: quod ſanè abſurdum eſſet, ſi actiones noſtræ poſſent verè referri ad Deum alio motivo quàm dilectionis Dei. 3°. Patres, poſt Apoſtolum, definiunt omnia quæ facimus, facienda eſſe propter Deum ſeu in gloriam Dei, quod certè caritatis proprium eſt. Ita S. Baſilius, S. Auguſtinus, Theodoretus, S. Bernardus, Guillelmus Pariſienſis, Thomas Villanovanus. Obſervat autem

tem S. Auguſtinus, lib. 1 *de Moribus Eccleſiæ*, cap. 9. num. 15, „ caritatem ipſam non potuiſſe ſignificari apertius, quàm quo dictum eſt, „ *propter te.*" 4°. Reverà nemo agit propter Deum, actumque ſuum in Deum refert, niſi ex aliquo amore; omnis quippe actio humana ab amore procedit. Atqui amor, quo agitur propter Deum, non poteſt eſſe niſi amor Dei, ut per ſe patet. Quapropter S. Thomas in Opuſculo 18, al. 35, *de Perfectione Chriſtiana*, cap. 5, dicit „ ad divinæ dilectionis perfectionem, quæ datur homini in præcepto, requiri...... ut „ omnia exteriora noſtra, verba & opera, ex divina caritate formentur...... Hic eſt, ait, tertius perfectæ dilectionis modus, ad quem „ omnes ex neceſſitate præcepti obligantur."

Adeò certa & inconcuſſa eſt hæc doctrina, ut, cùm Pirot Jeſuita eam infirmare auſus fuiſſet, Epiſcoporum cenſuras effugere non potuerit. Sic loquebatur infamis ille ſcriptor in *Apologia pro Caſuiſtis* (pag. 165): *Si nihil aliud nobis objiciendum habeant* (adverſarii Caſuiſtarum), *præter errores San Cyrani & Janſenii, qui docent Chriſtianos debere in omnibus ſuis actionibus amare Deum, nullamque eſſe actionem virtuoſam, niſi à caritate imperetur, nos ejuſmodi errores non approbamus.* Tam arrogantem petulantiam ferre non potuit Clerus Gallicanus. „ Hæc doctrina," inquiunt Vicarii Generales Cardinalis de Retz Pariſienſis Archiepiſcopi, in Cenſura illius libri data 3 Auguſti 1658, „ quatenùs „ erroris damnat opinionem quæ aſſerit Chriſtianos teneri in omnibus „ ſuis actibus amare Deum, & nullam eſſe actionem virtuoſam niſi à „ caritate imperetur, temeraria eſt & injurioſa pluribus Eccleſiæ Patribus." Senonenſis Archiepiſcopus (de Gondrin), in Cenſura lata die 3 Septembris ejuſdem anni, renovata & confirmata in Synodo Provinciali anni 1660: „ Hæc propoſitio, inquit, quatenùs erroris accuſat „ ſanctiſſimam doctrinam, quâ Chriſtianis omnibus præceptum aſſeritur „ ut actus omnes ſuos ad Dei honorem (actu ſcilicet vel virtute) referant, temeraria & falſa eſt, Patribus, S. Thomæ & clariſſimis Theologiæ Doctoribus injurioſa, qui in his Pauli verbis, *omnia veſtra in* „ *caritate fiant*, & in illis item, *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud* „ *quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, verum præceptum ſemper „ agnoverunt, quod violari ſine aliquo peccato, vel mortali, vel veniali, non poſſit."

Simile judicium de illa propoſitione tulerunt Illuſtr. Præſules *de Buzanval* Bellovacenſis, in Cenſura data 12 Novembris 1658; *de Ventadour* Bituricenſis, in Cenſura data 6 Februarii 1659; Ebroicenſis, in Cenſura data 15 Januarii ejuſdem anni; *de Fourbin de Janſon*, tunc Dinienſis, poſteà Bellovacenſis Epiſcopus & Cardinalis, in Cenſura lata 6 Maii ejuſdem anni. Notanda ſunt hujus Præſulis verba: „ Caritas, „ inquit, nos obligat ad referendum omnia ad Deum, tanquam finem „ noſtrum ultimum, vel per motum actualem, vel per impreſſionem vir-

 „ tua-

„ tualem, quæ naſcatur ex ipſius amore, hocque omitti non poteſt ſine „ aliqua inordinatione, adeòque ſine aliquo peccato...... Si hic amor „ in corde noſtro non dominatur, veraciter juſti eſſe non poſſumus; „ nihilque juſtum facere poſſumus, niſi Deus ſcintillam aliquam hujus „ amoris infundat: ita ut verum ſit dicere de caritate aut perfecta, „ aut imperfecta, aut completa, aut inchoata, non eſſe fructum bonum „ qui de illius radice non ſurgat."

Eamdem doctrinam vindicarunt Illuſtr. Præſules *Godeau* Vencienſis lib. 2 *Moralis Chriſtianæ*, art. 9: *de Colbert* Rothomagenſis, in Documento Paſtorali dato 18 Martii 1697 contra libellum ſua in diœceſi à Jeſuitis diſſeminatum: („ Nulla pars vitæ, inquit, vacare debet ab „ amore Dei: hoc omnium humanarum actionum motivum eſſe debet, „ quoniam nulla eſt cujus Deus finis eſſe non debeat, juxta hæc ver- „ ba S. Pauli: *ſive manducatis &c;* quæ verba S. Thomas & doctiſſimi „ ſcripturæ interpretes intellexerunt de præcepto, cujus obſervatio omit- „ ti non poteſt ſine aliquo peccato"): *de Neercasſel* Caſtorienſis (ſive Ultrajectenſis), in *Amore pœnitente*, edit. 2. lib. 1. cap. 2. §. 2: *de Caylus* Autiſſiodorenſis, in Mandato dato anno 1725 contra errores Fr. Le Moyne Jeſuitæ; ut multos alios prætermittam, qui Mandatis aliiſve inſtrumentis publicis duodecim doctrinæ Articulos à Card. Noallio Romam tranſmiſſos egregiè vindicarunt.

Celeberrimarum quoque Theologiæ Facultatum eadem doctrina eſt.

Lovanienſis, cùm ſexaginta quinque propoſitiones moralis laxioris ſummo Pontifici Innocentio XI anno 1677 denuntiaſſet, ſuæ quoque doctrinæ Articulos eidem ſimul per ſuos deputatos obtulit expendendos ac judicandos. Hos inter hi habentur ſub titulo, *de Virtutibus Theologicis*: „ 2us. Vocem *caritatis* tametſi aliqui Scholaſtici accipiant pro „ ſola illa Dei dilectione, quæ eſt noſtra cum eo per peccatorum re- „ miſſionem amicitia, S. Auguſtinus & alii Patres eam ſumere ſolent „ pro quavis ſupremi boni propter ſe dilectione. 3us. Hinc idem S. „ Doctor diſtinguit caritatem natam, nutritam, adultam, robuſtam, „ perfectam,..... quæ diſtinctio frequenter placet etiam S. Thomæ. „ 4us. Itaque caritas & cupiditas generatim ſumptæ non ſunt aliud „ quàm bona & mala voluntas; ſunt bona & mala radix, quarum hæc ſo- „ los malos, illa proferre poſſit ſolos bonos fructus. 5us. Omne opus, ut „ plenè ſit bonum, & ne venialiter quidem in eo delinquatur, debet ex tali „ caritate (generatim ſumpta) procedere, & per ipſam referri in Domi- „ num Deum: *nec enim*, teſte Auguſtino, *fructus eſt bonus qui de caritatis* „ *radice non ſurgit.*" Porro 65 propoſitiones à dicta Facultate denuntiatas ſolemni decreto damnavit S. Pontifex: articuli verò Lovanienſes intacti remanſerunt. De quinto duntaxat natus eſt Romanis judicibus ſcrupulus, timentibus ſcilicet ne ſacra Facultas ſentiret *opera, quæ per caritatem non referuntur in Deum, nunquam eſſe ex officio bona.* Verùm iſtum ſcru-

Digitized by Google

ſcrupulum facilè ſuſtulerunt deputati, ſcripto declarando nomine totius Facultatis, „ hunc ſenſum à ſe prorſus alienum eſſe. Profitentur, inquiunt, varia opera noſtra, licet iſtâ relatione careant, eſſe moraliter ſeu ex officio bona. Addunt tamen illa, niſi ſaltem per imperfectam caritatem in primum principium virtualiter referantur, non fieri ſicut oportet.“ Hac declaratione planè ſatisfactum eſt Romanis Conſultoribus.

Facultas quoque Pariſienſis in prima parte Articulorum ſuorum, maximo cum conſenſu approbata die 11 Auguſti anni 1717, eamdem doctrinam ipſiſmet S. Auguſtini verbis expreſſit, art. 44, *mentibusque Chriſtianis inculcandam eſſe* decrevit.

Quis igitur animorum ſtupor, quæ offenſio eſſe debuit, cùm paucis poſt annis Joſephus Languet Epiſcopus Sueſſionenſis, Apologiſtæ Caſuiſtarum veſtigia ſequens, in 5° Documento Paſtorali, parte 4, doctrinam adeo ſanam non modò impugnare non veritus eſt, ſed etiam exhibere tanquam *errorem funeſtum, exceſſumque monſtruoſum, ab univerſa Eccleſia ab oriente usque ad occidentem anathemate perculſum?* Quonam portento fœtidus error præcedenti ſæculo, nemine contradicente, proſcriptus, de repente fidei dogma evaſit; veritasque tanto ſtudio à majoribus noſtris tradita & aſſerta, in funeſtum & monſtruoſum errorem, ſi huic Præſuli credamus, ſubitò mutata eſt? Verùm irritos illius conatus in majorem veritatis elucidationem ac firmitatem vertit ſumma Dei ſapientia atque potentia. Statim atque ille Epiſcopus ad ſedem Senonenſem translatus eſt, plurimi Canonici, Parochi aliique ſecundi ordinis Sacerdotes, litteris ad ipſum directis anno 1731, reverenter ſimul & fortiter ei ſignificarunt ſe de illius circa caritatem doctrina vehementer offenſos fuiſſe, eoque magis quòd illa doctrina ſæculo præterito graviſſimâ cenſurâ proſcripta fuiſſet ab Illuſtr. de Gondrin tunc Senonenſi Archiepiſcopo, cæterisque Provinciæ Epiſcopis, quòdque apertè adverſaretur ipſi etiam Catechiſmo diœceſano ab ipſius deceſſoribus promulgato, in cujus lectione 14 hæc leguntur: *Ad amandum Deum ſicut ipſe præcipit, oportet omnes affectiones, cogitationes, actiones ſuas ad illum referre: quod absque aliquo peccato omitti non poteſt.* His litteris Epiſtolam Paſtoralem oppoſuit Epiſcopus, quâ aſſertum ſuum tueri conabatur: verùm hæc quoque invictè confutata fuit ab eisdem ejusdem diœceſis Sacerdotibus in Memoriali edito anno 1732, cui aliud poſteà ſucceſſit ampliſſimum, in quo non ſolùm idem illud aſſertum denuò profligarunt, verum etiam plurimas alias doctrinæ novitates, in novo Catechiſmo ab Archiepiſcopo recens dato contentas, adeò valde contriverunt, ut nihil ultra eis Præſul opponere potuerit, niſi convitia, minas, interdicta & exilia. Non minori cum zelo adverſùs idem illud aſſertum inſurrexerunt omnes ipſius Suffraganei Epiſcopi, Autiſſiodorenſis (de Caylus) & Trecenſis (Boſſuet) egregiis Inſtructionibus eam in rem editis, & Nivernenſis

(Fontaine des Montées) Mandato dato initio Quadrageſimæ anni 1732, in quo, tacito Metropolitani ſui nomine, doctrinam ipſam aperte ac ſtrenue impugnavit. Varia illa ſcripta, ſi vacat, lege.

Tertium Principium.

Duo tantum ſunt amores, ex quibus omnes humanæ actiones procedunt, caritas ſcilicet & cupiditas lato ſenſu acceptæ. Quæcunque ex caritate procedunt, bona; quæcunque ex cupiditate, mala & vitioſa ſunt; nullusque datur amor, in individuo & quoad ultimum finem conſideratus, qui inter illos duos medius ſit.

Obſervationes præambulæ.

Ut cavilli omnes hic præcludantur, obſervandum eſt hujusce propoſitionis ſenſum non eſſe, omnem amorem in ſeipſo, ſeu, ut loquuntur, *in ſpecie* & quoad objectum conſideratum, aut bonum aut malum eſſe, aut caritatem eſſe, aut cupiditatem. Omnes quippe conſentiunt, ſicut objectorum, ita & amorum tria eſſe genera ſpecie diverſa: ſcilicet amorem Dei, qui ex natura ſua bonus eſt, nec poteſt unquam eſſe malus; amorem earum creaturarum quarum uſus licitus eſt, vel etiam imperatus; & amorem illarum creaturarum, quarum uſus ex ſeipſo illicitus eſt & divinâ lege prohibetur. De triplici illo amorum genere ex parte ſui objecti conſideratorum loquitur S. Auguſtinus Serm. 349, cap. 1, ubi ſic loquitur: „ Caritas alia eſt divina, alia humana: alia eſt humana licita, alia illicita." Et cap. 2: „ Licita eſt humana caritas quâ uxor „ diligitur: illicita, quâ meretrix vel uxor aliena...... Licitam ergo „ caritatem habete: humana eſt, ſed, ut dixi, licita eſt. Non tantum „ autem ita licita eſt ut concedatur, ſed ita licita, ut, ſi defuerit, re„ prehendatur...... Sed videtis iſtam caritatem poſſe eſſe & impiorum, „ id eſt, Paganorum, Judæorum, Hæreticorum."

Al' Serm. 52 de Tempore.

Amor *in individuo*, ut loquuntur, conſideratus, eſt amor conſideratus non ſolum ex parte ſui objecti, ſed etiam reſpectu circumſtantiarum, ac præſertim ex parte finis ultimi ad quem refertur & in quo quieſcit. De amore ſic conſiderato hic agitur; quæriturque utrum iſte amor vel caritas ſit, ideoque omnino rectus, ut pote ad Deum tanquam finem ultimum relatus, vel cupiditas ſit, atque adeò ſub aliquo ſaltem reſpectu malus ac vitioſus, ſi ad creaturam ultimò refertur & in illa quieſcit.

Jeſuitæ, & qui ab illorum parte ſtant, plures admittunt amores medios caritatem inter & cupiditatem, videlicet amorem Dei ut auctoris naturæ, quem ſolis naturæ viribus elici poſſe ſentiunt, & quem ab amore caritatis diverſum eſſe volunt; & aliquem creaturarum amorem, qui, etiam in individuo conſideratus, omni ex parte bonus ſit vitioque carens, quamvis ad creatorem non referatur. In capite ſequenti probabimus nullum verum eſſe Dei amorem naturalem, ſeu naturæ viribus eli-

elicitum, nullum qui non ſit caritas ſaltem inchoata. Nunc autem generatim probandum nobis eſt omnem amorem, ex parte ultimi ſui finis conſideratum, aut caritatem eſſe, aut cupiditatem, id eſt, ad alterutram pertinere.

Obſervandum eſt 2°, quod ſupra à Lovanienſibus in ſecundo ipſorum Articulo obſervatum vidimus, caritatis & cupiditatis multiplices eſſe gradus, ideòque caritatis & cupiditatis voces diverſis ſenſibus ſumi. Idem obſervarunt centum Galliarum Epiſcopi in ſuo doctrinæ Corpore anni 1720, art. 4, pag. 36. „ Le terme de *charité*, inquiunt, peut „ être pris en deux ſens différents: 1. Pour tout amour de Dieu actuel „ ou habituel, naiſſant ou dominant, amour qui juſtifie ou amour qui „ ne ſuffit pas pour juſtifier, amour propre aux juſtes ou tel qu'il peut „ ſe trouver dans les pécheurs; en un mot pour tout amour du vrai „ bien, pour toute bonne volonté. La charité eſt priſe en ce ſens en „ divers endroits de l'Ecriture, des ſaints Peres & de quelques Théo„ logiens. 2. Le terme de *charité* eſt pris ordinairement par S. Tho„ mas même dans une ſignification plus reſtreinte, pour la troiſieme „ vertu théologale, pour l'amour habituel de Dieu, pour l'amour qui „ eſt propre aux juſtes, qui nous unit à Dieu, & qui nous rend les „ membres vivants de J. C." Pariter vox *cupiditatis* ſumi poteſt vel ſtrictiore ſenſu pro cupiditate habituali aut dominante, vel latiore ſenſu pro quolibet amore, etiam debili, creaturæ propter ſe.

Hoc præmonito, quod ab omnibus admittitur vel admitti debet, exponunt iidem Præſules quo ſenſu duo tantùm amores agnoſcendi ſint, ex quibus omnes voluntatis motus prodeant. „ Les Peres de l'Egliſe, „ inquiunt ibidem, enſeignent qu'il y a deux amours, l'amour de Dieu „ & l'amour de la créature, qui ſont le principe des mouvemens de la „ volonté; mais ils entendent par l'amour de Dieu, non ſeulement la „ charité habituelle & l'amour dominant, mais tout amour actuel de „ Dieu, toute bonne volonté, tout amour du vrai bien, en quelque „ degré qu'il puiſſe être; & ils entendent par l'amour de la créature, „ non ſeulement la cupidité habituelle, mais tout amour des créatures, „ foible ou dominant, & ils n'ont jamais prétendu que tous les mou„ vemens de la volonté, qui ne procedent pas de la charité habituelle, „ fuſſent produits par la cupidité."

Abſit ſanè ut aliter ſentiamus, ut, inquam, ſentiamus omnem amorem eſſe vel caritatem habitualem aut dominantem, vel cupiditatem habitualem aut dominantem, nullumque eſſe inter utramque amorem medium. Id unum contendimus, omnem amorem, *in individuo* & ratione ultimi ſui finis conſideratum, vel caritatem eſſe ſaltem inchoatam, vel cupiditatem ſaltem tenuem ac debilem. Id unum igitur probandum nunc ſuſcipimus.

Primum argumentum nobis ſuppeditant ſcripturæ divinæ, quæ non niſi

Probatio prima ex Scripturis.

niſi duo agnoſcunt humanarum actionum principia, *carnem* videlicet & *ſpiritum*, id eſt, cupiditatem & caritatem. Id videre eſt, omiſſis pluribus aliis ſacris textibus, capite VIII Epiſtolæ ad Romanos, ubi duo illa ſic opponuntur, ut nullum admittatur medium. *Qui ſecundùm carnem ſunt*, ait Apoſtolus v. 5, *quæ carnis ſunt ſapiunt. Nam prudentia carnis mors eſt, prudentia autem ſpiritûs vita & pax:* id eſt, ſapere ſecundum carnem ſeu cupiditatem, animæ mortiferum eſt; ſentire autem & amare ſecundùm ſpiritum ſeu caritatem, vitam ac pacem affert. Et v. 12: *Ergo, Fratres, debitores ſumus, non carni, ut ſecundùm carnem vivamus: ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta* (ſeu deſideria) *carnis mortificaveritis, vivetis.* Nullum ibi invenies tertium actionum genus, quæ nec à carne, nec à ſpiritu procedant.

Idem Apoſtolus, Epheſ. IV. 22, duos tantùm homines commemorat, *veterem qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris*, quem exui jubet, & *novum qui renovatur ad imaginem illius qui fecit illum*, & quem jubet nos induere. Veterem hominem intelligit cupiditatem, novum caritatem, nullumque tertium admittit.

Chriſtus ipſe in Evangelio frequentiſſimè, ac præſertim Joannis cap. XVII, opponit amorem Dei & amorem mundi: hunc reprobat, illum præcipit: hunc ad reprobos, illum ad electos pertinere decernit. Et S. Joannes, 1 Epiſt. cap. II 15, amores omnes ad duos illos revocat. *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: ſi quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo.*

Alibi Chriſtus duas tantùm arbores eſſe declarat, unam bonam, quæ bonos, alteram malam, quæ malos fructus affert, nullamque mediam eſſe ſatis apertè pronuntiat, Matth. XII. 33, ubi dicit: *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum.* Ambobus illis arboribus non ſignificantur præcisè ipſi homines, neque habitus boni vel mali, nam aliquando boni homines malè, mali benè operantur; ſed, juxta SS. Patres, ſignificantur amores actuales, ſeu intentio quâ facit quiſque quod facit, quæ ſemper bona vel mala eſt; bona, ſi ex caritate & propter Deum operemur, mala, ſi ex cupiditate & propter creaturam aliquam.

Demum, Luc. XI, cum Chriſtus diabolum comparaſſet forti armato captivos ſuos ſuaque ſpolia ſecurè poſſidenti, ſeque ipſum fortiori, qui fortem illum vincit, alligat, ſpolia ejus detrahit, captivoſque liberat, addit v. 23: *Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit.* Quaſi diceret: nihil eſt medium; vel mihi ſervitur, vel diabolo; vel mecum & gratiæ meæ impulſu agitur, vel cum diabolo ejuſque ſuggeſtione.

Probatio 2ª ex SS. Patribus ac Theologis.

II°. Hanc doctrinam frequenter adſtruit S. Auguſtinus. Sic imprimis eam à fundamentis repetit lib. 9 *de Trinitate*, cap. 7. num. 12 & 13: „ Nemo volens aliquid facit, quod non in corde ſuo priùs dixerit „ (ſeu

„ (ſeu decreverit facere): quod verbum amore concipitur ſive creaturæ, ſive creatoris, id eſt, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis: ergo aut cupiditate, aut caritate. Non quòd non ſit amanda creatura; ſed ſi ad creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, ſed caritas erit. Tunc enim eſt cupiditas, cùm propter ſe amatur creatura; tunc enim non utentem adjuvat, ſed corrumpit fruentem.“ Quid evidentius dici poteſt? Ut tamen nullus remaneat hæſitandi locus, attendamus quomodò caritatem & cupiditatem definiat S. Doctor lib. 3 *de Doctrina Chriſtiana*, cap. 10. num. 18: „ Caritatem voco, inquit, motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe & proximo propter Deum: cupiditatem autem, motum animi ad fruendum ſe, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum.“ Intelligit manifeſtè caritatem actualem & cupiditatem actualem, quas vocat *motum animi*, definitque hominem ex alterutra ſemper agere.

Enarrat in pſalmum 122. num. 1: „ Omnis amor, inquit, ac proinde non minùs actualis ac debilis quàm habitualis aut dominans, „ aut aſcendit, aut deſcendit; deſiderio enim bono levamur ad Deum, & deſiderio malo ad ima præcipitamur.

Ex hoc principio concludit 1° ſolo amore diſcerni bonos à malis. Sic lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 28: „ Fecerunt, inquit, duas civitates amores duo: terrenam ſcilicet amor ſuî usque ad contemptum Dei; cœleſtem verò amor Dei usque ad contemptum ſuî.“ Hanc diſcretionem, quam facit amorum diverſitas, in angelis æquè ac in hominibus agnoſcit lib. 11 *de Geneſi ad litteram*, cap. 15. num. 20, ubi ſic loquitur: „ Duo amores..... præceſſerunt in angelis, alter in bonis, alter in malis; & diſtinxerunt conditas in genere humano civitates duas,..... alteram juſtorum, alteram iniquorum. Quarum etiam quâdam temporali permixtione peragitur ſæculum, donec ultimo judicio ſeparentur; ut altera conjuncta angelis bonis cum rege ſuo vitam conſequatur æternam, altera conjuncta angelis malis in ignem cum rege ſuo mittatur æternum.“

Concludit 2° omnia opera bona ex caritate, omnia mala ex cupiditate tanquam ex radice naſci. „ Sicut enim radix omnium malorum eſt cupiditas, inquit Serm. 350, num. 1, & Serm. 72. cap. 3. num. 4, ita radix omnium bonorum eſt caritas: “ quia nimirum „ cupiditas nihil boni progenerat, caritas nihil mali,“ ut loquitur Serm. 311, cap. 7.

Al. 39 de Tempore.
Al. 12 de Verbis Domini.
Al. 15 de Diverſis.

Concludit 3° totum hominis Chriſtiani hac in vita ſtudium eò tendere debere, ut cupiditas quotidie decreſcendo exſtirpetur, & caritas in dies creſcendo perficiatur. „ Jubemur itaque, inquit Epiſt. 157, al. 89, ad Hilarium, cap. 2. num. 9, „ detrahere de pondere cupiditatis quod accedat ad pondus caritatis, donec illud conſumatur, hoc perficiatur.“ Idem concludit Serm. 90. num. 6, Serm. 344. num. 1, & Enarrat in pſalmum 31. num. 5.

S. Leo magnus, Serm. 5 de Jejunio ſeptimi menſis, cap. 3, idem principium diſertè proponit his verbis: ,, Duo amores ſunt, ex qui- ,, bus omnes prodeunt voluntates, ita diverſæ qualitatibus, ſicut divi- ,, duntur auctoribus. Rationalis enim animus, qui ſine dilectione eſſe ,, non poteſt, aut Dei amator eſt, aut mundi. In dilectione Dei nulla ,, nimia, in dilectione autem mundi cuncta ſunt noxia.“

S. Fulgentius, lib. 1 ad Monimum, cap. 18: ,, Voluntas creaturæ ,, rationalis, inquit, ſine qualicunque amore eſſe non poteſt: nec ſic ,, poteſt diligere, ut amorem ſuum non velit ad aliquid religare. Quæ ,, inter ſummum bonum à quo creata eſt, & infimum bonum cui præ- ,, lata eſt, medio quodam loco poſita, profectò aut in infimo bono ,, neceſſe eſt miſerabiliter jaceat, vel in ſummo bono veraciter feliciter- ,, que conquieſcat.“

112us. eſt in Append. S. Auguſtini.

S. Cæſarius Arelatenſis, Serm. 40. num. 3, de caritate & cupiditate loquens: ,, Iſtæ duæ radices, inquit, in duobus agris à duobus plantan- ,, tur agricolis: unam in cordibus bonorum plantat Chriſtus, aliam in ,, cordibus malorum plantat diabolus; nec de radice caritatis naſcitur ,, aliquid mali, nec de radice cupiditatis aliquid boni.“ Addit: ,, Hæc ,, ſententia non eſt mea, ſed Domini.“ Revocat ſtatim parabolam duarum arborum; bonæ, quæ nonniſi bonos, & malæ, quæ nonniſi malos fructus producit.

Idem docet S. Gregorius magnus lib. 18 *Moralium*, cap. 9. num. 16. ,, Eſſe quidem, ait, ſine dilectatione anima non poteſt. Aut enim infi- ,, mis delectatur, aut ſummis; & quantò altiori ſtudio exercetur ad ,, ſumma, tantò minori ſtudio torpeſcit ad infima; quantòque acriore ,, curâ inardeſcit ad infima, tanto tepore damnabili frigeſcit à ſum- ,, mis.“ Audimus amorem quemlibet infimorum directè opponi caritati, eamque minuere ac debilitare; adeòque ſemper eſſe vitioſum. Quomodò enim non eſſet malum quod adverſatur bono?

Florus Diaconus Lugdunenſis, lib. *de Prædeſtinatione adverſùs Scotum*, cap. 4, in refutatione tertiæ illius definitionis: ,, Cùm de libero ,, arbitrio diſputatur, inquit, quo liberâ hominis voluntate vel bonum ,, vel malum appetitur,..... de illa voluntate agitur, quâ vel ſummum ,, bonum diligit, cùm recta eſt, id eſt, Deum, vel infimum bonum, ,, cùm prava eſt, id eſt, mundum. Iſtâ dilectione vel Deum diligit ,, ſupra ſe, vel mundum infra ſe.“ Nulla eſt ergo dilectio inter utramque media.

Petrus Bleſenſis in Tract. *de Caritate*, cap. 42: ,, Habes, inquit, ,, duos fontes boni & mali, duas origines ſeu radices. Omnium bono- ,, rum radix eſt caritas; omnium malorum radix eſt cupiditas.“ Nulla ergo bona ſunt, niſi quæ de radice caritatis procedunt; nulla verò mala quæ non ex cupiditate naſcantur.

Ex Theologis duos tantùm producam.

S. Tho-

S. Thomas in Opuſculo 6, cap. 13, ſic loquitur: „ Anima poſita „ inter Deum & creaturam converſione ad Deum illuminatur, melio„ ratur & perficitur: converſione ad creaturas tenebratur, deterioratur „ & corrumpitur.“ Aſſigna, ſi potes, medium aliquod Deum inter & creaturas, & tunc invenire poteris medium aliquod inter converſionem ad Deum & converſionem ad creaturas, ſeu inter caritatem & cupiditatem.

Cardinalis Hoſius Epiſcopus Varmienſis, vir eximiæ pietatis & eruditionis, qui tanquam Pii IV Legatus concilio Tridentino præfuit, in *Confeſſione fidei catholicæ*, quam Eccleſiæ Polonenſis nomine edidit, eidem veritati præclarum præbet teſtimonium, à nobis minimè prætermittendum. En illius verba, cap. 76: „ Auguſtinum ſecutus Petrus „ quoque Lombardus, neque impleri niſi per caritatem præcepta, neque „ ad alium finem, præterquàm ad caritatem, ea rectè referri docet. Quam„ obrem in utriusque tabulæ præceptis, non tam quid exteriùs geratur, „ quàm quod intùs fiat, & ex qua radice quod fit proficiſcatur, attendi„ tur. Sunt enim in cordibus hominum radices duæ; caritatis una, quam „ plantat agricola Chriſtus, cupiditatis altera, quam plantat diabolus. „ Nihil ex illa mali, nihil ex hac boni naſcitur. HOC DOCUIT, HOC „ DOCET, HOC DOCEBIT SEMPER SANCTA CATHOLICA ECCLE„ SIA...... Sine caritate non poſſunt ambulare homines, ſed errare. „ Hæc eſt enim ſumma bonarum actionum, ſalus morum, finis cœles„ tium præceptorum, mors criminum, vita virtutum.“ Eo majoris ponderis eſt iſtud teſtimonium, quòd non ſolius Hoſii, ſed totius Eccleſiæ Polonenſis, ſeu concilii Petricovienſis doctrinam exprimat, germanamque catholicæ fidei expoſitionem contineat, novatorum calumniis opponendam.

Allata teſtimonia de caritate & cupiditate generatim acceptis, non de habituali aut dominante, intelligenda ſunt.

His Scripturarum, Patrum ac Theologorum documentis reſpondent adverſarii:

1°. „ Inter vitioſam cupiditatem & laudabilem caritatem nullum qui„ dem dari medium quoad habitum, & ratione ſubjecti in quo domi„ nantur vel caritas vel cupiditas; at quantùm ad actum dari medium „ aliquod.“ Ita Tournely, tom. 2 *de Gratia*, pag. 135.

Verùm iſta reſponſio textibus modò allatis apertè repugnat. Nam 1° Scriptura & Patres loquuntur de caritate & cupiditate generatim ſumptis, ac proinde non de ſola dominante aut habituali, ſed de quacunque, etiam debili. 2°. Loquuntur de caritate & de cupiditate prout ſunt actionum humanarum principia: porro ſola caritas actualis & ſola cupiditas actualis propriè loquendo operantur; nam habitus, in quantùm habitus, nihil agunt. 3°. Aſſerunt omnes actus delibetatos ab alterutra procedere, ſicque prorſus excludunt aliud quodvis actionum principium à caritate & cupiditate diſtinctum: conſtat autem non omnes actus naſci ex caritate vel ex cupiditate habituali. 4°. Ita docent nihil eſſe medium

caritatem inter & cupiditatem, ut ſimul affirment ex caritate nihil mali, ex cupiditate nihil boni oriri. Id autem ſi intelligeretur de caritate & de cupiditate habituali, ſequeretur hominem, in quo regnat cupiditas, nonniſi malè agere, & illum, in quo caritas dominatur, nonniſi rectè agere. Id verò apertè hæreticum eſt, cùm fide catholicâ conſtet juſtos interdum peccare ex cupiditate in corde non dominante, & peccatores interdum ex caritate imperfecta benè agere. Aliunde evidentiſſimum eſt dari medium inter caritatem & cupiditatem habitualem aut dominantem, nempe caritatem & cupiditatem actualem & non dominantem. Ergo SS. Patres loquuntur de motibus actualibus, non verò de habitibus caritatis & cupiditatis, ut patet inſuper ex definitione S. Auguſtini ſupra relata ex lib. 3 *de Doctrina Chriſtiana*. 5°. SS. Patres doctrinam ſuam inde probant, quòd omnis amor creaturæ ad creatorem non relatus ſit cupiditas. Atqui hæc ratio non minùs locum habet reſpectu amoris actualis ac debilis creaturæ, quàm reſpectu amoris habitualis aut dominantis. 6°. Ipſimet adverſarii fatentur omnem amorem habitualem aut caritatem eſſe, aut cupiditatem: ergo idem fateri debent de omni amore actuali. Nam ſi aliquis amor actualis creaturæ propter ſe, & ad Deum non relatus, vitio cupiditatis caret, cur dari pariter non poterit aliquis amor habitualis illo vitio carens? V. g. ſi actus quo diliguntur parentes, quamvis non relatus ad Deum ut finem ultimum, non eſt ſub illo reſpectu cupiditas, profectò nec habitus diligendi parentes, quamvis ad Deum non relatus, cupiditas erit. Ergo planè repugnat fateri nullum dari medium quoad habitum caritatem inter & cupiditatem, & velle medium inter illas dari quoad actum.

Non video quid huic ratiocinio opponi poſſit, niſi fortè dari quidem habitum amoris qui nec caritas nec cupiditas ſit, dummodò hujuſmodi habitus in corde non dominetur, vel, ſi dominetur, tunc eſſe vitioſam cupiditatem, quia tunc creatura creatori præponeretur. Sed omnino frivola foret iſta evaſio. Cur ergo non poſſet in corde licitè dominari amor ille habitualis medius, v. g. amor habitualis patriæ, parentum, filiorum, ſi poteſt amor ille actualis licitè dominari in actibus particularibus? Procul dubio hac in parte non aliter judicandum eſt de habitibus quàm de actibus. Proinde ſi, fatentibus adverſariis, immo fide ipſâ magiſtrâ, hominem bonum non facit niſi caritas habitualis, ejus actiones bonas non facit niſi caritas actualis. Si amor creaturæ propter ſe, quando in corde dominatur, cupiditas eſt habitualis, ſimiliter amor creaturæ propter ſe, quando in actu dominatur & ex illo agitur, actualis eſt cupiditas. Et vice verſâ, ſi homo rectè operari poteſt abſque ullo caritatis motu, cur non poterit eſſe rectus abſque caritate? Qui tamen error totam vitæ Chriſtianæ regulam à fundamentis ſubvertit.

Reſpondent 2°, quando SS. Patres illud omne damnant quod fit ex cu-

cupiditate, cupiditatis nomine non quamlibet creaturæ propter ſe dilectionem intellexiſſe, ſed eam duntaxat quæ vitioſa & perverſa ſit. Id equidem fateor: verùm ex allatis textibus planè conſtat omnem dilectionem quæ ſiſtit in creatura, nec refertur ad creatorem, eſſe hujusmodi. Quamvis enim ex objecto & quoad ſubſtantiam operis, quandoque etiam ex fine proximo non ſemper vitioſa ſit (quis enim negat in ſeipſo bonum eſſe diligere parentes?), ſub eo tamen reſpectu vitioſa eſt & perverſa, quòd non referatur ad debitum finem ultimum, ad quem omnes actus noſtros referri lex æterna jubet. Relege, ſi placet, quæ diximus Lib. III, diſſert. 2. cap. 3. quæſt. 4, ubi ex profeſſo probavimus illicitum eſſe creaturas quaslibet amare propter ſeipſas, ſeu illis frui. Pag. 321.

Probatur demùm noſtra Propoſitio ex ipſa ratione. Probatio 3a ex ratione.

Quidquid eſt, vel Deus eſt, vel aliqua creatura: nullum eſt medium. Ergo, quidquid ametur, vel Deus amatur, vel creatura. Amor Dei caritas eſt, amor creaturæ cupiditas: non quòd non liceat amare creaturas, ſed quia inordinatè ac perverſè amantur, ſi non in eo & propter eum amantur, à quo & ad quem creatæ ſunt, & à quo habent ut aliquo modo bonæ ſint.

Et ſanè, ſi quis amor medius eſſet inter caritatem & cupiditatem, maximè amor virtutis. Atqui amor ipſe virtutis aut caritas eſt, aut cupiditas: caritas, ſi virtus diligatur prout eſt donum Dei & medium perveniendi ad Deum; cupiditas, ſi propter ſeipſam diligatur, & nonniſi ad ſeipſam referatur, uti probabimus in quæſtione ſequenti. Ergo nullus eſt amor medius inter caritatem & cupiditatem generatim & lato ſenſu ſumptas.

P R O P O S I T I O
ex tribus præmiſſis Principiis reſultans.

Nulla præcepta rectè & veraciter obſervari poſſunt ſine caritate, ſaltem inchoata, omnisque actio humana, quæ ex hujusmodi caritate non procedit, ſub illo reſpectu mala & vitioſa eſt.

Id declarat multis in locis textus ſacer. Probatio 1a ex Scripturis.

Joann. XIV. 24, Chriſtus dicit: *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.* Quid ita? An ſine Chriſti dilectione non poſſunt honorari parentes, aliaque legis præcepta quoad officium impleri? Minimè. Sed ſen-

ſenſus eſt, ſine dilectione Dei & Chriſti nullum præceptum obſervari poſſe ſicut obſervandum eſt, ut in eo actu non peccetur.

Ibidem, XV. 10, iterum ait Chriſtus: *Si mandata mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea; ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione.* Igitur mandata Chriſti ſervare, & manere in ejus dilectione, ſeu illum diligere, unum & idem ſunt, aut ſaltem duo ſunt inſeparabilia. Non eſſent autem inſeparabilia, ſi mandata ſervari poſſent abſque dilectione Dei. Prætereà tenemur eodem motivo præcepta ſervare, quo Chriſtus ipſe exemplar noſtrum ea ſervavit: *ſicut & ego*, inquit, *Patris mei præcepta ſervavi.* Atqui Chriſtus omnia præcepta Patris ex dilectione ſemper obſervavit. Ergo & nos debemus ex ejus dilectione mandatis ejus obſequi.

Rom. XIII. 10, dicit Apoſtolus: *Plenitudo legis eſt dilectio*: & 1 Timoth. I. 5: *Finis præcepti eſt caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*: quæ verba ſic interpretatur S. Auguſtinus, *Enchiridii* cap. 121: „ Omnis præcepti finis eſt caritas, id eſt, ad caritatem „ refertur omne præceptum. Quod verò ita fit timore pœnæ, vel ali- „ quâ intentione carnali, ut non referatur ad illam caritatem quam „ diffundit Spiritus ſanctus in cordibus noſtris, nondum fit quemad- „ modum fieri oportet, quamvis fieri videatur.“

Item, Galat. V. 14: *Omnis lex in uno ſermone impletur: diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Quibus verbis, ait S. Auguſtinus in Expoſitione hujus Epiſtolæ, cap. 5. num. 44, „ Apoſtolus...... oſtendit „ ...... opera ad bonos mores pertinentia non impleri niſi dilectio- „ ne, per quam fides operatur.“

Eodem ſenſu S. Doctor in Epiſt. 167, al 29, ad S. Hieronymum, cap. 5. num. 16, exponit quod dicitur Epiſt. S. Jacobi II. 10: *Quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*, docetque unum illud eſſe caritatem quæ eſt *plenitudo* legis, ac meritò „ fieri reum omnium, qui contra illam facit ex qua pendent omnia.“

Probatio 2ª ex SS. Patribus & Theologis.

II°. Idem uno conſenſu tradunt SS. Patres.

S. Clemens Romanus, primo ſæculo, Epiſt. 1 ad Corinthios, num. 49, & S. Clemens Alexandrinus, ſecundo ſæculo, verba illius exſcribens lib. 4 *Stromatum*, dicunt „ abſque caritate nihil eſſe acceptum „ Deo,“ ac proinde nihil bonum; ſiquidem nullum bonum non eſt acceptum Deo.

S. Irenæus, lib. 4 *contra Hæreſes*, cap. 12, al. 25, pluribus ſacræ ſcripturæ textibus probat „ omnia vacua & fruſtranea eſſe ſine dilec- „ tione.“

Tom. 2. pag. 647. Al. tom. 1. pag. 667.

S. Baſilius, lib. 1 *de Baptiſmo*, cap. 2. num. 25, allatis his Chriſti verbis, *nunquam novi vos, diſcedite à me omnes operarii iniquitatis*, ſic concludit: „ Quare manifeſtum eſt & evidens hæc citra caritatem, „ etiamſi præcepta & juſtificationes fiant, cuſtodianturque mandata Do- „ mi-

„ mini, & chariſmata magna edantur, pro operibus iniquitatis habe-
„ ri.“

S. Ephrem Diaconus Edeſſenus, in tract. *de Caritate:* „ Quid com- Pag. 26, col. 2.
„ modi habet, inquit, labor vanus ſine caritate, ſine qua quodcun-
„ que opus & quævis actio polluitur?“

S. Joannes Chryſoſtomus, hom. 19 in Epiſt. ad Hebr. cap. 10. num. Tom. 12. pag. 133, al. tom. 5. pag. 1832.
2: „ Ex ipſa (caritate), inquit, omnia naſcuntur bona: nullum eſt
„ enim bonum quod non per caritatem fiat,..... plenitudo enim legis
„ eſt dilectio.“

S. Hieronymus, lib. 3 in Epiſtolam ad Galatas, exponens hæc verba capitis quinti: *Fructus Spiritûs eſt caritas*, &c: „ Sine qua caritate,
„ inquit, virtutes ceteræ non reputantur eſſe virtutes, & ex qua na-
„ ſcuntur univerſa quæ bona ſunt.“

Plurimis modis id adſtruit S. Auguſtinus. Docet 1° cætera omnia mandata ad unum caritatis mandatum referri ac revocari. Sic Enarrat. in pſalm. 141. num. 7: „ Quare ſemitæ, inquit, & quare ſemita? Se-
„ mitæ dictæ ſunt Dei, quia multa præcepta ſunt, & quia eadem mul-
„ ta præcepta ad unum rediguntur, quia plenitudo legis caritas; prop-
„ tereà viæ iſtæ in multis præceptis ad unam colliguntur, & una
„ dicitur, quia via noſtra caritas eſt.“ Et lib. *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 5. num. 11, totam legem ad duo præcepta revocat ſecum mutuò connexa, ſeque invicem includentia, quorum uno vetatur cupiditas, altero caritas imperatur. „ Generalis, ait, prohibitio eſt: *Non con-*
„ *cupiſces;* & generalis juſſio: *Diliges.*“

Docet 2° ſine caritate cætera omnia nihil prodeſſe. „ Adde carita-
„ tem, ait Serm. 138. cap. 2, proſunt omnia: detrahe caritatem, ni- Al. Serm. 50 de Verbis Domini.
„ hil proſunt cætera.“ Idem inculcat lib. 15 *de Trinitate*, cap. 18. num. 32, tract. 83 in Joannem, num. 3, tract. 87, num. 1, tract. 32, num. 8, & tract. 65, num. 3. Sic rurſus loquitur tract. 5 in 1 Epiſt. Joannis, num. 7: „ Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei & filios dia-
„ boli. Signent ſe omnes ſigno crucis Chriſti, reſpondeant omnes
„ *amen*, cantent omnes *Halleluia*, baptizentur omnes, intrent Eccleſias,
„ faciant parietes Baſilicarum, non diſcernuntur filii Dei à filiis dia-
„ boli niſi caritate. Qui habent caritatem nati ſunt ex Deo; qui non
„ habent caritatem, non nati ſunt ex Deo. Magnum indicium, mag-
„ na diſcretio. Quidquid vis habeas, hoc ſolummodò non habeas, ni-
„ hil tibi prodeſt: alia ſi non habeas, hoc habe, & impleſti legem.“

Docet 3° nullum actum bonum eſſe, ſi non procedat ex caritate. Serm. 165. cap. 4: „ Caritas ſola benè operatur.“ Lib. 3 *Op. imperf.* Al. Serm. 7 de Verbis Apoſt.
cap. 122, dicit eam eſſe „ dilectionem, ſine qua nemo piè vivit, &
„ cum qua nemo niſi piè vivit.“ Lib. *de Spiritu & littera*, cap. 14. num. 26: „ Non fructus eſt bonus, inquit, qui de caritatis radice non
„ ſurgit.“ Lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 18. num. 37: „ Om-
„ nia

„ nia præcepta dilectionis, id eſt, caritatis, tanta ac talia ſunt, ut „ quidquid ſe putaverit homo facere benè, ſi fiat ſine caritate, nullo„ modò fiat benè.“ Cur verò res ita ſit, exponit tract. 82 in Joannem, num. 4: quòd videlicet nulla ſit præter caritatem affectio mentis, quæ homines movere queat ad legem ex animo & voluntariè implendam. „ Quis ambigat, inquit, quòd dilectio præcedat (obſervationem „ mandatorum)? Unde enim præcepta ſervet, non habet qui non dili„ git.“

Docet 4° omnem actum, qui ex dilectione Dei non oritur, ſub illo reſpectu malum ac perverſum eſſe. „ Quid enim boni faceremus, in„ quit lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 26. num. 27, niſi diligeremus? Aut „ quomodò bonum non facimus, ſi diligamus? Etſi enim Dei manda„ tum videtur aliquando à non diligentibus, ſed à timentibus fieri, „ tamen, ubi non eſt dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec „ rectè bonum opus vocatur, quia omne quod non eſt ex fide peccatum „ eſt, & fides per dilectionem operatur.“ Et lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3. num. 33: „ Intellige quod ait Dominus: *Si oculus tuus nequam* „ *eſt, totum corpus tuum tenebroſum erit, ſi autem oculus tuus ſimplex* „ *eſt, totum corpus tuum lucidum erit;* & hunc oculum agnoſce inten„ tionem quâ facit quiſque quod facit: ac per hoc diſce eum, qui non „ facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc eſt, ejus quæ per dilec„ tionem operatur, totum quaſi corpus quod illis, velut membris, „ operibus conſtat, tenebroſum eſſe, hoc eſt, plenum nigredine pecca„ torum.“

Reſpondent Tournely, Languet & alii caritatis nomen his in locis non ſenſu ſuo proprio ſumi à S Auguſtino, ſed latiſſimo quodam ſenſu pro quavis honeſta mentis affectione. Verùm nullum proferre poſſunt S. Doctoris textum, quo vel ſemel innuerit verba ſua ſic accipienda eſſe. Proinde certiſſimum eſt non aliam caritatem ab ipſo fuiſſe commendatam, quàm illam quam ſcriptura & traditio prædicant: quâ ſcilicet Deus propter ſe diligitur, illoque æternum frui deſideratur. Ipſe Auguſtinus apertè declarat lib. 3 *de Doctrina Chriſtiana*, cap. 10. num. 16, quid caritatis voce intelligat & intelligi velit. „ Caritatem voco, „ inquit, motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, ſe verò & „ proximo propter Deum.“ Et Serm. 34, cap. 5. num. 8: „ Pecca„ tum, ait, non ſolum illud eſt quod in turpi aut iniquo facto appa„ ret hominibus, ſed etiam, ſi habeat ſpeciem boni operis, & tamen „ propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem ſempiter„ nam.“ Porro requiem ſempiternam appetere, & propter illam operari, ſolius caritatis eſt propriè dictæ & ſupernaturalis. Ad alios Patres tranſeamus.

Al. Serm. 18 de Diverſis.

Auctor librorum *de Vocatione gentium*, quem putamus eſſe S. Leonem magnum, lib. 1. cap. 6: „ Etiamſi in bonis moribus agat homo, „ inquit,

Digitized by Google

„ inquit, malè adhuc vivit, ſi non in Dei gloriam vivit:“ quod profectò ſine dilectione Dei fieri nequit.

S. Cæſarius Arelatenſis, Serm. 88, num. 3: „ Quomodò arbor, ait, „ quàmlibet pulchra ſit & fructifera, non poteſt vivere ſine radice, „ ſic quælibet opera bona perſeverare non poterunt ſine caritate“ (quantò minus gigni poterunt ſine caritate?). „ Ipſa eſt enim de qua „ Apoſtolus dicit: *in caritate radicati & fundati.*“ Sermo eſt 10? in Append. S. Auguſt.

S. Gregorius magnus, hom. 27 in Evangelia, exponens hæc verba Chriſti, Joann. XV. 12: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*, quærit quare, cùm plurima ſint præcepta, præceptum tamen caritatis velut unicum commendetur; ſicque quæſtionem reſolvit: „ Quia om- „ ne mandatum de ſola dilectione eſt, & omnia unum præceptum ſunt, „ quia quidquid præcipitur in ſola caritate ſolidatur. Ut enim multi „ arboris rami ex una radice prodeunt, ſic omnes virtutes ex una ca- „ ritate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, „ ſi non manet in radice caritatis. Præcepta ergo Domini & multa ſunt „ & unum; multa per diverſitatem operis, unum in radice caritatis.“ Idem docet eisdem penè verbis S. Eligius, hom. 11.

Concilium Pariſienſe ſextum, ex Provinciis Remenſi, Senonenſi, Turonenſi, Rothomagenſi ad reſtaurandam Eccleſiaſticam diſciplinam congregatum anno 829, ſic decernit: „ Cum caritate cuncta bona, ſi- „ ne caritate verò nulla haberi poſſunt:“ cujus dicti rationem hanc affert, „ quia caritate carens non eſt bonæ voluntatis; definitio quippe „ caritatis eſt, ut Doctores noſtri tradunt, bona voluntas.“

Petrus Bleſenſis Serm. 50 caritatem commendans: „ Hæc eſt cari- „ tas, inquit, de cujus radice bona univerſa procedunt.“

Hugo Rothomagenſis, lib. 7 *Dialogorum* (tom. 5 Anecdotorum D. Martene, pag. 387): „ Sine amore Dei, inquit, quantacunque quis fe- „ cerit, erunt omnia mala.“

Ex Theologis paucos appellare ſufficiet.

Guillelmus Autiſſiodorenſis, lib. 2. tract. 29, docet eleemoſynam, quæ non fit ex motivo caritatis, in ſeipſa quidem non eſſe peccatum, ſed *omiſſionem motûs caritatis peccatum eſſe.* Tom. 1. pag. 109.

S. Thomas, quem plerique deinceps Scholaſtici ſecuti ſunt, docet 2. 2. quæſt. 23. art. 7, ad 1, „ ſine caritate poſſe quidem eſſe aliquem „ actum bonum ex genere, non tamen perfectè bonum, quia deeſt de- „ bita ordinatio ad ultimum finem:“ ubi *actum bonum ex genere* appellat eum qui bonus eſt ratione objecti, & *perfectè bonum* eum qui omni ex parte bonus eſt vitioque caret; adeòque nullum actum admitit omni ex parte bonum, niſi ex caritate ſaltem inchoata ordinetur in Deum ut finem ultimum.

Cardinalis Bona, lib. 1 *de Principiis vitæ Chriſtianæ*, §. 29: „ Quid- „ quid à nobis fit, inquit, quod non fit propter Deum, etſi officio vi-

„ deatur bonum, deficiente tamen recto fine, peccatum eſt.“ Et poſteà: Si rebus creatis adhæremus, & eas propter ſe diligimus ſine ulteriori relatione ad Deum, damnata cupiditas eſt.“

Tom. IX. pag. 497. Boſſuetus in Meditationibus in Evangelia, Sermone poſt Cœnam, 108 die, ſic loquitur: „ Souviens toi, Chrétien, que ce n'eſt rien de „ garder l'exterieur du commandement, ſi on ne le garde par amour. „ Tout le commandement eſt compris dans l'amour même. J C. a gardé le commandement de ſon Pere, parcequ'il l'aimoit; & il nous „ donne cet exemple, en nous déclarant que cet exemple eſt notre „ loi.“ Hujus igitur doctiſſimi Præſulis judicio, mandata non rectè nec veraciter obſervantur, ſi non obſervantur ex dilectione Dei.

Collectionis d'Argentré tom. 1. pag. 369. Hinc Facultas Theologica Pariſienſis, in determinatione adverſus errores Lutheri data anno 1521, iſtum Hæreſiarchæ articulum: *Qui bonum opus, aut pœnitentiam à peccatorum deteſtatione ante dilectionem juſtitiæ incipit, nec in eo peccari aſſerit, inter Pelagianos numerandus eſt*, his-ce verbis damnavit: *Hæc propoſitio eſt falſa & ignoranter aſſerta, accipiendo dilectionem juſtitiæ pro ea quæ caritatem ſeu gratiam gratum facientem ſequitur:* quæ certè interpretatio ac modificatio manifeſtè ſupponit eamdem propoſitionem falſam non eſſe, imò potiùs veram & orthodoxam, accipiendo dilectionem juſtitiæ, latiore ſenſu, pro dilectione initiali nec hominem Deo gratum faciente.

Probatio 3a ex ratione. III°. Hanc veritatem in ſcriptura & traditione manifeſtiſſimè fundatam demonſtrant inſuper invicta rationis ipſius momenta.

Primò enim ad integram & completam actionum humanarum bonitatem non ſufficit ut objectum ſit bonum vel licitum, neque ut legitimæ adſint circumſtantiæ; ſed inſuper requiritur debitus finis ultimus. *Bonum* namque, ut fert axioma, *ex integra cauſa, malum autem ex quocunque defectu.* Atqui omnis actio quæ non fit ex amore Dei caret debito fine ultimo. Finis ultimus cujusvis actionis eſt bonum propter quod agitur, & quod agens ultimò intendit; quod certè non fit niſi per amorem illius boni. Proinde omnis actio, quæ non fit ex amore Dei, Deum non habet pro fine ultimo, ſed creaturam aliquam propter ſe dilectam, & non in ordine ad Deum. Omnis autem amor cujuslibet creaturæ propter ſe, nec ad Deum relatus, ſub illo reſpectu malus ac vitioſus eſt. Lex quippe æterna vetat illud amari propter ſe, quod non ex ſe ac per ſe, ſed tantummodò per participationem ſummi boni bonum eſt; adeòque jubet creaturas non amari niſi in eo & propter eum, à quo habent ut ſint, atque ut aliquo modo bonæ ſint.

Adeò certum eſt hominem teneri ſemper agere ex amore Dei, poſito quòd ſolus Deus ſit ſummum bonum, finiſque ultimus hominis, ut ipſi etiam ethnici Philoſophi ſummum bonum illud eſſe definierint, ad quod cætera quæcunque referri oporteat; ita ut, teſte Tullio, lib. 5 *de Finibus bonorum*, „ ſummum bonum ſi ignoretur, vivendi rationem

„ igno-

Digitized by Google

„ ignorari neceſſe ſit." Proinde vel dicendum eſt plures eſſe hominis fines ultimos, quod rectæ rationi non minùs quàm fidei principiis repugnat; vel, ſi nullus eſt alius hominis finis ultimus quàm Deus, certò concludendum eſt omnes & ſingulas hominis actiones ad Deum ex ipſius amore referri oportere. Si enim vel una actio ad alium finem ultimum referri licitè poſſit, Deus non erit ultimus finis hominis in illa actione, immò nullatenùs erit finis ejus ultimus, quia cæteræ omnes actiones eodem jure ab hujus relationis debito immunes dici poterunt.

2°. Ut actio quælibet bona ſit ſub omni reſpectu, ex voluntate bona procedat neceſſe eſt. Siquidem tota bonitas vel perverſitas actuum humanorum à bona vel mala voluntate pendet; „ nec faciunt bonos „ aut malos mores, niſi boni aut mali amores," ut loquitur S. Auguſtinus, Epiſt. 155, al. 52, ad Macedonium, cap. 4. num. 13. Atqui voluntas omni caritate deſtituta non eſt bona, ut pote quæ non diligit quod ſummè bonum & ſummè diligendum eſt. Hinc S. Auguſtinus, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 21: „ Quaſi verò, inquit, aliud ſit bona „ voluntas quàm caritas." Lib. 1 *Op. imperf.* cap. 94: „ Sola caritas „ vult bonum." Lib. 8 *de Trinitate*, cap. 10. num. 14: „ Quid eſt „ autem dilectio vel caritas, quam tantoperè ſcriptura divina laudat & „ prædicat, niſi amor boni?" Et lib. 1 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 9. num. 21: „ Quid eſt boni cupiditas, niſi caritas, de qua Joan„ nes Apoſtolus ſine ambiguitate loquitur, dicens: caritas ex Deo eſt?" S. Proſper, lib. *contra Collatorem*, cap. 10. num. 30, al. cap. 22: „ Nul„ lus eſt bonæ voluntatis motus, niſi quem creavit diffuſæ per Spiritum „ ſanctum caritatis afflatus." Demum concilium Pariſienſe VI anni 829, lib. 2. cap. 6, obſervat, uti jam vidimus, „ definitionem carita„ tis, ut noſtri Doctores tradunt, eſſe bonam voluntatem." Ergo nulla humana actio bona eſt ex omni parte ſine aliquo caritatis initio, à qua procedat.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt 1°. Si datur præceptum aliquod referendi omnes actus noſtros ad Deum, præceptum illud eſt affirmativum, ac proinde non obligat ſemper & pro ſemper, nam, juxta Scholaſticos, præcepta affirmativa non ſic obligant.

1°. Diſtinguo conſequens: non obligat ſemper & pro ſemper ad eliciendum continuò actus expreſſos relationis in Deum, concedo conſequentiam. Id eſt, non obligat ad referendum, ſaltem virtualiter, ad Deum quæcunque facimus: nego conſequentiam. Inter præcepta affirmativa plurima ſunt particularia, quæ non omnia vitæ tempora, nec omnes hominis facultates omnemque illarum uſum comprehendunt; qualia ſunt præcepta largiendi eleemoſynam, honorandi parentes, & alia hujuſmodi. At præceptum diligendi Deum ex toto corde, ex tota

mente, ex tota anima, ex totis viribus, eſt præceptum univerſale, quod totum hominem omnesque illius motus ſibi obligat; ita ut nullam vitæ noſtræ partem relinquat quæ ab illa dilectione vacare licitè poſſit, ut expreſſe docent SS. Patres ſupra memorati: ac proinde præceptum iſtud obligat ad ſemper ſenſu mox expoſito; ſicut hoc etiam præceptum, *oportet ſemper orare, ſine intermiſſione orate*, obligat ſemper, ut ex verbis ipſis manifeſtum eſt, quamvis non obliget ad continuum nec unquam interruptum orationis exercitium. Quamobrem:

2°. Diſtinguo antecedens. Præceptum iſtud eſt affirmativum, ſed æquivalet negativo, concedo: ſecùs, nego. Deus namque jubendo ſe diligi ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, hoc ipſo præcipit ut nulla ſit cordis affectio, nulla mentis operatio, nullus virium ſeu facultatum noſtrarum uſus, quæ ex ipſius dilectione non procedant, & ad ipſum ut finem ultimum non dirigantur.

Inſtant. S. Thomas, 1. 2. quæſt. 88. art. 1. ad 2, ſic loquitur: „ Illud præceptum Apoſtoli: *ſive manducatis &c*, eſt affirmativum: unde „ non obligat ad ſemper, & ſic non facit contra hoc præceptum quicunque non refert actu in gloriam Dei omne quod facit. Sufficit enim „ quòd aliquis habitualiter referat ſe & omnia ſua in Deum, ad hoc „ quòd non mortaliter peccet, cùm aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter. Veniale autem peccatum non excludit caritatem, quæ habitualiter ordinat ad Deum.“

Reſpondent nonnulli adverbium *habitualiter* ibi ſumi pro *virtualiter*, ſenſumque Angelici Doctoris eſſe, præceptum Apoſtoli non exigere ut omnes actus noſtros in gloriam Dei referamus intentione formali ac reflexa; ſed tantummodò ut illos referamus virtute intentionis quæ præceſſerit & revocata non fuerit. Sed illi non videntur mentem ipſius aſſecuti. Quapropter:

Reſpondeo S. Thomam ibi exponere, non ad quid teneamur vi illius præcepti, ſed ad quid ſub peccato mortali teneamur, ac definire duntaxat hominem non peccare mortaliter hoc ſolo quòd omittit actum aliquem in Dei gloriam referre actu aut virtute, ſed ſolùm quando aliquid committit quo perdat caritatem habitualem, per quam ipſe homo refertur habitualiter in gloriam Dei. Hunc eſſe ipſius ſenſum demonſtrat tum textus ipſe qui nobis objicitur, tum ſcopus totius articuli, in quo tractatur de diviſione peccati in mortale & in veniale. Obſervandum eſt autem, juxta loquendi modum D. Thomæ peculiarem, peccatum veniale non eſſe *contra legem*, ſed *præter legem*, *quia non obſervat modum rationis quem lex intendit*, ut ait Quæſt. 7 *de Malo*, art. 1. ad 1. Supponit igitur omiſſionem relationis, ſeu actualis, ſeu virtualis in Deum, quamvis non ſemper ſit *contra legem*, adeòque peccatum mortale, quando ſcilicet non hujuſmodi eſt ut privet caritate habituali gratiâque ſanctificante, ſemper tamen eſſe *præter legem*, ac proinde peccatum

ve-

veniale. Hinc cùm iſtam objectionem ſibi propoſuiſſet: „ Apoſtolus „ dicit 1 Corinth. X, *ſive manducatis &c:* ſed contra hoc præceptum „ facit quicunque peccat;..... cùm ergo facere contra mandatum ſit „ peccatum mortale, videtur quòd, quicunque peccat,....., peccet mortaliter:“ id reſpondet quòd in textu nobis objecto legitur, ubi ſolam iſtam concluſionem negat, ſcilicet *peccare mortaliter* quicunque omittit aliquam actionem in gloriam Dei referre. Eamdem objectionem aliis quoque in locis ſibi opponit ac pariter reſolvit. Sic Quæſt 7 *de Malo*, art. 1. argum. 9, ſibi objicit: „ Homo tenetur ex præcepto ut omnia „ quæ facit ordinet in Deum. Sed peccatum veniale non eſt referibile „ in Deum; ergo quicunque peccat venialiter, peccat contra præceptum; „ ergo peccat mortaliter.“ Reſpondet autem, quemadmodum in Summa, „ præceptum Apoſtoli...... obſervari ſemper in habitu, quod non „ excluditur per peccatum veniale.“ Rurſùs Lect. 3 in Epiſt. ad Coloſſ. exponens hæc verba: *omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*, hoc ſibi objicit: „ Aut hoc eſt „ præceptum, aut conſilium. Si præceptum, peccat quicunque hoc non „ facit. Sed peccat venialiter quando quis hoc non facit. Ergo quicunque peccat venialiter, peccat mortaliter“ Sic autem reſpondet: „ Quidam dicunt quòd hoc eſt conſilium, ſed hoc non eſt verum: ſed „ dicendum eſt quòd non eſt neceſſarium (ſubaudi, *ut non peccetur* „ *mortaliter*) quòd omnia in Deum referantur actu, ſed habitu. Qui „ enim facit contra gloriam Dei & præcepta ejus, facit contra hoc præ„ ceptum: venialiter autem peccans non facit contra hoc præceptum „ ſimpliciter; quia, licet non actualiter, tamen habitualiter refert om„ nia in Deum.“ Hic diſertiſſimè aſſerit S. Doctor in textu Apoſtoli contineri verum præceptum, non merum conſilium; adeòque omiſſionem relationis ad Deum nunquam carere peccato ſaltem veniali. Advertendum quoque eſt relationem actualem hic ab ipſo ſumi latiore ſenſu, prout ſcilicet opponitur relationi habituali, quæ & ſub illa virtualem etiam comprehendit: nec immeritò ſanè; ſiquidem relatio virtualis eſt extenſio quædam & veluti continuatio intentionis actualis quæ præceſſit.

Quòd autem, juxta S. Thomam, relatio habitualis minimè ſufficiat, ſed relatio ſaltem virtualis in præcepto ſit, præter multa ejus teſtimonia ſuperiùs allata, plurimâ alia demonſtrant. Sic in *Quæſtionibus diſputatis*, quæſtione unicâ *de Caritate*, art. 11, ad 2: „ Quòd omnia virtute re„ ferantur in Deum, inquit, hoc pertinet ad perfectionem caritatis, „ ad quam omnes tenentur.“ Et ibidem, ad 3. „ Aliud eſt habitua„ liter referre in Deum, & aliud virtualiter. Habitualiter enim refert „ in Deum & qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendit, ut dor„ miens: ſed aliquid referre in Deum, eſt agentis propter finem ordina-

 „ tum.

„ tum in Deum. Unde habitualiter referre in Deum non cadit ſub „ præcepto; ſed virtualiter referre omnia in Deum cadit ſub præcepto „ caritatis, cum hoc nihil aliud ſit quàm habere Deum ultimum finem.“ Idem inculcat in 2 Sentent. diſt. 40. art. 5. ad 7; 2. 2. quæſt. 23. art. 7. ad 1, & quæſt. 100. art. 10. ad 3.

Inſtant iterum. Non eſt homini poſſibile hac in vita omnes actiones ſuas referre in Deum: atqui Deus non jubet impoſſibilia: ergo præcepto non tenemur omnes actiones noſtras in Deum referre.

Nego majorem. Nam ſancta Dei genitrix Virgo præceptum hoc perfectè implevit. Equidem, illâ exceptâ, nemo tantæ ſanctitatis eſt ut illum perfectionis gradum aſſequatur. Verùm ideò-ne præceptum negandum eſt? Certè nemo in terris vivit ſine peccato: idcirco-ne præcepto non tenemur abſtinere ab omni prorſus, etiam minimo, peccato? Quamobrem ſic ego è contrario concludo: Certum eſt neminem in terris abſque peccato vivere. Quænam verò ſunt peccata juſtorum inſigniorum, niſi quòd interdum per affectum aliquem non ordinatum in Deum leviter ac tranſeunter conquieſcunt in ſeipſis, in filiis, in parentibus, in amicis, in domo vel prædio, aut in alia quavis re creata, ut ſæpè obſervat S. Auguſtinus? Ergo hujuſmodi affectus non carent peccato. Cur autem Deus nonnulla præcipit, quæ, licet non abſolutè impoſſibilia ſint, à nemine tamen in terris poſito perfectè implentur, niſi ut ipſius miſericordiam delicta condonantem jugiter imploremus, ut cum metu & humilitate ſalutem noſtram operemur, ut ſtudeamus magis ac magis in caritate proficere, nec unquam dicamus, ſufficit?

Inſtant 3°, ex doctrina noſtra conſequi peccatum eſſe pauperum indigentiam ex miſericordiæ affectu ſublevare, niſi actus ille ad Deum tanquam finem ultimum referatur. Id verò, inquiunt, nimis importunum & intolerabile eſt.

Nego ſequelam. Sequitur quidem actum illum, quatenùs ad Deum non refertur, à rectitudine debita deficere; non autem actum ipſum in ſeipſo & quoad officium, atque etiam quoad finem proximum, eſſe malum ſeu peccatum. Nihil iniquius eſt quàm doctrinam ſanctiſſimam, in ſcripturis & in perpetua Eccleſiæ traditione apertiſſimè declaratam, hujuſmodi cavillis & æquivocationibus, atriſque coloribus in invidiam apud imperitos adducere. Abſit ut dicamus vel ſentiamus peccatum eſſe indigentium miſeriæ ex corde compati! Quis unquam ita inſanivit ut id ſentiret? Sed dicimus hominem, qui indigentis inopiam miſerando ſublevat, bonum opus non rectè facere, ſi in eo faciendo ſibi ipſi complaceat, nec in gloriam Dei illud faciat, in quo ſolo gloriari licitum eſt. Quod S. Auguſtinus reſpondebat olim Juliano interroganti: *Si Gentilis nudum operuerit veſtimento, numquid, quia non eſt ex fide, peccatum eſt?* idem & nos reſpondemus. „ Prorſùs, IN QUANTUM NON EST

„ EX FIDE, peccatum eſt: non quia per ſeipſum factum, quod eſt „ nudum operire, peccatum eſt; ſed de tali opere NON IN DOMINO „ GLORIARI, ſolus impius negat eſſe peccatum."

Inſtant denique, & dicunt doctrinam noſtram natam eſſe ſcrupulos innumeros parere. Quis enim perpetuò trepidare non debeat, ſi, quidquid non procedit ex amore Dei, peccato non careat?

Nego propoſitionem. Scrupulus quippe dicitur incerta & nullo legitimo fundamento innixa trepidatio. Porro conſcientiæ anxietates, quæ ex doctrina à nobis aſſerta naſci quandoque poſſunt, nequaquam frivolæ ſunt; quandoquidem præceptum, omnia quæ agimus in gloriam Dei & ex ipſius dilectione faciendi, in ſcripturis & traditione expreſſum eſt. Non equidem inficior ex hoc præcepto conſequi Chriſtianos ſemper metuere & cautè vigilare debere, ne quis affectuum ſuorum rivulus extra divinæ dilectionis plenitudinem excurrat. Hic metus omnium ſanctorum fuit. Beatus Job *verebatur omnia opera ſua*. Paulus Apoſtolus, quamvis *nihil* ſibi *conſcius* eſſet, non ideò *juſtificatum* ſe exiſtimabat. Proverb. XXVIII. 14, dicitur: *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus.* Job. IX. 28. 1 Corinth. IV.
Hujuſmodi admonitionibus plena ſunt SS. Patrum ſcripta. Undenam autem caſta illorum juſtorum trepidatio, niſi quia noverant opera ipſa, quæ ſunt ex officio & in hominum oculis bona, corrumpi & in vitium verti, ſi non ex Dei dilectione profluant? Nedum autem vana illa dicenda ſit, è contrario valde utilis ac ſalubris eſt. Trepidantes enim cavemus; caventes autem & orantes ſecuri efficimur. Quamobrem Michæas Propheta dicit, VI. 18: *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique...... ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Abſit verò ut perpetua illa vigilantia animam excruciet miſeramque faciat, quin potiùs, accedente piâ & humili in Deum fiduciâ, conſcientiam pacatam reddit. Vel enim actiones noſtras diſcutiendo agnoſcimus eas non ex Dei, ſed ex creaturarum inordinato amore procedere; vel confidimus nos ex Dei dilectione & in ejus gloriam operari, atque in plerisque ac præcipuis vitæ noſtræ actibus gloriam ipſius tanquam ultimum finem intendere. Si primum, patet remedium in pœnitentiæ gemitibus & ſincera cordis ad Deum converſione: ſi verò alterum, gratiæ agendæ ſunt Chriſto Servatori, qui caritatem diffudit in cordibus noſtris; & quamvis multa adhuc in nobis advertamus quæ à caritatis fonte nonnihil deviant, non ideò animo deſpondendum eſt, ſed ſuppliciter à Deo petendum ut dimittat nobis debita noſtra, ut faciat nos ipſi ſoli vivere, enitendumque ut, juxta Apoſtoli Petri præceptum (1 Epiſt. I. 24), *animas noſtras caſtificemus in obedientiam caritatis.* Non igitur doctrina noſtra inanibus ſcrupulis viam aperit; verum ex contraria opinione non mediocre ſaluti animarum periculum imminet. Cùm enim, docente ſcriptura & traditione, teneamur *omnia in caritate, in gloriam Dei, in nomine Chriſti facere*, hoc præcepto ſublato, quis

quis exprimat in quantam perniciem cæca ſecuritas animam conjicere valeat? Væ namque non timentibus, ubi timendum eſſe tot oracula divina denuntiant! Quantò conſultius & delectabilius eſt per ſalubrem timorem ad ſecuritatem tendere, quàm temerè ingredi *viam quæ videtur* Proverb. XIV. 12. *homini juſta*, & cujus *noviſſima deducunt ad mortem?*

Objiciunt 2° doctrinam noſtram à Pio V & Gregorio XIII damnatam fuiſſe in Bulla adverſùs propoſitiones vulgò dictas Baii, quarum 16ª ſic habet: *Non eſt vera legis obedientia ſine caritate;* & 38ª: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa caritas, quâ per Spiritum ſanctum in corde diffuſâ Deus amatur.*

Reſpondeo pleroſque ſentire memoratas propoſitiones damnatas fuiſſe tantummodò in ſenſu caritatis habitualis & cupiditatis habitualis, quaſi inter utramque nullus ſit amor medius, & quaſi omnis actio, quæ non procedit à caritate habituali vel dominante, hoc ipſo peccatum ſit; quem ſenſum apertè pravum & hæreticum expreſſè rejecimus. Ita Bullam Pii V interpretati ſunt, ut fusè probat Laurentius Berti in *Auguſtiniano Syſtemate vindicato*, part. 1. diſſert. 1. cap. 1. §. 2 & ſeq., 1° Vaſquez in 1. 2. quæſt. 190. num. 183; 2° Suarez, lib. 1 *de Gratia*, cap. 4. num. 513; 3° Aloyſius Turrianus, tract. *contra errores Baii*, cap. 5; 4° Ludovicus Bail in lib. *de Beneficio crucis*, in quo ſingulos Baii articulos diſcutit, pag. 184; 5° Contenſon, *Theologiæ mentis & cordis* lib. 8. diſſert. 2. cap. 1; 6° Macedo in *Cortina*, pag. 242; 7° Noriſius (à S. Pontifice Benedicto XIV egregiè vindicatus), *Vindiciarum Auguſtinianarum* §. 5; 8° Cuncrus Petri, præcipuus Baii adverſarius, in libro contra ipſum; 9° quadraginta Galliarum Epiſcopi in *Inſtructione Paſtorali* data in Conventu anni 1714, & centum ejuſdem regni Epiſcopi in Corpore Doctrinæ promulgato anno 1720, art. 4. Non paucos alios commemorat ibidem Laurentius Berti, qui omnes pro certo tenent propoſitiones Baii damnatas non fuiſſe, niſi in perverſo ſenſu caritatis habitualis & cupiditatis habitualis ſupra expoſito, & ab omnibus Catholicis rejecto.

Nonnulli verò ſuſpicantur easdem propoſitiones ideò fuiſſe damnatas, quòd innuere viſæ ſint omnia opera, quæ ex Dei dilectione non procedunt, mala eſſe non tantùm defectu ordinationis in Deum, ſed etiam in ſeipſis, ita ut nequidem ex officio, ſeu moraliter, ut loquuntur, bona eſſe queant; quem etiam ſenſum omnes abjiciunt.

Quæcunque autem Pii V mens fuerit, quam ipſe nunquam declaravit, pro certiſſimo haberi debet doctrinam à nobis aſſertam nullâ unquam cenſurâ notatam fuiſſe; imò maximo ſemper in pretio habitam fuiſſe, & à ſummis ipſis Pontificibus contra illius obtrectatores non ſemel apertè vindicatam. Id plurima demonſtrant. 1°. Quidem judicium à Rom. Pontificibus latum, quo Lovanienſes Articulos ſuprà memoratos,

Digitized by Google

tos, eorum examini ab ipſa Lovanienſi Facultate ſubjectos, innoxios declararunt. 2°. Judicium ejuſdem tribunalis in cauſa D. Denys Canonici Leodienſis. Cùm enim ille in theſibus publicè propugnatis hanc aſſertionem poſuiſſet: *Condemnat lex æterna quidquid ex cupiditate fit, & conſequenter quidquid non ex Dei dilectione: quidquid enim fit, aut caritate fit, aut cupiditate*, Jeſuitæ theſim Romanis Inquiſitoribus detulerunt. Poſt maturum autem examen, Inquiſitores generales anno 1699 ſcripſerunt Nuntio Colonienſi nihil reprehenſione dignum in ea repertum fuiſſe, eumdemque monuerunt ut eâ de re Electorem Colonienſem certum faceret. Hujus facti teſtem appellat Henricus à S. Ignatio in *Ethica amoris*, prolegomeno 6. cap. 9. num. 116, Baronem de Karg Electoris Cancellarium, in litteris ſcriptis ad ipſum D. Denys & ad Electorem. Cùm verò nihilominus Sabran Jeſuita eamdem theſim paulò poſt Facultati Theologicæ Colonienſi denuntiaſſet, Faculas, præhabito examine, conſimile tulit judicium, ejuſque inſtrumentum authenticum dedit. 3°. Cum Henricus Noriſius à ſuis æmulis eo quoque nomine Baianiſmi inſimularetur, Jeſuitarumque ſuggeſtionibus ejus ſcripta in Indice librorum prohibitorum ab Inquiſitore Hiſpano repoſita fuiſſent, injuriam illam viro celeberrimo illatam patienter ferre non potuit S. Pontifex Benedictus XIV, eâque occaſione litteris graviſſimis Inquiſitorem reprehendit, „ cùm, inquit, Noriſiana opera Baianiſmi aut Janſeniſmi „ notâ careant, & carere conſtet poſt multiplicatum ſuper eis examen in „ hac ſuprema Inquiſitione Romana, cui ſummi Pontifices pro tempore „ exiſtentes præſuerunt, quique mox recenſita examinata ſuo calculo „ comprobarunt:“ nec prius Inquiſitorem Hiſpanum urgere deſtitit Pontifex ſapientiſſimus ac doctiſſimus, quin illata tanto viro injuria reſarcita fuiſſet. 4°. Non minori cum ſtudio idem Rom. Pontifex Laurentium Berti, non tantùm ab anonymis, ſed à duobus etiam Gallicanis Archipræſulibus Baianiſmi ac Janſeniſmi eamdem ob cauſam vehementiſſimè accuſatum, ab omni erroris ſuſpicione immunem declaravit, & adverſus ejus obtrectatores apertâ Sedis Apoſtolicæ protectione tutatus eſt. 5°. Palam eſt hanc noſtram doctrinam publicè doceri ac liberrimè propugnari, tum Romæ & in tota Italia, tum in aliis omnibus Catholicis regionibus, uti conſtat ex pluribus theſibus quæ ſingulis ferè annis in lucem prodeunt: quod certè nequaquam ſineretur, ſi per Bullam Pii V reipſâ proſcripta fuiſſet, vel etiam pro ſuſpecta haberetur.

Objiciunt 3°. Etiamſi concederetur nullum dari actum omni ex parte bonum abſque dilectione Dei, ſaltem inchoata, perperàm tamen aſſeritur nullum eſſe actum bonum, niſi qui ex radice caritatis ſurgit, quia caritatis nomen vulgò ſumitur pro ſola caritate habituali.

Nego propoſitionem, atque ad ejus probationem reſpondeo, plurimos quidem Scholaſticos caritatis nomen ſtrictiori illo ſenſu plerùmque accipere, ſed Scriptores ſacros, ſanctoſque Patres latiori ac generaliori ſen-

ſu illum accipere conſueviſſe pro quavis caſta Dei dilectione, ſive actuali, ſive habituali, ſive naſcente & inchoata, ſive adulta & robuſta, ſive in corde dominante, ſive non dominante, ut patet ex plerisque textibus ſupra productis. Eodem generali ſenſu illam uſurpat Apoſtolus, 1 Corinth. XIII, ubi declarat ſine caritate *nihil prodeſſe*. Id enim de ſola caritate habituali, quæ ſolis juſtis propria eſt, absque errore intelligi non poſſe rectè obſervat Eſtius in hunc locum. Porro non licet nobis, nec expedit recedere à *forma ſanorum verborum* ab Apoſtolis Patribusque tradita; eoque minùs quòd plurimi præſtantiſſimi Præſules & Theologi eam fideliter & conſtanter retinuerint. Et ſanè caritatis & dilectionis voces planè ſynonymas eſſe jam dudum obſervavit S. Auguſtinus lib. 15 *de Trinitate*, cap. 18. num. 32. „ Ipſa dilectio ſive caritas, „ inquit, nam unius rei eſt utrumque nomen.“ Et lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 7. num. 2: „ Nonnulli arbitrantur aliud eſſe dilectionem ſeu „ caritatem, aliud amorem. Dicunt enim dilectionem accipiendam eſſe „ in bono, amorem in malo. Sed ſcripturas Religionis noſtræ, qua„ rum auctoritatem cæteris quibusque litteris anteponimus, non aliud „ dicere amorem, aliud dilectionem ſeu caritatem inſinuandum fuit.“ Porro ſi, juxta Apoſtolum, *forma habenda* eſt *ſanorum verborum*, quantò ſollicitiùs præſtari id debet, ubi loquendi modus in Eccleſia ſemper uſurpatus ideò nonnullis diſplicet, quòd doctrina ipſa diſpliceat?

QUÆSTIO SECUNDA.

An aliqua vera virtus haberi poſſit absque caritate, ſaltem inchoata.

OMITTERE hìc non debemus D. Petitpied, virum de Eccleſia plurimis ſcriptis optimè meritum, extremis vitæ ſuæ temporibus circa hanc quæſtionem à priſtinis ſuis ſenſibus non nihil deflexiſſe, præſertim illo in opere quod inſcripſit: *Examen pacifique* &c. Quamvis enim in eo diſertiſſimè declaret, ſicut in ſuis præcedentibus operibus, teneri hominem omnes actus ſuos deliberatos ad Deum ut finem ultimum ex dilectione referre, adeòque omnem actum non ſic ad Deum relatum, ſaltem virtualiter, vitio & culpæ ſubjacere, ſimul tamen aſſeruit aliter eſſe de virtutum habitibus ſentiendum; eas quippe, tametſi non relatas in Deum ut finem ultimum & à caritate penitùs ſejunctas, veras eſſe virtutes omnique vitio carere, eoquòd, inquit, nullâ lege præcipiatur ut habi-

(Tom. 2. pag. 86 & ſeq. & pag. 155 & ſeq.)

Digitized by Google

habitus virtutum è caritatis radice pullulent, atque ad Deum dirigantur. Singularem illam Theologi alioquin celeberrimi opinionem peculiaribus argumentis non refellemus: monebimus tantùm eam ſolidiſſimè confutatam fuiſſe in prima è quinque *Epiſtolis* gallicè ſcriptis *ad Editorem Operum poſthumorum D. Petitpied*, pag. 11 & ſequent. Eam, ſi placet, conſule, nec erit inanis labor. Semotâ igitur illâ opinione, propoſitionem noſtram contra illos duntaxat dirigemus, qui de habitibus virtutum non ſecùs ac de actibus ſentiunt. Sit itaque ſequens:

P R O P O S I T I O.

Nulla vera virtus eſt, niſi procedat ex caritate ſeu dilectione Dei, ſaltem inchoata.

SEQUITUR hæc propoſitio ex præcedente. Cùm enim vera virtus ſit habitus inclinans ad actus bonos, ſi nullus actus bonus eſt ex omni parte ſine aliqua caritate, nec vera virtus eſſe poteſt ſine aliquo caritatis initio. Quia tamen maximi eſt momenti, & à multis hodie vehementer impugnatur, enitar eam ſtudioſius adſtruere: primò quidem argumentis generalibus, quæ ad virtutes univerſas pertineant, deinde argumentis unicuique virtuti peculiaribus.

Probatur argumentis generalibus virtutes quaslibet veras non eſſe abſque aliquo caritatis initio.

Probatur 1° auctoritate Scripturæ ſacræ. 1 Corinth. XIII. 2 & 3, Apoſtolus dicit: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum: & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Certè omnis vera virtus aliquid prodeſt, nullaque apud Deum omnino ſterilis eſt, ut modò docebunt SS. Patres. Cùm igitur virtus quælibet, quidquid operetur, abſque caritate nihil profit, conſequenter virtutes quælibet veræ non ſunt ſine aliqua caritate. Hoc argumentum ſic exponit Angelicus Doctor, 2. 2. quæſt. 23. art. 7, in *ſed contra*: „ Ex Apoſtolo, 1 Corinth. „ XIII, nulla virtus ſine caritate prodeſt: ſed vera virtus multùm pro- „ deſt ſecundùm illud, Sapientiæ VIII: *Sobrietatem, & juſtitiam, & prudentiam, & virtutem docet, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.* „ Ergo ſine caritate vera virtus eſſe non poteſt.“

1a Probatio è ſcripturis

Hinc Apoſtolus ibidem virtutes omnes à caritatis fonte derivat. *Caritas,*

tas, inquit, *patiens eſt*, *benigna eſt*, *caritas non æmulatur*, *omnia ſuffert*, *omnia credit*, *omnia ſperat*, *omnia ſuſtinet.*

2° Probatio ex SS. Patribus ac Theologis

Probatur II° ex SS. Patribus. Docent illi primò caritatem eſſe matrem, fontem, principium, radicem, formam, vitamque omnium virtutum. 2°. Virtutes, quæ propter ſeipſas, ſeu ob ſolam vitæ honeſtatem appetuntur, non eſſe veras virtutes. 3°. Nullas veras virtutes ſteriles eſſe apud Deum, adeòque veras non eſſe quæ caritate deſtituuntur. Hæc tria ipſorum textibus aſſerenda ſunt.

Ex Patribus caritas eſt fons & radix omnium virtutum.

S. Clemens Alexandrinus, lib. 3 *Stromatum* (pag. 447): „Nec caſti-„ tas, inquit, eſt bonum & ex virtute, niſi fiat propter dilectionem „ Dei."

Tom. 9. pag. 699.

S. Chryſoſtomus, hom. 23 in Epiſt. ad Rom. cap. XIII. 16: „ Prin-„ cipium, inquit, & finis virtutis eſt dilectio. Hanc habet radicem, „ hoc fundamentum, hoc culmen." Igitur, ſicut nec fructus eſt ſine radice, nec domus ſine fundamento, ita nec vera virtus eſt ſine caritate.

S. Auguſtinus multis modis idem adſtruit. Primò namque virtutem definit amorem Dei: quo certè expreſſius nihil deſiderari poteſt. Cùm enim definitionum id munus ſit ut rerum naturam declarent, clarum eſt amorem Dei ad veræ virtutis naturam pertinere, ſi in ejus definitione includatur. Sic loquitur S. Doctor in Epiſtola 167, al. 29, ad S. Hieronymum, cap. 4. num. 15: „ Ut generaliter breviterque complectar quam „ de virtute habeam notionem, quod ad rectè vivendum attinet, vir-„ tus eſt caritas quâ id quod diligendum eſt (Deus ſcilicet) diligitur." Et lib. 15 *de Civitate Dei*, cap. 22: „ Definitio brevis & vera virtu-„ tis, ordo eſt amoris:" id eſt, virtus in eo conſiſtit ut omnia in ordine ſuo diligantur, nempe Deus ſuper omnia & in omnibus, cætera quæcunque infra & propter ipſum.

2°. Docet virtutes, ſi per dilectionem non referantur ad Deum, non virtutes, ſed vitia eſſe. „ Tunc, inquit lib. 19 *de Civitate Dei*, cap. 10, „ eſt vera virtus, quando & omnia bona quibus benè utitur, & „ quidquid in uſu bonorum & malorum facit, & ſeipſam ad eum finem „ refert, ubi nobis talis & tanta pax erit quâ melior & major eſſe non „ poſſit." Et cap. 25: „ Virtutes quas ſibi habere (mens) videtur, „ per quas imperat corpori & vitiis ad quodlibet adipiſcendum vel te-„ nendum, niſi ad Deum retulerit, etiam ipſæ vitia ſunt potiùs quàm „ virtutes."

Eamdem doctrinam à fundamentis extruit S. Doctor, evaſioneſque quorumdam recentiorum Scholaſticorum, quæ eædem ſunt ac Pelagianorum, præcludit lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3. „ Noveris, inquit „ num. 21, non officiis, ſed finibus à vitiis diſcernendas eſſe virtutes. „ Officium autem eſt quod faciendum eſt; finis verò propter quod fa-„ ciendum eſt. Cum ergo facit homo aliquid ubi peccare non videtur, ſi „ non

Digitized by Google

„ non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur.“
Quid verò eſt illud bonum propter quod virtutis officium faciendum eſt,
niſi Deus? „ Abſit autem, inquit, ut virtutes veræ cuiquam ſerviant,
„ niſi illi, vel propter illum cui dicimus: *Deus virtutum, converte nos.*
„ Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuscunque
„ commodis & emolumentis temporalibus ſerviunt, veræ prorſus eſſe
„ non poſſunt. Quæ autem nulli rei ſervire volunt, nec ipſæ ve-
„ ræ ſunt: veræ quippe virtutes Deo ſerviunt in hominibus, à quo do-
„ nantur hominibus, Deo ſerviunt in angelis, à quo donantur & an-
„ gelis. Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit,
„ propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur
„ bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.“ Igitur, juxta S. Au-
guſtinum, ſolus Deus eſt finis ultimus virtutum; & quæcunque ad
Deum non referuntur, ſed ad quodvis aliud, vel etiam ad ſeipſas, non
rectè virtutes appellantur, earumque actus, quatenùs debito fine ultimo
carent, peccati expertes non ſunt.

Plurimum ſe torquent adverſarii ut horum textuum vim effugiant.
Reſpondent imprimis S. Doctorem voces illas *vitii* & *peccati* in latiore
quodam ſenſu uſurpaſſe pro eo omni quod non conducit ad vitam æter-
nam. Verùm unde hoc probant? Numquid S. Auguſtinus vim latinæ
linguæ ignorabat? Quis credat virtutes, quas appellat *vitia*, ab eo ha-
bitas fuiſſe pro veris virtutibus nulla ex parte vitiatis? Cur ipſi adver-
ſarii voces illas *vitii* ac *peccati* tanto cum ſtudio devitant, niſi quia lu-
ce ipſa clarius eſt ac probè norunt eas cum ipſorum opinione ſtare
nullomodo poſſe? Demum (quod planè decretorium eſt) idem jam du-
dum reſponſum fuit à Juliano Pelagiano, & à S. Doctore adeò manifeſtè re-
pulſum, ut concipi vix poſſit quâ fronte eadem reſponſio à Theologis
Catholicis denuò uſurpetur. Dicebat Julianus *virtutes omnes affectus eſſe
per quos aut fructuoſè, aut ſteriliter boni ſumus.* Sic autem vanam illam
diſtinctionem repellit egregius veritatis aſſertor, ibid. num. 22: „ Dici
„ non poteſt quantum te iſta fallat opinio, quâ dixiſti *virtutes omnes*
„ *affectus eſſe, per quos aut fructuoſè aut ſteriliter boni ſumus.* Fieri
„ enim non poteſt ut ſteriliter boni ſimus; ſed boni non ſumus quid-
„ quid ſteriliter ſumus. . . . . Nullomodò igitur homines ſunt ſteriliter
„ boni, ſed qui boni non ſunt, poſſunt eſſe alii magis, alii minùs ma-
„ li.“ . . . . . Et iterum, num. 33, Juliano dicenti: *Ego ſteriliter bonos dixi
homines, qui, non propter Deum faciendo bona quæ faciunt, non ab eo vitam
conſequuntur æternam*; reſpondet: „ Quæ videntur inter homines ha-
„ bere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bo-
„ na & ſine ullo facta peccato. Quod ad me pertinet, hoc ſcio quia
„ non ea facit voluntas bona; voluntas quippe infidelis & impia non
„ eſt bona. Dicantur, ſecundùm te, hujuſmodi voluntates arbores
„ bonæ: ſufficit quòd apud Deum ſteriles ſunt, ac per hoc non bonæ.“

Igitur Pelagiani fatebantur, non ſecùs ac recentiores, virtutes caritate deſtitutas ad vitæ æternæ conſecutionem nihil prodeſſe; ſed ultra contendit S. Auguſtinus hujuſmodi virtutes non modò apud Deum ſteriles eſſe, ſed etiam, quatenùs debito fine carent, in vitia verti; ac proinde vitii nomen, non lato & improprio, ſed proprio in ſenſu accepit.

S. Proſper, Epiſt. ad Rufinum, cap. 8: „ Sine caritate, inquit, „ Apoſtolus quantam fidem, quantamque ſcientiam, quas virtutes, quæ „ ſtudia, quos labores nihil prodeſſe teſtatur! Quia ſcilicet multa laudabilia atque laudanda poſſunt in homine reperiri, quæ ſine caritatis „ medullis habent quidem pietatis ſimilitudinem, ſed non habent veritatem.“

S. Leo magnus, Serm. 8 in Epiphania, caritatem appellat *matrem omnium virtutum;* & Serm. 10 in Quadrageſima, cap. 3: „ Nudæ ſunt, „ inquit, ſine caritate virtutes, nec poteſt dici in qualibet morum excellentia virtuoſum, quod non dilectionis partus ediderit.“

S. Cæſarius Arelatenſis, Hom. 36: „ Quomodò, ait, caro ſine anima vivere non poteſt, ſic reliquæ virtutes ſine caritate veritatem habere non poſſunt.“ Et Hom. 88: „ Quàmlibet aliquis copioſas divitias habeat, ſi caritas in illo non fuerit, nihil bonum ex illis facere poterit, quia & ſine vera cœleſtium virtutum matre & magiſtra quid facere debeat, & quando vel quantùm dare debeat, omnino non novit.“

Eſt 207 in Append. S. Auguſt.

S. Gregorius magnus, Epiſt. lib. 4, Epiſt. 40 ad Theodorum: „ Quia „ mater virtutum eſt caritas, inquit, idcircò bonos operum fructus proferitis, quia ipſam eorumdem fructuum in mente radicem tenetis.“

S. Eligius, hom. 11, dicit „ caritatem eſſe matrem, fontem, originem omnium virtutum.“

S. Joannes Damaſcenus, in caput 13 Epiſt. ad Romanos, ad hæc verba, *nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis*, ait „ matrem bonorum, & magiſtram, & factricem omnis virtutis eſſe caritatem.“

Pag. 432. S. Hildebertus Epiſcopus Cœnomanenſis, Serm. 7 in Cœna Domini: „ Caritas, inquit, eſt regina virtutum. Omnes ſerviunt caritati. Si „ aliqua virtus eſt quæ non ſit ſub caritate, deſinit eſſe virtus.“ Et

Pag. 630. Serm. 1 in S. Stephanum: „ Caritas eſt radix omnium virtutum. Pereunte itaque radice, pereunt & rami.“

S. Bernardus in tract. *de Moribus & Officio Epiſcoporum*, cap. 3. num. 9: „ Quantàlibet venuſtate ſui caſtitas eminere videatur, inquit, ſine caritate tamen nec pretium habet, nec meritum “ (adeoque nec vera virtus eſt). „ Nec mirum: quid enim abſque illa bonum ſuſcipitur? „ Fides? Sed nec ſi montes transferat. Scientia? Sed nec illa quidem „ quæ linguis hominum loquitur & angelorum. Martyrium? Sed nec

„ ſi

Digitized by Google

„ *ſi tradidero*, inquit, *corpus meum*, *ita ut ardeam*. Nec abſque illa „ quodlibet bonum ſuſcipitur, nec cum illa quàmlibet exiguum reſpui„ tur. Caſtitas ſine caritate lampas eſt ſine oleo. Subtrahe oleum, lam„ pas non lucet: tolle caritatem, caſtitas non placet."

S. Aelredus, lib. 1 *Speculi caritatis*, cap. 31, dicit „ caritatem eſſe „ oportere in omnibus virtutibus, ut virtutes ſint." Et cap. 33: „ Quidquid de radice caritatis non pullulaverit, à virtutum fructibus „ ſequeſtrandum eſſe noſtri Philoſophi cenſuerunt:" quibus verbis declarat hanc doctrinam non privatam eſſe, ſed traditam & à Patribus acceptam. Et lib. 2, cap. 1: „ Neque enim virtus dicenda eſt, inquit, „ quam radix iſta non protulerit, nec opus perfectum " (id eſt, bonum ex omni parte) æſtimabitur, quod finis iſte non concluſerit. Bibl. PP. Colon. tom. 13. pag. 18. Ibid. pag. 102.

Petrus Bleſenſis in lib. *de Caritate Dei & proximi*, cap. 1: „ Ab hac „ (caritate), inquit, omnis amor legitimus originem formamque ſorti„ tur, nec ordinata eſſe poteſt aliqua mentis affectio, niſi ab ea cau„ ſam, modum & ordinem mutuetur. Nam cùm Apoſtolus dicat, *om„ nia ſecundùm ordinem fiant in vobis*, & ipſe iterum, *omnia veſtra in „ caritate fiant*, patet ea ordinem non habere quæ in caritate non „ fiunt." Et in fine ejuſdem capitis: „ Sicut fructus à radice alimen„ tum trahit, ſic boni operis fructus, ſic ſancta devotio, ſic omne quod „ piè agitur ſuum à caritate recipit initium & progreſſum." Et cap. 11, cujus titulus eſt: *Quod omnes virtutes ex caritate ſint*: „ Illud, in„ quit, admiratione dignum eſt, quòd ſine caritate nihil eſt virtus, „ & ipſa unicuique virtuti exhibet ut virtus ſit." Pag. 519.

Huic Patrum, qui diverſis ætatibus vixerunt, concordi documento conſonant celebriores Theologi. Paucos tantùm è præcipuis appellabo.

Richardus Victorinus, lib. *de Gradibus caritatis*, cap. 1: „ Caritas, „ inquit, non tam virtus potens, quàm virtutum potentia dicenda eſt, „ eoquòd ab illa omnes accipiant ut verè virtutes ſint. Hæc eſt vita „ fidei, ſpei robur, & omnium intima vis & medulla virtutum." Quæ verba totidem ſyllabis Cardinalis Hoſius inſeruit in ſua ſuperiùs memorata *Confeſſione catholicæ fidei*, cap. 68. Pag. 350.

S. Thomas, 2. 2. quæſt. 23. art. 7, expendit *an ſine caritate poſſit eſſe aliqua vera virtus*; quæſtionem autem admodum dilucidè reſolvit. En ipſius verba: „ Patet quòd vera virtus ſimpliciter eſt illa quæ ordinat „ ad principale bonum hominis,..... & ſic nulla vera virtus eſſe po„ teſt ſine caritate. Sed ſi accipiatur virtus ſecundùm quòd eſt in or„ dine ad aliquem finem particularem, ſic dici poteſt aliqua virtus ſi„ ne caritate, in quantùm ordinatur ad aliquod particulare bonum. „ Sed ſi illud particulare bonum non ſit verum bonum, ſed apparens, „ virtus etiam, quæ eſt in ordine ad hoc bonum, non eſt vera vir„ tus, ſed falſa ſimilitudo virtutis, ſicut non eſt vera virtus avarorum „ prudentia......, Si verò illud bonum particulare ſit verum bonum,

„ pu-

Digitized by Google

„ putà conſervatio civitatis, vel aliquid hujusmodi, erit quidem vera „ virtus, ſed imperfecta, niſi referatur ad finale & perfectum bonum: „ & ſecundùm hoc ſimpliciter vera virtus ſine caritate eſſe non po- „ teſt.“

Hic triplicem virtutis ſpeciem diſtinguit Angelicus Doctor: unam cujus finis proximus malus eſt, v. g. quæ refertur ad avaritiam, aut ad vanam gloriam, vel aliquem alium pravum finem; alteram, cujus finis proximus eſt bonum aliquod particulare, v. g. conſervatio patriæ, utilitas publica, aliudve ejusdem generis, ſed quæ non refertur ad Deum ut finem ultimum & principale bonum hominis; tertiam denique, quæ per caritatem refertur ad ſummum bonum, ſcilicet Deum. Primi generis virtutem nullomodò veram virtutem dici poſſe pronuntiat, quia bonum ad quod tendit nullomodò verum eſt bonum, ſed apparens. Secundi generis virtutem dicit quidem eſſe veram ſecundùm quid, nimirùm ratione ſui objecti & finis proximi, qui eſt bonum aliquod particulare, ſed imperfectam & deficientem à rectitudine veræ virtutis, quatenùs non refertur ad ſummum & principale bonum hominis. Unde concludit non eſſe ſimpliciter veram virtutem, niſi quæ per caritatem ordinatur ad Deum ut finem ultimum; adeòque *ſimpliciter veram virtutem ſine caritate eſſe non poſſe.*

Idem inculcat in reſponſione ad primam objectionem, dicitque „ poſſe „ quidem ſine caritate eſſe aliquem actum bonum in ſuo genere“ (ſeu ex officio), „ non tamen perfectè“ (& omni ex parte) „ bonum, quia „ deeſt debita ordinatio ad ultimum finem.“ Atque ibidem, art. 8, in corp: „ Per caritatem, inquit, ordinantur actus omnium aliarum vir- „ tutum ad ultimum finem, & ſecundum hoc ipſa dat formam actibus „ omnium aliarum virtutum, & pro tanto dicitur eſſe forma virtutum.“ Ibid. ad 2: „ Caritas comparatur fundamento & radici, in quantùm „ ex ea ſuſtentantur & nutriuntur omnes aliæ virtutes.“ Et ad 3: „ Caritas dicitur finis aliarum virtutum, quia omnes alias virtutes or- „ dinat ad finem ſuum; & quia mater eſt quæ in ſe concipit ex alio, „ ex hac ratione dicitur mater aliarum virtutum, quia ex appetitu finis „ ultimi concipit actus aliarum virtutum imperando ipſos.“ Idem docet quæſt. 108. art. 2. ad 2.

S. Bonaventura in 3um Sentent. diſtinct. 23. art. 1. quæſt. 1: „ Hoc „ ſolum, inquit, fit recta intentione, quod fit ad honorem & gloriam „ Dei: ſine vero recta intentione nullus actus virtutis rectè procedit.“ Ergo absque intentione caritatis, quæ ſola intendit honorem & gloriam Dei, nulla eſt vera virtus, nullus eſt veræ virtutis actus.

Bellarminus, lib. 5 *de Juſtificatione*, cap. 15: „ Sola caritas eſt, ait, „ quæ finem ultimum ſummumque bonum tanquam objectum proprium „ reſpicit, atque ad illud movet & ordinat actus virtutum omnium re- „ liquarum. Inde eſt enim quòd ipſa ſola vera dicitur, & eſt forma

&

Digitized by Google

„ & regina virtutum, & ipſi ſoli actus virtutum omnium, tanquam „ ejus proprii eſſent, ab Apoſtolo tribuuntur: *Caritas patiens eſt, benigna eſt, omnia credit, omnia ſperat &c.*

Cardinalis Bona in libro eximio Romæ edito *de Principiis vitæ Chriſtianæ*, part. 1. §. 29: „ Omnia opera, inquit, ad Deum ejusque glo„ riam referenda ſunt, ut veræ virtutis rationem habeant." Et part. 2. §. 38, hujus ſanctæ doctrinæ fundamenta ponens: „ Virtutem, ait, „ nihil aliud eſſe quàm ordinem amoris...... viri ſapientiſſimi definie„ runt. Sunt quidem & alii affectus, ſed omnes ex amore velut ex „ fonte procedunt: & ſi eſt ordo in amore, omnes affectus ordinati „ ſunt; ſi non eſt ordo in amore, in ipſis quoque nullus ordo...... „ Non eſt enim virtus in hac vita, niſi ordinatè diligere quod diligen„ dum eſt...... Deus præ omnibus & ſuper omnia diligendus eſt,..... „ reſidua verò in ipſo & propter ipſum, ut amor noſter ordinatus ſit."

2°. Juxta SS. Patres, non ſolum illæ virtutes in vitio ſunt, quæ propter vitæ iſtius temporalis voluptates & commoda, ſed etiam illæ quæ propter ſeipſas, id eſt, propter ipſius virtutis pulchritudinem & honeſtatem appetuntur, nec ad Dei gloriam referuntur: quas tamen non pauci recentiores maximis laudibus dignas prædicant. Ex SS. Patribus virtutes, ſi ad ſeipſas referantur, veræ non ſunt.

Lactantius lib. 2 *Inſtitutionum*, cap. 12, probat non eſſe propter ſeip„ ſam virtutem expetendam, ſed propter vitam beatam quæ virtutem „ neceſſariò conſequitur."

Hanc doctrinam verè Chriſtianam magna cum luce exponit S. Auguſtinus lib. 19 *de Civitate Dei*, cap. 25. Sic ibi loquitur: „ Licet à „ quibusdam tunc veræ & honeſtæ putentur eſſe virtutes, cum ad ſeip„ ſas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ & „ ſuperbæ ſunt, & ideò non virtutes, ſed vitia judicanda ſunt." Id quidem incredibile judicat Suarez lib. 1 *de Gratia*, cap. 7: at rationi valde conſonum videbitur illis omnibus, qui primi & maximi mandati latitudinem, & quid creatura rationalis creatori ſuo, ad cujus imaginem facta eſt, debeat, ſeriò attenderint.

Idem S. Doctor, cùm adhuc junior dixiſſet in lib. 1 *contra Academicos*, cap. 2, „ beatè vivere eſſe ſecundum id quod in homine eſt opti„ mum vivere, id eſt, ſecundum mentem & rationem," dictum illud ſuum graviter reprehendit lib. 1 *Retractationum*, cap. 1. num. 2." Quan„ tùm attinet, inquit, ad hominis naturam, nihil eſt in eo melius quàm „ mens & ratio; ſed non ſecundùm ipſam debet vivere qui vult beatè „ vivere: alioquin ſecundùm hominem vivit, cùm ſecundùm Deum viven„ dum ſit, ut poſſit ad beatitudinem pervenire, propter quam conſequen„ dam non ſeipſâ debet eſſe contenta, ſed Deo mens noſtra ſubdenda eſt."

Hinc Stoicorum ſupercilium de virtutis ſtudio ſibi plaudentium, virtutemque propter ſeipſam expetendam eſſe contendentium, reprimit in Serm. 156, cap. 7. Exponens quippe illum locum Actuum Apoſtolo- Al. Serm. 13 de Verbis Apoſtoli.

rum, cap. 17, ubi S. Paulus diſſeruiſſe dicitur cum Epicureis & Stoicis Philoſophis, ſic loquitur: „ Fuerunt Philoſophi ſæculi hujus. Alii „ putarunt non eſſe beatitudinem niſi ſecundùm carnem vivere, & bo- „ num hominis in voluptate corporis poſuerunt. Iſti Philoſophi Epicu- „ rei dicti ſunt &c. Extiterunt autem alii ſuperbi, quaſi à carne ſe „ ſemoventes, & totam ſpem beatitudinis ſuæ in anima ſua conſtituen- „ tes, poſuerunt ſummum bonum in virtute ſua. Tales fuerunt Philo- „ ſophi qui Stoici dicti ſunt. Illi ſecundum carnem viventes; iſti ſe- „ cundùm animam viventes: nec iſti, nec illi ſecundùm Deum viven- „ tes.“ Et poſteà: „ Dicebat Epicureus: mihi frui carne bonum eſt. „ Dicebat Stoicus: mihi frui mente meâ bonum eſt. Dicebat autem „ Apoſtolus: mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Dicebat Epicureus: „ beatus cujus eſt in fructu volupias carnis ejus. Dicebat Stoicus: „ imò beatus cujus eſt in fructu virtus animæ ejus. Dicebat Apoſtolus: „ beatus, cujus nomen Domini ſpes ejus. Errat Epicureus; falſum eſt „ enim hominem eſſe beatum, cujus eſt in fructu voluptas carnis ejus. „ Fallitur & Stoicus; falſum eſt enim & omnino * mendoſiſſimum bea- „ tum eſſe hominem cujus eſt in fructu virtus animi ejus.“ Igitur, S. Auguſtini judicio, non minùs errarunt Stoici quàm Epicurei, tamet- ſi iſti craſſiùs, illi ſubtiliùs & honeſtiùs. Ultimus enim finis ac ſum- mum bonum hominis non magis in virtute propter ſe expetita quæren- da ſunt, quàm in corporis voluptatibus. Solus Deus eſt ad quem tam animi virtutes quàm carnis commoda referenda ſunt, quia ſolus primum principium & finis ultimus eſt, ſolus ſummum bonum, ſolus vita & beatitudo noſtra, in quo & per quem vivendum nobis eſt.

*Obſervant PP. BB. legendum eſſe *mendaciſſimum*.

Eccleſia Lugdunenſis in libro *De tenenda veritate Scripturæ*, cap. 10, eamdem veritatem adſtruit his verbis: „ Habent (omnes homines) na- „ turaliter inſitum voluntatis arbitrium, ut eodem arbitrio poſſint velle „ malum, poſſint etiam velle quædam bona, ſed humanâ affectione, ad „ humanam ſocietatem atque honeſtatem pertinentia: quæ eâdem hu- „ manâ affectione vel propter aliqua temporalia commoda appetuntur, „ vel propter ipſam ſolummodò vitæ honeſtatem. Sed..... cùm prop- „ ter temporalia bona appetuntur, ſine dubio cupiditates ſunt: cum „ propter ſolam vitæ honeſtatem, ſine dubio inflata & elata ſunt.“

Pag. 110. col. 2.

Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus, in tract. *de Virtutibus*, cap. 2: „ Hu- „ juſmodi virtus vel bonitas, inquit, via eſt: via autem non eſt quæ- „ renda propter ſe: quare non eſt quærenda ejuſmodi virtus propter ſe „ tantùm...... Ampliùs: eſto quòd aliquis quærat eam propter ſe, „ ut, eâ obtentâ, quieſcat in ea; numquid non malè faciet, cùm ſit „ natus & creatus ad majus bonum?“

Juxta SS. Patres nulla vera virtus apud Deum ſterilis eſt.

3°. SS. Patres docent nullam veram virtutem ſterilem eſſe & infruc- tuoſam apud Deum. Quod quidem non ſic intelligendum eſt, quaſi omnis actio virtuoſa mereatur de condigno vitam æternam, hoc quippe me-

meritum non niſi juſtorum eſt; ſed quòd omnis actio virtuoſa Deo placeat, diſponatque, ſaltem remotè, ad juſtitiam conſequendam. Id autem funditus evertit opinionem adverſariorum, qui, malè ſibi conſtantes, & veras ſine dilectione Dei virtutes admittunt, & eaſdem tamen omnino infructuoſas eſſe contendunt. Omni enim veræ virtuti ſuum aliquod meritum competere docet S. Auguſtinus ſuprà citatus, ubi adverſus Julianum probat virtutes apud Deum ſteriles ab illo admiſſas, aut falsò dici veras virtutes, ſi ſteriles ſunt, aut ſteriles eſſe non poſſe, ſi veræ ſunt.

Audiamus S. Gregorium magnum, lib. 26. *Moralium*, cap. 13. num. 14: „ Non enim, inquit, ante oculos Dei vacuæ tranſvolant cogitationes „ noſtræ, & nulla momenta temporis per animum tranſeunt ſine ſtatu „ retributionis." Ergo, juxta S. illum Pontificem, nulla humana & deliberata actio eſt, quæ non ſit aliquo ſenſu & ſub aliquo reſpectu vel meritoria, vel demeritoria.

Idem probat S. Thomas 1. 2. quæſt. 21. art. 4, in argumento *Sed contra*, ubi ſic loquitur: „ Eccleſiaſtis ultimo dicitur: *Omnia quæ „ fiunt adducet Dominus in judicium, ſive bonum, ſive malum*. Sed ju„ dicium importat retributionem, reſpectu cujus meritum vel demeri„ tum dicitur. Ergo omnis actus hominis bonus vel malus habet ra„ tionem meriti vel demeriti apud Deum." Hujus autem aſſertionis fundamentum hoc aſſignat ibidem, in reſponſione ad 3, quòd nempe homo teneatur ſe totum ad Deum referre. „ Homo, inquit, non or„ dinatur ad ſocietatem politicam ſecundùm ſe totum, & ſecundùm „ omnia ſua; & ideò non oportet quòd quilibet actus ejus ſit merito„ rius vel demeritorius per ordinem ad communitatem politicam; ſed „ totum quod homo eſt, & poteſt, & habet, ordinandum eſt ad Deum: „ & ideò omnis actus hominis bonus vel malus habet rationem meriti „ vel demeriti apud Deum, quantùm eſt ex ipſa ratione actûs."

Ex hoc eodem principio concludebant SS. Patres, adverſus Pelagianos & Semipelagianos, gratiam ſecundùm merita noſtra non dari, ac proinde gratiam jam non eſſe gratiam, ſi aliquid boni operis aut bonæ voluntatis eam præcedat, quia fieri nequit ut bonum opus vel bona voluntas nullius ſit apud Deum meriti. Unde S. Auguſtinus, lib. 2 *adverſùs duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 8. num. 18: „ Si, inquit, ſine „ gratia per nos incipit cupiditas boni (ſeu quodlibet boni deſiderium), „ ipſum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat „ adjutorium: ac ſic gratia non gratis donabitur, ſed ſecundùm meri„ tum noſtrum dabitur." Idem inculcat lib. 4. cap. 9; lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3; & lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 2; & S. Proſper contra Collatorem, cap. 3 & 37.

III°. Probatur denique noſtra Propoſitio rationibus Theologicis. Probatio 3ª ex rationibus Theologicis.

1°. Vera virtus dici nequit quæ caret debito fine ultimo. Porro quælibet virtus caritate penitùs deſtituta caret debito fine ultimo, cùm

 ſolius

Digitized by Google

ſolius caritatis ſit ordinare actus omnium virtutum in Deum, qui ſolus eſt finis ultimus hominis. Hanc rationem affert S. Thomas 2. 2. quæſt. 23. art. 7. ad 2. „ Cùm finis, inquit, ſe habeat in agibilibus ſicut „ principium in ſpeculabilibus, ſicut non poteſt eſſe ſimpliciter vera „ ſcientia, ſi deſit recta æſtimatio de primo & indemonſtrabili princi- „ pio, ita non poteſt eſſe ſimpliciter vera juſtitia, vera caſtitas, ſi deſit „ ordinatio debita ad finem, quæ eſt per caritatem, quantùmcunque „ aliquis rectè ſe circa alia habeat."

2°. Si quæ daretur vera virtus abſque amore Dei, maximè illa quæ propter ipſam virtutis pulchritudinem & honeſtatem expetitur. Atqui hujuſmodi virtutem, non veram, ſed vanam, ſuperbam & inflatam eſſe, non ſolùm auctoritates ſupra allatæ definiunt, ſed etiam ratio manifeſta demonſtrat. Quis namque negare poteſt maximam ſuperbiam eſſe, imò quamdam idololatriam, propriam ſuam rationem habere pro ſuprema vitæ ſuæ regula, cùm ſola Dei voluntas ſuprema ſit lex? Superbia profectò eſt in ſe ipſo ſibi complacere, cùm inter maxima vitia inanem illam complacentiam Spiritus ſanctus recenſeat. *Erunt*, inquit S. Paulus, 2 Timot. III. 2, *homines ſui amantes,..... elati, ſuperbi:* & S. Petrus, 2 Epiſt. II. 10, *audaces, ſibi placentes.* Porro quiſquis virtutem propter ſolum illius ſplendorem ſectatur, omnibus illis vitiis ſubjacet. 1°. Seipſum ſuamque humanam rationem habet pro ſuprema vitæ ſuæ regula; ſiquidem non ſupra illam aſſurgit, eique ſoli, non Deo, obtemperat. Id verò inordinatiſſimum eſſe quis non videt? Eatenùs quippe humanæ rationi deferendum eſt, quatenùs participatio quædam eſt legis æternæ & ſupremæ rationis, quæ Deus eſt. Proinde ordinem pervertit quiſquis propriæ ſuæ rationi propter ſeipſam obſequitur, nec illam ad Deum legemque æternam refert, quæ ſuprema eſt regula. Et ſanè, qui virtutem propter ſeipſam colere ſtudent, fatentur homini non licere ſecundùm carnem vivere: ſed numquid magis ei licet ſecundùm mentem ſuam vivere? Reſpondet S. Auguſtinus, lib. *de Continentia*, cap. 4. num. 11, „ diſputationem hanc agitari forſitan poſſe in ſcholis Philoſophorum " Gentilium: apud Chriſtianos autem nullum locum habere poſſe, cùm Apoſtolus, Corinthios alloquens, 1 Epiſt. cap. 2, dicat: *Cùm ſit apud vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?* Carnales utique reputans non ſolùm qui ſecundùm carnem ſeu corpus ſuum, ſed etiam qui ſecundùm mentem ſuam & ſecundùm hominem vivunt. „ Audi, homo, „ inquit S. Doctor, noli ambulare ſecundùm hominem, ſed ſecundùm „ eum qui fecit hominem. Ab eo qui fecit te noli deficere nec ad „ te...... Admonens ergo Apoſtolus hominem ne vivat ſecundum ho- „ minem, Deo reddit...... Noli ergo vivere propter te ipſum, ô ho- „ mo: inde perieras, ſed quæſitus es." Addit non de ſolo corpore hominis id intelligendum eſſe, ſed de ipſa etiam mente. „ Nam, inquit, „ dia-

Digitized by Google

„ diabolus non habet corpus, & tamen ſecundùm ſeipſum vivere vo-„ luit, in veritate non ſtetit. Quid ergo mirum, ſi ſecundùm ſeipſum „ vivens, cùm loquitur mendacium, de ſuo loquitur?“ 2°. Qui virtutem propter ſolam illius pulchritudinem & honeſtatem ſectatur, in ſeipſo conquieſcit, & ſibi complacet in amore propriæ excellentiæ. Virtutem enim ideò tantùm proſequendo, ut præſtantior ac perfectior ſit, ſuam ipſius præſtantiam & perfectionem appetit ut ſummum ſuum bonum finemque ultimum. Meritò itaque S. Auguſtinus ſupra vehementer reprehendebat Stoicos, eoquòd mente ſua frui vellent, bonumque ſuum in propria ſua virtute collocarent. Idem S. Doctor in Epiſt. 118, al. 56, ad Dioſcorum, cap. 3. num. 15, dicit: „ Cum ſeipſo quaſi ſuo „ bono animus gaudet, ſuperbus eſt.“ Epiſt. 55, al. 119, ad Januarium, cap. 10. num. 18: „ Cùm anima in ſe delectatur, nondum „ re incommutabili delectatur, & ideò adhuc ſuperba eſt; quia ſe pro „ ſummo habet, cùm ſuperior ſit Deus.“ Et lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3. num. 28: „ Ut tibi, inquit, ſic loquar, tanquam homini ho-„ mo, ... nihil eſt in creaturis..... rationali mente præſtantius. „ Unde fit conſequens ut mens bona magis ſibi placeat, magiſque ſeip-„ ſâ delectetur quàm quâlibet aliâ creaturâ. Quàm verò periculoſè, „ imò pernicioſè ſibi placeat, cùm per hoc tumeſcit typho, & mor-„ bo inflationis extollitur...... ſapit qui fatigatus fame revertitur ad „ ſemetipſum, & dicit: *Surgam, & ibo ad patrem.*“ Hinc lib. 5 *de Civitate Dei*, cap. 20, cùm eos impugnaſſet qui virtutem propter corporis voluptatem, vel propter hominum laudes ſectantur, ſtatim addit non minùs periculoſè errare illos, qui virtutem propter ſeipſam proſequendo ſibi ipſis miſerè placent. „ Nec illi, inquit, ſe ab iſta defen-„ derint fœditate, qui, cùm aliena ſpernant judicia, velut gloriæ con-„ temptores ſibi videntur, & ſibi placent. Nam eorum virtus, ſi ta-„ men ulla eſt, alio modo quodam humanæ ſubditur laudi: neque enim „ ipſe, qui ſibi placet, homo non eſt.“

Probatur 2° noſtra Propoſitio argumentis unicuique virtuti peculiaribus.

Dicemus 1° de virtutibus quas appellant cardinales; 2° de fide & ſpe theologicis; poſtremò de religione, de oratione, de metu gehennæ & de miſericordia in proximum, de quibus præcipuè contentio eſt.

Virtutes cardinales non ſunt veræ virtutes ſine caritate ſaltem inchoata.

Id expreſſè docet S. Auguſtinus lib *de Moribus Eccleſiæ Catholicæ*, cap. 15. num. 25. „ Nihil omnino eſſe virtutem affirmaverim, inquit, „ niſi ſummum amorem Dei. Namque illud quod quadripartita dici-„ tur virtus, ex ipſius amoris vario quodam affectu, quantùm exiſti-„ mo, ducitur. Itaque illas quatuor virtutes ſic etiam definire non

Digitized by Google

„ dubitem, ut temperantia ſit amor integrum ſe præbens ei quod ama-
„ tur: fortitudo, amor facilè tolerans omnia propter id quod amatur;
„ juſtitia, amor ſoli amato ſerviens, & propterea rectè dominans; pru-
„ dentia, amor ea quibus adjuvatur ab eis quibus impeditur ſagaciter
„ ſeligens. Sed hunc amorem, non cujuslibet, ſed Dei eſſe diximus,
„ id eſt, ſummi boni, ſummæ ſapientiæ, ſummæque concordiæ. Qua-
„ re definire etiam ſic licet, ut temperantiam dicamus amorem Deo
„ ſeſe integrum incorruptumque ſervantem: fortitudinem, amorem om-
„ nia propter Deum facilè perferentem: juſtitiam, amorem Deo tantùm
„ ſervientem, & ob hoc benè imperantem cæteris quæ homini ſubjec-
„ ta ſunt: prudentiam, amorem benè diſcernentem ea quibus adjuva-
„ tur in Deum, ab iis quibus impediri poteſt.“

Eamdem virtutum cardinalium definitionem tradit in Epiſt. 155, al. 52, ad Macedonium, cap. 4. num. 13 „ In hac vita, inquit, virtus „ non eſt niſi diligere quod diligendum eſt. Id eligere, prudentia eſt: „ nullis inde averti moleſtiis, fortitudo eſt: nullis illecebris, temperan- „ tia eſt: nullâ ſuperbiâ, juſtitia eſt. Quid autem eligamus, quod præ- „ cipuè diligamus, niſi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus eſt.“ Igitur, S. Auguſtini judicio, virtutes cardinales veræ virtutes non ſunt, niſi ex Dei dilectione procedant, illarumque actus ab ea imperentur.

Bibl. PP. Colon. tom. 13. pag. 98.

Idem quoque docet S. Aelredus, lib. 1 *Speculi caritatis*, cap. 3. „ Quid eſt, inquit, temperantia, niſi amor quem nulla voluptas illi- „ cit? Quid prudentia, niſi amor quem nullus error ſeducit? Quid for- „ titudo, niſi amor fortiter adverſa ſuſtinens? Quid juſtitia, niſi amor „ quodam moderamine inæqualitates hujus vitæ componens? Fide ergo „ caritas inchoatur, in cæteris virtutibus exercetur, in ſeipſa perfici- „ tur.“ Caritas ergo eſt ille amor, qui in omnium virtutum cardina- „ lium definitione comprehenditur.

Conſentit quoque Doctor Angelicus, Comment. in Epiſt. ad Galatas, cap. 3. lect. 3. Loquens enim de juſtitia, quæ una eſt è quatuor cardinalibus, hæc habet: „ Si reddas tibi & proximo quod debes, & hoc „ non facias propter Deum, magis es perverſus quàm juſtus, cùm fi- „ nem ponas in homine.“ Hæc genuina cauſa eſt propter quam actus virtutum dilectione Dei deſtituti deſinant in vitia, quòd ſcilicet qui non ex dilectione Dei & propter Deum operantur, finem ultimum actûs ſui, non in Deo, ſed in re aliqua creata conſtituant. Eamdem doctrinam invictè adſtruit S. Doctor 1. 2 quæſt. 65. art. 4. in corp. „ Cùm vir- „ tus, inquit, ordinetur ad bonum opus agendum, virtus quidem per- „ fecta“ (id eſt, vera ſub omni reſpectu) „ dicitur ex hoc quod poteſt in opus perfectè „ (& ex omni parte) „ bonum; quod quidem eſt, dum „ non ſolùm bonum eſt quod fit, ſed etiam benè fit: alioquin ſi bo- „ num ſit quod fit, non autem benè fiat, non erit perfectè bonum. „ Unde nec habitus, qui eſt talis operis principium, habebit perfectè

„ ra-

Digitized by Google

„ rationem virtutis.“ Addit autem opus non benè fieri, niſi fiat ex motivo caritatis, concluditque ſimpliciter veram non eſſe virtutem, niſi quæ ex caritatis motivo operatur.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt. Habitus moraliter boni non tantùm ex parte objecti, ſed etiam ex parte finis, ſunt veræ virtutes. Atqui virtutes cardinales, quamvis ſine ulla dilectione Dei, ſunt habitus moraliter boni, non tantùm ex parte ſui objecti, ſed etiam ex parte finis: ergo virtutes cardinales, quamvis ſine ulla dilectione Dei, ſunt habitus moraliter boni, non tantùm ex parte ſui objecti, ſed etiam ex parte finis: ergo virtutes cardinales, etiam abſque dilectione Dei, ſunt veræ virtutes.

Diſtinguo minorem. Sunt habitus moraliter boni etiam ex parte finis proximi, qui poteſt eſſe bonum aliquod particulare, concedo: ex parte finis ultimi, nego. Finis proximus virtutis eſt illud bonum ad quod virtus immediatè tendit, v. g. juſtitia in Principe eò tendit, ut omnes ejus ſubditi ſecurè ac pacatè vivant, atque ut reddatur unicuique quod ſuum eſt. Finis ultimus eſt id quod quilibet operans debet ultimò intendere. Porro ſolus Deus eſt debitus finis ultimus, ſicut ſolus eſt ſummum bonum, nec ad eum tenditur niſi per amorem.

Inſtant, ut probent veram virtutem illam eſſe, quæ expetitur propter ipſius honeſtatem. Licitum eſt, inquiunt, virtutem ſectari propter id quod Deo placet. Atqui moralis virtutis honeſtas Deo placet. Ergo licitum eſt virtutem propter ipſius honeſtatem ſectari.

Retorqueo primò argumentum. Licitum eſt virtutem ſectari propter id quod Deo placet: atqui Deo placet ut famæ noſtræ conſulamus, ut vitæ ſubſidia nobis provideamus &c: ergo licitum eſt virtutem ſectari tantummodò ut bonam nobis famam conciliemus, ut vitæ neceſſaria facilius acquiramus. Quis verò ſenſatus hujusmodi virtutem veram eſſe dixerit? Quamobrem:

2°. Diſtinguo majorem. Licitum eſt virtutem ſectari propter id quod Deo placet, ſi eo modo & ordine illud appetatur qui Deo placeat, concedo: ſecùs, nego. Porro Deo non placet, quin potiùs omnino diſplicet, ut quidlibet creatum, qualis eſt vitæ humanæ honeſtas, propter ſe & abſque ordine ad finem ultimum requiratur, quia nihil horum eſt ſummum hominis bonum. Abſit ergo ut ſentiamus quamlibet vitæ honeſtatem Deo acceptam eſſe. Ea ſola ipſi accepta eſt, quæ ab ipſo per Chriſtum nobis datur, & quæ ad ejus gloriam ordinatur. Abſit ut Deo placeant virtutes ſuperbæ & inflatæ, quæ in ſeipſis inaniter gloriantur, & quas tanquam immundas ſancti omnes abjecerunt. De hujusmodi virtutibus humano ſtudio comparatis & ad Deum non directis loquens Iſaïas, LXIV. 6: *Facti ſumus*, inquit, *ut immundus omnes nos*, &

& quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ. Et Apoſtolus Paulus juſtitiam, quam propriis viribus ex lege acquiſierat, & in qua converſatus fuerat ſine querela, omnino reſpuens, Philipp. III. 7, ait: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta,..... propter quem omnia detrimentum feci & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam, & inveniar in illo non habens meam juſtitiam quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Jeſu Chriſti, quæ ex Deo eſt juſtitia in fide.*

Inſtant iterum. Virtutem appetere propter ſeipſam, idem eſt ac juſtitiam appetere ex amore juſtitiæ. Atqui, ex Auguſtino, lex perfectè impletur quando impletur amore juſtitiæ. Ergo vera virtus eſt appetere virtutem propter ſeipſam.

Diſtinguo minorem. Lex perfectè impletur quando impletur amore juſtitiæ ſummæ & increatæ, quæ Deus eſt, concedo: quando impletur amore juſtitiæ creatæ & humanæ, nego minorem. Per amorem juſtitiæ quem ſæpiſſimè commendat S. Auguſtinus, & quo ſolo legem impleri declarat, nihil aliud intelligit S. Doctor quàm amorem ipſius Dei, qui ſumma eſt & increata juſtitia, finiſque omnis veræ juſtitiæ. Id jam ex pluribus ejus textibus ſupra allatis manifeſtum eſt, in quibus amorem juſtitiæ à dilectione Dei non diſcernit, eumque frequenter appellat *caritatem diffuſam in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.* Inſuper tract. 100 in Joannem, num. 2: *Propter Deum*, inquit, *id eſt, propter veram juſtitiam:* & Serm. 162. cap. 7. num. 9: *Amor juſtitiæ amor caritatis Chriſti.* Idcirco autem dilectionem Dei ſæpiſſimè deſignat per *amorem juſtitiæ*, ne homines ſibi ipſis illudentes & blandientes exiſtiment ſe Deum diligere, quem reipſâ non diligunt, quandiu ſummam ejus juſtitiam juſta omnia præcipientem, & injuſta omnia vetantem, non diligunt. Quapropter in libro *de Catechizandis rudibus*, cap. ultimo, ſic loquitur: „ Amandus eſt Deus,..... ſicut amator ſapientia, & veritas, & ſanctitas, & juſtitia, & caritas,..... non quemadmodum ſunt iſta in hominibus, ſed quemadmodum in ipſo fonte „ incorruptibilis & incommutabilis ſapientiæ.“

Al. Serm. 15 de Verbis Apoſtoli.

Fides & ſpes theologicæ non ſunt ſine aliquo ſaltem caritatis initio.

Hujus propoſitionis probationi nonnulla ſunt præmittenda.

Nonnulla obſervatu digna præmittuntur.

Primum eſt Theologos fidem & ſpem, ſicut & virtutes morales, dividere in *formatas* & in *informes.* Formatas illas appellant quando à caritate habituali & ſanctificante derivantur, quales ſunt in juſtis; informes verò, quando caritate habituali deſtituuntur, quales ſunt in peccatoribus & in pœnitentibus nondum cum Deo per remiſſionem peccatorum reconciliatis.

Obſervandum eſt 2° fidem informem confundi non debere cum fide mortuâ, & omni prorſùs vitæ ſpiritualis initio deſtitutâ. Fides quippe non

non operatur ſine aliqua vita ſaltem inchoata: operatur autem in pœnitentibus pios actus, quibus ad recipiendam juſtificationis gratiam diſponuntur. Unde rectè monet Eſtius in Epiſt. S. Jacobi, III. 26, „ ex „ ſententia illius Apoſtoli, non eſſe fidem mortuam in bono catechume- „ no & in fideli pœnitente, dum per bona opera dignosque pœnitentiæ „ fructus aſpirant ad gratiam baptiſmi vel reconciliationis. Non enim „ eſt, inquit, illa fides ſine operibus, quam ſolam Apoſtolus mortuam „ vocat. Vivens igitur eſt, atque (aliquo ſenſu) formata, etſi nondum „ illâ caritate quæ eſt amicitia hominis cum Deo, tamen eâ ſaltem quâ „ Deus tanquam juſtitiæ fons, & quidem ſicut oportet, diligitur,..... „ quanquàm reſpectu caritatis gratificantis, quæ amicitia cum Deo eſt, „ & ab ipſo nondum habetur, informem eam dici poſſe non negamus.“

His poſitis, duo hìc in quæſtionem veniunt: primum, an fides & ſpes poſſint eſſe omnino mortuæ, & absque ullo prorſus caritatis initio: alterum, an ſine aliquo ſaltem caritatis initio ſint veræ & Chriſtianæ virtutes.

Primum facilè ſolvitur quantùm ad fidem. Datur enim in multis, qui Chriſtiani dicuntur, fides merè ſpeculativa, quæ intellectum tantummodò afficit, absque ullo piæ voluntatis affectu, imò cum odio quodam veritatum revelatarum quas credunt. Obſervat autem idem Eſtius in 2 Sentent. diſtinct. 26. §. 13, hujusmodi „ fidem conſiſtere, „ non modò ſine caritate (habituali), quod inter omnes Catholicos „ convenit, verùm etiam ſine dilectione imperfecta, id eſt, ſine bona „ voluntate ejusve initio.“ Id probatur tum ex cap. XIII Epiſtolæ I ad Corinthios, & ex Epiſtolæ B. Jacobi cap. II, ubi fides commemoratur inutilis ad ſalutem & omnino mortua, tum exemplo nonnullorum induratorum, in quibus remanet aſſenſus ſpeculativus rebus revelatis, quamvis omnem ſanctæ dilectionis ac pietatis ſenſum exuerint. Nec obſtat quòd fides etiam merè ſpeculativa includat voluntatem ſubmittendi judicium ſuum auctoritati divinæ; fatemur enim cum Eſtio, ibidem, „ eatenus fidem eſſe ſemper cum aliqua bona voluntate, quatenùs vo- „ luntas ſubmittens ſe divinæ auctoritati imperat intellectui credenda; „ qui voluntatis actus in ſuo genere (ſeu ratione objecti) bonus eſt: „ verùm in particulari non ſemper id facit voluntas ex pio in Deum „ affectu, quem nos hoc loco bonam voluntatem & dilectionem voca- „ mus.“ Porro hujusmodi fides nec vera, nec Chriſtiana virtus dici poteſt.

De ſpe paulò plus eſt difficultatis. Ejus quippe objectum ſunt bona divinitus promiſſa, nimirum gratia, remiſſio peccatorum, amicitia cum Deo, vita æterna, ipſa etiam vitæ hujus temporalis ſubſidia, prout conducere poſſunt ad ſalutem. Hæc autem omnia ſperari nequeunt niſi deſiderentur, nec deſiderari ſine dilectione Dei, quam dilectionem caritatis eſſe modò probabimus. At non rarò contingit homines non id om-

omne quod à Deo promiſſum eſt, nec eo modo & ordine quo promiſſum eſt, ſed planè diſpari aut etiam oppoſito deſiderare ac ſperare. Sic multi ſperant bona temporalia abſque ullo ordine ad vitam æternam; vel beatitudinem æternam appetunt, non prout eſt caritatis perfectio Deique ſecura fruitio, ſed ut jucundiſſimam felicitatem confuſè apprehenſam; vel peccatorum ſuorum veniam ſe conſecuturos confidunt abſque ullo vero ac ſincero propoſito vitam emendandi. Hujuſmodi ſpem abſque ullo caritatis initio ſtare poſſe non diffiteor; ſed abſit ut vera & Chriſtiana ſpes cenſeatur, etiam ex parte objecti, quæ vel mera præſumptio eſt, vel carnalis cupiditas! Quemadmodum enim vera fides nullomodò dicenda eſt, quæ vel non aſſentitur omnibus à Deo revelatis, vel eis non aſſentitur propter auctoritatem Dei revelantis, ita nec ſpes vera & Chriſtiana dicenda eſt, quæ vel non ſperat omnia à Deo promiſſa, vel ea aliter ſe conſecuturam confidit quàm promiſſa ſunt. Quamobrem, ſimpliciter & abſolutè loquendo, ſpes Chriſtiana concipi non poteſt ſine aliquo amore Dei.

Verùm remanet alia quæſtio magno animorum æſtu nunc agitata, utrùm fides & ſpes Chriſtianæ ſtare poſſint abſque ulla caritate, ſaltem inchoata. Multi recentiores, quos inter eminent Joſephus Languet, & Doctor quidam Pariſienſis in Epiſtolis ad D. Riballier Facultatis Theologicæ Syndicum, fatentur quidem fidem & ſpem non eſſe ſine aliquo amore Dei, ſed contendunt amorem illum non eſſe amorem caritatis, ſed alium quemdam à caritate ſpecie diverſum; adeò ut tres diſtinguant amores Dei planè diverſos, amorem ſcilicet ex quo naſcitur fides, amorem ſpei, & amorem caritatis. Cæteri verò omnes Theologi, quibus adſtipulamur, conſtanter docent fidem ac ſpem Chriſtianam ſemper includere aliquod ſaltem initium caritatis, ſeu dilectionis Dei propter ſe.

Aſſerimus itaque 1°, de fide & ſpe conjunctim, *eas ſemper includere aliquod ſaltem initium caritatis, ſeu caſtæ dilectionis.*

Probatur propoſitio de fide & ſpe conjunctim.

Apoſtolus, 1 Corinth. XIII, utramque à caritate derivari declarat, cùm dicit, *caritas omnia credit, omnia ſperat*, ſimulque docet amorem Dei, quo creditur & quo ſperatur, non eſſe amorem à caritate ſpecie diverſum.

S. Auguſtinus pariter aſſerit rectam fidem rectamque ſpem non eſſe abſque caſta Dei dilectione. Sic loquitur *Enchiridii* cap. 8. num. 2: „ De „ amore quid dicam, ſine quo fides nihil prodeſt? Spes verò ſine amore „ eſſe non poteſt...... Propter quod Apoſtolus Paulus fidem, quæ per „ dilectionem operatur, approbat atque commendat; quæ utique ſine ſpe „ eſſe non poteſt. Proinde nec amor ſine ſpe, nec ſine amore ſpes, nec utrumque ſine fide.“ Et cap. 117, num. 31: „ Cùm quæritur, inquit, „ utrùm quiſque ſit homo bonus, non quæritur quid credat aut quid ſpe- „ ret, ſed quid amet. Nam qui rectè amat, procul dubio rectè credit & „ ſperat. Qui verò non amat, inaniter credit, etiamſi vera ſint quæ cre- „ dit;

Digitized by Google

„ dit; inaniter ſperat, etiamſi ad veram felicitatem doceantur pertinere „ quæ ſperat.“ Profectò fides & ſpes verè Chriſtianæ inanes eſſe non poſſunt: inanes autem eſſent, juxta S. Auguſtinum, ſi à dilectione Dei eſſent ſejunctæ. Ergo ambæ illæ virtutes theologicæ ſemper includunt dilectionem Dei, ſaltem inchoatam.

S. Aelredus, lib. 1 *Speculi caritatis*, cap. 31, & Petrus Bleſenſis in tractatu *de Caritate*, cap. 11, eiſdem verbis loquentes: „ Nec fides, „ inquiunt, virtus eſt, niſi per dilectionem operetur: nec ſpes virtus „ eſt, niſi quod ſperatur ametur.“ Biblioth. PP. Colon. tom. 14. pag. 98. col. 1.

S. Thomas hanc materiam ex inſtituto tractat, 1. 2. quæſt. 65. art. 4, cujus titulus hic eſt: *Utrùm fides & ſpes poſſint eſſe ſine caritate:* quod quidem de caritate habituali & juſtificante, juxta communem S. Doctoris loquendi morem, intelligendum eſſe fateor. Sic autem quæſtionem reſolvit: „ Fides & ſpes dupliciter conſiderari poſſunt: uno modo ſe„ cundùm inchoationem quamdam virtutis; alio modo ſecundum eſſe „ virtutis“ (id eſt, ſecundùm quòd ſunt formatæ & vitæ æternæ de condigno meritoriæ). „ Cùm enim virtus ordinetur ad bonum opus „ agendum, virtus quidem perfecta dicitur ex hoc quod poteſt in opus „ perfectè bonum“ (ſeu vitâ æternâ dignum); „ quod quidem eſt dum „ non ſolùm bonum eſt quod fit, ſed etiam benè fit“ (eoque modo qui beatitudinem æternam mereatur): „ alioquin non erit perfectè bo„ num; ùnde nec habitus, qui eſt talis operis principium, habebit per„ fectè rationem virtutis“ (in eo poſitam quòd habentem juſtum faciat cœleſtique præmio dignum). „ Sic igitur fides & ſpes ſine carita„ te (habituali & juſtificante) poſſunt quidem aliqualiter eſſe; per„ fectæ autem virtutis rationem ſine caritate (illâ habituali) non ha„ bent. Cùm enim opus fidei ſit credere Deo, credere autem ſit alicui „ propriâ voluntate aſſentire, ſi non debito modo velit“ (id eſt, eo modo qui remunerationem æternam ex condigno mereatur), „ non „ erit opus fidei perfectum: quòd autem debito modo (mox expoſito) „ velit, hoc eſt per caritatem quæ perficit voluntatem.... Sic „ igitur fides eſt quidem ſine caritate (habituali), ſed non perfecta „ virtus...... Et ſimiliter dicendum eſt de ſpe; nam actus ſpei eſt ex„ pectare futuram beatitudinem à Deo, qui quidem actus perfectus eſt „ ſi fiat ex meritis quæ quis habet,“ (id eſt, ſi fiat ab homine juſto, Dei amico, meritaque de condigno jam conſecuto): „ quod non poteſt „ eſſe ſine caritate (habituali). Si autem expectat ex meritis quæ non„ dum habet, ſed proponit in futurum acquirere“ (hoc eſt, ſi actus ille ſpei eliciatur ab homine nondum reconciliato), „ erit actus imper„ fectus, & hoc poteſt eſſe ſine caritate (habituali). Et ideò fides & „ ſpes poſſunt eſſe ſine caritate (habituali); ſed ſine (illa) charitate „ propriè loquendo virtutes non ſunt:“ id eſt, ut ſuperiùs dixit, non ha-

Digitized by Google

habent rationem perfectæ virtutis, quæ ſit vitæ æternæ meritoria de condigno.

Scio equidem, & jam præmonui ac ſæpiùs obſervavi, S. Doctorem ibi manifeſtè loqui de caritate habituali, quæ eſt propria juſtorum: ſed non idcirco minùs intentum noſtrum tenemus. Eodem quippe modo judicandum eſt, proportione ſervatâ, de *inchoatione virtutum*, ut ipſe loquitur, ac de illarum perfectione, & de actibus virtutum ut de illarum habitibus. Ergo, ſi fides & ſpes non ſunt virtutes perfectæ ſine caritate perfecta & habituali, non ſunt etiam virtutes inchoatæ absque caritate actuali & inchoata. Pariter ſi habitus fidei & ſpei non habent perfectè rationem virtutis, niſi per caritatem habitualem & perfectam formentur, ita nec earum actus habent rationem veræ virtutis inchoatæ ſine caritate actuali imperfecta ſive inchoata.

Expreſſè etiam id docet Boſſuetus in *Juſtificatione Reflexionum Moralium*, §. 20. Sic ibi loquitur doctiſſimus Præſul: „ C'eſt un langage „ établi de comprendre ſous la charité tout ce qui prépare à la rece- „ voir, & tout ce qui eſt donné de Dieu par rapport à elle, comme le „ ſont certainement la foi & l'eſperance." Et cum iſta retuliſſet verba auctoris Reflexionum Moralium: *Qui peut préparer la voie à la charité, ſi ce n'eſt la charité même?* ſtatim ſubdit: „ A quoi il n'y auroit rien „ à ajouter pour une pleine expreſſion de la charité, ſi non que la cha- „ rité qui ouvre la porte à la juſtification, eſt une charité commen- „ cée, qui acheve de juſtifier le pécheur quand elle eſt dans la perfec- „ tion." Tollitur ergo, inquit, omnis ambiguitas, ſi dicatur „ que „ rien ne peut préparer la voie à la charité, que la charité même, la „ charité commencée à la charité habitante & juſtifiante." Unde paulò poſt ſic concludit: „ Cette queſtion ſur l'amour du moins commencé „ n'a aucune difficulté dans le ſond, & les Théologiens en convien- „ droient aiſément, s'ils vouloient s'entendre."

Et in Tractatu *de Dilectione Dei*, quem ad omnes diœceſis ſuæ Parochos & Sacerdotes *Epiſcopalis Reſponſi* nomine deſtinavit, poſtquàm de fide & ſpe juſtificationi præviis multa eruditè diſſeruit, his verbis concludit: „ Hæc igitur omnia caritatem ſpirant, ut profectò qui nullam „ piæ dilectionis, idem quoque nullam fidei ac ſpei rationem habeat."

Non minùs disertè idem profeſſi ſunt centum Galliarum Epiſcopi, qui Corpori Doctrinæ anno 1720 edito ſubſcripſerunt. Cùm enim præmiſiſſent, art. 4, vocem *caritatis* duplici ſenſu ſumi poſſe, ſcilicet vel pro omni amore Dei, ſive actuali, ſive habituali, ſive inchoato tantùm, ſive dominante, ſive prout in peccatoribus eſſe poteſt, ſive prout juſtorum proprius eſt, continuò declarant fidem & ſpem ſejungi quidem poſſe ab amore Dei ſumpto in hac altera ſignificatione (quod Catholici omnes confitentur), at fidem & ſpem ſemper includere aliquem amo-

„ rem

„ rem Dei (ſeu aliquam caritatem) in prima ſignificatione accep-
„ tum."

Et certè nemini dubium eſſe poteſt quin fides & ſpes ſint gratiæ Chriſti, gratiæ novi teſtamenti proprium donum. Porro ſupra probatum eſt gratiam Chriſti, gratiam novi teſtamenti eſſe *inſpirationem dilectionis, ut cognita ſanćto amore faciamus, quæ propriè gratia eſt*, ut definit S. Auguſtinus. Ergo fides & ſpes Chriſtiana non poſſunt eſſe ſine aliquo caſtæ dilectionis afflatu. Differt. I.

Quod verò adverſarii effutiunt de triplici amore Dei ſpecie diverſo, uno quidem qui ad fidem, altero qui ad ſpem, tertio qui ad caritatem pertineat, planè commentitium eſt. Nullum hujuſcemodi diſtinctionis veſtigium reperire poſſunt neque in Scripturis, neque in SS. Patribus. Immo quemadmodùm unum eſt dilectionis mandatum, quod totum cor, totam voluntatem hominis ſibi vindicat, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ita unica eſt legitima Dei dilectio illo mandato imperata. Qui ergo finguntur Dei amores ab amore caritatis ſpecie diſtincti, hoc ipſo legitimi non eſſent, ut pote qui aliquid detraherent de plenitudine caritatis, quæ, ut ait S. Auguſtinus, *nullum à ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur*. Diſtingui quidem per mentem poſſunt in amore Dei, ſicut & in ipſo Deo, varii quidam reſpectus. Deus quippe, quanquàm ſimpliciſſimus, conſiderari poteſt vel ut in ſe ſummè bonus; vel ut ſummum bonum noſtrum finiſque ultimus; vel ut ſumma veritas fallere aut falli neſcia; vel ut ſuprema & ſempiterna lex jubens quidquid juſtum eſt, vetans quidquid malum; vel ut æternus virtutis remunerator & peccati vindex; vel ut fons & origo cujuslibet boni creati &c. Verùm ſicut omnia illa attributa unum & idem ſunt in Deo, ſuntque ipſe Deus, ita in amore Dei conſiderari poſſunt diverſi reſpectus: ſed non ideò Deus per partes, ut ita dicam, ſed, totus quantus eſt, uno vero & recto amore diligitur, ex quo unico amore omnia vitæ Chriſtianæ diverſa officia dimanant.

Poſtquàm de fide & ſpe conjunctim diximus, reſtat nunc ut de ſingulis dicamus, ac primò quidem de fide ſpeciatim.

Fides Chriſtiana non eſt ſine aliquo caritatis ſeu ſanćtæ dilectionis initio.

Probatur multiplici argumento, ac primò quidem ab ipſa formula actûs fidei Chriſtianæ, quæ ſic incipit: *Credo in Deum:* quibus verbis profitemur nos non tantùm credere Deum unum eſſe, nec tantummodò credere Deo revelanti, ſed etiam *credere in Deum*. Credere autem in Deum quid aliud eſt, quàm ad eum moveri & accedere per amorem, uti exponit S. Auguſtinus lib. I *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 3. num. 6, & cap. 19. num. 37, nec non in lib. *de Prædeſtinatione ſanćtorum*, cap. 8. num. 15; quin etiam Chriſtus ipſe, Joann. VI. 44, ubi de fide Probatur propoſitio de fide ſpeciatim.

Digitized by Google

ſide loquens: *nemo*, inquit, *poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum?* Porro ad Chriſtum non itur, non venitur ſine caritate ſaltem inchoata. Hinc S. Auguſtinus, tract. 29 in Joannem, num. 6, exponens hæc Chriſti verba: *hoc eſt opus Dei ut credatis in eum quem ille miſit*, ſic loquitur: „ Quid eſt credere in Deum? Credendo ama-„ re, credendo diligere, credendo in eum ire. Ipſa eſt fides quam de „ nobis exigit Deus." Et Serm. 144. cap. 2: „ Multùm intereſt utrùm „ quiſque credat ipſum eſſe Chriſtum, & utrum credat in Chriſtum. „ Nam ipſum eſſe Chriſtum & dæmones crediderunt, nec tamen in „ Chriſtum dæmones crediderunt. Ille enim credit in Chriſtum, qui & „ ſperat in Chriſtum, & diligit Chriſtum. Nam ſi fidem habet ſine „ ſpe & dilectione, Chriſtum eſſe credit, non in Chriſtum credit. Qui „ ergo in Chriſtum credit, credendo in Chriſtum, venit ad eum Chriſ-„ tus, & quodammodò unitur in eum, & membrum in corpore ejus „ efficitur: quod fieri non poteſt niſi & ſpes accedat & caritas."

Al. Serm. 6. de Verbis Domini

S. Bernardus, Serm. 45 de Diverſis, num. 5, eiſdem ferè verbis utens ac S. Auguſtinus: „ Credere in Deum, inquit, eſt in eum ſpe-„ rare & eum diligere."

S. Thomas, in cap. 4 Epiſt. ad Rom. lect. 1: „ Credere in Deum, „ inquit, demonſtrat ordinem fidei ad finem, qui eſt per caritatem. „ Nam credere in Deum eſt credendo in Deum ire, quod caritas facit."

Et certè, ut quis veraciter dicere poſſit, *credo in Deum*, ſatis non eſt eum ſpeculativè aſſentiri veritatibus revelatis, ſed, juxta omnes Catechiſmos catholicos, neceſſe eſt *ut fiduciam ſuam in Deo collocet, eumque habeat ut ſummum ſuum bonum finemque ultimum;* quod certè ſine aliquo ſaltem tenui caritatis motu fieri nequit. Non enim inde concludas eos, in quibus caritas nondum habitat nec dominatur, Symbolum non poſſe veraciter recitare. Nam quamvis juſti, quorum in cordibus regnat Dei dilectio, multò majori cum fiducia profiteantur ſe credere in Deum, tamen qui quantulumcunque caritatis initium habent idem veraciter quoque dicere poſſunt, quatenus Deum, imperfectè quidem, ſincerè tamen diligere incipiunt, eoque affectu deſiderant eum ſuper omnia diligere.

II°. SS. Patres docent fidem eſſe non poſſe ſine bona voluntate, adeòque ſine aliqua caſta Dei dilectione. Quid eſt enim *bona voluntas*, *niſi caritas*, ait S. Auguſtinus lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 21? Enimverò fides Chriſtiana, ut diximus, non intellectum tantummodò illuſtrat, ſed cor ipſum intimè afficit. Unde S. Petrus, Act. XV, loquens de Gentilibus ad fidem converſis: Deus, inquit, *nihil diſcrevit inter nos & illos*, FIDE PURIFICANS CORDA EORUM; & S. Paulus, Rom. X. 10: CORDE CREDITUR *ad juſtitiam.* Unde rectè concludunt Patres, Concilia & Theologi fidem Chriſtianam nunquam eſſe ſine aliquo ſaltem bonæ voluntatis ſeu caritatis initio.

S. Au-

S. Auguſtinus Epiſt. 217, al. 107, ad Vitalem, cap. 7. num. 29: „ Tu, ait, initium fidei, ubi eſt etiam initium bonæ, hoc eſt, piæ voluntatis non vis eſſe donum Dei. Et Epiſt. 120, al. 222, ad Conſentium, cap. 2. num. 8: „ Pia fides ſine ſpe & caritate eſſe non po- „ teſt.“

S. Leo magnus, Serm. 44, qui eſt 7 in Quadrageſima, cap. 2: „ Ca- „ ritas, inquit, robur fidei, fides fortitudo eſt caritatis, & tunc verum „ nomen & verus fructus eſt amborum, cum inſolubilis utriuſque ma- „ net connexio...... Ubi enim non ſimul fuerint, ſimul deſunt; quia „ invicem ſibi & juvamen & lumen ſunt, donec incommutabiliter vi- „ deatur & ametur, quod nunc & ſine fide non diligitur, & ſine di- „ lectione non creditur.“

Concilium Arauſicanum II, can. 7, ſic decernit: „ Si quis homi- „ nem...... evangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat abſque „ illuminatione & inſpiratione Spiritûs ſancti, qui dat omnibus ſuavi- „ tatem in conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu.“ Quænam eſt autem in mente S. Auguſtini, ex quo canon ille deſumptus eſt, *ſuavitas illa in credendo veritati*, niſi dilectio veri & ſummi boni per fidem ſeſe revelantis?

Concilium Tridentinum, ſeſſ. 6 *de Juſtificatione*, deſcribens varios actus qui viam ad juſtitiam præparant: „ Diſponuntur, inquit, ad ipſam „ juſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu con- „ cipientes, LIBERÈ MOVENTUR IN DEUM, credentes vera eſſe quæ „ divinitùs revelata & promiſſa ſunt.“ Ergo, juxta Patres illius œcumenicæ Synodi, ipſum fidei Chriſtianæ initium non eſt abſque libero motu voluntatis in Deum. Voluntas autem non movetur niſi amore, nec movetur in Deum ſine amore Dei.

S. Thomas, 2. 2. quæſt. 5. art. 2, ad 2: „ Fides, inquit, quæ eſt „ donum gratiæ, inclinat hominem ad credendum ſecundum aliquem „ affectum boni, etiamſi ſit informis; unde fides, quæ eſt in dæmo- „ nibus, non eſt donum gratiæ:“ quia ſcilicet non oritur ex hoc pio affectu boni, qui eſt proprium gratiæ donum, & qui ad caritatem pertinet.

III°. Abſit ut ſentiamus fidem verè Chriſtianam nihil eſſe, nihil prodeſſe. Atqui, Apoſtolo docente 1 Corinth. XIII, omnis fides, ita ut montes transferat, ſine caritate *nihil* eſt, *nihil prodeſt*. Nec dicas eo ſenſu fidem nihil prodeſſe, quòd ex ſe non faciat hominem juſtum & vitâ æternâ dignum. Nam peccator, qui ex fide & ex caritate adhuc tenui & imperfecta dolet de peccatis, pioſque actus operatur, nondum juſtitiam adeptus eſt. Nemo tamen, niſi graviſſimè errando, dixerit fidem nihil ei prodeſſe. „ Quis dixerit, inquit Eſtius in hunc locum, cate- „ chumenum ſeu pœnitentem ferventer Deum orantem, jejunantem, „ eleemoſynas largientem, peccatorum ſuorum veniam cum vera eorum „ de-

Digitized by Google

„ deteſtatione, cumque ſpe & fiducia requirentem, juxta Pauli mentem & doctrinam, nihil eſſe, atque hæc omnia nihil ei prodeſſe?"

Docent pariter Patres & Concilia fidem caritate penitùs deſtitutam nihil prodeſſe.

S. Auguſtinus, lib. 15 *de Trinitate*, cap. 18. num. 32: „ Ipſam fidem, ait, non facit utilem niſi caritas. Sine caritate quippe fides poteſt quidem eſſe, ſed non & prodeſſe. Propter quod & Apoſtolus Paulus: *In Chriſto Jeſu*, inquit, *neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per dilectionem operatur.*"

S. Bernardus, Epiſt. 107 ad Thomam Præpoſitum de Beverlâ, num. 9, pariter declarat „ nec fidem valere, ſi non operatur ex dilectione."

Concilium Senonenſe anni 1528, decreto 16 *de Fide & operibus*, pronuntiat, „ quandoquidem fides ſine operibus mortua eſt, tunc demum utilem eſſe ad ſalutem, cùm per dilectionem operatur."

Hæc & alia hujuſmodi teſtimonia, quibus abundant ſcripta Patrum, quid aliud ſignificant, niſi fidem ſine dilectione non eſſe virtutem verè Chriſtianam? Quis enim Chriſtianus ſentiat fidem verè Chriſtianam, quamvis adhuc debilem & imperfectam, inanem & inutilem eſſe?

IV°. Omnis vera virtus ordinatur & inclinat ad benè operandum, ut docet S. Thomas, 1. 2. quæſt. 65. art. 4, in corp. Atqui fides omni caritate vacua non inclinat ad benè agendum, ſed mortua eſt, ut teſtatur S. Jacobus Apoſtolus, Epiſt. II. 14. *Quid proderit*, inquit, *ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat*? Et v. 26: *Sicut corpus ſine anima mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Fidem verò non operari niſi per dilectionem ſeu caritatem, expreſſè declarat S. Paulus, Galat. V. 6. Cùm ergo fides nec vera virtus ſit, ſi non operetur, nec operetur niſi per dilectionem, conſequens eſt fidem ſine dilectione veram Chriſtianamque virtutem non eſſe.

Hanc conſecutionem confirmant SS. Patrum dicta.

Al. Serm. 13 de Verbis Apoſtoli.

S. Auguſtinus, Serm. 156. cap. 5: „ Fides, ait, benè operari non poteſt niſi per dilectionem." Et Serm. 53. cap. 10. num. 11: „ Ipſa fides (quæ diſcernitur à fide dæmonum) definita eſt, quæ per dilectionem operatur. Tolle fidem, perit quod credis: tolle caritatem, perit quod agis: fidei enim pertinet ut credas, caritati ut agas. Si enim credis & non amas, non te moves ad bonum opus; & ſi moves, ut ſervus moves, non ut filius, timendo pœnam, non amando juſtitiam. Illa ergo fides mundat cor, quæ per dilectionem operatur.

S. Leo, Serm. 9. num. 4: „ Hæc virtus (caritas) omnes facit utiles eſſe virtutes, quæ ipſam quoque fidem, ex qua juſtus vivit, ſuî admixtione vivificat." Porro ſi caritas fidem vivificat, ergo ſine caritate fides mortua eſt, nec quidquam boni operatur.

S. Bernardus, Serm. 1 in Tempore Paſchali, num. 1: „ Sicut corporis hujus vitam ex motu ſuo dignoſcimus, ita & fidei vitam ex operibus

Digitized by Google

„ ribus bonis. Itaque vita quidem corporis eſt anima, per quam mo-
„ vetur & ſentit: vita verò fidei caritas eſt, quia per illam operatur,
„ ſicut in Apoſtolo legis: *fides quæ per dilectionem operatur.* Unde &
„ refrigeſcente caritate fides moritur, ſicut corpus animâ recedente."
Et Serm. 24 in Cantica, num. 7: „ Quid fides quæ non operatur ex
„ dilectione, niſi cadaver exanime?" Et in tractatu *de Moribus & Officio Epiſcoporum*, cap. 4. num. 14: „ Mortuam fidem Apoſtolus defi-
„ nit eam quæ ſine operibus eſt, id eſt, quæ non operatur per dilec-
„ tionem, quaſi non habens animam ipſam dilectionem, quâ vegetetur
„ & moveatur ad opera."

Petrus Bleſenſis in tract. *de Dilectione Dei & proximi*, cap. 2: „ Illa
„ fides vivit quæ per dilectionem operatur. Eſt ergo caritas vita fidei,
„ quâ refrigeſcente fides moritur, ſicut corpus recedente ſpiritu."

Et ſanè quid in homine operatur, niſi amor? Tolle amorem, ceſſat omnis motus, omnis operatio: pone amorem creaturæ, operatur homo, ſed malè: pone amorem Dei, tunc rectè operatur. Igitur fides capax non eſt rectæ operationis, niſi moveatur à caritate. Quamobrem SS. Patres, cum definiunt nihil boni fieri poſſe ſine fide Chriſti, non intelligunt fidem inanem & à dilectione Dei ſejunctam, ſed fidem quæ per dilectionem operetur. „ Agnoſce, inquit S. Auguſtinus Julianum alloquens, lib. 4 contra ipſum, cap. 3. num. 33, „ eum qui non facit
„ opera bona intentione fidei bonæ, id eſt, ejus quæ per dilectionem
„ operatur, totum quaſi corpus, quod illis, velut membris, operibus
„ conſtat, tenebroſum eſſe, hoc eſt, plenum nigredine peccatorum."

V°. In dæmonibus nulla profectò eſt vera virtus. Porro fidem omni dilectione Dei & bonis operibus deſtitutam non differre à fide dæmonum, declarat S. Jacobus, Epiſt. II. 19, inquiens: *Tu credis, quoniam unus eſt Deus, benè facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt.* Idem quoque aſſerunt ſancti Patres.

S. Auguſtinus id inculcat plurimis in locis. Sic loquitur Serm. 53, cap. 11: „ Diſcernenda eſt fides noſtra à fide dæmonum: fides enim
„ noſtra mundat cor; fides autem illorum reos facit...... *Fide*, inquit,
„ *mundans corda eorum:* ſed qua fide, quali fide, niſi quam definit
„ Apoſtolus Paulus, ubi ait: *fides quæ per dilectionem operatur?* Iſta
„ fides diſcernit à fide dæmonum." Enarrat. in Pſalm. 49, num. 2:
„ *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, dicit Petrus. *Scimus quis ſis: tu es*
„ *Filius Dei*, dixerunt dæmones. Parem invenio confeſſionem, ſed non
„ parem invenio dilectionem; imò verò hìc dilectionem, ibi timorem.
Tract. 6 in Joann. num. 21: „ Confitebantur & dæmones Chriſtum.
„ Ergo credendo, ſed non diligendo dicebant: *Quid nobis & tibi?* Fi-
„ dem habebant, caritatem non habebant: ideò dæmones erant. Noli
„ de fide gloriari: adhuc dæmonibus comparandus es." Tract. 20 in Epiſt. 1 Joann. num. 1: „ Fides Chriſtiani cum dilectione eſt, dæmonis

 „ au-

„ autem ſine dilectione." Similia videre eſt Enarrat. in pſalm. 130, num. 1; Epiſt. 194, al. 105, ad Sixtum, cap. 3. num. 11; Serm. 90. num. 8; Serm. 158. num. 6; Serm. 168. cap. 2; Serm. 234. num. 3; lib. 15 *de Trinitate*, cap. 18. num. 32. Hinc ſolam illam fidem, quæ per dilectionem operatur, dicit eſſe *laudabilem fidem*, *veram gratiæ fidem*, *fidem Chriſti*, *fidem gratiæ Chriſtianæ*: Serm. 156. num. 5, & lib. de *Fide & operibus*, cap. 16. num. 27 & 30.

SS. Patrum doctrinam colligens Magiſter Sententiarum, lib. 3. diſtinct. 23. litt. C, dicit: „ Fides quâ creditur, ſi cum caritate ſit, virtus eſt, quia caritas, ut ait Ambroſius, mater eſt omnium virtutum, quæ omnes informat, ſine qua nulla vera virtus eſt...... Fides enim ſine dilectione inanis eſt: fides cum dilectione, Chriſtiani eſt: alia dæmonis eſt." Et litt. I: „ Rectè fides ſola dicitur fundamentum omnium virtutum & bonorum operum: non autem fundamentum eſt caritatis, ſed caritas ipſius virtutis fidei cauſa eſt. Caritas enim cauſa eſt & mater omnium virtutum: quæ ſi deſit, fruſtra habentur cætera; ſi autem adſit, habentur omnia."

Solvitur objectio. Objiciunt. Quod impetrat caritatem non procedit à caritate. Atqui, juxta S. Auguſtinum, fides impetrat caritatem. Non ergo procedit à caritate.

Diſtinguo minorem. Fides impetrat caritatem pleniorem, concedo: impetrat caritatem, id eſt, primum caritatis afflatum, nego. Fides quippe non impetrat caritatem niſi eam deſiderando & poſtulando. Porro caritatem deſiderare ac poſtulare, initium quoddam caritatis eſſe expreſſè docet S. Auguſtinus, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 18. num. 37. Cùm enim dixiſſet dilectionem Dei & proximi eſſe donum Dei, ſtatim addit: „ Cur ergo dictum eſt: *diligamus invicem*, *quia dilectio ex Deo eſt*, niſi quia præcepto admonitum eſt liberum arbitrium ut quæreret Dei donum? Quod quidem ſine ſuo fructu admoneretur, niſi prius acciperet ALIQUID DILECTIONIS, ut addi ſibi quæreret unde quod jubebatur impleret." Et ſanè ſicut fides ab Auguſtino dicitur impetrare caritatem, ita ab eodem dicitur impetrare gratiam. „ Per legem, inquit lib. *de Spiritu & littera*, cap. 30. num. 52, „ cognitio peccati: per fidem impetratio gratiæ contra peccatum: per gratiam ſanatio animæ à vitio peccati...... Fides impetrat gratiam quâ lex impleatur." Porro quando fides gratiam impetrat, non ſine gratia eam impetrat; ſed „ ipſa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici," ut ait S. Doctor Epiſt. 186, al. 106, ad Paulinum, cap. 3. num. 7. Ergo pariter, quando fides impetrat caritatem, non ſine caritate illam impetrat, ſed ipſa caritas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.

1 Joann. IV. 7.

Digitized by Google

Spes Chriſtiana non eſt ſine caritate ſaltem inchoata, ſeu amor ſpei rectè intellectus ſpecie non differt ab amore caritatis.

Probatur I° ex iis quæ modò de fide dicta ſunt. Spes enim fidem ſupponit; adeòque, ſi fides non eſt ſine aliqua caritate, à fortiori nec ſpes. Probatur propoſitio de ſpe ſpeciatim.

II°. Ex Apoſtolo, Rom. V, ideò *ſpes non confundit*, *quia caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris:* quod manifeſtè inſinuat in ſpe Chriſtiana ſemper includi aliquem caritatis affectum.

III°. Objectum ſpei Chriſtianæ eſt illud omne quod à Deo promiſſum eſt, in ordine ad vitam æternam; videlicet adjutorium gratiæ, cordis converſio, remiſſio peccatorum, reconciliatio & amicitia cum Deo, & ipſa vita æterna, quæ in ipſius Dei fruitione conſiſtit: hæc autem omnia & ſingula vere ſperari ac deſiderari nequeunt ſine aliquo ſaltem ſanctæ dilectionis initio, ut cuivis paululum attendenti manifeſtè patebit.

Hinc fatentur quidem adverſarii ſpem Chriſtianam eſſe non poſſe ſine aliquo amore Dei, ſed volunt amorem illum, quem *ſpei* ſeu *concupiſcentiæ* appellant, ſpecie differre ab amore caritatis, quo Deus propter ſe atque ut finis ultimus diligitur. Sed & ipſi, ut opinionem ſuam tueantur, varias in partes abeunt. Nonnulli enim ſentiunt Deum non eſſe objectum proprium ſpei, niſi quatenùs ſperamus nos ipſius adjutorio perventuros ad cœleſtem & æternam beatitudinem; ita ut bonum à nobis ſperatum non ſit ipſe Deus, ſed tantummodò beatitudo noſtra formalis, quæ eſt bonum creatum, & quam à Deo nobis donandam eſſe confidimus. Alii conſentiunt Deum ipſum eſſe illud bonum quod ſperamus, ſed negant eum per ſpem deſiderari ac ſperari tanquam finem noſtrum ultimum; quia ſolius caritatis eſt, inquiunt, ferri in Deum tanquam finem ultimum. Alii denique dicunt Deum apprehendi tantummodò ut bonum noſtrum, non autem ut in ſe bonum, abſtrahendo à bono noſtro. Quapropter tria nobis hîc probanda ſunt: 1°. Quidem objectum, quod per fidem nobis ſperandum proponitur, non eſſe tantummodò beatitudinem noſtram formalem, ſed principaliter beatitudinem quam vocant objectivam, id eſt, ipſum ſummum bonum intuitivè videndum & fruitivè amandum. 2°. Per ſpem Chriſtianam Deum apprehendi tanquam finem ultimum adipiſcendum. 3°. Deſiderium fruendi Deo pertinere ad amorem caritatis; ſeu amorem, quo Deum diligimus ut bonum noſtrum, ſpecie non differre ab amore quo eum diligimus ut ſummè in ſe bonum, ſed unum & eumdem eſſe ſub duplici reſpectu conſideratum.

Dico itaque primò objectum ſpei chriſtianæ ac theologicæ eſſe Deum ipſum conſideratum, non ſolum ut cauſam & adjutorem à quo nobis proventuram beatitudinem confidimus, ſed principaliter ut bonum illud bea-

beatificum quod deſideramus & ſperamus. Id docent 1° Scripturæ ſacræ, in quibus Deus ipſe dicitur ſpes noſtra, ſeu bonum quod ſperamus. Sic pſalm. CXLI 6: *Tu es ſpes mea: portio mea in terra viventium.* Pſalm. XXXVIII. 8: *Quæ eſt expectatio mea? Nonne Dominus?* Pſalm. LXXII. 25 & 26: *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei & pars mea, Deus, in æternum.* Pſalm. XV. 5: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi:* ubi Deus ſimul prædicatur & ut bonum quod ſperamus, & ut principium efficax à quo ſperamus. Neque aliud ſpei objectum pollicitus eſt Abrahæ, atque in ipſo omnibus promiſſionis filiis, cum dicit, Geneſ. XV. 1: *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Eam ob rem totum ſpei Chriſtianæ officium his paucis verbis complectitur S. Auguſtinus, Serm. 334. num. 5: *de Deo Deum ſperare.*

Utrumque illum reſpectum ad Deum in ſpe includi expreſſè docet S. Thomas, atque ex utroque ſpem eſſe virtutem theologicam. „ Spes, „ inquit 1. 2. quæſt. 17. art. 5, in corpore,..... attingit (ſupremam regulam humanorum actuum, Deum ſcilicet), & ſicut primam cauſam efficientem, in quantum ejus auxilio innititur, & ſicut ultimam „ cauſam finalem, in quantùm in ejus fruitione beatitudinem expectat. „ Et ſic patet quòd ſpei, in quantum eſt virtus, principale objectum „ eſt Deus. Cum ergo in hoc conſiſtat ratio virtutis theologicæ, quòd „ Deum habeat pro objecto,..... manifeſtum eſt quòd ſpes eſt virtus „ theologica.“ Spes ergo deſineret eſſe virtus theologica, ſi vel aliud bonum à Deo expectaret quàm ipſum Deum, vel ejus auxilio non inniteretur ad adipiſcendam ejus fruitionem. Hinc ibid. quæſt. 67. art. 4, ad 3, iterum dicit: „ Secundùm quòd ſpes eſt virtus, ſic ejus objec- „ tum eſt Deus, non autem aliquid creatum.“ Et rurſus quæſt. 62. art. 4, ad 2: „ Spes reſpicit duo, unum quidem ſicut principale ob- „ jectum, ſcilicet bonum quod ſperatur; & reſpectu hujus ſemper amor „ præcedit ſpem, nunquam enim ſperatur aliquod bonum niſi deſidera- „ tum & amatum.“

Neque objicias objectum ſpei, juxta Doctorem Angelicum, eſſe beatitudinem, ex eodem autem beatitudinem, quantùm ad ejus eſſentiam, ſeu prout eſt in homine beato, *eſſe aliquid creatum.* Hæc quidem vera ſunt; ſed eodem ipſo in loco declarat *beatitudinem hominis, quantùm ad cauſam vel objectum, eſſe aliquid increatum.* En ipſius verba, 1. 2. quæſt. 3. art. 1, in corp: „ Finis dicitur dupliciter: uno modo ipſa res „ quam cupimus adipiſci,..... alio modo ipſa adeptio vel poſſeſſio, ſeu „ uſus aut fructus ejus rei quæ deſideratur...... Primo ergo modo fi- „ nis ultimus hominis eſt bonum increatum, ſcilicet Deus, qui ſolus „ ſuâ infinitâ bonitate poteſt voluntatem hominis perfectè implere. Se- „ cundo autem modo finis ultimus hominis eſt creatum aliquid in ipſo

„ exiſ-

Digitized by Google

„ exiſtens; quod nihil aliud eſt quàm adeptio vel fruitio finis ultimi. „ Ultimus autem finis dicitur beatitudo. Si ergo beatitudo hominis „ conſideratur quantùm ad cauſam vel objectum, ſic eſt aliquid in- „ creatum: ſi autem conſideratur quantùm ad ipſam eſſentiam beatitu- „ dinis " (prout nempe in homine beato exiſtit, & dicitur beatitudo formalis), „ aliquid creatum eſt." Reſtat ergo inquirendum utrum ſit principale ac primarium objectum ſpei beatitudo formalis, quæ eſt aliquid creatum, an bonum increatum. Hanc autem quæſtionem hoc ipſo in Articulo reſolvit S. Doctor, docens bonum, quod per ſpem *cupimus adipiſci*, *eſſe bonum increatum*. Pleniùs autem 2. 2. quæſt. 17. art. 2. in corp. ubi ſic loquitur: „ Spes attingit Deum, innitens ejus „ auxilio ad conſequendum bonum ſperatum. Oportet autem effectum „ eſſe cauſæ proportionatum; & ideò bonum, quod propriè & principaliter „ à Deo ſperare debemus, EST BONUM INCREATUM, quod proportio- „ natur virtuti Dei adjuvantis. Nam infinitæ virtutis eſt proprium ad „ infinitum bonum perducere. Hoc autem bonum eſt vita æterna, quæ „ in fruitione ipſius Dei conſiſtit. NON ENIM MINUS ALIQUID AB „ IPSO SPERANDUM EST QUAM SIT IPSE." Quid expreſſius dici poteſt? Hinc Cajetanus, hunc locum commentans, concludit „ ſpem „ eſſe principaliter de Deo, & de beatitudine formali non eſſe, niſi ut „ eſt ad Deum conjunctio; & ideò, inquit, principaliter eſt ſermo hic „ de beatitudine objectiva connotante formalem." Obſervandum eſt inſuper cum S. Thoma, 1. 2. quæſt. 11. art. 3. ad 3, „ licet...... finis „ dicatur dupliciter, uno modo ipſa res, alio modo fruitio rei, non „ ideò tamen duos eſſe fines, ſed unum finem in ſe conſideratum, & „ alteri applicandum. Deus igitur, inquit, eſt ultimus finis, ſicut res „ quæ ultimò quæritur; fruitio autem, ſicut adeptio hujus ultimi fi- „ nis. Sicut igitur non eſt alius finis, Deus & fruitio Dei, ita eadem „ ratio fruitionis eſt quâ fruimur Deo, & quâ fruimur divinâ fruitio- „ ne; & eadem ratio eſt de beatitudine creatâ, quæ in fruitione con- „ ſiſtit."

Dixi ſecundò per ſpem Chriſtianam Deum amari ac deſiderari tanquam finem ultimum, ac proinde amore nequaquam diſtincto ab amore caritatis. Siquidem, fatentibus adverſariis, caritatis proprium eſt ferri in Deum ut finem ultimum. Id autem ex modò dictis manifeſtum eſt. Si enim Deus ipſe eſt bonum quod per ſpem Chriſtianam deſideramus & amamus, vel eum per ſpem amamus propter ſe & tanquam ultimum finem noſtrum, vel amamus tanquam medium ad adipiſcendum aliquid aliud ab ipſo diſtinctum. Nam, ut ait S. Thomas 1. 2. quæſt, 1. art. 6, in corp: „ Quidquid homo appetit, appetit ſub ratio- „ ne boni: quod quidem ſi non appetatur ut bonum perfectum; quod „ eſt ultimus finis, neceſſe eſt ut appetatur ut tendens ad bonum per- „ fectum." Porro amare Deum tanquam medium ad aliud aliquid adi-

piſcendum, ſummè inordinatum eſt; ac proinde, in illa hypotheſi, amor ſpei Chriſtianæ eſſet omnino perverſus, imò non eſſet amor Dei, ſed illius boni ad quod per Deum tanquam per medium tenderetur: ſiquidem, ut S. Auguſtinus dicit lib. 1 *Soliloquiorum*, num. 22, „ quod non propter ſe amatur, non amatur; &, juxta S. Bernardum, tract. *de Diligendo Deo*, cap. 7, „ quidquid propter aliud amare videaris, id „ plane amas quò amoris finis pertendit, non per quod tendit.“ S. autem Thomas expreſſè docet, 2. 2. quæſt. 17. art. 6, ad 3, Deum eſſe finem ultimum amoris qui in ſpe includitur. „ Spes, inquit, facit „ tendere in Deum, ſicut in quoddam BONUM FINALE adipiſcendum.“ Ibid. art. 5, in corp: „ Spes attingit (Deum)...... SICUT ULTIMAM „ CAUSAM FINALEM, in quantùm in ejus fruitione beatitudinem ex„ pectat.“ Et ad 1: „ Quæcunque alia ſpes adipiſci expectat, ſperat „ in ordine ad Deum, SICUT AD ULTIMUM FINEM.“ Demum, 1. 2. quæſt. 3. art. 1, in corp. dicit „ ULTIMUM FINEM vocari beati„ tudinem, quæ eſt objectum ſpei.“ Idem inculcat & confirmat ibid. quæſt. 2. art. 8, in corp. „ Beatitudo, inquit, eſt bonum perfec„ tum,..... alioquin non eſſet finis ultimus...... In ſolo igitur Deo „ beatitudo conſiſtit.“ Et 2. 2. quæſt. 17. art. 4, in corp: „ Spes „ reſpicit beatitudinem æternam ſicut finem ultimum.“ Ex his omnibus evidens eſt conſtantem Angelici Doctoris doctrinam eſſe, & ſpem appetere ipſum Deum, & ipſum appetere tanquam finem ſuum ultimum.

Dixi tertiò deſiderium & ſpem fruendi Deo pertinere ad amorem caritatis. Id adeò certum eſt ut caritatem inde definire non dubitaverit S. Auguſtinus, lib. 3 *de Doctrina Chriſtiana*, cap. 10. num. 16. „ Caritatem voco, inquit, motum animi ad fruendum Deo propter ip„ ſum, & ſe & proximo propter Deum.“ Conſequenter plurimis in locis docet amari Deum amore caſto, amore caritatis, cùm non alia præter ipſum ab eo merces expectatur. Sic loquitur lib. *de Spiritu & littera*, cap. 28. num. 49: „ Hoc donum Spiritûs ſancti eſt, quo dif„ funditur caritas in cordibus noſtris: caritas non quælibet, ſed caritas „ de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta...... Unam enim „ petit à Domino, & hanc requirit, ut inhabitet in domo Domini per „ omnes dies vitæ ſuæ, ad hoc ut contempletur delectationem Domi„ ni.“ In Pſalmum 32. num. 8: „ Deus gratis ſe vult coli, gratis ſe „ vult diligi, hoc eſt, caſtè amari; non propterea ſe amari quia dat „ aliquid præter ſe, ſed quia dat ſe.“ In Pſalmum 134. num. 11: „ Hoc eſt gratis amare, non quaſi propoſitâ acceptione mercedis, quia „ ipſa merces tua ſumma Deus ipſe erit, quem gratis diligis, & ſic ama„ re debes ut ipſum pro mercede deſiderare non deſinas, qui ſolus te „ ſatiet, ſicut Philippus deſiderabat cùm diceret: *Oſtende nobis Pa*„ *trem, & ſufficit nobis.*“ Et Serm. 334. num. 3: „ *Dominus pars hæ*-

Al. Serm. 43 de Sanctis.

„ re-

„ *reditatis meæ......* Quidquid mihi dederis vile eſt. Tu eſto hære-„ ditas mea: amo te, totus amo te, toto corde, totâ animâ, totâ „ mente amo te. Quid erit mihi quidquid mihi dederis præter te? „ Hoc eſt enim Deum gratis amare, de Deo Deum ſperare, de Deo „ properare impleri, de ipſo ſatiari.“ Idem centies alibi repetit: v. g. Serm. 91. cap. 3; Serm. 178. num. 11; Serm. 385. num. 4; Enarrat. in pſalm. 53. num. 10; in pſalm. 77. num. 21; in pſalmum 127. num. 8, ubi caritatem comparat amori caſto fidelis ſponſæ abſentiam ſui conjugis moleſtiſſimè ferentis, proximumque ejus reditum ardentiſſimo ſtudio expectantis.

Idem ſentiunt cæteri Patres. Julianus Pomerius, lib. 3 *de Vita con-„ templativa*, cap. 25: Qui amicum, inquit, propter commodum quod-„ libet amat, non amicum convincitur amare, ſed commodum...... „ Et ideò Deus, quo nihil eſt majus aut melius propter quod diliga-„ tur, propter ſeipſum perfectè diligitur. Si verò ſaltem propter illa „ quæ præſtat amatur, non utique gratis amatur, quia jam illud, „ propter quod diligitur, ei, quod dictu quoque nefas eſt, antefer-„ tur.“

S. Bernardus, Serm. 9 in pſalmum *Qui habitat*, num. 8: „ Sunt non-„ nulli, inquit, qui à Domino obtinere temporalia vel ſpiritualia quæ-„ libet concupiſcunt. Sed perfecta caritas ſolum ſitit ſummum bonum, „ totâ deſiderii vehementiâ clamans: *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid „ volui ſuper terram?* Singularis eſt puritatis, ſingularis gratiæ, ſingu-„ laris perfectionis, non modò nihil ſperare niſi ab eo, ſed nihil quæ-„ rere niſi eum.“

S. Thomas, part. 1. quæſt. 60. art. 5. ad 4: „ Deus, inquit, in „ quantum eſt bonum beatificans naturaliter omnes ſupernaturali beati-„ tudine, ſic diligitur amore caritatis.“ Et 1. 2. quæſt. 65. art. 5. ad 1: „ Caritas, inquit, non eſt qualiſcunque amor Dei, ſed amor Dei „ quo diligitur ut beatitudinis objectum, ad quod ordinamur per fidem „ & ſpem.“

Et ſanè ex eodem amore procedit deſiderium ac ſpes fruendi Deo, & timor eum amittendi, ſeu non eo fruendi. Atqui, ex eodem S. Thoma, timor amittendi Deum, ſeu ipſo non fruendi, naſcitur ex amore caritatis. Sic quippe loquitur 1. 2. quæſt. 19. art. 6, in corp: „ Separa-„ ri à Deo eſt quædam pœna quam caritas maximè refugit: unde hoc „ pertinet ad amorem caſtum.“ Inde fit, ut ait ibidem, art. 10. in corp. quòd ille timor „ creſcit, creſcente caritate, ſicut effectus cre-„ ſcit, creſcente cauſa: quantò enim magis aliquis diligit aliquem, tan-„ tò magis timet ab eo ſeparari.“ Enim verò omnis amor, unus atque idem in ſeipſo permanens, varias induit formas, variosque producit effectus pro diverſis modis conſiderandi objectum amatum. Nunc deſiderat aut refugit: nunc ſperat aut timet: nunc gaudet aut triſtatur; illi-

que

Digitized by Google

que affectus majores vel minores ſunt, prout ipſe amor, à quo profluunt, intenſior vel remiſſior eſt.

Non ſolum deſiderium & ſpes fruendi Deo pertinent ad amorem caritatis, ſed etiam plane repugnat caritatem, quandiu adhuc in via ſumus, non includere illud deſiderium. Qui aliter ſentiunt, ait Hugo Victorinus lib. 2 *de Sacramentis*, part. 13. cap. 8, virtutem dilectionis non intelligunt. „ Quid eſt enim diligere, niſi illud velle habere quod „ diligis? Non aliud ab ipſo, ſed ipſum, hoc eſt gratis. Si aliud quæ- „ reres ab ipſo, gratis non amares: nunc autem non aliud quæris pro „ eo quod amas, & tamen aliquid quæris & deſideras in eo ipſo quod „ amas: alioquin non amares ſi non deſiderares. Sed aliud eſt pro ip- „ ſo, aliud in ipſo. Si pro ipſo aliquid amas, mercenarius; ſi in ipſo „ amas, & ipſum amas, filius es.“ Idem docet S. Auguſtinus lib. 8 *de Trinitate*, cap. 10. num. 14. „ Quid eſt, inquit, dilectio vel ca- „ ritas, quam tantoperè ſcriptura divina laudat & prædicat, niſi amor „ boni? Amor autem alicujus amantis eſt, & amore aliquid amatur. „ Ecce tria ſunt, amans, & quod amatur, & amor. Quid eſt ergo „ amor, niſi quædam vita duo aliqua copulans vel copulare appetens, „ amantem ſcilicet & quod amatur?“ Quin etiam idem apertè declarat Apoſtolus Paulus, 2 Corinth. V. 6 & ſeq. *Scientes*, inquit, *quoniam, dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem, audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum; & ideò contendimus ſive abſentes, ſive præſentes placere illi.* En duplex caritatis motus. Si in ſe ipſa conſideratur, id unum contendit ut placeat Deo: ſi autem conſideratur quatenùs adhuc peregrinatur à Domino, per fidem ambulans, & non per ſpeciem, deſiderat præſens eſſe ad Dominum, eoque frui.

Nec dicas per amorem caritatis amari Deum ut in ſeipſo perfectè bonum, per amorem autem ſpei amari Deum ut bonum noſtrum, ac proinde non ſine aliquo ad nos ipſos reſpectu: non enim inde naſcuntur duo amores ſpecie diverſi, ſed unus & idem amor eſt ſub duplici reſpectu conſideratus. In Deo quippe eſſe in ſe bonus, & eſſe ſummum bonum noſtrum, non ſunt duo reipſâ diſtincta, ſed per mentem noſtram duntaxat, ac proinde amor Dei ut ſummè in ſe boni, & amor Dei ut ſummi boni noſtri, non ſunt duo amores diverſi, ſed unus atque idem amor Deum totum, quantus eſt, & ſub omni reſpectu conſideratum diligens. In amore quidem Dei ut ſummi boni noſtri includitur quidem amor noſtri; ſed ille amor noſtri caritatis eſt. Jubemur quippe nos ipſos diligere, quemadmodùm jubemur diligere proximum; nec ideò tamen peculiare præceptum datum eſt noſmetipſos diligendi, quia videlicet nulla alia eſt legitima noſtri dilectio, niſi quia diligimus Deum ut ſummum & unicum bonum noſtrum, ſicuti obſervat S. Auguſtinus, Epiſt. 155,

Digitized by Google

155, al. 52, ad Macedonium, cap. 4. num. 13. „ Cùm, inquit, illâ „ dilectione, quam divina lex imperat, debeat homo diligere Deum, „ & ſeipſum, & proximum, non tamen ex hoc tria præcepta data ſunt, „ nec dictum eſt, in his tribus, ſed *in his duobus præceptis tota lex* „ *pendet & Prophetæ*, id eſt, in dilectione Dei ex toto corde, ex tota „ anima & ex tota mente, & proximi tanquam ſui ipſius: videlicet ut „ intelligeretur nullam aliam eſſe dilectionem, quâ quiſque diligit ſeip- „ ſum, niſi quòd diligit Deum.“ Et lib. *de Moribus Eccleſiæ Catholicæ*, cap. 26. num. 48: „ Non poteſt fieri ut ſeipſum, qui Deum di- „ ligit, non diligat: immo verò ſolus ſe novit diligere qui Deum di- „ ligit. Siquidem ille ſe ſatis diligit, qui ſedulò agit ut ſummo & „ vero perfruatur bono: quòd ſi nihil aliud eſt quàm Deus,..... quis „ cunctari poteſt quin ſe amet qui amator eſt Dei?“ Idem obſervat S. Thomas in *Quæſtionibus diſputatis*, quæſt. unicâ *de Caritate*, art. 7. ad 10. „ In lege ſcripta, inquit, danda fuerunt præcepta de dilectione „ Dei & proximi, in quibus tamen comprehenditur etiam quòd aliquis „ diligat ſeipſum, quia, cùm inducimur ad diligendum Deum, indu- „ cimur ad deſiderandum Deum; per quod maximè nos ipſos amamus, „ volentes nobis ſummum bonum.“ Abſit ergo ut dilectio Dei, tanquam ſummi boni noſtri, non comprehendatur in dilectione caritatis, quâ Deus diligitur ut ſummè in ſe bonus. Illa profectò dilectio caritatis eſt, quæ manet & perfecta eſt in patria. Porro dilectio Dei ut ſummi boni noſtri manebit in patria. Quamvis enim tunc ſpes theologica, perinde ac fides, planè ceſſet (nam, ut ait Apoſtolus Rom. VII. 24, *ſpes quæ videtur non eſt ſpes; quod enim videt quis, quid ſperat?*), tamen amor ſpei quoad ſubſtantiam conſideratus non ceſſabit, imò ſanctos beabit; ſicque *caritas*, quæ nunc ſperat, completâ jam & ſatiatâ ſpe, *nunquam excidet*, ſed ſecura fruetur Deo, quem deſideravit & ſperavit, eoque fruetur & tanquam in ſe ſummè bono, & tanquam ſummo bono ſuo.

Secludi ergo nequit amor noſtri legitimus, ſeu amor & deſiderium ſummæ noſtræ beatitudinis, ab amore caritatis quo Deus propter ſe diligitur; tum quia capaces non ſumus diligendi Deum, niſi ex innato illo deſiderio quo beati eſſe omnes volumus; tum quia motum caritatis noſtræ in Deum talem eſſe neceſſe eſt, qualis convenit creaturæ ex ſeipſa indigenti, eſurienti ac ſitienti ſummum bonum extra ſe poſitum. Solius Dei eſt, ut pote ſummè perfecti ac beati, ſic diligere, ut beatitudinem ſuam à rebus à ſe dilectis atque extra ſe poſitis nulla ex parte expectet. Creaturæ verò cuilibet ex ſeipſa inopi eſſentiale eſt beatitudinem ſuam extra ſe quærere, nec eam poſſe invenire niſi in Deo ſummo & infinito bono, quo ſolo impleri ac ſatiari poteſt. Unde, Matth. V. 5, Chriſtus dicit: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſatu-*

rabuntur: & Propheta regius Pſalmo XVI. 15: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

Cur ergo, inquies, Scholaſtici duplicem diſtinguunt amorem Dei, ſcilicet *amorem ſpei*, quem etiam *concupiſcentiæ* appellant, & amorem *caritatis* ſeu *amicitiæ* & benevolentiæ?

Reſpondeo antiquos Scholaſticos diſtinxiſſe quidem illos amores, at non velut ſpecie diverſos, ſed velut duos unius & ejuſdem caritatis motus. Id patet ex S. Bonaventura, in 3. diſtinct. 17. art. 2. quæſt. 2. „ Duplex eſt, inquit, motus caritatis, videlicet motus amicitiæ & mo„ tus concupiſcentiæ. Motus amicitiæ eſt ille quo quis deſiderat Deo „ placere, non attendendo ſcilicet an merces aliqua inde ſit proventu„ ra, an non: motus concupiſcentiæ eſt quo deſiderat Deum habere & „ videre.“ Ergo, juxta Doctorem Seraphicum, uterque ille motus ad caritatem pertinet. Angelici Doctoris mentem eamdem fuiſſe manifeſtum eſt ex 2. 2. quæſt. 83. art. 9. in corp., ubi orationem Dominicam exponens ſic loquitur: „ Finis noſter Deus eſt, in quem noſter affec„ tus tendit dupliciter: uno quidem modo prout volumus gloriam Dei; „ alio modo ſecundum quòd volumus frui gloriâ ejus: quorum primum „ pertinet ad dilectionem quâ diligimus nos in Deo: & ideò prima pe„ titio ponitur, *ſanctificetur nomen tuum*, per quam petimus gloriam „ Dei; ſecunda verò ponitur, *adveniat regnum tuum*, per quam peti„ mus ad gloriam ejus pervenire.“ Ubi patet caritatem uno & eodem affectu tendere in Deum ut finem ultimum ſub illo duplici reſpectu. Non minùs manifeſtum id eſt ex eo quòd S. Doctor conſtanter doceat caritatem ſeu amicitiam cum Deo fundari in communicatione beatitudinis. „ Mutua benevolentia, inquit 2. 2. quæſt. 23. art. 1. in corp. fundatur ſuper aliqua communicatione. „ Cum igitur ſit aliqua com„ municatio hominis ad Deum, ſecundùm quòd nobis ſuam beatitudi„ nem communicat, ſuper hanc communicationem oportet aliquam ami„ citiam fundari...... Amor autem ſuper hanc communicationem fun„ datus eſt caritas.“ Idem repetit ibidem, art. 4. in corp. Porro per amorem ſpei deſideratur & amatur ſumma illa beatitudo. Ergo, juxta S. Doctorem, amor ſpei reipſâ ſpecie non differt ab amore caritatis.

Idem docet Capreolus in 3. diſtinct. 27 & 28, concluſione 4. „ Caritas, inquit, inclinat ad amandum duplici amore, ſcilicet amicitiæ & „ concupiſcentiæ.“ Inter alia autem argumenta iſtud affert: „ Quælibet „ honeſta & perfecta amicitia diligit amicum duplici amore, ſcilicet „ amicitiæ volendo illi bonum, & concupiſcentiæ deſiderando ejus „ præſentiam & convictum. Sed caritas eſt perfecta amicitia ad Deum.“ Ergo &c.

Eſtius pariter in 3. diſtinct. 1. §. 3: „ Caritas, quatenùs eſt amor „ ami-

„ amicitiæ, non ſpectat præmium: quatenùs autem ſimul etiam inclu-
„ dit aut admittit amorem concupiſcentiæ, ſpectat ſibique ſperat præ-
„ mium, ſed non aliud quàm illud ipſum quod amat amore ami-
„ citiæ.“

Recentiores verò Scholaſticos, qui, viam planè oppoſitam tenentes, volunt amorem ſpei ab amore caritatis ſpecie differre, toto cœlo errare ampliſſimè demonſtravit Illuſt. Boſſuetus, in ſuis adverſus Archiepiſcopum Cameracenſem ſcriptis. De Fenelon.

Neque etiam ex doctrina ſuperiùs aſſerta ſequitur confundi à nobis virtutes theologicas, ſpemque & caritatem unam eſſe eamdemque virtutem. Quamvis enim ſpei & caritatis idem ſit objectum ac finis ultimus, ſpes tamen habet actum ſibi proprium, modumque peculiarem conſiderandi ſuum objectum; ideòque multimodis differt à caritate in ſe conſiderata. Objectum quippe ſpei ſunt omnia bona à Deo promiſſa & ad æternam beatitudinem conducentia: objectum autem caritatis eſt ſolus Deus, cui in ſeipſo & propter ſeipſum adhæret. Spes innititur miſericordiæ, omnipotentiæ & promiſſionibus Dei: caritas verò fertur immediatè in ſummam Dei bonitatem & perfectionem, omnis boni & perfectionis creatæ fontem. Proprius ſpei actus eſt expectare ſummam beatitudinem, ſeu Dei fruitionem, ejusque præpotenti auxilio inniti ad eam conſequendam: actus verò caritatis proprius eſt diligere Deum, eique per amorem conjungi. Spei directè opponuntur diffidentia, puſillanimitas, deſperatio, propriarum virium præſumptio, inanis & falſa ſecuritas: caritati verò directè opponuntur Dei odium vel contemptus, rerumque creatarum cupiditas. Spes fertur in Deum tanquam in bonum abſens, poſſibile & arduum: caritas autem intimo affectu unitur Deo, ſtudetque in omnibus illi placere, & mandatis ejus obſequi. Spes planè ceſſabit in altera vita, cùm adepti fuerimus quod nunc deſideramus & ſperamus: caritas autem non ſolùm manebit, ſed omnino perfecta erit, fruendo in æternum bono ſummo & infinito, quod hic & fide credidit, & ſpe expectavit. Illa omnia paucis complexus eſt Angelicus Doctor, 2. 2. quæſt. 23. art. 6. ad 3. „ Idem bonum, inquit,
„ eſt objectum caritatis & ſpei; ſed caritas importat unionem ad illud
„ bonum, ſpes autem diſtantiam quamdam ab eo: & inde eſt quòd ca-
„ ritas non reſpicit illud bonum ut arduum, ſicut ſpes; quod enim jam
„ unitum eſt non habet rationem ardui.“ Et quæſt. 17. art. 6. ad 3:
„ Spes facit tendere in Deum, ſicut in quoddam bonum finale adipiſ-
„ cendum, & ſicut in quoddam adjutorium efficax ad ſubveniendum;
„ ſed caritas propriè facit tendere in Deum uniendo affectum hominis
„ cum Deo, ut ſcilicet homo non ſibi vivat, ſed Deo.“

Objiciunt 1°. Quod præcedit caritatem, & remanet amiſſâ caritate, poteſt eſſe ſine caritate. Atqui fides & ſpes præcedunt caritatem: nam, ex S. Thoma, 2. 2. quæſt. 17. art. 8; in corp., *in via generationis ſpes* Solvuntur objectiones

 (ac

(ac proinde etiam fides) *eſt prior caritate.* Amiſſâ autem caritate, fidem remanere, expreſſè definivit concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 28, his verbis: „ Si quis dixerit, amiſſâ per peccatum gratiâ, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem quæ remanet non eſſe veram fidem, „ licet non ſit viva, aut eum, qui fidem ſine caritate habet, non eſſe „ Chriſtianum, anathema ſit.“ Quod autem de fide dicitur, de ſpe quoque dicendum eſſe nullum dubium eſt. Ergo fides & ſpes poſſunt eſſe ſine caritate.

Diſtinguo minorem. Fides & ſpes præcedunt caritatem habitualem, & remanent, amiſſâ gratiâ & caritate habituali ac juſtificante, concedo: præcedunt omnem caritatem actualem, inchoatam, debilem & imperfectam, remanentque, amiſſâ penitùs omni caritate, nego. Ait quidem S. Thomas in via generationis fidem & ſpem eſſe priores caritate; ſed caritatem ibi, ſicut & plerùmque alibi, intelligit habitualem, qualis eſt in homine juſto, & quæ eſt forma virtutum. Certum eſt autem, & in confeſſo apud omnes, fidem & ſpem præcedere caritatem ſic intellectam, tuncque eſſe virtutes informes: at inde nullatenùs ſequitur fidem & ſpem Chriſtianas poſſe deſtitui omni prorſùs caritate actuali, inchoatâ & imperfectâ. Eodem modo intelligendus eſt canon concilii Tridentini. Illo canone damnantur novatores, qui dicebant hominem juſtificari ſolâ fide, eâque ſpeciali, quâ certò credit peccata ſibi eſſe dimiſſa, & quam cum juſtificatione conjunctam ſemper eſſe contendebant, atque inde concludebant nunquam amitti poſſe juſtitiam quin ipſa fides ſimul amittatur. Hunc errorem meritò anathemate percellit ſancta Synodus; definitque, amiſſâ per mortale peccatum gratiâ, ſeu caritate habituali & ſanctificante, fidem non ſemper amitti, atque fidem, quæ in peccatore remanet, eſſe veram fidem, etſi informem. Inde autem malè concluderetur fidem illam omni prorſùs caritate actuali deſtitui. Amittendo quippe caritatem habitualem, non ideò nullus remanet in peccatore dilectionis divinæ affectus. Sicut enim in peccatore, antequàm plenè convertatur ad Deum, poteſt eſſe initium aliquod caritatis, quâ de peccatis doleat propter Deum; ita, amiſſâ per peccatum mortale caritate habituali, ſupereſſe poſſunt, ac plerùmque etiam ſuperſunt nonnullæ amoris Dei reliquiæ. Nec aliunde naſcuntur pii motus, quibus peccator recens lapſus, nec in malo induratus, identidem afficitur, & quibus impulſus damnat quod fecit, & ſecum ipſo pugnans vellet non peccaſſe. Nemo quippe repentè fit peſſimus. „ Quis autem dubitet, ait „ S. Auguſtinus, voluntatem nullomodò juſtitiam (quæ Deus eſt) dili- „ gentem, non modò eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem? “ Hæ quidem ſanctæ dilectionis ac pietatis reliquiæ magis ac magis minuuntur per peccata ſubſequentia, ita ut nonnulli, exuto paulatim omni religionis ſenſu, in profundum lapſi omnia contemnant; ſed rarò per primum peccatum mortale, niſi incredulitatis peccatum ſit, ad iſtud ex-

tra-

Digitized by Google

tremum devenitur. Porro dilectio illa tenuis & imperfecta, quæ in plurimis peccatoribus non penitus extinguitur, ſufficit ut illorum fides vera & Chriſtiana dici poſſit. Quin etiam ipſi quoque obdurati, quamvis omni prorſus caritate careant, nonnunquam tamen fidem retinent ſpeculativam, quâ omnibus à Deo revelatis intellectu aſſentiuntur; eaque fides ratione ſui objecti vera eſt, quamvis deſtituta ſit ordinatione debitâ ad finem ultimum, nec Chriſtiana virtus ſit.

Inſtant. Ex eodem concilio Tridentino, fides & ſpes præcedunt initium ipſum divinæ dilectionis. Enumerans quippe varios actus quibus peccatores ad juſtitiam diſponuntur, fidem, timorem & ſpem recenſet ante illud dilectionis Dei initium. „ Diſponuntur, inquit, ad ipſam „ juſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu „ concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ di- „ vinitus revelata & promiſſa ſunt; & dum peccatores ſe eſſe intelligen- „ tes, à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſi- „ derandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fiden- „ tes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam „ omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt &c.“

Diſtinguo propoſitionem. Ex concilio Tridentino, fides & ſpes præcedunt initium dilectionis Dei in corde prædominantis, concedo: præcedunt quodlibet initium dilectionis Dei nondum dominantis, nego. Duplex eſt divinæ dilectionis initium: unum quidem debile & imperfectum, quo peccator, qui à Deo averſus erat, incipit ſuſpirare ac moveri in Deum, & velle ad ipſum converti; alterum quo incipit Deum ſuper omnia diligere rebuſque omnibus creatis præferre. Porro ad veram converſionem non qualecunque dilectionis Dei initium ſufficit, ſed requiritur talis dilectionis gradus quo Deus incipiat præ omnibus diligi. „ Amanda eſt juſtitia, inquit S. Auguſtinus Serm. 159, cap. 2, & in „ hac juſtitia amanda gradus ſunt proficientium. Primus eſt ut amori „ juſtitiæ non præponantur omnia quæ delectant...... Hic eſt primus „ gradus,“ non utique ipſius amoris, ſed profectûs amoris. Nam *primum* illum *gradum proficientium* multi alii amoris inchoati gradus præcedere ſolent, ut declarat idem S. Doctor lib. *de Natura & gratia*, cap. 70, ubi ante *caritatem provectam* admittit *caritatem inchoatam*. „ Caritas inchoata, inquit, inchoata juſtitia eſt: caritas provecta, „ provecta juſtitia eſt: caritas magna, magna juſtitia eſt: caritas per- „ fecta, perfecta juſtitia eſt.“ Eadem eſt doctrina S. Thomæ. Nam una ex parte docet, 2. 2. quæſt. 189. art. 3. ad 2, „ infimum divinæ di- „ lectionis gradum eſſe, ut nihil ſupra Deum, aut contra eum, aut „ æqualiter ei diligatur: à quo gradu perfectionis qui deficit, nullomo- „ do implet præceptum,“ ſeu, ut ait ibidem, *transgreſſionem peccati* non *evadit*: ex altera autem parte infra hunc *infimum gradum* agnoſcit *inchoationem caritatis*, quam *caritatem imperfectam* appellat, ex qua di-

Digitized by Google

cit procedere *timorem initialem*, ibid. quæſt. 19. art. 8, in corp. Porrò dubitari nequit quin concilium Tridentinum, cùm exigit ut peccator *incipiat diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem*, loquatur de initio dilectionis in corde prædominantis. Id conſtat ex eoquòd ſtatim ſubdat: *ac propterea*, id eſt, ex illa dilectione Dei tanquam omnis juſtitiæ fontis, *moventur adverſùs peccatum per odium aliquod & deteſtationem*. Cùm ergo omnes conſentiant odium & deteſtationem peccati ad veram converſionem requiſita debere eſſe ſuper omnia, neceſſariò conſequitur dilectionem Dei, ex qua procedit illud odium & iſta deteſtatio peccati, talem eſſe debere ut ſaltem incipiat eſſe ſuper omnia, atque in corde dominari; quem gradum vulgò non aſſequuntur primi actus fidei & ſpei qui præceſſerunt. Illos tamen actus non eſſe abſque aliqua inchoatione ſanctæ illius dilectionis, ſatis apertè declarat, uti jam obſervavimus, ſancta Synodus, cùm dicit fidem non concipi ſine *libero motu* voluntatis *in Deum*; qui certè motus non eſt niſi amoris, quandoquidem voluntas non movetur niſi amore.

Objiciunt 2° nonnullos Patres, qui mercenarios & imperfectos appellant eos, qui intuitu mercedis æternæ Deo ſerviunt. Sic, inquiunt, S. Chryſoſtomus, hom. 77, al. 76, in Joann. num. 4: „ Probi, inquit, ipſam per ſe virtutem, miſſis cæteris, ſpecioſam habent, ideò„ que ipſam colunt, ac propter Dei placitum: ſi quis verò infirmior „ eſt, præmia etiam cogitat.“ S. Bernardus, Epiſt. 4 ad Guigonem, num. 3, mercenarios declarat eos, qui confitentur Domino quoniam ſibi bonus eſt, & cupiunt ſibi. Et Serm. 3 de Diverſis, num. 9: „ Qui „ timet ire ad portas inferi, & qui cupit Deum videre propter quie„ tem ſui, uterque profectò quærit quæ ſua ſunt.“ Similia videre eſt apud aliquos alios Patres.

Tom. 8. pag. 455.

Reſpondeo illos tantùm tanquam mercenarios culpari à SS. Patribus, qui aliud præmium à Deo expetunt quàm ipſum Deum, & quibus S. Auguſtinus dicit, in Pſalmum 43: „ Ipſa æterna vide ne aliter cogi„ tes, & cogitando æterna carnaliter, nihilominùs Deum gratis non „ colas. Amore caſto eum non colis, ... mutare vis voluptatem car„ nalem, non amputare:“ vel eos qui ſic animo affecti ſunt, ut, ſi nulla expectanda foret merces, Deo non ſervirent, ſicque demonſtrant ſe Deo non ſervire propter ipſum Deum: vel demùm eos qui, ut loquitur S. Bernardus, *cupiunt Deum videre propter quietem ſui*, ita ut propriam ſuam quietem appetant tanquam ſummum ſuum bonum finemque ultimum, atque ita non ſe referunt ad Deum, ſed Deum ad ſeipſos, quod eſt valde perverſum. Non ita ſanè ſpes Chriſtiana Deo frui deſiderat. Quamvis enim deſiderando fruitionem Dei non poſſit eo ipſo beatitudinem ſuam non deſiderare, totam ſuam beatitudinem refert ad ipſum Deum, tanquam unicum finem ſuum ultimum, quo ſolo beata eſſe vult. Porro, ut eumdem S. Bernardum loquentem ſupra audivi-

vimus, *ſingularis eſt puritatis, ſingularis gratiæ, ſingularis perfectionis eſt non modo nihil ſperare niſi ab eo, ſed nihil quærere niſi eum.*

Conſulat lector eximium opus gallico idiomate ſcriptum, cui titulus eſt: *Diſſertation ſur les Vertus Theologales*, auctore D. Bourſier, Doctore ac Socio Sorbonico, in quo opere quæſtiones modò agitatæ circa fidem & ſpem theologicas dilucidè ac uberrimè pertractantur.

Vera & ſincera religio, ſeu verus & ſincerus Dei cultus non eſt ſine caritate ſaltem inchoata.

Religio, quæ & pietas in Deum dicitur, eſt virtus quâ verus cultus Deo impenditur, ſive adorando, ſive laudando, ſive benedicendo, ſive orando, ſive gratias agendo, ſive aliud quodlibet in ejus gloriam & honorem faciendo. Fatentur adverſarii perfectiorem eſſe cultum qui ex motivo caritatis Deo exhibetur: at contendunt Deum aliter etiam verè ac piè coli poſſe. Nos contra aſſerimus non verè ac piè coli Deum ſine aliquo ſanctæ dilectionis initio.

Enimvero cùm Deus ſit ſpiritus, ſpirituali quoque affectu honorandus eſt, Chriſto ipſo dicente, Joann. IV. 24: *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Atqui verus & ſpiritualis cultus non eſt niſi ex corde procedat, neque ex corde procedit, niſi exhibeatur ex amore; ſiquidem omnis cordis affectio vel eſt ipſe amor, vel ab amore derivatur. Quamobrem Judæis, qui dilectione Dei deſtituti Deum exteriùs colebant, Chriſtus applicat quod dicitur Iſaïæ XXIX. 13. *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me; in vanum autem colunt me:* ſignificans vanum eſſe & inanem cultum omnem ab amore Dei ſejunctum. Nec aliam ſanè ob cauſam Deus per Prophetas conteſtatus eſt abominari ſe cultum Judaicum, quàm quòd ex dilectione & ſincera contritione cordis non flueret. Sic loquitur Pſalmo XLIX. 9 & ſeq: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos...... Immola Deo ſacrificium laudis...... Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſùm.* Pſalmo LXXVII. 34 & ſeq: *Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculò veniebant ad eum...... Et dilexerunt eum in ore ſuo, & linguâ ſuâ mentiti ſunt ei; cor autem eorum non erat rectum cum eo.* Et Iſaiæ I. 11 & ſeq: *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum? Plenus ſum. Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum nolui...... Ne offeratis ultrà ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi: neomeniam, & ſabbathum, & feſtivitates alias non feram: iniqui ſunt cœtus veſtri: calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odivit anima mea; factæ ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens: & cùm extenderitis manus veſtras, avertam faciem meam à*

Digitized by Google

à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.

Hinc ſancti Patres verum Dei cultum in ejus dilectione ſitum eſſe definiunt.

Origenes, exponens hæc verba capitis primi Epiſt. ad Romanos, *gratias ago Deo meo*, obſervat hoc pro Deo coli quod præ cæteris amatur. „ Vox iſta (Deus meus), inquit, non poteſt eſſe niſi ſancto„ rum, quorum Deus dicitur...... Non poteſt Dominum Deum ſuum „ dicere is cui Deus venter eſt, aut cui avaritia Deus eſt, aut cui glo„ ria ſæculi, & pompa mundi, & potentia rerum caducarum Deus eſt. „ Quidquid enim unusquisque ſupra cætera colit (ſeu diligit), hoc „ illi Deus eſt."

Idem diſertiſſimè ac frequentiſſimè inculcat S. Auguſtinus. Sic loquitur Epiſt. 167, al. 29, ad S. Hieronymum, cap. 3. num. 11: „ Quid „ eſt pietas niſi Dei cultus? Et unde ille colitur ſine caritate?" Et Epiſt. 140, al. 120, ad Honoratum, cap. 18. num. 15: „ Quis veraci„ ter laudat, niſi qui ſinceriter amat? (Cùm ergo dicit Propheta: „ *Qui timetis Dominum, laudàte eum*), tantumdem eſt ac ſi diceret: qui „ timetis Dominum, amate eum...... Pietas Dei cultus eſt, nec coli„ tur ille niſi amando." Lib. 12 *de Trinitate*, cap. 14. num. 22: „ Quis „ cultus ejus, niſi amor ejus?" Et lib. *de Civitate Dei*, cap. 3. num. 2: „ Hic finis eſt adhærere Deo...... Hic eſt Dei cultus, hæc vera religio: „ hæc recta pietas: hæc tantùm Deo debita ſervitus." Non ait S. Doctor perfectum non eſſe Dei cultum, niſi à dilectione Dei imperetur, ſed nullum prorſùs agnoſcit verum cultum, niſi ab illa ſancta dilectione ſaltem inchoata profluat.

S. Proſper, Sententiâ 244: „ Hoc ab homine colitur, inquit, quod „ diligit. Unde, quia Deus rebus omnibus major & melior invenitur, „ plus omnibus diligendus eſt ut colatur."

S. Fulgentius in Reſponſione ad Ferrandum de *Baptismo Æthyopis*, cap. 4: „ Carnali cupiditati deditus animus, ait, hoc ſibi Deum facit „ eſſe quod diligit præ omnibus."

S. Bernardus Epiſt. 107 ad Thomam de Beverlâ, num. 11: „ Si, di„ cente Scripturâ, pietas eſt Dei cultus, profectò quisquis plus amat „ mundum quàm Deum, impius atque idololatra eſſe convincitur, co„ lens & ſerviens creaturæ potiùs quàm creatori.

Et certè ſincera religio, Dei cultus, pietas in Deum ſunt unum & idem. Porro pietas tota conſiſtit in amore. Si enim filius non cenſetur pius in parentes niſi eos diligat, & tantò magis pius habetur, quantò ardentius ipſos diligit, ita pariter nemo in Deum verè pius eſt, niſi Deum diligat, & tantò magis in pietate, quantò magis in dilectione, profecit.

Nul-

Digitized by Google

Nulla eſt vera Chriſtiana oratio ſine aliqua ſaltem inchoata caritate.

1°. Oratio eſt actus religionis magnaque pars divini cultûs. Igitur, cùm modò probatum ſit ſinceram religionem verumque Dei cultum non eſſe, ubi nulla eſt Dei dilectio, de oratione quoque idem dicendum eſſe manifeſtum eſt.

II°. Quid eſt oratio, niſi expoſitio & interpres deſiderii, juxta illud pſalmi 37: *Domine, ante te omne deſiderium meum?* Quid eſt autem deſiderium, niſi amor, prout fertur in bonum quod nondum habetur? Bonum autem, ex cujus deſiderio & amore oramus, vel ipſe Deus eſt, vel aliud aliquid à Deo diſtinctum. Deſiderare Deum, ut paulò ante probatum eſt, ad caritatem pertinet. Bona verò qualiacunque à Deo diſtincta vel appetuntur in ordine ad Deum ut finem ultimum, vel propter ſeipſa & abſque ordine ad Deum. Si primum, caritate appetuntur: ſi alterum, non legitimè, ſed inordinatè appetuntur, adeóque oratio non eſt verè Chriſtiana.

Quamobrem S. Auguſtinus in Pſalm. 52, num. 8, exponens hæc verba, *Deum non invocaverunt*, ſic loquitur: „ Nonne quotidie tales rogant Deum? Non rogant Deum. Attendite ſi poſſunt hoc dicere adjuvante ipſo Deo. Deus gratis ſe vult coli, gratis ſe diligi, hoc eſt, caſtè amari; non propterea ſe amari quia dat aliquid præter ſe, ſed quia dat ſe. Qui ergo invocat Deum ut dives fiat, Deum non invocat; hoc enim invocat quod ad ſe vult venire. Quid eſt enim invocare, niſi vocare in ſe?..... Ergo iſti, qui propter ſæcularia commoda, qui propter terrena bona, qui propter vitam præſentem & terrenam felicitatem invocant Deum, non invocant Deum.“ Et Concione 3 in pſalm. 30, num. 4: „ Dico breviter homini avaro: Invocas Deum? Quare invocas Deum? Ut det tibi lucrum? Lucrum ergo invocas, non Deum. Quia hoc lucrum, quod concupiſcis, non potes facere per ſervum tuum,..... miniſtrum lucri tui facis Deum. Viluit tibi Deus. Vis invocare Deum? Gratis invoca.“ Quod de lucro dicit S. Doctor, de rebus quibuslibet creatis dici debere perſpicuum eſt.

Et ſanè id quiſque orando petit quod amat. Cùm ergo jubeamur diligere Deum ex toto corde noſtro, omnem orationem noſtram ex dilectione Dei procedere oportet. Hinc S. Auguſtinus lib. *de Moribus Eccleſiæ Catholicæ*, cap. 17. num. 32, dicit: „ Amore petitur, amore quæritur, amore pulſatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit permanetur.“ S. Proſper in lib. *Sententiarum*, Sentent. 100, ſic loquitur: „ Clamor ad Deum eſt intentio cordis & flagrantia dilectionis.“ Stephanus Æduenſis in tract. *de Sacramento altaris*, cap. 13: „ Oratio, inquit, ſine caritate eſt infructuoſa, flos eſt ſine fructu, ſpica ſine grano, vox aera verberans ſine audiente.“ Et S. Thomas, Comment. in Epiſt. ad Rom. cap. 8. lect. 5: „ Oratio, „ in-

Digitized by Google

„ inquit, eſt quædam deſideriorum explicatio: deſideria autem recta „ ex amore caritatis proveniunt, quam in nobis facit Spiritus ſanctus.“

III°. Omnis oratio, ut Chriſtiana ſit Deoque accepta, debet poſſe reduci ad normam orationis Dominicæ. Quamvis enim liberum ſit aliis verbis eadem poſtulare, non eſt tamen liberum alia poſtulare, vel alio modo atque ordine poſtulare, quàm quo in illa divina oratione poſtulanda præſcribuntur, uti monet S. Auguſtinus Epiſt. 130, al 121, ad Probam, cap. 12. num. 22, & Serm. 56, cap. 10. Atqui oratio, quæ non procedit ab amore Dei ſaltem inchoato, reduci non poteſt ad normam orationis Dominicæ; non enim ea petit quæ per eam peti jubentur, vel ea non eo ordine petit qui per illam præſcribitur. Quomodò namque veraciter dicere poteſt, *Pater noſter*, qui Deum non diligit ut patrem, nec affectum filialem erga ipſum gerit, cùm, Rom. VIII, Apoſtolus dicat nonniſi per ſpiritum adoptionis filiorum, qui caritas eſt, clamari: *Abba, Pater.* Quomodò ante omnia ſanctificationem divini nominis, adventum regni Dei, voluntatis divinæ impletionem poſtulabit? Hæc enim omnia ſicut in caritate conſiſtunt, ita ſine aliquo ſincero caritatis affectu poſtulari nequeunt. Meritò itaque Bellarminus in *Expoſitione orationis Dominicæ*, cap. 6, obſervat eum „ qui converſionis gratiam ex corde non deſiderat (quod certè ſine aliquo ſaltem ſanctæ dilectionis initio fieri nequit), non ſolùm nihil impetrare, ſed etiam orationem ejus fieri in peccatum, cùm in ſingulis ferè petitionibus mentiatur.“

Al. Serm. 48 de Diverſis.

Idipſum ſatis apertè declarat Chriſtus ipſe, Matth. VI. 33, cùm dicit: *Quærite primùm regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Nemo quippe regnum Dei & juſtitiam ejus primùm inquirit ſine aliqua dilectione juſtitiæ; ac proinde ſine illa dilectione nemo orat ſicut oportet.

IV°. Qui accedit ad orandum vel juſtitiam conſecutus eſt, vel eſt adhuc peccati vinculis conſtrictus. Si juſtus eſt, caritatem habet in ſe manentem, & ex illa orare cenſetur, niſi aliquid obſtet. Si verò adhuc peccati ſervus eſt, nec ad Deum converti deſiderat, Deum potiùs offendit precando quàm colit. Quid enim magis temerarium eſt, quàm coram ſupremo Numine, quod offenderis, te ſiſtere de illo placando minimè ſollicitum? Si ratio ipſa dictat ſubditum læſæ regiæ majeſtatis reum à Rege, in quem peccavit, nihil quidquam petere debere, quàm admiſſi criminis veniam obtinuerit, & ſi quis aliter ſeſe gereret, ſummæ arrogantiæ omnium judicio culpandum fore, quantò ſtrictiùs lex æterna jubet eum, qui Deum graviter offendit, nonniſi pro impetranda venia ſupplicem ad Deum accedere? Porrò ut peccatum ſibi dimitti rectè poſtulet, debet imprimis peccatum odio habere, adeòque juſtitiam diligere; cùm ex S. Auguſtino, Epiſt. 145, al. 144, ad Anaſtaſium, num. 5, „ tantum quiſque peccatum oderit, quantùm juſtitiam diligit.

Quis

Quis etiam dubitet peccatoribus multò plus id incumbere, ut quamprimum cum Deo reconcilientur, quàm cum fratribus ſuis in quos fortaſſe deliquerunt? Chriſtus autem, Matth. V, præcipit ut non prius offeramus munus noſtrum ante altare, quàm fratri habenti aliquid adverſùm nos reconciliati fuerimus; munerisque nomine ſignificat quamlibet orationem, quemlibet cultum qui Deo exhibetur, uti exponit S. Chryſoſtomus, hom. 16 in Matthæum. Ergo à fortiori non poteſt à Deo non rejici oratio peccatoris, qui non imprimis id curat ut cum ipſo reconcilietur.

Quid enimverò poſtulabit hujusmodi peccator? Num ut Deus ipſius miſereatur? Optimè, ſi ſaltem incipiat averti à peccato & converti ad Deum. Si autem id poſtulat ſponte permanens in peccato, quid aliud poſtulat quàm ut Deus ſeipſum neget, parcatque impœnitenti? Num ut non permittat Deus eum in peccato mori? Rectè, ſi jam tunc incipiat peccati ſarcinam deponere. At ſi converſionem ſuam ultrò procraſtinat; quid, niſi ſpatium impunè delinquendi, ſibi concedi poſtulat? Quod quàm injurioſum Deo ſit nemo non ſentit. Num ut Deus largiatur ipſi bona quædam temporalia? Sed amor rerum temporalium, ſi non referatur ad Deum ut finem ultimum, quid niſi perverſa cupiditas eſt? Ergo quidquid peccator absque ullo ſanctæ dilectionis initio poſtulat à Deo, non ſolùm inaniter, ſed etiam illicitè poſtulat.

Hinc Scriptura ſacra ſæpiſſimè declarat hujusmodi preces Deo exoſas eſſe. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo*, ait David Pſalm. LXV. 18, id eſt, ſi affectum peccati interiùs geram, nec illum excutere geſtiam; *non exaudiet Dominus.* Et Proverb. XXVIII. 9: *Qui declinat aurem ſuam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.*

His oraculis ac rationibus convicti SS. Patres aſſerunt orationes peccatorum à Deo rejici, ſi non ex aliquo ſaltem ſincero converſionis affectu procedant.

S. Joannes Chryſoſtomus hom. 51, al. 52, in Matth. num. 4 & 5: Tom. 7. pag. 526, al. tom. 1. pag. 463.
„ Si millies, inquit, admiſiſti maculas, cur fruſtra linguam abluis, „ cùm pernicioſas & noxias ſordes in illa circumfers? Quid igitur, iniquics, non precari oportet? Oportet quidem, ſed non ſordibus maculatum, non tanto cœno onuſtum. Quid ſi caſu lapſus fuero? Purga teipſum. Quomodo? Luge, geme, eleemoſynam eroga, purga te apud Deum quem contumelia affeciſti, reconcilia te illi, abſterge linguam ne graviùs Deum irrites.“

Expreſſius adhuc loquitur S. Bernardus Serm. 4 in Quadrageſima, cap. 4. „ Non hoc dico, inquit, ut peccatoribus auferam orandi fiduciam; ſed „ volo eos orare ſicut gentem quæ peccatum fecerit, non juſtitiam. „ Orent pro indulgentia peccatorum ſuorum in animo contrito & ſpiritu humilitatis, quemadmodùm Publicanus ille: *Deus*, inquit, *propitius eſto mihi peccatori.* Temeritatem enim dico, quando is, in „ cu-

„ cujus conſcientia peccatum adhuc aut vitium aliquod regnat, ambu-
„ lat in magnis & in mirabilibus ſuper ſe, minùs ſollicitus pro pericu-
„ lo animæ ſuæ. Temeraria (oratio) aſcendit, ſed reſilit: reſiſtitur
„ enim ei, nec tantùm non obtinet gratiam, ſed & meretur offenſam.“

Idem docet Bellarminus lib. 5 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 10, ubi loquens de ſacrificio, quod primarium inter omnes preces locum obtinet, hæc ait: „ Sacrificium habet pro fine reconciliare & placare „ Deum, vel ab illo beneficia aliqua impetrare, aut pro acceptis gra- „ tias agere. Qui autem Deum ſibi reconciliare nititur, & tamen pec- „ cata non deteſtatur nec relinquit, is pugnat cum ipſa ſua actione, „ nec tam Deum placat quàm iracundiam provocat. Sic etiam qui „ vult à Deo beneficia impetrare, vel ei pro acceptis gratias agere, & „ tamen cum eo inimicitiam gerit, eumque offendere, legem ipſius præ- „ varicando, non ceſſat, is Deum non tam honorat quàm irridet. Qua- „ re nihil eſt mirum ſi ſacrificium ejus Deo non placeat, quippe quod „ non ritè offertur.“ Porro ſi ad rectè orandum requiritur ſincera ad Deum converſio, vel initium ſaltem converſionis, profectò requiritur etiam aliquod ſanctæ dilectionis initium, ſine quo cordis converſio nec inchoari, nec perfici poteſt.

Timor gehennæ omni caritate deſtitutus non eſt vera & Chriſtiana virtus.

Nonnulla præmittuntur. Timor Dei triplex diſtinguitur: ſervilis, initialis & filialis, qui etiam timor caſtus dicitur.

Timor ſervilis eſt ille quo ſolus gehennæ cruciatus metuitur, absque ulla Dei & juſtitiæ propter ſe dilectione. Dicitur ſervilis, vel etiam ſerviliter ſervilis, quia ſervorum eſt nonniſi pœnas timere, ſoloque illo timore à malo coerceri atque ad officium compelli.

Timor initialis ille eſt qui adjunctum habet aliquod ſanctæ dilectionis initium, quæ adhuc debilis & imperfecta indiget adminiculo timoris, ut voluntatem infirmam à pravis cupiditatibus deterreat, & ad bona opera excitet.

Timor filialis ſive caſtus eſt ille quo timetur offenſa Dei, non propter pœnam inde conſecuturam, ſed quia Deo ſuper omnia dilecto diſplicet. Dicitur filialis, quia filiorum benè natorum eſt parentibus ex amore obſequi, non pœnæ metu conſtringi. Dicitur etiam caſtus, quia caſtæ ac fidelis ſponſæ hujuſmodi timore viros ſuos reverentur, quos ex animo diligunt.

Obſervat S. Thomas, 2. 2. quæſt. 19. art. 8. in corp. timorem initialem non differre ſpecie, ſeu quoad eſſentiam, à timore filiali, ſed tantùm ratione graduum, ſeu ut imperfectum à perfecto. „ Timor initia- „ lis, inquit, accipitur ſecundùm quòd competit ſtatui incipientium, „ in quibus inchoatur quidem timor per inchoationem caritatis, non „ ta-

Digitized by Google

„ tamen ineſt eis timor filialis perfectè, quia nondum pertingunt ad „ perfectionem caritatis. Et ideò timor initialis hoc modo ſe habet ad „ filialem ſicut caritas imperfecta ad perfectam. Caritas autem perfecta „ & imperfecta non differunt ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum ſtatum; „ & ideò dicendum eſt quòd etiam timor initialis, prout hic ſumitur, non differt ſecundum eſſentiam à timore filiali." *Infimus autem perfectæ caritatis gradus eſt*, juxta eumdem, ibid. quæſt. 184. art. 2, ad 3, *ut nihil ſupra Deum, aut æqualiter ei diligatur*, id eſt, ut ſuper omnia Deus diligatur. Unde ſequitur *inchoationem caritatis, ſeu caritatem imperfectam*, ex qua naſcitur timor initialis, nondum eſſe ſuper omnia nec in corde dominantem. Ubi obiter etiam notandum eſt infra *infimum perfectæ caritatis gradum*, quo præceptum impleri incipit, agnoſcendam eſſe *inchoationem caritatis*, ſeu *caritatem imperfectam*, quâ nondum Deus ſuper omnia diligitur, quæ tamen à *caritate perfecta non differt ſecundùm eſſentiam.*

Quantùm timor filialis à ſervili differat, exponit egregiâ comparatione S. Auguſtinus, tract. 9 in 1 Epiſt. S. Joannis, num. 5. „ Aliud eſt, „ inquit, timere Deum, ne mittat te in gehennam cum diabolo; aliud „ eſt timere Deum ne recedat à te. Ille timor, quo times ne in ge- „ hennam mittaris cum diabolo, nondum eſt caſtus: non venit ex amo- „ re Dei, ſed ex timore pœnæ. Cum autem times Deum ne deſerat te „ præſentia ejus, amplecteris eum, ipſo frui deſideras." Et num. 6: „ Non poteſt meliùs explanari quid interſit inter duos iſtos timores,.... „ niſi ponas duas mulieres maritatas, quarum unam conſtituas volen- „ tem facere adulterium, delectari nequitiâ, ſed timere ne damnetur „ à marito. Timet maritum; ſed quia adhuc amat nequitiam, ideò „ timet maritum: huic non grata, ſed oneroſa eſt mariti præſentia; & „ ſi fortè vivit nequiter, timet ne maritus veniat. Tales ſunt qui ti- „ ment ne veniat dies judicii. Fac alteram amare virum, debere illi „ caſtos amplexus, nullâ ſe adulterii immunditiâ maculare: optat præ- „ ſentiam viri. Et quomodò diſcernuntur duo iſti timores? Timet il- „ la, timet & illa...... Illa dicit, timeo virum ne veniat: illa dicit, „ timeo virum ne diſcedat. Illa dicit, timeo ne damner: illa dicit, „ timeo ne deſerar. Pone hoc in animo Chriſtianorum, & invenis ti- „ morem quem foras mittit caritas, & alium timorem caſtum, perma- „ nentem in ſæculum ſæculi." Eâdem ſimilitudine utitur in Enarrat. in pſalm. 127. num. 8, & Epiſt. 140, al. 120, ad Honoratum, cap. 21. num. 53.

Nemini dubium eſt timorem filialem veram & Chriſtianam virtutem eſſe; procedit enim à caritate Deum ſuper omnia diligente, peccatumque ſuper omnia odio habente. Timor quoque initialis, quatenus ex caritate inchoata naſcitur, veræ & Chriſtianæ virtutis inchoatio quædam

eſt. De ſolo igitur timore ſervili omni caſtâ dilectione deſtituto quæſtio hîc vertitur, an ſcilicet vera & Chriſtiana virtus dicenda ſit.

In iſto autem timore ſervili duo ſunt inſigniter diſtinguenda: nimirum ipſe timor in ſeipſo & quoad ſubſtantiam conſideratus, & ſervilitas per accidens ei conjuncta, in quantùm omni amore Dei deſtituitur.

Lutherus, quem, ut obſervat Bellarminus lib. 2 *de Pœnitentia*, cap. 17, Lutherani hoc in capite deſeruerunt, aſſeruit timorem gehennæ in ſeipſo conſideratum malum eſſe ac perverſum. Hunc errorem deteſtantur Catholici omnes, conſentiuntque timorem gehennæ in ſeipſo bonum eſſe, laudabilem multiſque nominibus commendandum, maximè Chriſto ipſo præcipiente ut *eum timeamus qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Quamobrem S. Auguſtinus, Serm. 156, num. 4, populum ſuum hortabatur ut faceret vel timore pœnæ, quod amore juſtitiæ facere nondum poterat.

Al. Serm. 13 de Verbis Apoſtoli.

Non ſolùm timor iſte bonus & laudabilis eſt, verùm etiam valde utilis. Nam peccatorem coercendo ac retrahendo ab opere externo peccati, ipſum admonet ad gratiam Chriſti confugere, à peccati ſervitute liberandum. Præterea malorum operum cohibitione pravi habitus paulatim minuuntur, ſuccedit bonorum operum facilitas, præparatur caritati locus, quod priùs durum erat, levius videtur, & bonum, quod priùs fiebat ſerviliter, incipit fieri liberaliter & ex amore Dei, ut ſæpè obſervat S. Auguſtinus, Enarrat. in pſalmum 127. num. 7, Epiſt. 140, al. 120, ad Honoratum, cap. 18. num. 45, Tract. 4 in Joannem, cap. 10, Tract. 9 in Epiſt. Joann. num. 4 & 5, Serm. 398, cap. 1. Quin etiam, in Pſalmum 149. num. 15, pronuntiare non dubitat peccatorem, niſi *incipiat timore colere Deum, non pervenire ad amorem.* Quod confirmatur iſtis ſcripturæ verbis, Eccli. I. 28, *qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.*

Al. Serm. 214 de Tempore.

Meritò itaque Synodus Tridentina errorem Lutheri anathemate damnavit, ſeſſ. 6 *de Juſtificatione*, can. 8, his verbis: „ Si quis dixerit..... „ gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccato dolendo confugimus, vel à peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit."

Verùm, quamvis gehennæ metus, in ſe & quoad ſubſtantiam conſideratus, bonus ſit & utilis, meritòque à S. Auguſtino, Serm. 156, cap. 13, appelletur *ſervus caritatis*, cui tanquam dominæ viam præparat, qui tamen merè ſerviliter timet ipſa ſua ſervilitate malè affectus eſt, nec à peccato abſtinet quomodò eſt abſtinendum: ac proinde timor ſervilis, in quantùm ſervilis eſt & ab amore juſtitiæ ſejunctus, à veræ & Chriſtianæ virtutis ratione omnino deficit.

Probatur propoſitio.

Hinc SS. Patres unanimi conſenſu docent timore illo ſervili nec bonum rectè fieri, nec peccatum rectè vitari.

S. Cle-

Digitized by Google

S. Clemens Alexandrinus, lib. 1 *Pædagogi*, cap. 9, hac de re ſic loquitur: „ Duplex eſt genus metûs, quorum alterum quidem eſt cum „ pudore, quo utuntur cives erga bonos Principes, & nos erga Deum, „ quemadmodùm utuntur boni ac moderati filii erga parentes " (hic metus eſt filialis). „ Aliud autem metûs genus eſt cum odio, quo ſervi utuntur erga dominos difficiles, & Hebræi, qui Deum dominum „ fecere, non patrem " (hic eſt metus ſervilis). „ Multùm autem at- „ que adeò omnino differt, quantùm ad pietatem & religionem, id „ quod eſt voluntarium & liberum, ab eo quod fit per neceſſitatem," id eſt, quod per metum ſervilem quodammodò extorquetur. Ex quo liquet bonum, quod ex ſolo timore fit, non voluntariè, ſed quaſi ex neceſſitate fieri, ac proinde non habere veræ virtutis laudem. Pag. 126 & 127.

S. Joannes Chryſoſtomus, Hom. 4 in Epiſt. 2 ad Corinthios, num. 6: „ Cùm peccaveris, inquit, ingemiſce, non quòd pœnas daturus „ ſis, nihil enim hoc eſt (ac proinde non virtus), ſed quòd Dominum „ Deum tuum offenderis tam benignum, tam te amantem, tam deni- „ que tuæ ſaluti appenſum, ut filium quoque ſuum tuâ cauſâ tradi- „ derit." Tom. 10. pag. 453.

Sicut timoris gehennæ in ſeipſo conſiderati bonitatem atque utilitatem nemo magnificentiùs commendavit quàm S. Auguſtinus, ita ſervilitatis vitium nemo apertiùs patefecit. Duo imprimis docet: primum, per timorem ſervilem affectum peccati voluntatemque peccandi nullatenùs deponi, ſed in ipſa intus voluntate latenter vivere: alterum, per eumdem timorem mandata non verè ac rectè obſervari, ſed apparenter tantùm, ac bonum non benè fieri.

Primò quidem definit affectum peccati voluntatemque peccandi minimè excludi per timorem ſervilem, ſed intus vivere, etiam dum manus à perpetrando opere peccati exteriùs cohibetur.

Id perſpicuè declarat ac demonſtrat in Epiſt. 145, al. 144, ad Anaſtaſium, num. 4. „ Inaniter, inquit, putat victorem ſe eſſe peccati qui „ pœnæ timore non peccat; quia, etſi non impletur foris negotium „ malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis. Et „ quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vitatur, ſi „ ſubtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui „ vult facere quod non licet fieri, ſed ideò non facit quia non poteſt „ impunè fieri. Nam, quantùm in ipſo eſt, mallet non eſſe juſtitiam „ peccata prohibentem atque punientem: & utique, ſi mallet non eſſe „ juſtitiam, quis dubitat quin eam, ſi poſſet, auferret? Ac per hoc „ quomodò juſtus eſt juſtitiæ talis inimicus, ut eam, ſi poteſtas detur, „ præcipientem auferat, ne comminantem aut judicantem ferat? Inimi- „ cus ergo juſtitiæ eſt qui pœnæ timore non peccat; amicus autem erit „ ſi ejus amore non peccet; tunc enim verè timebit peccare: nam qui „ gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem pecca-

„ re

„ re metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit.“ Et num. 5: „ Tantùm quiſque peccatum odit, quantum juſtitiam diligit.“ Quid evidentius dici poteſt? De timore gehennæ loquitur S. Doctor, & non ſolùm aſſerit cum illo, ſi ſolus ſit & amore juſtitiæ penitùs deſtituatur, affectum peccati integrum vivere in corde, excludique non poſſe niſi per amorem juſtitiæ; ſed etiam invictè probat hominem, qui ſolo illo metu à peccando abſtinet, hoc ipſo, quòd non amat juſtitiam voluntati ſuæ obſiſtentem, quominùs faciat quod vellet ſi poſſet impunè, juſtitiæ inimicum ſe demonſtrare. Quis verò ſenſatus adeò perverſum affectum inter virtutes collocet?

Al. Serm. 18 de Verbis Apoſtoli. Idem gregi ſuo frequentiſſimè inculcat S. Doctor. Sic Serm. 161, cap. 8: „ Cùm ideò adulter non eſſe cœperis, quia times ardere in igne ſempiterno, nondum laudandus es. Non quidem ita dolendus ut „ ante, ſed tamen nondum laudandus. Quid enim magnum eſt timere pœnam? Magnum eſt, ſed amare juſtitiam...... Quid dicturus „ ſum? Malè times? quomodò tibi dicebam de adverſario qui quærebat corpus tuum occidere. Ibi enim rectè dicebam, malè times; ſecurum te fecit Dominus tuus dicens: *nolite timere eos qui occidunt corpus.* Modò, cùm dicis mihi, gehennam timeo,..... quid dicturus ſum? Malè times? Vanè times? Non audeo...... Planè time: „ nihil meliùs times: nihil eſt quod magis timere debeas. Sed interrogo te: Si non te videret Deus quando facis, nec quiſquam te convinceret in judicio illius, faceres? Tu te vide...... Si feceris, ergo „ pœnam times; caſtitatem nondum amas; caritatem nondum habes; „ ſerviliter times; formido eſt mali; nondum dilectio boni..... Timor „ id agebat ne faceres (exterius). Caritas id agit ut nolis facere, „ etiamſi impunè poſſis admittere.“ Igitur, ex S. Auguſtino, qui ſolo metu gehennæ continet ſe ab opere peccati, quamvis non malè metuat ex parte objecti, quia id metuit quod valde metuendum eſt, non rectè tamen metuit, quia ſerviliter metuit; nec propter hujuſmodi affectum laudandus eſt: certò tamen laudandus, ſi ille affectus eſſet vera virtus; omnem enim veram virtutem laude dignam eſſe quis neget?

Al. Serm. 15 de Verbis Apoſtoli. Serm. 169, cap. 6: „ Qui timore pœnæ non concupiſcit, puto quia „ concupiſcit...... Quid magnum eſt pœnam timere? Quis eam non ti- „ met? Quis latro? Quis ſceleratus? Quis nefarius? Sed hoc intereſt „ inter timorem tuum timoremque latronis, quòd latro timeat leges „ hominum, & ideò facit latrocinium, quia ſperat ſe fallere leges ho- „ minum: tu autem leges ejus times, pœnam ejus times quem fallere „ non potes. Nam ſi fallere poſſes, quid non feciſſes? Ergo & con- „ cupiſcentiam tuam malam non amor tollit, ſed timor premit.“

Al. Serm. 19 de Verbis Apoſtoli. Demum, ut alia plura omittam, Serm. 178, num. 10: „ Deus, in- „ quit, cor interrogat, non manum...... Si timore gehennæ non facis „ malum, eſt quidem in te fides quâ credis futurum eſſe judicium Dei.

„ Gau-

Digitized by Google

„ Gaudeo fidei tuæ, ſed adhuc timeo malitiæ tuæ...... Aliud eſt ti-
„ mere pœnam, aliud amare juſtitiam."

Hanc autem doctrinam, invictis jam argumentis aſſertam, oppoſitis etiam comparationibus illuſtrat. Eum namque, qui ſolo metu pœnæ abſtinet à malo opere, comparat nunc lupo gregi inſidianti, ſed, quia paſtores vigilant & latrant canes, damnum nullum inferenti. „ Num-
„ quid, ait ibidem, quia ovem non tulit, ideò lupus venit, & ovis re-
„ dit? Lupus venit fremens, lupus redit tremens; lupus eſt tamen &
„ fremens & tremens:" Nunc leoni, qui telorum & armorum ingenti fragore territus à præda revocatur. „ Prædam non rapuit, inquit Serm. 169.
„ num. 8, non malitiam poſuit:" Nunc infideli mulieri, quæ ſolo metu vindictæ mariti retinetur ne committat adulterium. Quis verò hujuſmodi mulierem virtuoſam dicat? Ergo à pari, qui ſolo gehennæ metu ab actu neſario ſeſe continet, nullam virtutis laudem meretur. Videri etiam poſſunt Concio 1 in pſalm. 32. num. 6, & Concio 25 in pſalmum 118, num. ultimo.

2°. Aſſerit S. Doctor per ſolum timorem ſervilem mandata non verè obſervari, ſed ſpecietenùs tantùm, nec bonum rectè fieri.

Enarrat. in pſalmum 67, num. 20: „ Quoniam, inquit, plenitudo
„ legis caritas eſt, ideò per caritatem lex impletur, non per timorem."
Et Enarrat. in pſalmum 77, num. 10: „ Ex corde nullomodò fieri po-
„ teſt quod formidine fit pœnæ, non dilectione juſtitiæ. Nam quan-
„ tùm pertinet ad facta quæ forinſecùs aguntur, & qui timent pœ-
„ nam, & qui amant juſtitiam non furantur; & ideò pares ſunt ma-
„ nu, diſpares corde, quia pares ſunt opere, diſpares voluntate."

Huic autem doctrinæ, quæ in ejus ſcriptis frequentiſſimè occurrit, duo potiſſimùm fundamenta ſupponit S. Doctor. Primum eſt, totam operum rectitudinem à cordis rectitudine pendere, cor autem rectum non fieri niſi amore Dei. „ Directo corde, ait ibidem, recta ſunt ope-
„ ra; cùm autem cor directum non eſt, opera recta non ſunt, etiamſi rec-
„ ta videantur." Alterum autem eſt, quòd qui ſolâ pœnæ formidine ad obſervanda mandata impelluntur, non ſponte, ſed inviti quodammodò ea obſervent, vellentque non eſſe legem illa præcipientem. „ Qui timo-
„ re pœnæ, inquit, non amore juſtitiæ opus legis facit, profectò invi-
„ tus facit. Quod autem invitus facit, ſi fieri poſſet, mallet utique non
„ juberi, ac per hoc legis, quam vellet non eſſe, non eſt amicus, ſed
„ potius inimicus, nec mundus eſt opere qui immundus eſt cogitatio-
„ ne & voluntate." Legi etiam poſſunt lib. 1 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 9. num. 15, & lib. 2. cap. 10. num. 21.

Eadem eſt Patrum ſubſequentium doctrina.

S. Proſper, lib. *Sententiarum*, ſentent. 117: „ Eam innocentiam Deus
„ probat, quâ homo non timore pœnæ fit innocens, ſed amore juſti-
„ tiæ. Nam qui timore non peccat, quamvis non noceat cui vult no-

„ cere, ſibi tamen plurimùm nocet, & abſtinens ab iniquo opere ſolâ „ tamen reus eſt voluntate."

Caſſianus in *Collatione* 11, cap. 9: „ Multò majus eſt, inquit, propter bonum ipſum à bono nolle diſcedere, quàm propter metum malis „ non præbere conſenſum. In illo enim voluntarium bonum eſt, in iſto verò veluti coactum, & tanquam nolenti violenter extortum, vel „ metu ſupplicii, vel cupiditate præmiorum. Nam qui timoris obtentu à vitiorum abſtinet blandimentis, adempto timoris obſtaculo, „ rurſùm ad illud quod diligit revertetur." Loquitur iſte auctor de quolibet timore pœnæ ab amore juſtitiæ ſejuncto, docetque cum Patribus modò memoratis ac memorandis eum, qui ex hujuſmodi timore bonum quodcunque agit, non ex voluntatis inclinatione, ſed quaſi coactum atque invitum facere quod jubetur, procul dubio non facturum ſi pœna nulla immineret. Porro virtutis proprium eſt voluntatem inclinare ad bonum ſponte atque ex animo faciendum.

S. Leo, Serm. 4 de Jejunio ſeptimi menſis, cap. 1: „ Ubi Spiritus „ Dei, inquit, ibi libertas, quæ legem non timore exequitur, ſed „ amore. Obedientia enim mollit imperium, nec durâ ibi neceſſitate „ ſervitur, ubi diligitur quod jubetur." Igitur, à contrario, ubi ſolus timor operatur deeſtque dilectio, non voluntate, ſed quâdam neceſſitate, atque adeò abſque ulla virtutis laude ſervitur.

Julianus Pomerius, lib. 3 *de Vita contemplativa*, cap. 32, timorem caſtum ſeu filialem à ſervili eo diſtinguit, quòd ſervilis habeat vitium ſibi adjunctum, nec excludat affectum peccati. „ De timore, inquit,

Pſalm. XVIII. 10. „ ſcriptura noſtra loquitur, dicens: *Timor Domini ſanctus, permanens* „ *in ſæculum ſæculi.* Sed, quod verè fatendum eſt, ab illo alio timo-

1 Epiſt. IV. 18. „ re pœnarum diſtinguitur, de quo dicit Apoſtolus Joannes: *Timor* „ *non eſt in caritate, ſed perfecta caritas foras mittit timorem;* quia „ ille peccare volentes deterret à malo, & invitos tenet in bono..... „ Aliter quis timet ne malum quo puniatur incurrat, aliter ne bonum „ quo delectatur amittat. Non igitur omnis timor haberi debet in vi-

Ibidem. „ tio, ſed ille tantum de quo ſcriptum eſt: *quia timor pœnam habet.*

Eccli. I. 27 & 28. „ Cæterùm iſte (filialis), de quo dicitur, *timor Domini expellit peccatum*, &, *qui ſine timore eſt non poterit juſtificari*, non eſt inter vitia numerandus, ſed potius intelligendus eſt vitiis inimicus." Mens hujus auctoris non eſt timorem ſervilem, in ſe conſideratum, vitioſum eſſe, ſed tantummodò, quatenùs ſervilis eſt, habere vitium ſibi adjunctum.

S. Gregorius magnus, lib. 9 *Moralium*, cap. 22. num. 32: „ Humani generis conditorem, inquit, qui adhuc ſerviliter formidat, procul dubio non amat. Nam tunc ſolùm Deo vera obſequia reddimus, „ cùm eum propter amoris fiduciam non timemus; cùm nos ad bona „ opera affectus, non metus, dirigit; cùm malum menti noſtræ jam

„ non

„ non placet, etiamſi liceat. Nam qui à perverſitatis opere ex timore „ reſtringitur, perverſa libenter ageret, ſi liceret.“ Et lib. 3 *Paſtoralis*, admonit. 14: „ Bona pro ſemetipſis amanda ſunt, & non pœnis „ compellentibus exequenda. Nam qui propterea bona facit, quia tor- „ mentorum mala metuit, vult non eſſe quod metuat, ut audacter illicita „ committat. Unde luce clarius conſtat quòd coram Deo innocentia „ amittitur, ante cujus oculos deſiderio peccatur.“ Idem docet lib. 1 Moralium, cap. 11.

S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 2 *Sententiarum*, cap. 21. num. 1: „ Aliud „ eſt, ait, non peccare amore dilectionis Dei; aliud timore ſupplicii. „ Qui enim amore caritatis Dei non peccat, horreſcit omne malum, „ amplectendo juſtitiæ bonum, nec eum delectat peccatum, etiamſi im- „ punitas promittatur. Qui verò ſolâ pœnâ ſupplicii in ſe vitia repri- „ mit, quamvis non expleat opus peccati, vivit tamen in eo voluntas „ peccandi, doletque ſibi eſſe illicitum quod lex prohibere dignoſcitur. „ Ille ergo mercedem boni operis percipit, qui amando juſtitiam facit, „ non is qui ſolo metu pœnarum invitus cuſtodit.“

Claudius Clemens, IX ſæculo Epiſcopus Taurinenſis, in Epiſt. ad Galatas, cap. V. 13: „ Qui per caritatem ſervit, liberè ſervit, & ſine mi- „ ſeria obtemperans Deo, cum amore faciendo quod docetur, non cum „ timore quod cogitur.“ Ergo qui ſolo pœnarum timore ſervit, non ſponte, ſed coactus quodammodò mandata cuſtodit.

S. Bernardus, Epiſt. 11 ad Guigonem, num. 3: „ Puto, ait, de il- „ la (caritate) dictum: *Lex Domini immaculata, convertens animas;* Pſalm. 18. „ quòd ſola videlicet ſit quæ ab amore ſui & mundi avertere poſſit ani- „ mum, & in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus „ convertit animam: mutant interdum vultum vel actum, affectum nun- „ quam. Facit quidem etiam ſervus nonnunquam opus Dei; ſed, quia „ non ſponte, in ſua adhuc duritia manere convincitur...... Sit itaque „ ſervo ſua lex timor ipſe quo conſtringitur: ſit mercenario ſua cupiditas, „ quâ & ipſe arctatur...... Sed harum nulla aut ſine macula eſt, aut „ animas convertere poteſt: caritas verò convertit animas, quas facit „ & voluntarias.“ Hoc in textu S. Bernardus, non ſolùm docet timore ſervili non converti animam, nec affectum peccati excludi, cordiſve duritiam expelli; verùm etiam aſſerit timorem illum, quatenùs ſervilis eſt, non eſſe *ſine macula*. Et Serm. 4 de Diverſis, num. 3: „ Eſt qui „ clavis configitur Domino majeſtatis, quem timor Dei ligat, qui non „ expaveſcit ad vultus hominum, ſed ad memoriam gehennalium tor- „ mentorum.“ (En timor gehennæ pulchrioribus coloribus expreſſus: quid tamen de illo, quando ſolus eſt & dilectione Dei planè deſtitutus, ſentiat Doctor Mellifluus, audiamus): „ Et hic quidem, ait, peccare „ non metuit, ſed ardere.“ Demùm, Serm. 2 in capite Jejunii, cap. 3, omnem timorem, qui ad Deum dilectum non refertur, non modò vir-

tutis laudem non mereri, ſed etiam ſub illo reſpectu perverſum eſſe aſſirmat. „ Convertatur ad Deum, inquit, timor tuus, quia perverſus „ eſt timor omnis quo metuis aliquid præter eum, aut non propter „ ipſum."

SS. Patribus concinunt & Theologi: præcipuos ex antiquioribus indicabimus.

Magiſter Sententiarum, lib. 3. diſt. 36, in fine, hæc poſt Auguſtinum dicit: „ Quod timore pœnæ vel aliquâ intentione carnali fit, ut „ non referatur ad caritatem, nondum fit quemadmodum fieri oportet, „ quamvis fieri videatur. Inimicus enim juſtitiæ eſt qui pœnæ timore „ non peccat: amicus verò juſtitiæ qui ejus amore non peccat."

S. Thomas, 1. 2. quæſt. 147. art. 1, ad 2, ait imperfectorum eſſe ad virtutis opera facienda ſolo pœnarum metu compelli; „ & ideò ve- „ terem legem dictam eſſe legem timoris: illos autem, qui habent vir- „ tutem, inclinari ad opera virtutis agenda propter amorem juſtitiæ; „ & ideò legem novam dici legem amoris; & propter hoc etiam legem „ veterem dici cohibere manum, non animum." Porro ſi virtutis proprium eſt inclinare ad bonum *propter amorem juſtitiæ*, ergo qui non amore juſtitiæ, ſed ſolo timore pœnæ ad bonum compellitur, virtutis omnino expers eſt. Imò hujuſmodi timorem, quatenùs ſervilis eſt, *malum* appellare non dubitat S. Doctor, 2. 2. quæſt. 19. art. 4, in corp. „ Timor ſervilis, inquit, ex parte ſervilitatis habet quòd ſit malus...... „ Contra rationem ſervilitatis eſt quòd aliquis ex amore operetur. Sic „ ergo timor ſervilis ſecundùm ſuam ſubſtantiam bonus eſt, ſed ſervi- „ litas ejus eſt mala." Idipſum præclarè explicat Comment. in Epiſt. ad Rom. cap. 8. lect. 3. „ Spiritus ſanctus, inquit, duos effectus facit „ in nobis, unum quidem timoris, alium amoris...... Eſt timor qui „ refugit malum quod contrariatur naturæ creatæ, ſcilicet malum pœ- „ næ, ſed tamen refugit hoc pati à cauſa ſpiritali, ſcilicet Deo; & hic „ timor eſt laudabilis, quantùm ad hoc ſaltem quòd Deum timet,..... „ & ſecundùm hoc à Spiritu ſancto eſt. Sed in quantùm talis timor non „ refugit malum quod opponitur bono ſpirituali, ſcilicet peccatum, ſed „ ſolùm pœnam, non eſt laudabilis; & iſtum defectum non habet à „ Spiritu ſancto, ſed ex culpa hominis...... Unde etſi per hujuſmodi „ timorem aliquis bonum faciat, non tamen benè facit, quia non fa- „ cit ſponte, ſed coactus metu pœnæ; quod propriè eſt ſervorum: & „ ideò iſte timor propriè dicitur ſervilis, quia ſerviliter facit hominem „ operari...... Sicut hic timor facit ſervitutem, ita amor caritatis fa- „ cit libertatem filiorum: facit enim hominem voluntariè ad honorem „ Dei operari; quod eſt propriè filiorum."

S. Bonaventura in opuſculo *de Septem donis Spiritûs ſancti*, de dono timoris loquens, dicit cap. 1: „ Timor ſervilis..... principaliùs timet „ pœnam quàm culpam, nec mutat voluntatem in bonum, licet crimi-

„ nis

„ nis impediat executionem.“ Addit cum iſto timore „ vivere pec-
„ candi voluntatem, effectumque ſecuturum, ſi non ſequeretur pœna-
„ litas.“

Alphonſus Salmeron Jeſuita, Tract. 22 *in Canticum Zachariæ:* „ Si
„ timor ſolus eſt, inquit, purgat, non affectus internos, ſed (actus)
„ externos; immutat, non cor ipſum, ſed opera; coercet iniquitatem,
„ non juſtificat voluntatem.“

Eſtius in 3. diſtinct. 34. §. 5, de timore ſervili loquens: „ Eſt hic
„ timor vitioſus, inquit, non quidem ex ſe, id eſt, quatenùs timor
„ pœnæ eſt, ſed quatenùs ſervilis, id eſt, quatenùs malum ſemper ha-
„ bet adjunctum, nempè latens in animo deſiderium peccandi.“ Et
§. 7: „ In timore ſervili duo ſunt conſideranda, timor & ſervilitas:
„ quorum alterum bonum eſt, alterum malum. Bonum eſt enim ti-
„ mere pœnam; malum verò ſerviliter timere, id eſt, ita timere ma-
„ lum pœnæ, ut nondum ametur bonum juſtitiæ.“

Relegi poſſunt quæ in Libro præcedente diximus de diſcrimine vete-
ris & novi teſtamenti, ubi illi timorem, huic dilectionem aſſignari oſ-
tendimus.

Tot evidentiſſimorum documentorum pondus ut declinent adverſarii, respondent ea vel non de gehennæ, ſed de malorum temporalium metu intelligi debere; vel, ſi de ipſo metu gehennæ intelligantur, ad illum eſſe reſtringenda quem appellant *ſerviliter ſervilem*, quique adjunctam habet actualem & expreſſam voluntatem peccandi, ſi pœna tolleretur; non verò ad eum extendenda quem vocant *ſimpliciter ſervilem*.

Verùm cauſæ, quam tueri fruſtra conantur, perverſitatem demonſtrat hujusmodi reſponſionis infirmitas. Nam 1° Patres memorati ferè omnes de ipſo gehennæ timore expreſſis verbis loquuntur. 2°. Si illorum nonnulli de timore generatim conſiderato locuti ſunt, eos, qui ſolo ſupplicii metu à peccato abſtinent, non idcircò reprehendunt, quòd mala temporalia pertimeſcant, cùm æterna formidari deberent; ſed quòd timor quilibet ex natura ſua, quando ſolus eſt, manum duntaxat reprimat, voluntatemque peccandi non tollat. 3°. Non ſolùm docent affectum peccandi non excludi per ſolum timorem, ſed apertiſſimè declarant ſolius dilectionis juſtitiæ proprium id eſſe; ac proinde loquuntur de quocunque timore pœnæ ſejuncto à juſtitiæ dilectione. 4°. Omnibus ſanctis Patribus antiquioribusque Theologis planè inaudita fuit recens iſta & chimerica diſtinctio timoris ſervilis in *ſimpliciter ſervilem*, & in *ſerviliter ſervilem:* ſed, quisquis ſolo timore pœnæ ad bonum compellitur, vel à malo retrahitur, cum indubitanter & generatim afferunt ſerviliter operari, ſicque affectum eſſe, ut contrarium operaretur ſi poſſet impunè, hocque ipſo eſſe juſtitiæ inimicum. Reverâ peccator, priusquàm timoris ſtimulo pungeretur, voluntati peccandi affectuique peccati mancipatus erat. Porro pravum illum affectum timor ſolus excludere ne-

 qua-

quaquam potuit: „ deſiderium quippe peccandi non extinguitur niſi „ contrario deſiderio benè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur," ut ait S. Auguſtinus lib. 2° *contra Adverſarium Legis & Prophetarum*, cap. 7. num. 27. Nullo igitur fundamento nititur fictitia illa diſtinctio timoris *ſimpliciter ſervilis* & timoris *ſerviliter ſervilis*; quandoquidem in eo præciſè conſiſtit timoris ſervilitas, quòd pœna duntaxat timeatur, juſtitia autem non diligatur. Nam, ut ait idem S. Doctor Concione 17 in pſalm. 118, num. 1: „ Quando bonum opus fit timore pœnæ, „ non amore juſtitiæ, cùm Deus metuitur, non amatur, ſerviliter fit, „ non liberaliter." Idipſum Bellarminus quoque docet lib. 2 *de Pœnitentia*, cap. 17. „ Timor, inquit, eſt propriè ſervilis, quo videlicet „ ita peccator Deum punientem timet, ut ſolius pœnæ fugiendæ cauſâ „ à peccatis perpetrandis caveat & de perpetratis doleat." Et cap. 18: „ Timor ſervilis non dicitur ſervilis ab aliqua forma ſervilitatis ſibi intrinſeca & eſſentiali, ſed à forma ſervilitatis extrinſeca ſibi, intrinſeca autem ſubjecto ſuo...... Itaque qui ſerviliter timet, malus eſt, „ quia plus facit pœnam quàm culpam...... Quòd autem non vehementius timeat culpam, non oritur ex timore pœnæ, ſed EX DEFECTU CARITATIS." Servilitas ergo timoris eſt, juxta Bellarminum, ubicunque eſt *caritatis* ſeu dilectionis defectus.

Allatis hucusque auctoritatibus accedunt inſuper rationes validiſſimæ.

1°. Vera virtute præditus dici nequit qui ſic abſtinet ab opere peccati, ut illud perpetraret, ſi poſſet impunè. Ita porro affectus eſt quisquis ſolo gehennæ metu à peccato abſtinet. Quoties enim unico duntaxat motivo aliquis impellitur ad quidpiam agendum vel vitandum contra inclinationem ſuæ voluntatis, ſublato illo unico motivo, confeſtim operatur juxta voluntatis ſuæ propenſionem: ferè quemadmodùm aquarum impetus (quâ ſimilitudine uſi ſunt SS. Patres), quarum curſus obice oppoſito cohibetur, ſtatim atque ceſſat obex, in prona devolvitur. Porro in caſu præſenti ſolo pœnæ incurrendæ metu peccator impelli ſupponitur ad faciendum bonum vitandumque peccatum, contra inclinationem ſuæ voluntatis. Ergo, ſi ſubtrahas pœnam incurrendam, quæ ſola retinet, nullum ampliùs motivum ſupereſt quo impellatur, ſive ad faciendum bonum, ſive ad abſtinendum à peccato.

Hanc rationem ſeipſâ evidentiſſimam crebro aſſerunt Patres ſuprà appellati, atque imprimis S. Auguſtinus. Sic namque loquitur Serm. 270, num. 4: „ Si propterea facis bonum, quia times pati malum, aut „ propterea non facis malum, quia times pati malum, ſi aliquis tibi „ promitteret impunitatem, ſtatim comprehenderes iniquitatem." Cur autem ita ſit advertite: „ Timore enim pœnæ revocabaris, non dilectione „ juſtitiæ." Quaſi dicat: remoto quod times & quo revocabaris, nihil jam reſtat quo revoceris. Et Serm. 145: „ Quare non facis adul-

„ te-

„ terium? Quia, ſi feceris, in gehennam mitteris. Ignem times. O ſi „ caſtitatem amares, non faceres, etſi omni modo impunitus eſſe debe- „ res. Si tibi Deus diceret: ecce fac, non te damnabo,..... ſed fa- „ ciem meam tibi negabo: ſi propter hanc comminationem non faceres, „ amore Dei non faceres, non timore ſupplicii.

Ipſi etiam Poetæ prophani, ſolo naturali lumine ducti, cecinerunt affectum peccati voluntatemque peccandi intus vivere, quamdiù ſolo timore pœnæ manus comprimitur. Terentius in Adelphis ſenem quemdam ſic loquentem inducit:

Malo coactus qui ſuum officium facit,
Dum id reſcitum iri credit, tantisper cavet:
Si ſperat fore clam, rurſùs ad ingenium redit.

Et Horatius lib. 1. Epiſt. 16:

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ:
Sit ſpes fallendi, miſcebis ſacra prophanis.

Et certè, ſi diligenter diſcutiamus quouſque timoris virtus extendere ſeſe valeat, deprehendemus 1° timorem coercere vel ſuſpendere actum externum peccati, quando pœna imminens magis formidatur, quàm peccati perpetrandi ſuavitas delectat. 2°. Eumdem proinde impedire ne voluntas actu imperet actum illum peccati. 3°. Interdum quoque eumdem cohibere actualia peccandi deſideria ne ſurgant, vel comprimere ſi ſurgant, ideò ſcilicet quòd deſideria peccandi à Deo puniantur; verùm nunquam eò uſque progredi poſſe, ut affectum peccati in corde latentem extinguat, aut per ſe imminuat, quia affectus peccati tolli minuive nequit niſi per affectum contrarium, nimirum per amorem juſtitiæ, qui ſolus affectui peccati directè opponitur. Itaque diſtingui neceſſariò oportet affectus peccati ab imperio voluntatis talem actum fieri decernentis. Iſtud imperium timor non rarò reprimit, affectum autem peccati nunquam: quemadmodùm, quando mercator naufragii jam proximè imminentis metu merces ſuas in mare projicit, ipſa ejus voluntas hanc projectionem imperat, ſed nullatenùs deponit amorem earumdem mercium, quas, etiam dum projicit, vellet actu conſervare ſi fieri poſſet; quæ quidem voluntas etſi effectu caret, quoad affectum tamen abſoluta & actualis eſt.

2°. Ille timor non eſt vera virtus, qui ultimò refertur ad commodum noſtri corporis, & naſcitur ex amore privato. Talis eſt timor ſervilis. Cùm enim timor omnis derivetur ab amore illius boni cujus amiſſio

miſſio formidatur, timor gehennæ derivatur ab amore boni noſtri privati, nec refertur ad finem ultimum niſi imperetur à caritate. Nam, ut ait S. Auguſtinus Serm. 348. cap. 3. num. 4: „ Ille timor, quem foras „ mittit caritas, propterea pungit animam, ne amittatur aliquid quod „ in creatura diligitur, vel ipſa ſalus & requies corporis, vel aliquid „ tale poſt mortem. Propterea enim timentur & apud inferos pœnæ, „ & dolores, & tormenta gehennarum.“ Pariter S. Bernardus Serm. 3 de Diverſis, num. 9: „ Et qui timet ire ad portas inferi, & qui cupit „ Deum videre propter quietem ſuî, uterque profectò quærit quæ ſua „ ſunt.“ Et S. Thomas 2. 2. quæſt. 19. art. 6. in corp: „ Timor ſervilis ex amore ſuî cauſatur, quia eſt timor pœnæ, quæ eſt detrimentum proprii boni.“ Porro ſicut amor noſtrî, in ſeipſo bonus ac licitus, tunc tantùm rectus eſt, quando nos in Deo & propter Deum diligimus, ita inordinatus ac perverſus eſt, quando ſeipſo tanquam fine ſuo ultimo fruitur, & ad Deum propter ſe dilectum non refertur.

Al. Serm. 214 de Tempore.

Obſervandum tamen eſt, cùm duplex ſit damnatorum pœna, una damni, quæ eſt privatio viſionis & fruitionis Dei, altera ſenſûs, quæ in cruciatibus conſiſtit, ſub illo duplici reſpectu gehennam timeri poſſe. Timor gehennæ, quatenùs ſeparat à Deo ſummo bono, ſupponit deſiderium fruendi Deo, adeòque caritatem includit, ſaltem imperfectam, ac proinde non eſt ſervilis, ſed filialis, aut ſaltem initialis. Timor autem de quo loquimur ſolam reſpicit pœnam ſenſûs, quam reformidat tanquam maximum & ſummum malum: id autem caritati directè adverſatur. Namque, ut ait S. Thomas loco mox citato: „ Amor ſuî..... „ uno modo contrariatur caritati, ſecundum quòd aliquis in amore „ proprii boni finem ſuum conſtituit: alio verò modo in caritate includitur, ſecundùm quòd homo ſe propter Deum & in Deo diligit...... „ Sic & timor pœnæ includitur uno modo in caritate; nam ſeparari à „ Deo eſt quædam pœna quam caritas maximè refugit: unde hoc pertinet ad timorem caſtum. Alio autem modo contrariatur caritati, „ ſecundùm quòd aliquis refugit pœnam contrariam bono ſuo naturali, „ ſicut principale malum contrarium bono quod diligitur ut finis.“ Addit verò „ timorem pœnæ non dici ſervilem, niſi quando pœna formidatur ut principale malum.“ Igitur timor ſervilis, quatenùs ſervilis, inordinatus eſt, nec veris virtutibus annumerandus.

3°. Vera virtus inclinat ad opera omni ex parte bona & quæ rectè fiant. Atqui opera quæ fiunt ex timore merè ſervili non ſunt omni ex parte bona, nec rectè fiunt. Ad hoc enim ſatis eſt quòd ſervilitas illis operibus adjuncta ſit mala & inordinata. Porro, tametſi timor in ſe ſpectatus bonus ſit ac legitimus, cum tamen, quatenùs ſervilis eſt, inordinatum ac pravum eſſe expreſſè definit S. Thomas, 2. 2. quæſt. 19. art. 4. in corp. „ Timor ſervilis, inquit, ex parte ſervilitatis habet „ quòd

Digitized by Google

„ quòd ſit malus...... Timor ſervilis, in quantùm ſervilis eſt, contrariatur caritati."

Objiciunt. Quod eſt ſupernaturale & à Spiritu ſancto non poteſt veræ virtutis laude fruſtrari. Atqui, ex concilio Tridentino, Seſſ. 14 *de Pœnitentia*, cap. 4, gehennæ pœnarum metus à Spiritu ſancto eſt. Sic enim loquuntur Patres concilii: „ Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, „ ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat S. Synodus „ non ſolùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, „ verùm etiam donum Dei eſſe & Spiritûs ſancti impulſum, non adhuc „ quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus „ viam ſibi ad juſtitiam parat." Ergo timor gehennæ habet rationem veræ virtutis.

Solvuntur objectiones.

Diſtinguo majorem. Quod eſt ſupernaturale & à Spiritu ſancto, non ſolùm ex parte objecti, ſed etiam ex parte finis ultimi, pertinetque ad gratiam Chriſti propriè dictam, rationem habet veræ virtutis, concedo. Quod eſt ſupernaturale & à Spiritu ſancto ex parte objecti tantummodò, nec pertinet ad gratiam Chriſti propriè dictam, nego majorem. Diſtinguo etiam ſimiliter minorem.

Duplici ſenſu aliquid dici poteſt ſupernaturale & à Spiritu ſancto: 1°. Quidem ratione objecti, quod naturæ ſibi ipſi relictæ vires ſuperat. Sic fides merè ſpeculativa myſteriorum, quæ ſolâ revelatione divinâ nobis innoteſcunt, ſupernaturalis eſt, & à Spiritu ſancto illuſtrante intellectum & ad aſſentiendum movente. 2°. Ratione finis ultimi, quando ſcilicet aliquid fit ex dilectione Dei, & ad ejus gloriam refertur. Hoc ſenſu plurimi actus ex ſeipſis & ex parte objecti merè naturalis, ut manducare, bibere, parentes honorare, eleemoſynam erogare, & ſimilia, fiunt actus ſupernaturales, ſuntque à Spiritu ſancto ſi fiant ex amore Dei. E contrario actus ſupernaturales quoad objectum ſuum, ſi ad debitum finem ultimum non referantur, non ſunt ſub illo reſpectu ſupernaturales, nec à Spiritu ſancto. Addendum autem eſt ea ſola, quæ ſupernaturalia ſunt ex parte finis ultimi, pertinere ad gratiam Chriſti propriè dictam, quæ gratia eſt novi teſtamenti.

His præmiſſis, reſpondeo concilium Tridentinum non loqui de timore ſervili, ſed de timore qui habeat adjunctam dilectionem Dei, & quidem incipientem in corde dominari. Loquitur enim de attritione, ſeu contritione imperfecta, quæ *voluntatem peccandi excludat*. Atqui ſupra abundè probatum eſt voluntatem peccandi nequaquam excludi per timorem ſolum, ſed per dilectionem juſtitiæ. Verùm non abs re erit breviter exponere quo ſenſu timor gehennæ poteſt vel non poteſt dici ſupernaturalis, & à Spiritu ſancto. Itaque dico 1° illum timorem eſſe ſupernaturalem ratione ſui objecti, quatenùs malum quod timet ſolà revelatio-

Digitized by Google

ne divinâ nobis innoteſcit, & nonniſi per fidem apprehenditur. Dico 2° timorem ſervilem non eſſe ſupernaturalem, nec à Spiritu ſancto ratione finis ſui ultimi, quia naſcitur ex amore proprii noſtri commodi, & ad illud ultimò refertur. Quamobrem, ſicut mala temporalia ſupernaturaliter metuit, qui ea metuit in ordine ad Deum propter ſe dilectum, ita è contrario affectu merè naturali gehennam metuit, qui illam metuit abſque ullâ dilectione juſtitiæ: & quemadmodùm timor per legem veterem incuſſus, quamvis comminationes divinitùs factas formidaret, intrinſecè tamen & ex parte finis ultimi merè naturalis fuit, ita & timor pœnarum alterius vitæ, ſi dilectionis Dei expers ſit, naturalis eſt, nec à Spiritu ſancto ratione finis ſui ultimi, pertinetque ad vetus, non ad novum teſtamentum. Enimverò, ut ait S. Auguſtinus lib. *de Spiritu & littera*, cap. 32. num. 56: „ Et illi qui ſub lege ſunt, & timore pœ„ næ juſtitiam ſuam facere conantur, & ideò non faciunt Dei juſtitiam, „ quia caritas eam facit, quam non libet niſi quod licet, non timor, „ qui cogitur in opere habere quod licet, cùm aliud habeat in voluntа„ te, quâ mallet, ſi fieri poſſet, licere quod non licet, & illi ergo „ credunt Deo; nam ſi omnino non crederent, nec pœnam legis utique „ formidarent." Dico 3° timorem ſervilem, cùm in ſeipſo, & abſtrahendo à ſervilitate quæ illi per accidens conjuncta eſt, bonus ſit & laudabilis, ſub illo reſpectu eſſe à Spiritu ſancto, qui eum menti incutit. Unde dicit Apoſtolus, Rom. VIII. 15: *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum:* quæ verba exponens S. Auguſtinus, Serm. 156. num. 13: „ Quid eſt *iterum*, inquit? Sicut in monte Sina accepiſtis ſpiritum ſervitutis. Dicet ali„ quis: alius eſt ſpiritus ſervitutis, alius ſpiritus libertatis. Si alius „ eſſet, non diceret Apoſtolus *iterum*. Idem ergo ſpiritus, ſed in tabu„ lis lapideis in timore, in tabulis cordis in dilectione." Idem obſervat S. Thomas in caput VIII Epiſt. ad Rom. lect. 3, ubi de timore ſervili loquens, dicit eum, „ quantùm ad hoc ſaltem quòd timet Deum, „ laudabilem eſſe, & ſecundum hoc à Spiritu ſancto eſſe; ſed in quan„ tùm non refugit peccatum, ſed pœnam ſolam, non eſſe à Spiritu „ ſancto." S. quoque Bonaventura in opuſculo *de Septem donis Spiritûs ſancti*, de timore, cap. 1: „ Timor ſervilis, inquit,..... ſecundùm „ eſſentiam dicitur à Deo, non tamen ſub ratione quâ ſervilis eſt; quia „ principaliùs timet pœnam quàm culpam, nec mutat voluntatem in „ bonum, licet criminis impediat executionem." Dico 4° timorem ſervilem, quamvis ſit à Spiritu ſancto, quatenùs Deum timet fidemque ſupponit, non tamen pertinere ad gratiam Chriſti propriè dictam, nec numerandum eſſe inter dona Spiritûs ſancti. Nam, uti probatum eſt ſupra, gratia Chriſti propriè eſt inſpiratio ſanctæ dilectionis, timorque ad veterem legem, non ad novam pertinet. Unde S. Auguſtinus, lib. 1 *ad Simplicianum*, quæſt. 1. num. 17, ait: „ Præceptum timentibus lex „ eſt,

Al. Serm. 93 de Verbis Apoſtoli.

Digitized by Google

„ eſt, amantibus gratia eſt.“ Et ſanè ſi timor ſervilis pertineret ad gratiam Chriſti, quod ex illo fit, benè ac rectè fieret. Docent autem è contrario SS. Patres non rectè fieri quidquid ex ſolo timore fit. Eamdem ob cauſam timor ſervilis, etſi à Spiritu ſancto, non tamen eſt propriè donum Spiritûs ſancti. Nam, ut ait S. Auguſtinus lib. 15 *de Trinitate*, cap. 18. num. 32, „ ſpiritus propriè non dicitur donum niſi „ propter dilectionem.“ Idem expreſſè docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 19. art. 9, in corp. „ Timor ſervilis, inquit, non eſt numerandus inter „ ſeptem dona Spiritûs ſancti, licet ſit à Spiritu ſancto, quia, ut „ Auguſtinus dicit lib. *de Natura & gratia*, poteſt habere annexam „ voluntatem peccandi: dona autem Spiritûs ſancti non poſſunt eſſe cum voluntate peccandi, quia non ſunt ſine caritate.“ Et S. Bonaventura loco mox citato: „ Nec iſte timor, inquit, eſt donum Spiritûs ſancti, quia poteſt eſſe ſine caritate.“

Inſtant. S. Auguſtinus agnoſcit pro verè Chriſtiano eum qui ex timore ſervili operatur. Sic quippe loquitur lib. *de Catechizandis rudibus*, cap. 17. num. 27: „ Qui propter beatitudinem ſempiternam & æternam requiem, quæ poſt hanc vitam ſanctis futura promittitur, vult „ fieri Chriſtianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, ſed in „ regnum æternum intret cum Chriſto, verè ipſe Chriſtianus eſt,..... „ qui etiam proficiendo perveniat ad talem animum, ut plus amet Deum „ quàm timeat gehennam.“

Nego propoſitionem: ad probationem autem reſpondeo S. Doctorem loco citato non loqui de timore merè ſervili, ſed de initiali, qui ſibi adjunctam habet inchoatam Dei dilectionem. Id ex eo patet quòd ibi agatur de homine qui *vult fieri Chriſtianus*, non ſolùm *ut non eat in ignem æternum*, ſed *ut in regnum æternum intret cum Chriſto*. Cum autem dicit S. Auguſtinus hujuſmodi hominem eſſe *verè Chriſtianum*, ſenſus eſt eum ex motivo Chriſtiano velle ſuſcipere baptiſmum, nec illis eſſe ſimilem, de quibus ibidem loquitur, qui propter temporalis vitæ commoda comparanda religionem Chriſtianam amplecti ambiebant.

Amor & miſericordia in proximum non ſunt veræ virtutes ſine amore Dei.

Nemini dubium eſt quin amare parentes, filios, cognatos, amicos, miſereri afflictorum, ſublevare indigentes, nudos operire, & alia hujuſmodi opera ſint in ſe bona; ſed utrùm bona ſint ex omni parte, & utrùm affectus ex quibus procedunt veræ virtutes dicendæ ſint, quando dilectione Dei deſtituuntur, hoc unum controvertitur. Verùm quæſtionem ſatis apertè reſolvit ipſe Chriſtus, cùm duas nobis dilectionis proximi regulas præſtituit; unam ut proximum diligamus ſicut noſmetipſos, alteram ut eum diligamus ſicut ipſe dilexit nos: neutram autem ſervat qui proximum diligendo Deum non diligit.

1°. Non diligit proximum ſicut ſeipſum; ſiquidem ſeipſum non rectè diligit, niſi propter Deum & in Deo ſe diligat, eoque tanquam ſummo ſuo bono frui deſideret. „ Diligis proximum ſicut te ipſum, ait S. „ Auguſtinus Serm. 348, cap. 2, & ideò ſatagis pro illo, ut etiam ipſe tecum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligat Deum, „ quia non aliter rectè diligis & teipſum, niſi quia ſic diligis Deum.“ Et lib. *de Moribus Eccleſiæ Catholicæ*, cap. 26. num. 49: „ Quod agis „ tecum, id agendum cum proximo eſt, id eſt, ut etiam ipſe perfectò „ amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam teipſum, ſi „ non ad id bonum ad quod ipſe tendis adducere ſatagis.“ Unde concludit Tract. 83 in Joannem, num. 3, „ ubi dilectio proximi, ibi eſſe „ neceſſariò etiam dilectionem Dei. Qui enim non diligit Deum, in„ quit, quomodò diligit proximum ſicut ſeipſum, quandoquidem non di„ ligit & ſeipſum?“ Idem inculcat Enarrat. in Pſalm. 140, num. 2; Epiſt. 155, al. 52, ad Macedonium, cap. 4 num. 15; lib. *de Moribus Eccleſiæ Catholicæ*, cap. 28. num. 56; Tract. 87 in Joann. num. 1; Serm. 268. num. 5; lib. 1 *de Doctrina Chriſtiana*, cap. 22. num. 21, &c.

Al. Serm. 214 de Tempore.

Al. hom. 37 inter Quinquaginta.

2°. Qui Deum non diligit, non diligit proximum ſicut Chriſtus dilexit nos. Nam Chriſtus dilexit nos dilectione ſpirituali, ut Deo nos conjungeret & cum eo reconciliaret, non verò carnali ac merè humana dilectione. Non ergo rectè diligitur proximus, niſi diligatur in ordine ad Deum. „ Qui autem ſanctè ac ſpiritualiter diligit proximum, ait idem S. Doctor Tract. 65 in Joann. num. 2, quid in eo diligit „ niſi Deum? Ipſa eſt dilectio ab omni mundana dilectione diſcreta, „ quam diſtinguendo addidit Dominus, *ſicut dilexi vos.* Quid enim, „ niſi Deum, dilexit in nobis? Non quòd haberemus, ſed ut haberemus.“

Et certè recta dilectio proximi à dilectione Dei divelli nequit, ſi uno eodemque mandato jubeamur diligere Deum & proximum. Porro rem ita eſſe manifeſtè patet ex eo quòd, ſicut tota lex continetur in dilectione Dei, ita etiam contineatur in dilectione proximi, uti declarat Apoſtolus, Rom. XIII, cùm dicit: *Qui diligit proximum legem implevit. Plenitudo ergo legis eſt dilectio*: & Galat. V. 14: *Omnis lex in uno ſermone impletur: diliges proximum tuum ſicut teipſum;* quod profectò dici non poſſet, ſi recta dilectio proximi ſejungi poſſet à dilectione Dei.

Idem etiam uno conſenſu docent Eccleſiæ Doctores.

Origenes in caput XII Epiſtolæ ad Rom. ad hæc verba, *dilectio ſine ſimulatione:* „ Ego puto, inquit, quòd omnis caritas quæ non eſt ſe„ cundùm Deum, ſimulata ſit & non vera. Etenim creator animæ „ Deus ideò & cum cæteris virtutibus etiam affectum caritatis inſeruit, „ ut diligat Deum & ea quæ vult Deus.“

S. Auguſtinus lib. 1 *de Doctrina Chriſtiana*, cap. 29. num. 30: „ Vel„ le debemus, inquit, ut omnes nobiſcum diligant Deum; & totum

„ quod

„ quod vel eos adjuvamus, vel adjuvamur ab eis, ad unum illum finem referendum eſt.“ Et Serm. 366, cap. 2: „ Ille veraciter amat „ amicum, qui Deum amat in amico, aut quia eſt in illo, aut ut ſit „ in illo; hæc eſt enim vera dilectio: propter aliud ſi nos diligimus, „ odimus potiùs quàm diligimus.“ Enimverò cùm omnis amor proximi vel complacentiæ ſit, propter bona quæ jam habet, vel benevolentiæ, ut bona quæ non habet conſequatur, tunc rectus eſt amor complacentiæ, quando bona, quæ in proximo agnoſcimus, ita diligimus, ut ſpiritualia magis quàm corporalia æſtimemus, & in utriſque Deum omnis boni auctorem glorificemus. Tunc etiam rectus eſt amor benevolentiæ, cùm ideò temporalis vitæ commoda optamus vel impertimur proximis, ut eos ad Deum diligendum provocemus. Hinc amorem ipſum conjugum & filiorum inordinatum eſſe definit S. Doctor, ſi non ad amorem Dei referatur. „ Ama uxorem, inquit Serm. 334. num. 2, „ ama filios propter Deum, ut conſulas eis ad colendum Deum tecum,..... quos omnino malè diligis ſi neglexeris tecum ad Deum „ ducere.“

Al. Serm. [illegible] de Diverſis

Al. Serm. 3 ex Sirmondianis.

S. Proſper in Pſalmum CXVIII. 19: „ Qui errat, inquit, in Domi„ ni amore, errat etiam in proximi caritate.“

S. Fulgentius in Epiſt. 5 ad Eugyppium Abbatem, de Caritate: „ Tunc rectè Deus proximuſque diligitur, ſi & in Deo & in proximo „ ipſa caritas diligatur: ita ipſâ fit ut in Deo ipſum Deum, & in proxi„ mo Deum procul dubio diligamus.“ Aliter igitur, ipſo judice, recta non eſt dilectio proximi.

S. Gregorius magnus, lib. 7 *Moralium*, cap. 10. num. 4: „ Qui ama„ re Deum negligit, profectò diligere proximum neſcit.“ Addit proptereà Chriſtum præmiſiſſe præceptum dilectionis Dei præcepto dilectionis proximi, „ ut ſcilicet in terra pectoris noſtri priùs amoris ſui ra„ dicem figeret, quatenùs per ramos poſtmodum dilectio fraterna ger„ minaret.“ * Et hom. 38 in Evangelia, poſt medium: „ Si quis quem„ libet amat, ſed propter Deum non amat, caritatem non habet, ſed „ habere ſe putat. Caritas autem vera eſt cùm & in Deo diligitur ami„ cus, & propter Deum diligitur inimicus.“

Claudius Clemens Taurinenſis Epiſcopus, Comment. Epiſt. ad Galatas, cap. V. 14, exponens quam ob cauſam Apoſtolus totam legem comprehenderit in dilectione proximi, abſque expreſſa mentione dilectionis Dei, ideò id factum eſſe docet, quòd homines faciliùs convincantur non amare proximum, quàm non amare Deum; ſubditque: „ Item diligere proximum, id eſt, omnem hominem tanquàm ſeipſum, „ quis poteſt, niſi Deum diligat, cujus præcepto & dono dilectionem „ proximi poſſit implere? Cùm ergo utrumque præceptum ita ſit, ut „ neutrum ſine altero poſſit teneri, etiam unum horum commemorare „ plerumque ſufficit, cùm agitur de operibus juſtitiæ.“

S. Bernardus, tract. *de Diligendo Deo*, cap. 8. num. 25: „ Proximum „ purè diligere quomodò poteſt, qui in Deo non diligit? Oportet ergo „ Deum diligi priùs, ut in Deo diligi poſſit & proximus.“

Tom. 2. Operum S. Bernardi.

Auctor tractatûs *de Statu virtutum*, num. 34, caritatem definit *motum animi ad diligendum ſe & proximum propter Deum;* hancque definitionem, quæ S. Auguſtini eſt, hac ratione manifeſtiſſima confirmat: „ Attende, inquit, quàm rectè determinatum ſit: *propter Deum.* Homo nec per ſe eſt, nec per ſe bonus eſt. Similiter dico de angelo & „ de quacunque creatura. Deus enim per ſe eſt, per ſe bonus eſt; in eo „ autem qui per ſe eſt, & per ſe bonus eſt, finis noſtræ beatitudinis conſtituitur. Ergo in ſolo Deo. Quòd ſi homo diligeret ſeipſum propter ſeipſum, vel proximum propter proximum, jam non in Deo, ſed „ in creatura finem ſuæ beatitudinis conſtitueret; quod nefas eſſet: unde procul dubio in miſeriam laberetur homo, cùm ſibi ipſi non poſſit eſſe beatitudo, nec aliquid præter Deum.“

Tom. 13 Bibl. PP. Colon. pag. 113. col. 2.

S. Aelredus, lib. 3 *Speculi caritatis*, cap. 2: „ Videtur mihi, inquit, „ Dei dilectionem omnium aliarum dilectionum animam eſſe; quæ & „ in ſeipſa pleniſſimè vivit, & aliis præſentiâ ſuâ effectum vitalem impertit, abſentiâ mortem inducit. Ut ergo homo ſe diligat, in ipſo „ Deo dilectio inchoatur: ut diligat proximum, capaciori quodammodò „ ſinu concipitur.“

S. Thomas 2. 2. quæſt. 103. art. 3. ad 2: „ Ratio diligendi Deum, „ Deus eſt; non enim per caritatem diligimus in proximo niſi Deum: „ & ideò eadem caritas eſt quâ diligitur Deus & proximus.“

Demùm Cardinalis Hoſius, in *Confeſſione fidei catholicæ* nomine totius Eccleſiæ Polonenſis edita, ſic loquitur, cap. 69: „ Ad hanc Dei „ caritatem ſive dilectionem referimus cætera præcepta omnia, adeò ut „ perſuaſum habeamus, proximos quoque diligendo, niſi propter Deum „ & in Deo caros eos habeamus, non modò nos officio noſtro functos „ non eſſe, verùm etiam peccati gravis reos factos.“

QUÆSTIO TERTIA.

An aliquæ tentationes ſuperari poſſint absque dilectione Dei, ſaltem inchoata.

Non agitur de qualicunque, ſed de vera & recta victoria tentationum, quâ peccatum ad quod tentatio impellit ita vitatur, ut nullo-me-

modò peccetur. Nemo quippe dubitat quin multæ tentationes boni nominis, valetudinis, honeſtatis humano amore, aliisve ſimilibus affectibus reprimi queant, ita ut malum quod ſuggerant non committatur; ſed quæritur num, quando voluntas in his humanis affectionibus ſiſtit, nec propter Deum dilectum à malo abſtinet, verè & absque ullo peccato tentationi reſiſtatur.

P R O P O S I T I O.

Nulla tentatio rectè ſuperatur, niſi ex amore Dei ſaltem inchoato illi reſiſtatur.

MULTIS non opus eſt ad adſtruendam iſtam propoſitionem ex præcedentibus evidentiſſimè conſequentem. Si enim nulla actio bona eſt ex omni parte, niſi procedat ex dilectione Dei, profectò tentationis victoria, quæ actio quædam eſt, absque hujusmodi dilectione recta & integra eſſe nequit.

Hanc doctrinam diſertiſſimè tradit S. Auguſtinus lib. 21 *de Civitate Dei*, cap. 16. „ Neque id, inquit, (nempe tentationes ſuperare) fit „ veraciter atque ſinceriter, niſi veræ delectatione juſtitiæ: hæc eſt au- „ tem in fide Chriſti...... Nonnunquàm ſanè apertiſſima vitia aliis vi- „ tiis vincuntur occultis, quæ putantur eſſe virtutes, in quibus regnat „ ſuperbia & quædam ſibi placendi altitudo ruinoſa. Tunc itaque vic- „ ta vitia deputanda ſunt, cùm Dei amore vincuntur, quem niſi Deus „ ipſe non donat, nec aliter niſi per Mediatorem Dei & hominum ho- „ minem Jeſum Chriſtum.“

Et ſanè omnis tentatio vel ex concupiſcentia ſurgit, vel concupiſcentiâ fovetur. *Unusquisque enim tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*, ait S. Jacobus Apoſtolus. Porro concupiſcentia, ſeu cupiditas, amorque pravus nonniſi per rectum ſanctumque amorem ſuperatur: contraria enim nonniſi contrariis vincuntur. Proinde cupiditati, non rerum quarumlibet creatarum amor, ſed ſola dilectio Dei ſeu caritas opponitur. Ergo, ut concludit S. Auguſtinus lib. 3 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 4. num. 11, „ carnalis cupiditas, quâ peccatum „ commutatur potiùs vel augetur, cupiditate aliâ non ſanatur.“ Quamvis enim foris non exerceatur opus unius cupiditatis, obſtante aliâ cupiditate, non idcircò victa cupiditas à corde expellitur, ſed opus eſt ut caritatis manu exſtirpetur.

Præ-

Digitized by Google

Præterea, ut tentatio verè atque ut oportet vincatur, non ſatis eſt à peccato exteriùs abſtinere, niſi id fiat intentione rectâ. Intentio autem non eſt recta ex omni parte, niſi ad Deum tanquam ad finem ultimum dirigatur; quod præſtare ſolius divinæ dilectionis eſt. Alioquin vel laudis & inanis gloriæ cupiditate, vel, ſi mavis, propter honeſtatis moralis pulchritudinem, aut ex ſolo gehennæ metu ſervili tentationi reſiſtitur: ſupra autem probatum eſt nullo horum motivorum peccatum verè effugi, nec bonum recte fieri.

CAPUT SECUNDUM.

Utrùm homo poſſit Deum diligere absque auxilio gratiæ Chriſti Servatoris.

Errores Hæreticorum, & opiniones Scholaſticorum.

PELAGIANI docuerunt poſſe hominem ſolis naturæ viribus diligere Deum ſuper omnia, ejusque mandata ſervare.

Semipelagiani prima duntaxat bonæ voluntatis ſeu dilectionis Dei initia in liberi arbitrii poteſtate eſſe, absque auxilio gratiæ Chriſti, aſſeruerunt.

Inter recentiores Theologos non pauci ſentiunt poſſe homines ſolis naturæ ſuæ viribus diligere Deum, non tantùm amore imperfecto, ſed etiam ſuper omnia, & ex illo amore elicere propoſitum abſolutum obſervandi omnia mandata. Ut aliquo pacto à Pelagianis ſeſe diſcernant, dicunt 1° illam Dei dilectionem illudque propoſitum perſeverare diu non poſſe absque auxilio gratiæ, ſed aliquanto tantùm temporis ſpatio indefinito. 2°. Dilectionem illam Dei naturæ viribus elicitam ordinis eſſe duntaxat naturalis, cùm è contrario caritas ordinis ſit ſupernaturalis, nec haberi poſſit ſine gratia. 3°. Dilectionem illam naturalem nihil prodeſſe ad vitam æternam regnumque cœlorum promerendum, ad quod ſine caritate ſupernaturali perveniri non poteſt. Ita ſenſiſſe memorantur Durandus, Scotus, Gabriel in 2. diſtinct. 28, & in 3. diſtinct. 27, Jacobus Almainus, Moralium tract. 2. cap. 9, & Cajetanus in tractatu *de Attritione & Contritione*, quæſt. 1. Hanc opinionem arripuerunt Jeſuitæ ferè omnes eorumque aſſeclæ.

Cùm autem ab illis quæritur qualis ſit illa naturalis dilectio Dei, & in quo differat à dilectione ſupernaturali caritatis, vulgò reſpondent illâ diligi Deum duntaxat tanquam auctorem naturæ, dilectione autem caritatis eum diligi tanquam largitorem gratiæ & gloriæ. Nonnulli tamen dicunt cum Molina dilectionem Dei, ſolis liberi arbitrii viribus elicitam, ex æquo ferri poſſe in Deum ut auctorem naturæ, & ut largi-

Digitized by Google

gitorem gratiæ & gloriæ, in eoque tantummodò diſcrepare à dilectione ſupernaturali, quòd in iſtam gratia influat, illa autem ſolis naturæ viribus producatur, quàmvis nihilo plus entitatis & perfectionis intrinſecæ uni inſit quàm alteri.

Cæteri verò Theologi pro certo tenent nullam veram & ſinceram dilectionem Dei, ſive ut auctoris naturæ, ſive ut gratiæ largitoris, ſive perfectam & ſuper omnia, ſive imperfectam, haberi poſſe abſque auxilio gratiæ Chriſti Servatoris.

Ut autem abſit omnis æquivocatio aut ambiguitas, obſervandum eſt non hìc agi de amore illo innato & connaturali, quo Deus tanquam commune & univerſale bonum amatur ab omnibus, ſed de amore libero electivo ac deliberato, qui ſolus propriè dicitur amor Dei. 2°. Agi de amore caſto quo Deus propter ſe diligitur. Duplici quippe modo Deus amari poteſt ut auctor naturæ: Vel ita ut non diligatur niſi propter bona temporalia quæ largitus eſt, aut quæ largiri poteſt; qui affectus non amor Dei, ſed amor cupiditatis potiùs dicendus eſt: nam, ut ait S. Auguſtinus in Pſalm. 77. num. 20, „ Judæi, qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, ſed illa quærebant. Sic ergo Deus non colitur: hoc enim colitur quod diligitur." De hujuſmodi hominibus dicitur Pſalmo 48: *Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.* Fatentur omnes fictitiam hanc Dei dilectionem, quæ vera cupiditas eſt, non ſupera e naturales liberi arbitrii vires: Vel ita ut Deus ſive ut naturæ, ſive ut gratiæ auctor diligatur propter ſeipſum & tanquam finis ultimus, cum ſcilicet quiſpiam attendens hujus univerſi pulchritudinem ſtupendumque ordinem, ad Dei cognitionem aſſurgit, nec cognoſcit tantummodò illum ſummo amore diligendum eſſe, ſed & reipſâ illum propter ſe diligit tanquam ſummum bonum ac bonorum omnium fontem. De hujuſmodi dilectione tota eſt controverſia. Status quæſtionis.

P R O P O S I T I O.

Non poteſt homo ſolis naturæ viribus Deum diligere, neque perfectè, neque imperfectè, neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, neque per diuturnum, neque per breve tempus.

Hujus propoſitionis veritas manifeſtè ſequitur ex iis quæ Lib. III diximus de ſtatu naturæ puræ. Probatum namque eſt hominem à Deo bono ac ſummè ſapiente creari non potuiſſe ſine gratia, eoquòd nullo in

Digitized by Google

in ſtatu homo poſſit Deum diligere absque auxilio gratiæ. Sequitur etiam ex dictis Diſſert. I hujusce Libri. Si enim gratia Chriſti propriè dicta nihil aliud eſt quàm *inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus*, perſpicuum eſt omnem Dei dilectionem nonniſi gratiæ Chriſti deputandam eſſe. Confirmabitur denique ex dicendis capite ſequenti, ubi probabitur nullam eſſe actionem omni ex parte bonam, nullam veram virtutem, nullam ad Deum converſionem, nullum de peccatis ſincerum dolorem absque auxilio gratiæ Chriſti. Cùm enim cætera omnia in tantùm bona ſint & gratiæ tribuenda, in quantùm procedunt ex dilectione Dei, à fortiori dilectio ipſa Dei, à qua actus & virtutes omnes bonitatem ſuam deſumunt, ſolis naturæ viribus & ſine auxilio gratiæ produci nequit. Verum in promptu eſt hanc veritatem propriis ac peculiaribus argumentis adſtruere.

Probatio 1ª ex. Scripturis

Probatur itaque I° ex ſcripturis, quæ omnem amorem Dei nonniſi gratiæ attribuunt.

1 Joann. IV. 7: *Cariſſimi, diligamus invicem, quia caritas ex Deo eſt, & omnis qui diligit ex Deo natus eſt.* Caritas, dilectio, amor Dei ſunt unum & idem, ut ſæpè obſervat S. Auguſtinus. Ergo ſi caritas ex Deo eſt, omnis quoque amor Dei donum Dei eſt, nec ſurgit ex nobis. Inſuper diſtinctionem quamlibet amoris Dei in naturalem & in ſupernaturalem omnino excludit textus ille generalis: *omnis qui diligit ex Deo natus eſt.* Idem quippe eſt ac ſi diceretur: quisquis Deum diligit, hoc ipſum à Deo illum per gratiam generante accepit.

Non minùs perſpicuum eſt quod legitur Rom. V. 5: *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Neque enim reponi poteſt aliquam quidem caritatem, nempe ſupernaturalem, eſſe à Spiritu ſancto, aliam verò, naturalem ſcilicet, ex naturæ viribus ſurgere. Nam idem Apoſtolus, 1 Theſſal. IV. 9, abſolutè concludit Theſſalonicenſes caritatem à Deo accepiſſe, ex eo præciſè quòd ſe invicem diligerent. *De caritate fraternitatis*, inquit, (idem profectò de amore Dei dicendum eſt) *non neceſſe habetis ut ſcribamus vobis. Ipſi enim à Deo didiciſtis ut diligatis invicem; etenim illud facitis in omnes fratres & in univerſa Macedonia.* „ Tanquam hoc ſit certiſſimum „ indicium, ut ait S. Auguſtinus cap. 13 libri *de Gratia Chriſti*, ſi id „ quod didiceris feceris." Illud tamen indicium valde incertum fuiſſet ſi Theſſalonicenſes dilectionem Dei & proximi, Deo ipſo non dante nec interiùs docente, ex ſeipſis habere potuiſſent.

Addi poſſunt ea librorum ſacrorum loca, quibus docemur neminem diligere Deum, niſi priùs à Deo dilectus ac præventus fuerit. Sic 1 Joann. IV. 10: *In hoc eſt caritas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Et v. 19: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos.* Eodem ſenſu Chriſtus dicit, Joann. XV. 16: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos:* quæ verba Pelagianis ſæpè op-

oppoſuit S. Auguſtinus, ut lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 18. num. 38: „ Si nos, inquit, priùs dileximus, ut hoc merito nos ipſe „ diligeret, priùs illum nos elegimus ut ab illo eligi mereremur. Sed „ ipſe, qui Veritas eſt, aliud dicit, & huic vanitati hominum apertiſ- „ ſimè contradicit. *Non vos me elegiſtis*, inquit. Si ergo non elegiſ- „ tis, ſine dubio nec dilexiſtis; quomodò enim eum eligerent quem „ non diligerent? *Sed ego*, inquit, *vos elegi.* Numquid non & ipſi „ poſteà eum elegerunt, & operibus bonis hujus ſæculi prætulerunt? „ Sed, quia electi ſunt, elegerunt, non, quia elegerunt; electi ſunt. „ Eligentium hominum meritum nullum eſſet, niſi eos eligentis gratia „ Dei præveniret.“

Probatur II° Conciliorum definitionibus. Probatio 2ª ex Conciliis.

Concilium Arauſicanum II, cujus canones à Felice IV Rom. Pontifice digeſti, à Bonifacio II confirmati, & ab univerſa Eccleſia recepti ſunt, ſic decernit can. 25: „ Prorſùs donum Dei eſt diligere Deum. „ Ipſe ut diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit. Diſplicentes amati „ ſumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffundit enim carita- „ tem in cordibus noſtris Spiritus Patris & Filii, quem cum Patre ama- „ mus & Filio.“ Manifeſtum eſt iſto canone omnem prorſùs dilectionem Dei dono gratiæ attribui, nullamque agnoſcit quæ à ſolis liberi arbitrii conatibus ſurgat. Addit deinde eadem ſancta Synodus: „ Secundùm ſupra ſcriptas ſanctarum Scripturarum ſententias, vel anti- „ quorum Patrum definitiones, hoc, Deo propitiante, & prædicare de- „ bemus & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum „ & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſteà diligere „ Deum ſicut oportuit,..... aut operari propter Deum quod bonum „ eſt poſſit, niſi gratia eum & miſericordia divina prævenerit.“ Si quis verò reſpondeat ſermonem ibi eſſe de dilectione ſupernaturali, miſerum illud effugium præcludit ipſe etiam Tournely, obſervatque Patres Arauſicanos impotentiam diligendi Deum ſine auxilio gratiæ non repetere à modo & ſupernaturalitate actûs, ſed ab infirmitate contracta per peccatum originale; ac proinde impotentiam illam non limitaſſe ad quamdam dilectionis ſpeciem, ſed extendiſſe ad quamlibet veram dilectionem Dei, etiam ut auctoris naturæ. Inde tamen non inferas hominem integrum potuiſſe diligere Deum abſque auxilio gratiæ. Sequitur enim tantummodò ex verbis Synodi hominem innocentem, ad diligendum Deum, non indiguiſſe gratiâ præveniente, ſanante & confortante, quali nunc indigemus. Tom. 2 de Gratia, pag. 176.

Definitionem illam renovavit & confirmavit concilium Tridentinum, ſeſſ. 6. can. 3, pronuntiando *anathema* in eum qui dixerit, ſine præve- „ niente Spiritûs ſancti inſpiratione atque ejus adjutorio, hominem...... „ diligere Deum...... poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia „ conferatur.“

 Pro-

Probatio 3a ex SS. Patribus.

Probatur III° ex SS. Patribus, ex quibus multiplex depromitur argumentum.

Docent enim 1° neminem diligere Deum, niſi quem Deus prior dilexerit. Porro ſi poſſet homo diligere Deum quocunque modo ſine auxilio gratiæ, dilectio Dei erga nos non ſemper nec neceſſario præcederet noſtram erga Deum dilectionem.

Sic loquitur S. Auguſtinus lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 26. num. 27:
„ Quæ merita bona tunc habere poteramus, quando Deum non dili-
„ gebamus? Ut enim acciperemus dilectionem quâ diligeremus, dilecti
„ ſumus, cùm eam nondum haberemus...... Non enim haberemus
„ unde illum diligeremus, niſi hoc ab illo, cùm prior nos diligeret,
„ ſumeremus. Quid autem boni faceremus, ſi non diligeremus, aut
„ quomodò bonum non facimus, ſi diligamus?" Ibi abſolutè aſſerit S. Doctor nullam eſſe in homine dilectionem Dei, niſi datam à Deo. Et ſanè, ſi qua poſſet eſſe dilectio Dei ſine gratia, maximè illa ſine qua nihil prorſus boni fit. Atqui S. Doctor expreſſè dicit dilectionem, ſine qua nihil boni fit, non eſſe in homine ſine gratia Dei præveniente.

Tract. 102 in Joannem, num. 5: Ideò, inquit, amat ille (Deus),
„ quia nos amamus; an potiùs, quia ille amat, ideò nos amamus? Ex
„ Epiſtola ſua Evangeliſta idem ipſe respondeat: *Nos diligimus*, inquit,
„ *quia prior ipſe dilexit nos.* Hinc ergo factum eſt ut diligeremus, quia
„ dilecti ſumus. Prorſus donum Dei eſt diligere Deum: ipſe ut dili-
„ geretur dedit, qui non dilectus dilexit. Displicentes dilecti ſumus,
„ ut eſſet in nobis unde placeremus...... Amorem itaque noſtrum pium,
„ quo colimus Deum, fecit Deus." Audimus iterum omnem dilectionem Dei eſſe donum gratiæ Dei.

Al. Serm. 2 de Diverſis.

Et Serm. 3. num. 2: „ Quære unde homini ſit diligere Deum, nec
„ invenies omnino, niſi quia prior illum dilexit Deus." Profectò ſi quis dari poſſet verus amor Dei ex ſolis naturæ viribus, fatendum eſſet recentiores Scholaſticos, qui ita ſentiunt, multò perſpicaciores eſſe quàm eximium gratiæ præconem, qui toties tamque diſertè affirmat nullam prorſus inveniri poſſe. Idem inculcat lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 18. num. 38 & 39, & tract. 82 in Joannem, num. 2.

S Leo magnus Serm 1 de Jejunio decimi menſis: „ Cauſa reparatio-
„ nis noſtræ, inquit, non eſt niſi miſericordia Dei, quem non dilige-
„ remus, niſi prius ipſe diligeret." Et Serm. 10 in Quadrageſima, cap. 1: „ Rationalis creatura ideò dilecta, ideò quæſita eſt, ut & ipſa
„ ex non quærente quærens, & ex non diligente ſit diligens, dicente
„ B Joanne Apoſtolo &c."

S. Gregorius magnus, lib. 33 *Moralium*, cap. 20. num. 25: „ Si noſ-
„ tra dilectio Deum prævenit, ubi eſt quod Joannes Apoſtolus dicit:
„ *Non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quia ipſe prior dilexit nos?*"

S. Bernardus, Serm. 84 in Cantica, num. 5: „ Prior, inquit, quæ,
„ ſi-

Digitized by Google

„ ſivit, & prior dilexit. Minimè prorſus, niſi quæſita, quæreres, nec di-
„ ligeres, niſi dilecta priùs. Non in una tantum benedictione, ſed in
„ duabus præventa es, dilectione & quæſitione. Dilectio cauſa quæſi-
„ tionis; quæſitio fructus dilectionis eſt & certitudo...... Hinc zelus,
„ hinc ardor iſte quærendi quem diligit anima tua, quia profectò nec
„ non quæſita quærere poteras, nec non quærere quæſita nunc potes."
Certè ſi poteſt homo ex ſolis arbitrii ſui viribus diligere Deum, ſive perfectè, ſive imperfectè, ſive diuturno, ſive brevi temporis ſpatio, erraſſe dicendi ſunt illi ſancti Patres ſummique Pontifices, qui negarunt ullam poſſe eſſe in homine dilectionem Dei, quæ per prævenientem dilectionem & gratiam Dei non gignatur.

2°. Conceptis verbis SS. Patres docent hominem diligere Deum nullatenùs poſſe ſine adjutorio gratiæ.

S. Clemens Romanus Pontifex in Epiſt. 1 ad Corinthios, num. 50:
„ Quis, inquit, idoneus eſt ut in ipſa caritate inveniatur, præter eos
„ quos Deus dignos eſſe voluerit? Oremus igitur & petamus dignifica-
„ ri ut in caritate vivamus." Et num. 48: „ Orantes Dominum
„ ut..... in decoram & caſtam fraterni amoris viam nos reducat &
„ reſtituat." Cum igitur id ſolum à Deo petatur quod ab ipſo dari creditur, legem credendi ipſâ ſupplicandi lege ſtatuit ſanctus ille B. Petri ſucceſſor.

Eam verò Eccleſiæ Catholicæ fidem multis in locis ex profeſſo adſtruit S. Auguſtinus. Serm. 169. cap. 11. num. 14: „ Deus, inquit, non
„ amatur niſi de Deo." Et Serm. 297. cap. 1: „ Amare Deum, do-
„ num Dei eſt." Lib. 15 *de Trinitate*, cap. 17. num. 31: „ Non ha-
„ bet homo unde Deum diligat, niſi ex Deo."

Al. Serm. 15 de Verbis Apoſtoli.

Al. Serm. 107 de Diverſis.

Lib. *de Patientia*, cap. 24 & 25, num. 21, cùm dixiſſet creaturam amari poſſe ſine ſpeciali auxilio Dei, quia „ familiari contactu atque
„ connexu ad experiendam ejus ſuavitatem adjacet amanti creaturæ ama-
„ ta creatura," ſtatim addit longè aliter de creatore ſentiendum eſſe.
„ Neque enim, ait, ſicut nos creatura eſt. Unde, niſi amor detur in-
„ de nobis, non eſt unde eſſe poſſit in nobis: ac per hoc voluntas bo-
„ na, quâ diligitur Deus, in homine non poteſt eſſe, niſi in quo Deus
„ operatur & velle."

His omnibus in locis non ſolùm aſſeritur amorem Dei eſſe divinæ gratiæ munus, ſed etiam omnino excluditur quilibet amor Dei verus qui non ſit Dei donum. Hinc Epiſt. 217, al. 107, ad Vitalem, cap. 4. num. 12, declarat nos „ liberum arbitrium ad diligendum Deum pri-
„ mi peccati granditate perdidiſſe." Quod ſanè non debet ita intelligi, quaſi facultas ipſa liberi arbitrii penitus extincta fuerit per peccatum, ſed quòd adeò attenuata & ad malum inclinata fuerit, ut vel initium divini amoris concipere nequeat, niſi ejus infirmitas & corruptio

Digitized by Google

per gratiam medicinalem, aliqua ſaltem ex parte, depulſa & ſanata fuerit. Id autem adeò perſuaſum habuit S. Doctor, ut affirmare non dubitaverit eos, qui ſe propriis viribus poſſe Deum diligere præſumunt, hoc ipſo demonſtrare ſe dilectione Dei deſtitutos eſſe. Sic nempe loquitur Serm. 145, num. 4: „ Habes caritatem? Habeo, inquis. Unde? „ A meipſo. Longè es à dulcedine, ſi à teipſo habes. Teipſum amabis, quia unde habes amabis. Sed convinco quòd non habes. Quod „ enim putas à teipſo habere rem tantam, inde non credo quòd ha- „ beas. Si enim haberes, ſcires unde haberes.“ Hæc attendant, precor, qui aliter ſentiunt, ſerioque caveant ne, pertinaciter contendendo Deum ſolis naturæ corruptæ viribus diligi ſaltem aliquo modo poſſe, à caritate ipſi exciderint.

Nec reſponderi poteſt S. Doctorem memoratis in locis loqui de caritate ſupernaturali, non verò de amore Dei naturali. Nam ipſemet non ſemel admonuit in Scripturis divinis non aliud eſſe amorem ſive dilectionem Dei, aliud caritatem. „ Scripturæ religionis noſtræ, inquit lib. 14 *de Civitate Dei*, cap. 7. num. 1, non aliud dicunt amorem, „ aliud dilectionem ſive caritatem.“

S. Proſper, lib. *contra Collatorem*, cap. 13. num. 42, non modò idem docet, ſed etiam validiſſimè demonſtrat. „ Ita-ne, inquit, libera eſt „ iſta libertas, ut...... tantum ex ſe habeat delectationis ut diligat? „ Ita-ne illum vetuſtæ infidelitatis glacialem rigorem nullus meridiani „ caloris ſpiritus relaxavit, & torpor mentis obſtrictæ de ſuo algore
Luc. XII, 49. „ concaluit, &, dicente Domino, *ignem veni mittere in terram*, nulla „ ad cor frigidum ſcintilla pervenit, & cinis mortuus ex ſemetipſo in „ flammam caritatis exarſit?...... Et tanta eſt, ſecundùm iſtum, liberi „ arbitrii incolumitas & facultas, ut caritatem, quæ in omnium arce „ virtutum eſt, non ex Dei munere, ſed ex ſola habeat voluntate? „ Quid ergo in anima à ſuo ædificatore reparatur? Aut quâ largitate „ gratiæ fiet ornatior, ſi illa ſunt ei propria ſine quibus non poſſunt „ prodeſſe donata?...... Agnoſcat ergo humana egeſtas hoc, quod de „ quibuslibet bonis rectè dicitur, multò rectiùs ſibi dici de eo ſine quo „ bona cuncta non proſunt. *Quid enim habes quod non accepiſti? Si „ autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?*“ Non ſola hîc S. Proſperi auctoritas, quæ ſanè magna eſt, ſed & ipſius argumenti vis attendenda eſt. Enimverò ſi hominis lapſi depravata voluntas ſit, reſpectu dilectionis Dei, inſtar glaciei rigentis cineriſque mortui, ut reipſâ eſt, quo prodigio ullam divinæ illius dilectionis ſcintillam ex ſeipſa producere poterit? Si amor Dei cæteris omnium virtutum actibus præcellit, ſi radix & fons eſt omnis boni operis, quid propriis ſuis viribus præſtare homo non poterit, ſi ad diligendum Deum ex ſeipſo aſſurgere valeat?

Non

Digitized by Google

Non minùs diſertè idem canit in Carmine *contra Ingratos*, cap. 16. En ipſius verba:

Ille ex injuſtis juſtos facit: indit amorem
Quo redametur amans, & amor quem conſerit ipſe eſt.

Et poſteà:

Hunc itaque affectum, quo ſumunt mortua vitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescunt,
Quo ſtulti ſapere incipiunt, ægrique valescunt,
Nemo alii dat, nemo ſibi, non littera legis,
Non naturalis ſapientia, quæ ſemel acta
In præceps labi novit, conſurgere neſcit.

Quaſi dicat hominem lapſum, amiſſo ſemel per peccatum amore Dei, non magis ex ſeipſo & ſine Spiritûs ſancti inſpiratione concipere poſſe divinæ dilectionis affectum, quàm mortuum ex ſeipſo ad vitam redire, tenebras ex ſeipſis lucere, immunda niteſcere ex ſeipſis, & ſtultos ex ſeipſis ſapere.

Auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 4: „ (Voluntas), „ inquit, priusquàm Spiritu Dei agatur, etiamſi ſupra ſenſualem mo- „ tum ſeſe extollere poteſt, tamen ſine ſummi amoris participatione in „ terrenis occiduiſque verſatur.“ Et cap. 8, exponens iſta Chriſti verba, *ignem veni mittere in terram* &c, ſic loquitur: „ Ignis iſte dilec- „ tio eſt Dei, quam amator mundi corde captivo non poteſt concipere: „ plenus eſt enim amore vanitatum.“ Celebris ille auctor in eis, quibus caritatem Deus non inſpirat, nullum Dei amorem, ſed nonniſi amorem vanitatum rerumque terrenarum & occiduarum agnoſcit.

S. Fulgentius, lib. 2 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 9: „ In eo, inquit, liberum arbitrium noſtrum ad diligendum Deum & „ proximum idoneum efficitur, in quo ei caritas divinitus datur. Si- „ ne caritate enim nec Deus diligitur, nec proximus. Ut autem Deus „ diligi poſſit, ipſe ſe tribuit, quia Deus caritas eſt, & Deum nonniſi „ caritate diligimus. Niſi ergo Deum accipiamus, Deum diligere non „ valemus.“ His verbis omnis prorſus evaſio adverſariis præcluditur. Fruſtra igitur dicunt Deum diligi quidem non poſſe ſine auxilio gratiæ dilectione caritatis & ſupernaturali; diligi tamen poſſe amore naturali & à caritate diſtincto. Expreſſè enim definit B. Fulgentius Deum non diligi niſi caritate, nullamque dilectionem Dei ſolis naturæ viribus produci poſſe.

Florus in libro *adverſùs Scotum Erigenam*, cap. 4, in refutatione 4[a] definitionis: „ Amiſſo, inquit, dono gratiæ, vitiato & corrupto, & „ de-

„ depravato bono naturæ, ſic miſerabiliter à tanta felicitate (homo) „ lapſus eſt, ut ad illud bonum (ſummum & æternum) amandum & „ perfruendum, cui inhærere debuerat, nullum poſſit habere recurſum, „ niſi per miſericordiſſimi Reconciliatoris & Mediatoris auxilium, & „ ſanguinis ejus pretium, à quo redimimur de tanta captivitate, ut recipere poſſimus priſtinam libertatem, & de inimicis efficiamur amici..... Quicunque ergo dicit, poſt illam transgreſſionis infeliciſſimam „ ruinam, quâ, amiſſâ priſtinâ libertate, factus eſt homo ſervus peccati,..... eum habuiſſe vel habere libertatem ad verum bonum appetendum, amandum & promerendum, niſi per gratiam veri Mediatoris redimatur, juſtificetur, reconcilietur & reformetur, omnino contra fidem Eccleſiæ ſentit, contra veritatem Evangelicam & Apoſtolicam docet, & omnino, quantum in ipſo eſt, evacuator eſt mortis „ Chriſti.“ Igitur, doctiſſimo illo Eccleſiæ Lugdunenſis Diacono ac Magiſtro judice, aliquem verum Dei amorem abſque auxilio gratiæ Chriſti admittere, error eſt *Eccleſiæ fidei, Evangelicæque & Apoſtolicæ veritati* contrarius. Neque dici poteſt de amore tantum ſupernaturali & meritorio locutus: nullum quippe hujusmodi exceptioni locum relinquit, aſſertionemque ſuam ab ipſa naturæ corruptione ac depravatione repetit. Unde liquido patet nullum prorſus verum amorem Dei ſolis naturæ ſic corruptæ viribus produci poſſe.

Pag. 267. col. 2. Idem profitetur S. Anſelmus in Oratione 28 ad Chriſtum. „ Nos, inquit, neque hoc ipſum, quòd te vel aliquid boni diligimus, à nobis ipſis, niſi à te, habemus.“ Et in Meditatione 11: „ Fac, precor, Domine, me guſtare per amorem quod guſto per cognitionem...... Trahe me, Domine, in amorem tuum...... Totum quod „ ſum tuum eſt conditione, fac tuum ſit dilectione. Ecce, Domine, „ coram te eſt cor meum; conatur, ſed per ſe non poteſt. Fac tu quod „ ipſum non poteſt: admitte me intra cubiculum amoris tui. Peto, „ quæro, pulſo: qui me facis petere, fac & accipere; da quærere, da „ invenire: doces pulſare, aperi pulſanti.“ Non petit ſanctus Præſul dari ſibi amorem ſupernaturalem, ſed abſolutè profitetur imparem ſe eſſe ad diligendum Deum, niſi Deus ipſe illam dilectionem ſibi inſpiret.

Pag. 224. col. 2.

S. Bernardus in Tract. *de Diligendo Deo*, cap. 2. num. 6, loquens de amore, quem Ethnici Deo tanquam creatori ſuo exhibere tenebantur, nec unquam exhibuerant, ait „ difficile, imò impoſſibile eſſe, ſuis ſcilicet quempiam liberive arbitrii viribus, ſemel accepta à Deo (bona) „ ad Dei ex toto convertere voluntatem, & non magis ad propriam „ retorquere, eaque ſibi tanquam propria retinere.“ Et cap. 7. num. 22: „ Cauſa, inquit, diligendi Deum Deus eſt & efficiens & finalis. „ Ipſe dat occaſionem, ipſe creat affectionem, deſiderium ipſe conſummat...... Ejus amor & noſtrum præparat & remunerat.“ In Epiſtola 120 ad Gertrudem Ducifiam Lothatingiæ: „ Quoties, inquit, in

Digitized by Google

„ corde carnali terrenis dignitatibus alto ulla vel minima ſcintilla cœ-
„ leſtis amoris accenſa videtur, divinum ſine dubio eſt munus, non ho-
„ minis virtus." Contra verò, in opinione adverſariorum, quando Deus amatur etiam ſuper omnia, adhuc incertum eſt utrùm ille amor divino munere donatus fuerit, an propriâ liberi arbitrii virtute ſurrexerit. Eamdem doctrinam non minùs piè quàm eleganter exponit S. Doctor in Epiſt. 107 ad Thomam Præpoſitum de Beverla, num. 8 & 9. „ Amavit (Deus), inquit, & necdum amantes...... O geminum idemque
„ firmiſſimum Dei erga nos amoris argumentum! Chriſtus moritur &
„ meretur amari; Spiritus afficit, & facit amari. Ille facit cur ame-
„ tur, iſte ut ametur: ille ſuam multam dilectionem in nobis com-
„ mendat, iſte & dat. In illo cernimus quod amemus, ab iſto ſumi-
„ mus unde amemus. Caritatis igitur ab illo occaſio, ex iſto affec-
„ tio...... Amati amamus, amantes ampliùs meremur amari." .

3°. Docent SS. Patres illum amorem Dei, ſine quo nihil boni fit, ita eſſe donum Dei, ut ſolis naturæ viribus haberi nequeat. Certè ſi quis eſſet verus amor Dei naturæ viribus elicitus, opera quæ ex illo fierent eſſent bona ſub omni reſpectu. Atqui, juxta ſanctos Patres, amor Dei quo benè operamur, & ſine quo nemo rectè operatur, non eſt niſi à Deo per Jeſum Chriſtum. Hanc verò Patrum doctrinam eſſe multa demonſtrant: 1°. Amorem Dei, ſine quo nihil boni rectè fit ab homine, *caritatem* appellant. Ita Clemens Romanus, Clemens Alexandrinus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Cæſarius, Eligius, Beda, Patres concilii Pariſienſis, Remigius Autiſſiodorenſis, Petrus Bleſenſis, Aelredus, Aquinas, Cardinalis Hoſius, Præſules à quibus damnata fuit *Apologia pro Caſuiſtis*, Facultas Lovanienſis, quorum teſtimonia retulimus Capite præcedenti, Quæſt. 1. 2°. Generatim definiunt bonam voluntatem, quâ ſolâ rectè agitur, eſſe caritatem. Ita Auguſtinus, Proſper, Patres concilii Pariſienſis, quorum verba ibidem relata ſunt. 3°. Nullum amorem deliberatum admittunt, qui, in individuo & ratione finis ſui ultimi conſideratus, non ſit amor caritatis, aut amor cupiditatis. Ita S. Auguſtinus, S. Leo, S. Fulgentius, S. Cæſarius, S. Gregorius magnus, Florus, Remigius Autiſſiodorenſis, Petrus Bleſenſis, S. Thomas, quorum etiam textus ſuprà protulimus. Porro repugnat verum Dei amorem dici poſſe cupiditatem. Reſtat ergo ut omnis verus amor Dei ſit amor caritatis & gratiæ Chriſti donum. 4°. Denique id expreſſis etiam verbis definiunt. Unus pro omnibus ſufficiet Auguſtinus, hac in materia doctiſſimè ac copioſiſſimè verſatus. Sic ille loquitur lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 18. num. 37: „ Hæc
„ omnia præcepta dilectionis, id eſt, caritatis, tanta ac talia ſunt, ut,
„ quidquid ſe putaverit homo facere benè, ſi fiat ſine caritate, nullomo-
„ do fiat bene...... Sed unde eſt in hominibus caritas Dei & proximi,
„ niſi ex ipſo Deo?" Lib. 3 *Op. imperf.* cap. 114: „ Hoc eſt incre-

Digitized by Google

„ mentum, ut unuſquiſque obediat præceptis Dei; quod non fit, quando recte fit, niſi caritate...... Hanc caritatem non dat niſi Deus; caritas enim ex Deo eſt.“ Et cap. 122: „ Inter divinæ gratiæ ſpecies, inquit Juliano, ſi poneretis dilectionem, quam non ex nobis, ſed ex Deo eſſe, eamque Deum dare filiis ſuis apertiſſimè legitis, ſine qua nemo piè vivit, & cum qua nemo niſi piè vivit, ſine qua nullius eſt bona voluntas, & cum qua nullius eſt niſi bona voluntas, verè liberum defenderetis, non inflaretis arbitrium.“ Idem aſſerit multis aliis in locis, atque, inter alia, lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3. num 33; lib. 5. cap. 3. num. 9; Serm. 156. cap. 5; lib. 1. *Op. imperf.* cap. 131, & cap. 94, ubi Julianum ſic compellat: „ Homo Pelagiane, caritas vult bonum, & caritas ex Deo eſt, non per legis litteram, ſed per ſpiritum gratiæ...... Alioquin per ſeipſam littera occidit, quia jubendo bonum, & non largiendo caritatem, quæ ſola vult bonum, reos prævaricationis facit.“

Al. Serm. 13 de Verbis Apoſtoli.

Sanè ſi daretur verus amor Dei naturæ viribus elicitus, ille amor eſſet bona voluntas, actionesque produceret omni ex parte & ſub omni reſpectu bonas. Quis enim ambigat voluntatem quâ Deus verè diligitur eſſe bonam, & rectè operari? Porro, ex S. Auguſtino, nulla voluntas bona, nulla voluntas ex qua homo rectè operetur, ſurgit ex nobis, ſolaque, quæ ex Deo eſt, caritas vult bonum ac benè operatur. Ergo nullus verus amor Dei ſolis naturæ viribus & ſine dono gratiæ haberi poteſt.

Tot tamque perſpicua Scripturæ oracula, ſanctorum Patrum teſtimonia, Conciliorumque decreta ut eludant adverſarii, reſpondent in illis omnibus ne quidem attingi quæſtionem, contenduntque præſentem controverſiam, ubi de amore naturali agitur, non auctoritatum, ſed rationum pondere definiri oportere. Sed quandonam, quæſo, ſcripturæ ac traditioni auſcultandum erit, niſi ubi agitur de humanæ naturæ corruptione & infirmitate, de gratiæ reparantis neceſſitate, de fonte divini amoris ac bonorum operum? Inconcuſſa illa Eccleſiæ munimenta parvi pendant & declinent, qui per illa novitates ſuas proſcribi & conteri ſentiunt: nos, quibus id unum propoſitum eſt, non nova cudere, ſed ſanæ doctrinæ depoſitum Apoſtolis à Chriſto concreditum, & ſerie non interrupta in Eccleſia Catholica tranſmiſſum, integrum illibatumque ſervare, eiſdem munimentis unicè inniti gloriamur, ab Apoſtolo edocti *arma militiæ noſtræ non carnalia eſſe, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſùs ſcientiam Dei.* Quid tamen contra tot textuum evidentiam ex ratione depromant pauliſper attendamus:

Aiunt ergo 1° textus omnes, à nobis citatos intelligi debere de amore ſupernaturali & vitæ æternæ meritorio; amorem verò, quem ipſi admittunt, ordinis eſſe merè naturalis, nec quidquam prodeſſe ad ſalutem

Digitized by Google

tem æternam. Aiunt 2° in iiſdem textibus agi de amore effectivo & efficaci, quo præcepta divina etiam per longum tempus obſervantur; amorem verò, quem ipſi ſolis naturæ viribus elici poſſe aſſerunt, eſſe duntaxat affectivum, nec ſufficere ad obſervanda, ſaltem diuturno tempore, legis naturalis mandata. 3°. Deum ſolis naturæ viribus nonniſi imperfectè diligi poſſe ſentiunt, dicuntque laudatos textus exponi debere de amore Dei dominante & ſuper omnia, non autem de imperfecto & inchoato qui non ſit ſuper omnia. Verum ſi hujuſmodi interpretationibus ad libitum excogitatis locus datur, ecquid deinceps in Eccleſiæ doctrina certum erit atque immotum? Ecquis hæreticus aut novator non eodem jure poterit apertiſſimos textus frivolis diſtinctionibus ludificari? Ut tamen manifeſtè pateat quàm falſæ atque etiam abſurdæ ſint variæ illæ reſponſiones, ſingulas ſeorſim refellemus.

Exploditur amoris Dei in naturalem & in ſupernaturalem diviſio.

Primò quidem falſum eſt in allatis textibus agi duntaxat de amore ſupernaturali & meritorio, neque excludi quemlibet verum amorem Dei naturæ ſolis viribus elicitum. Præter argumenta in probatione allata, quibus oſtendimus, juxta SS. Patres, omnem amorem Dei verum eſſe amorem caritatis; Deum non diligi niſi caritate; omnem amorem in individuo & ratione finis ſui ultimi conſideratum aut caritatem eſſe, aut cupiditatem; ſine caritate, quæ gratiæ donum eſt, nihil rectè fieri; impotentiam diligendi Deum in homine lapſo non repeti à peculiari quodam diligendi modo, ſed ab ipſa divinæ dilectionis ſubſtantia, & à naturæ contracta per peccatum corruptione: præter illa, inquam, argumenta, quæ ſingula invicta ſunt, hæc inſuper accipite: 1°. Rejicienda eſt omnis expoſitio Scripturæ & SS. Patrum, quæ, cùm obvio verborum ſenſui apertè contradicat, nullum prorſus neque in ipſa Scriptura, neque in Patribus fundamentum habet, ſed ad cujuſvis arbitrium fingitur. Talis autem eſt diſtinctio duplicis amoris Dei, unius qui ſit ſupernaturalis, alterius qui ſolis naturæ viribus producatur. Ipſe Molina in *Concordia*, quæſt. 14. art. 13. diſput. 15, fateri coactus eſt eam omnibus Eccleſiæ Doctoribus incognitam fuiſſe, & à Scholaſticis primùm adinventam. Cùm autem illa diſtinctio SS. Patribus fuerit planè incognita, manifeſtum eſt eos, quando definiunt hominem non poſſe diligere Deum abſque auxilio gratiæ, id ſine ulla exceptione aut reſtrictione intellexiſſe; ac proinde reſtrictionem à recentioribus introductam à SS. Patrum mente omnino alienam eſſe, atque ipſi repugnare. 2°. Scriptura & SS. Patres non dicunt tantummodo amorem Dei eſſe donum gratiæ, ſed etiam expreſſè & generatim definiunt nullum eſſe amorem Dei qui ex nobis ſurgat, neminem poſſe diligere Deum ſine auxilio gratiæ, Deum non diligi niſi ex Deo. Ergo excludunt quemlibet amorem Dei verum ſolis naturæ viribus elicitum. Si verò textus adeò apertos ac luce clariores ad arbitrium reſtringere liceat, quid jam erit in Eccleſiæ doctrina fixum? 3°. Diſtinctionem amoris Dei in naturalem & in ſuper-

pernaturalem non uno modo exponunt ejus aſſertores. Alii cum Molina ſentiunt amorem ſupernaturalem non differre à naturali penes aliquam perfectionem, intenſionem, entitatemve ſibi intrinſecam, quæ non ſit in amore naturali, ſed eo duntaxat quòd gratia influat ad producendum amorem ſupernaturalem, ad productionem verò amoris naturalis non influat. Alii autem dicunt amorem naturalem illum eſſe, quo Deus diligitur tantummodò tanquam auctor naturæ; ſupernaturalem verò, quo diligitur tanquam gratiæ & gloriæ largitor. Neutra autem expoſitio cum Scripturæ & Patrum dictis conciliari poteſt. Non certè Moliniana expoſitio; niſi velis Scripturarum oraculis, SS. Patrum dictis, Conciliorumque definitionibus ſummam ineptiam attribuere. Quid enim, amabo, ineptius, quàm magno cum apparatu definire eum amorem, in quem gratia influat, produci non poſſe abſque auxilio gratiæ? Quis ita ſtupidus eſt ut iſtud neget? Quis unquam Pelagianus inficiatus eſt, aut inficiari potuit? Prætereà, poſitâ illâ interpretatione, gratia neceſſaria non eſt præciſè ad diligendum Deum, ſed tantùm ad illum diligendum modo quodam ſupernaturali. Atqui Scripturæ, Patres, Concilia non ad certum quemdam diligendi modum, ſed ad ipſammet divinæ dilectionis ſubſtantiam, auxilium gratiæ adeò neceſſarium eſſe definiunt, ut abſque illo Deus diligi ullo modo non poſſit: ac proinde Moliniana expoſitio ſcripturæ ac traditioni è diametro adverſatur.

Non minus frivola eſt altera expoſitio, quâ dicta SS. Patrum reſtringuntur ad amorem Dei ut gratiæ & gloriæ largitoris. Nam 1° hujuſmodi reſtrictionis nullum omnino extat veſtigium apud Eccleſiæ Doctores. Undenam ergo illam ſumpſerunt Scholaſtici quos impugnamus, niſi è ſuo cerebro? 2°. SS. Patres quemlibet amorem Dei, quamlibet bonam voluntatem bonive cupiditatem ex naturæ corruptæ viribus produci poſſe abſolutè negant: ergo & amorem Dei ut auctoris naturæ. 3°. Amor Dei ut auctoris naturæ eſt amor creatoris. Atqui Patres diſertè pronuntiant amorem creatoris produci non poſſe ſine gratia Chriſti. „ Amor Dei quo pervenitur ad Deum, inquit S. Auguſtinus lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3. num. 33, non eſt niſi à Deo Patre per Jeſum Chriſ„ tum cum Spiritu ſancto. Per hunc amorem CREATORIS benè quiſ„ que utitur etiam creaturis: ſine hoc amore CREATORIS nullis quiſ„ quam benè utitur creaturis. 4°. Si Deus ut auctor naturæ diligi poteſt ſine auxilio gratiæ, cur non pariter ab eo qui fide imbutus eſt diligi poterit ut gratiæ & gloriæ largitor? Si enim naturæ bona, quæ ſunt longè inferiora, poſſunt efficaciter provocare ad diligendum eorum auctorem, cur gratiæ & gloriæ dona, quæ longè ſuperiora ſunt & per fidem cognita, non poterunt pariter provocare efficaciter ad diligendum eorum largitorem? Si ſolis arbitrii mei viribus poſſum diligere Deum, quia me creavit bonisque naturalibus donavit, cur non potero eumdem diligere, quem credo pro mea ſalute mortuum eſſe, ſeque mihi fruen-

dum

Digitized by Google

dum promiſiſſe? 5°. Non veraciter Deus diligitur, niſi totus, ut ita dicam, id eſt, quoad omnia ſua attributa implicitè ſaltem comprehenſa, diligatur. Qui enim diceret v. g. ſe diligere Deum ut miſericordem, non autem ut ſcelerum vindicem, hoc ipſo convinceretur non Deum, ſed idolum quoddam à ſe confictum diligere. Fieri ergo nequit ut Deus veraciter diligatur tanquam auctor naturæ, quin ſimul diligatur, ſaltem implicitè, tanquam gratiæ & gloriæ largitor, id eſt, ut, quisquis eum diligit ut auctorem naturæ, non ita affectus ſit, ut Deum diſtinctè & explicitè diligeret ut gratiæ largitorem, ſi ſub illo reſpectu ſibi notus eſſet. Immeritò itaque diſtinguuntur amor Dei ut auctoris naturæ, & amor Dei ut gratiæ largitoris, tanquam duo diverſi amores. 6°. Non rectè Deus diligitur etiam ut auctor naturæ, niſi diligatur tanquam ſummum bonum, finisque ultimus, & objectum beatitudinis. Atqui amor, quo Deus diligitur ut ſummum bonum, ut finis ultimus, ut objectum beatitudinis, eſt amor caritatis, ut docet S. Thomas 1. 2. quæſt. 25. art. 5 ad 1; quæſt. 109. art. 2. ad 1, & alibi paſſim. Ergo omnis verus amor Dei eſt amor caritatis.

Fruſtra dicunt, concilia Arauſicanum & Tridentinum, cùm definiunt neminem absque auxilio gratiæ poſſe diligere Deum *ſicut oportet*, tacitè ſaltem agnoviſſe amorem Dei, qui non ſit ſicut oportet, ad conſequendam gratiam juſtificationis; hunc autem amorem alium eſſe non poſſe quàm amorem Dei tanquam auctoris naturæ, quem ſupponunt produci poſſe ſine auxilio gratiæ ſolisque liberi arbitrii viribus. Id namque quid aliud eſt quàm chimæras ſibi fingere? Ubinam didicerunt amorem Dei ut auctoris naturæ non eſſe *ſicut oportet*? Proferant, ſi poſſunt, Concilium aliquod, aliquemve Eccleſiæ Doctorem, qui hujusmodi commentarium tradiderit. Si nullum proferre poſſunt, pudeat illos adeò inanis & illuſoriæ interpretationis. Datur quidem reipſâ aliquis amor quo Deus non diligitur ſicut oportet, ille nimirum quo non diligitur propter ſe, ſed propter bona temporalia quæ jam tribuit, aut tribuere poteſt. Hujusmodi amor, ſicut non eſt verus amor Dei, ita nec gratiæ donum eſt. Verùm, quomodòcunque Deus diligatur propter ſe & tanquam finis ultimus, diligitur ſicut oportet. Quæramus à S. Auguſtino, ex cujus verbis Conciliorum canones confecti ſunt, quid ſit diligere Deum ſicut oportet: reſpondebit id nihil aliud eſſe quàm eum diligere propter ſe. „ Ipſe Deus, inquit lib. 5. *contra Julianum*, cap. 13. num. 9, adeſt & „ menti illuminandæ, & concupiſcentiæ ſuperandæ, & moleſtiæ perferendæ. Hoc enim totum RECTÈ FIT, quando fit propter ipſum, id „ eſt, quando gratis amatur ipſe: qualis amor nobis eſſe non poteſt niſi „ ex ipſo.“ Atqui amor Dei ut auctoris naturæ, quem adverſarii viribus liberi arbitrii attribuunt, debet eſſe amor Dei ut ſummi boni finisque ultimi; ac proinde illo amore Deus rectè & ſicut oportet diligitur.

Digitized by Google

Et ſanè, ſi duplex eſſet amor Dei, unus naturalis, alter ſupernaturalis, duplex quoque eſſe deberet præceptum dilectionis, unum naturale quo amor naturalis, alterum ſupernaturale quo amor ſupernaturalis præcipiatur. Porro non duplex, ſed unicum eſt præceptum dilectionis. Non enim novum diligendi præceptum Chriſtus promulgavit, ſed legem Judæis datam renovavit & confirmavit: lex autem Judæis data eſt ipſamet lex naturalis, quam in mentibus ſuis ſcriptam gerebant, ſed legere nolebant, ut ait S. Auguſtinus. Ergo unicus quoque eſt amor Dei, quo totus quantus eſt diligitur, tum ut creator, tum ut remunerator, nullusque datur verus amor Dei lege naturali præſcriptus, qui non ſit *ſicut oportet*, ac proinde gratiæ munus.

Denique falsò ſupponunt adverſarii amorem Dei propter ſe, ut auctoris naturæ, nullius eſſe meriti apud Deum. S. Auguſtinus contrarium expreſſè aſſerit lib. *de Natura & gratia*, cap. & num. 2, ubi loquens de Gentilibus, qui, myſterium Chriſti penitùs ignorantes, Deum noſſe non poterant niſi tanquam rerum omnium creatorem, ſic loquitur: ,, Quid faciat humana natura, vel quid fecit, quæ vel ante non audierat hoc futurum, vel adhuc non comperit factum, niſi credendo in Deum qui fecit cœlum & terram, à quo & ſe factam naturaliter ſentit, & rectè vivendo ejus impleat voluntatem, nullâ fide paſſionis Chriſti & reſurrectionis imbuta? Quod ſi fieri potuit aut poteſt, inquit, hoc & ego dico quod de lege dixit Apoſtolus: *ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.*" Paulò antè dixerat iſtiuſmodi homines, ſi Deum diligant legemque naturalem obſervent, de præmio & vita æterna debere eſſe ſecuros. ,, De præmio, inquit, debet eſſe ſecurus, hoc eſt, de vita æterna, etiamſi in aliqua gente aut aliquo ſuperiori tempore fides eum latuit ſanguinis Chriſti. Non enim injuſtus Deus qui juſtos fraudet mercede juſtitiæ, ſi eis non eſt annuntiatum ſacramentum divinitatis & humanitatis Chriſti. Quomodò enim crederent quod non audierunt, aut quomodò audirent ſine prædicante?" In hujuſmodi hominibus non alius profectò ſupponi poteſt amor Dei, quàm ut creatoris bonorumque omnium fontis. Porro declarat S. Doctor hunc amorem, ſi in Gentilibus fide deſtitutis admitti poſſet, non poſſe non remunerari vitâ ipſâ æternâ, Deumque injuſtum fore, ſi hominibus ipſum ſic diligentibus mercedem juſtitiæ non retribueret; atque inde concludit iſtam hypotheſim eſſe impoſſibilem, eoquòd admitti non poſſit quin hoc ipſo Chriſtus gratis mortuus ſit.

Idem decrevit Paulus V in Bulla quam, abſolutis Congregationibus *de Auxiliis*, apparari juſſit, & quæ aſſervatur in ſcriniis Apoſtolicis, ſuo tempore in lucem proferenda. In illa quippe, cap. 3, ſic exponitur quid ſit diligere Deum *ſicut oportet*: ,, Cum in Eccleſiaſticis definitionibus damnatum ſit, per naturæ vigorem hominem poſſe aliquid, quod ad ſalutem pertinet, cogitare ut expedit abſque illuminatione

Appendix Hiſt. Congregat. *de Auxiliis*, pag. 162.

,, &

„ & inſpiratione Spiritûs ſancti; ac rurſus ſine Spiritûs ſancti inſpira-
„ tione atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere aut
„ pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur,
„ in iis definitionibus per id quod exprimitur *ſicut oportet*, ſive *ut*
„ *expedit*, hoc intelligendum eſſe, quod eſt cum circumſtantiis debi-
„ tis ab homine adhiberi in commemoratis actibus, ſatis inſinuatur tam
„ in doctrina à SS. Patribus definita & tradita, quàm in ipſa ſcriptura
„ ſacra, quando actus, qui fiunt ſicut oportet, per hujuſmodi circum-
„ ſtantias deſcribuntur. Siquidem tales actus ſunt..... operari prop-
„ ter Deum quod bonum eſt, diligere Deum propter ſeipſum, homi-
„ nem verò, ſive ſe, ſive alium, propter Deum. Quapropter eiſdem de-
„ finitionibus adverſatur dicere, quòd poſſit homo actus ſic deſcriptos ope-
„ rari, aut velle operari ſine gratia Dei, etiamſi intelligatur tunc non
„ fore ſupernaturales, ſed naturales actus." Igitur, quantùmlibet dicant adverſarii amorem Dei, quem naturæ viribus attribuunt, ordinis eſſe merè naturalis, nec vitæ æternæ meritorium, nihilominùs Eccleſiæ definitionibus adverſantur, Pelagianiſmumque inſtaurant.

Exploditur diſtinctio amoris Dei effectivi, qui diu perſeveret, & amoris affectivi, qui brevi tantùm tempore duret.

2°. Non minùs falſum eſt Scripturam, Patres & Concilia loqui de amore efficaci, quo per longum tempus mandata divina obſervantur, non autem de amore affectivo qui non diu perſeveret. Nam 1° textus allati univerſales ſunt & indefiniti, nullumque exprimunt amorem minùs diuturnum, qui ſolis naturæ viribus elici queat. 2°. Inſulſè omnino diſtinguuntur amor affectivus & amor effectivus ſive efficax. Nam omnis amor *habet vim ſuam, nec poteſt vacare in anima amantis: ſi non operatur, non eſt*, ait S. Auguſtinus. 3°. Si valeret iſta reſponſio, gratia jam non foret neceſſaria ad diligendum Deum, ſed tantum ad perſeverandum in ejus dilectione. Porro SS. Patres definiunt gratiam abſolutè neceſſariam eſſe, non tantùm ad durationem divini amoris, ſed ad ipſam illius conceptionem. 4°. Si gratia non eſſet neceſſaria, niſi ut amor Dei jam conceptus aliquandiu perſeveret, non jam ad diligendum Deum, ſed tantummodò ad faciliùs diligendum, ac mandata faciliùs obſervanda requireretur; qui error in Pelagianis damnatus eſt. 5°. Si ſemel concedatur poſſe hominem Deum diligere ſuper omnia per aliquod breve tempus, neceſſariò admittendum erit, hominem poſſe propriis ſuis viribus in illo ſancto amore per totam vitam ſuam perſeverare. Qui enim ex ſemetipſo produxit amorem, quem prius non habebat, à fortiori conſervare poterit jam conceptum. Ad producendum amorem Dei, qui in corde nullus erat, ſuperandæ fuerunt cupiditates terrenæ priùs dominantes: at, quando Deus ſuper omnia diligi ſemel incœpit, oppoſitæ cupiditates jam magna ex parte imminutæ ſunt, multòque minus ſanctæ dilectioni obſiſtunt; ac proinde, ſi poteſt homo ex ſeipſo diligere Deum ſuper omnia, multò promptiùs ac faciliùs poterit hanc dilectio-

nem

nem fovere, augere & conſervare: quod tamen hæreticum eſſe fatetur ipſe Molina.

Nec dicas tunc tantùm amorem Dei naturæ viribus produci poſſe, quando non inſurgunt graves tentationes; ingruentibus autem gravibus tentationibus, illum brevi evaneſcere. Tentationum enim gravitatem plerumque non facit niſi cupiditatis magnitudo. Quando autem Deus diligitur ſuper omnia, tunc minuitur cupiditas; adeòque tentationes fiunt minùs vehementes, & facilius poſſunt ſuperari. Quamobrem valde inepta eſt comparatio, quam adverſarii vulgò petunt ab homine è gravi morbo convaleſcente, qui poteſt aliquandiu ambulare & onus leve portare per breve, non verò per longum tempus. Nam (dato, non conceſſo hominem, in opinione quam refellimus, reipſâ infirmum eſſe) maxima eſt inter duo comparationis membra diſparitas. Homo corpore adhuc æger & languidus, diutius ambulando onusve portando, fatigatur augetque infirmitatem: contra verò homo, qui ex ſeipſo incœpit Deum ſuper omnia diligere ac mandata obſervare, hoc ipſo roboratur novaſque acquirit vires. Cum enim animæ infirmitas in amore creaturarum, ejus autem ſanitas in dilectione Dei tota poſita ſit, quantò plus in dilectione Dei proficit, tantò valentior ac robuſtior fit ad perſeverandum in bono.

Patres citati non loquuntur de amore Dei perfecto, ſed de quocunque vero amore Dei, quantùmvis imperfecto.

3°. Denique falſum eſt Scripturas & SS. Patres loqui tantùm de amore Dei ſuper omnia & in corde dominante, non verò de amore inchoato; imperfecto & non dominante. Nam cuivis textus à nobis allatos paulò attentius legenti manifeſtè patebit, eos de quolibet amore Dei, etiam tenuiſſimo, intelligi debere. Et ſanè, poſito quòd homo vel tenuiſſimam divini amoris ſcintillam ex ſeipſo procreare valeat, poterit deinceps eam alere ac nutrire, novos ei addendo amoris gradus. Igitur, ut ait Bellarminus lib. 6 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 7: „ Cujus rei perfectio eſt à Deo, ab illo etiam eſt inchoatio; & ſicut initium fidei eſt à Deo, quia fides eſt à Deo, ita quoque initium caritatis tribuendum eſt Deo, quia caritas ipſa eſt à Deo.“ Idem declarat S. Auguſtinus lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 9. num. 21. „ Cupiditas boni, inquit, non homini à Deo eſſet, ſi bonum non eſſet: ſi autem bonum eſt, ab illo nobis eſt qui ſummè & incommutabiliter bonus eſt. Quid eſt enim boni cupiditas, niſi caritas, de qua Joannes Apoſtolus ſine ambiguitate loquitur, dicens: *Caritas ex Deo eſt?* Nec initium ex nobis, & perfectio ex Deo eſt, ſed, ſi caritas ex Deo eſt, tota nobis ex Deo eſt. Avertat enim Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, poſteriorem ipſum, quoniam *miſericordia ejus præveniet me.*“ Nihil dici poteſt ad

Pſalm. LVIII. 11.

præcludendum iſtud adverſariorum effugium opportunius. Loquitur S. Doctor de cupiditate boni etiam tenuiſſima: ait illam, quantùmvis te-

tenuem, hoc ipſo quòd eſt aliquod bonum, eſſe à Deo qui ſummè bonus eſt: ait omnem boni cupiditatem pertinere ad caritatem, quam ſcriptura clamat ex Deo eſſe: demum ex eoquòd indefinitè dicatur caritas eſſe à Deo, concludit nullum ejus initium eſſe à nobis.

Probatur IV° Propoſitio ex damnatione Pelagianorum. Tota controverſia de gratia illos hæreticos inter & Eccleſiam Catholicam in eo verſabatur, utrùm homo ex ſeipſo Deum diligere valeat, an verò dilectio Dei tota nobis ex Deo ſit. Statum quæſtionis exponit S. Auguſtinus lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 18. num. 37. Cùm enim dixiſſet *præceptum dilectionis* tantum eſſe, ut, *quidquid ſe putaverit homo facere benè, ſi fiat ſine caritate, nullomodò fiat benè*, ſtatim addit: „ Sed unde eſt in hominibus caritas Dei & proximi, niſi ex ipſo Deo? Nam „ ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: ſi autem ex „ Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergo inter nos judex Joannes Apoſto„ lus, & dicat nobis quia *dilectio ex Deo eſt*.“ Et ibidem, cap. 19. num. 42: „ In Joanne lux dicit: *Ecce qualem dilectionem dedit nobis Pater;* & „ in Pelagianis tenebræ dicunt: dilectio nobis ex nobis eſt. Quam ſi ve„ ram, id eſt, Chriſtianam dilectionem haberent, ſcirent & unde ha„ berent, ſicut ſciebat Apoſtolus, qui dicebat: *Nos autem non ſpiri„ tum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus „ quæ à Deo donata ſunt nobis*...... Nec audiunt Apoſtolum dicentem: „ *Scientia inflat, caritas autem ædificat.* Quid eſt ineptius, imò verò „ quid eſt amentius, & ab ipſa ſanctitate caritatis alienius, quàm con„ fiteri ex Deo eſſe ſcientiam, quæ ſine caritate inflat, & ex nobis eſſe „ caritatem, quæ facit ut ſcientia inflare non poſſit?“

Probatio 4ª ex damnatione Pelagianorum.

1 Corinth. II. 12.
1 Corinth. VIII. 1.

Ideò igitur Eccleſia damnavit Pelagianos, quòd dicerent dilectionem Dei eſſe ex nobis. At quam, quæſo, dilectionem? Supernaturalem-ne? Minimè gentium. Quis enim ſibi perſuadeat viros acutiſſimi ingenii eò uſque deſipuiſſe, ut vellent dilectionem ſupernaturalem ſolis naturæ viribus produci? Quæſtio ergo erat de dilectione Dei vera & ſincera abſolutè conſiderata, ſine qua, ut dicit S. Auguſtinus, *quidquid fit, nullomodò fit benè*, & ſine qua *ſcientia inflat*.

Inaniter responderetur non in eo præciſè erraſſe Pelagianos, quòd dicerent hominem poſſe diligere Deum ſolis arbitrii ſui viribus; ſed quòd hujuſmodi dilectionem Dei, naturæ viribus elicitam, vitæ æternæ meritoriam eſſe contenderent. Nam 1° conſtat eos imprimis in eo erraſſe, quòd nimis extollerent vires liberi arbitrii; eorumque doctrinam, de viribus liberi arbitrii ad diligendum Deum, velut hæreticam à Conciliis & Eccleſia univerſa proſcriptam fuiſſe. 2°. Falſò ſupponitur amorem Dei ſolis naturæ viribus elicitum, habitum fuiſſe à Pelagianis ut gratiæ & gloriæ meritorium, ſaltem in ſenſu rigoroſo quem adverſarii intelligunt. Nam, poſt Pelagii damnationem in Synodo Dioſpolitana factam, ultrò confeſſi ſunt illi hæretici humanos conatus non poſſe propriè me-

mereri gratiam, eoquòd gratia ſit ordinis longè ſublimioris, ut oſtendimus Lib. I, eorum doctrinam exponendo. 3°. Etiamſi docuiſſent dilectionem Dei naturæ viribus productam aliquo ſenſu gratiam promereri, non in eo erraſſent aut culpandi fuiſſent. Nam SS. Patres conſtanter docent gratiam dari ſecundùm merita, ſi aliquid boni præcedat in homine quod non ipſa operata ſit: de quo videri poſſunt S. Auguſtinus lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 7 & 8, & lib. 4. cap 9; lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3; lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 2; lib. 1 *Retractationum*, cap. 6; S. Prosper lib. *contra Collatorem*, cap. 3 & 37, al. cap. 8. num. 8, & cap. 17. num. 51, & in *Reſponſione ad Excerptum* 3um *Genuenſium*; S. Fulgentius lib. *de Incarnatione & gratia*, cap. 18, & S. Bernardus Serm. 67 *in Cantica*. Præterea paulò ante audivimus S. Auguſtinum aſſerentem Gentilem, qui de fide Chriſti nihil audivit, ſi fieri poſſet ut Deum diligeret ac rectè vivendo legem naturalem obſervaret, de præmio vitæ æternæ debere eſſe ſecurum, nec injuſtum eſſe Deum qui juſtum fraudet mercede juſtitiæ. Non in hoc igitur errarunt Pelagiani, quòd amorem Dei naturæ viribus elicitum meritorium eſſe dixerint, ſed quòd verum amorem Dei naturæ viribus produci poſſe contenderent; quod adverſarii quoque contendunt.

Confirmatur iſtud argumentum judicio Conſultorum Romanorum in Congregationibus *de Auxiliis*. Cùm enim præſens quæſtio agitata fuiſſet in Congregatione 7, die 19 Auguſti 1602, coram Clemente VIII, Cenſores omnes, duobus tantùm exceptis qui ſtabant ex parte Molinæ, uno conſenſu ſic pronuntiarunt, ut refertur in Hiſtoria illarum Congregationum: „ Ex doctrina S. Auguſtini ex profeſſo tradita contra „ Pelagianos & eorum reliquias multis locis, & ex conciliis Milevitano " (ſeu Carthaginenſi anni 418), „ can. 4, & Arauſicano ſecundo, can. ultimo, & Tridentino, ſeſſ. VI, can. 6 & cap. 7, reſolvit „ Congregatio non poſſe hominem, in ſtatu naturæ lapſæ, ſine ſpeciali divinæ gratiæ adjutorio diligere Deum, neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, neque perfectè, neque imperfectè; & hanc ſententiam Auguſtini eſſe doctrinam Eccleſiæ, & „ ab illa omnino defeciſſe Molinam." Et in 16 Congregatione, coram eodem S. Pontifice habita die 10 Decembris ejuſdem anni, „ cenſuerunt omnes (duobus exceptis) hanc concluſionem, homo ex ſolis naturæ viribus poteſt diligere Deum ſuper omnia, eſſe Pelagianam abſolutè prolatam, ſive illa intelligatur de amore Dei ut auctor eſt „ bonorum ſupernaturalium, ſive ut eſt auctor naturæ, ſive de perfecta, ſive de imperfecta & inchoata dilectione Dei." Idem jam ante cenſuerant 6 Februarii anni 1598, & 16 Februarii anni 1601.

Pag. 347.

Pag. 358.

Probatio 5a ex precibus Eccleſiæ.

Probatur V° ex precibus Eccleſiæ. Irriſorium foret, ut ſæpè obſervat Auguſtinus, id poſtulare à Deo, quod, ipſo non dante, in noſtra eſſe poteſtate crederemus. Atqui univerſa Eccleſia poſtulat à Deo, non ali-

aliquam divini amoris ſpeciem, non dilectionem quæ ſit ſupernaturalis & meritoria, ſed quamlibet veram ipſius dilectionem. Sic oratione in Dominica V poſt Pentecoſten: *Infunde cordibus noſtris tui amoris affectum;* & Dom. VI: *Deus virtutum, cujus eſt totum quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis.* Ergo Eccleſia univerſa profitetur omnem verum amorem Dei eſſe in nobis ab ipſo Deo.

Probatur VI° ſuffragiis Theologorum. Tres tantùm ex inſignioribus commemorare ſufficiet. Probatio 6ª ex Theologis.

S. Thomas 1. 2. quæſt. 109. art. 3. in corp. hæc habet: „ In ſtatu „ naturæ corruptæ homo ab hoc (à diligendo Deo plusquàm ſeipſum „ & ſuper omnia) deficit ſecundùm appetitum voluntatis rationalis, „ quæ, propter corruptionem naturæ, ſequitur bonum privatum, niſi „ ſanetur per gratiam Dei: & ideò dicendum eſt quòd homo in ſtatu „ naturæ integræ non indigebat dono gratiæ (habitualis), ſuperadditæ „ naturalibus bonis, ad diligendum Deum naturaliter ſuper omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis; ſed in ſtatu naturæ „ corruptæ indiget homo, etiam ad hoc, auxilio gratiæ naturam ſanan„ tis." Quæcunque fuerit mens Angelici Doctoris circa vires naturæ integræ (de quo in Libro præcedente ſatis dictum eſt), ex his ejus verbis manifeſtum eſt dilectionem Dei, quam naturæ lex præcipit, ab homine lapſo produci, juxta illum, non poſſe abſque auxilio gratiæ Christi medicinalis. Et ibidem, art. 6. in corp. „ Quòd homo, inquit, „ convertatur ad Deum" (quod fit per quamcunque veram dilectionem Dei), „ hoc non poteſt eſſe niſi Deo ipſum movente."

Bellarminus lib. 6 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 7: „ Exiſtima„ mus, inquit, non poſſe Deum ſine ope illius diligi, neque ut auc„ torem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, neque perfec„ tè, neque imperfectè ullo modo: atque hanc non dubitamus eſſe ſen„ tentiam S. Auguſtini, imò etiam Scripturarum & Conciliorum, quid„ quid aliqui minùs conſideratè hac in parte ſcripſerint."

Eruditi fratres & Epiſcopi Wallemburgenſes, in *Compendio Controverſiarum particularium*, cap. 59, aſſerunt „ convenire (inter Catholicos „ & Proteſtantes) non poſſe hominem ſolis naturæ viribus Deum ſu„ per omnia diligere, neque ut auctorem naturæ, neque ut largito„ rem gratiæ & gloriæ, ſive perfectè, ſive imperfectè." Tom. 2. pag. 43 col. 2.

Probatur VII° rationibus Theologicis. Probatio 7ª ex rationibus Theologicis.

Primam ſuppeditat naturæ lapſæ lugenda corruptio, quâ fit ut ſibi ipſi relicta ad ſeipſam atque ad res creatas toto affectûs ſui pondere convertatur. Cùm enim in doctrina S. Auguſtini, atque ipſâmet experientiâ certum ſit hominem ſemper id ſectari, & ſecundum id operari, quod eum magis delectat, manifeſtè ſequitur hominem, qui, antequàm Deum diligere incœperit, non in Deo, ſed in ſeipſo rebusque caducis unicè delectatur, non poſſe, niſi inſpiratâ ſibi cœlitùs Dei dilectione, ad

ad Deum ſeſe convertere & ſecundùm Deum operari. Hinc S. Proſper ſupra voluntatem hominis lapſi comparat glaciei rigenti, cinerique mortuo, quæ ex ſeipſis ignem concipere nullatenus queunt. Hinc cæteri Patres docent hominem auxilio gratiæ deſtitutum ſeipſum pro fine habere, atque ad ſe omnia reflectere. Hinc S. Auguſtinus, Serm. 155. cap. 12. num. 13: „ Si recedat Spiritus Dei, inquit, pondere ſuo ſpiritus hominis revolvitur in carnem, redit ad facta carnalia, redit ad concupiſcentias ſæculares." Hinc S. Thomas modò dicebat „ in ſtatu naturæ corruptæ appetitum voluntatis rationalis, propter corruptionem naturæ, ſequi bonum privatum, niſi ſanetur per gratiam." Hinc eximius auctor librorum *de Imitatione Chriſti*, lib. 3. cap. 54: „ Natura, inquit, ſe ſemper pro fine habet; gratia...... omnia purè propter Deum agit, in quo & finaliter requieſcit...... Natura inclinat ad creaturas, ad carnem propriam; & gratia trahit ad Deum & ad virtutes...... Natura ad ſe omnia reflectit,...... gratia autem ad Deum cuncta reducit, unde originaliter emanant, nihil boni ſibi adſcribit, nec arroganter præſumit." Legi meretur integrum illud caput *de Diverſis motibus naturæ & gratiæ*, in quo pius auctor latè deſcribit quàm infirma & corrupta ſit humana natura. Hinc etiam Cardinalis Bona in libro *de Principiis vitæ Chriſtianæ*, part. 1. §. 3, ait „ hominem ſibi relictum amoris ſui pondere ad ſeipſum reverti, ſibique ſoli incubare, in ſe tanquàm in centro requieſcere."

Al. Serm. 6 de Verbis Apoſtoli.

Dicant, velim, adverſarii utrùm primus homo peccando omnem amorem Dei perdiderit, an aliquam ejus portionem retinuerit. Fatebuntur, opinor, eum tunc omnem dilectionem Dei penitùs amiſiſſe, non ſolùm ut gratiæ, ſed etiam ut naturæ auctoris. Ergo in ipſo & cum ipſo omni prorſus amore Dei ſpoliati ſumus. Cùm ergo fide certum ſit ſolâ Chriſti reparatoris gratiâ recuperari poſſe quod in Adamo amiſſum fuit, certum quoque eſt ſine adjutorio gratiæ Chriſti amari Deum non poſſe quocunque modo, ſeu, ut loquitur S. Auguſtinus, nos „ liberum arbitrium ad diligendum (ex nobis ipſis) Deum primi peccati granditate perdidiſſe."

2°. Concilia multoties definierunt gratiam non dari ſecundùm merita, nihilque eſſe in homine ante donum gratiæ, quod eam accerſere queat. Porro ſi homo naturæ ſuæ viribus poſſet Deum diligere quocunque modo, etiam ut auctorem naturæ, neceſſariò ſequeretur gratiam dari ſecundùm merita. Nullum enim amorem Dei verum ac ſincerum ſterilem eſſe apud Deum, conſtat 1° ex ipſa amoris natura. Nihil quippe ad amorem & favorem magis provocat quàm amor exhibitus; valdeque conſentaneum eſt æquitati ut, qui diligitur ſuper omnia, diligentem ſe redamet. Quomodò igitur Deus non redamaret gratiamque non conferret homini, quantùm in ipſo eſt, illum diligenti? 2°. Textus ſacer expreſſè declarat Deum diligere omnes à quibus diligitur. *Ego diligentes me diligo*,

ligo, ait Sapientia æterna, Proverb. XVIII. 17 & ſeq., *& qui manè vigilant ad me, invenient me...... In viis juſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum judicii, ut ditem diligentes me & theſauros eorum repleam.* Joann. XIV. 21, dicit Chriſtus: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* In his & ſimilibus locis nulla fit amoris diſtinctio. Igitur nullus verus & ſincerus amor Dei, ſive ut auctoris naturæ, ſive ut gratiæ largitoris, eſt ſine aliquo apud Deum merito. Hinc Deus ſic loquitur, Iſaiæ XLV. 22: *Convertimini ad me, & ſalvi eritis, omnes fines terræ, quia ego Deus, & non eſt alius:* & Zachariæ I. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus, & ego convertar ad vos, dicit Dominus.* Porro qui diligit Deum ut auctorem naturæ, ad Deum creatorem ſuum verè convertitur: ergo Deus quoque ad ipſum convertitur. Non enim dixit Deus, convertimini ad me amore ſupernaturali; ſed ait abſolutè, *convertimini ad me* Deum & Dominum veſtrum. Cum ergo quis amat Deum ac Dominum ſuum, vi promiſſionis divinæ impetrat ut Deus ad ipſum convertatur; ac proinde, ſi propriis viribus id præſtat, jam gratia ſecundùm merita hominis datur: quem errorem ipſemet Pelagius, anathematizari metuens, ore proprio damnavit in concilio Palæſtino. 3°. Supra oſtenſum eſt Patribus perſuaſum fuiſſe gratiam dari ſecundùm merita, ſi aliquid boni præcedat in homine, cujus voluntas humana ſola cauſa ſit. „ Si ſine gratia, inquit S. Auguſtinus lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 8. num. 18, per nos „ incipit cupiditas boni (ſeu tenuiſſimum boni deſiderium), ipſum „ cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat adjuto- „ rium; & ſic gratia Dei gratis non donabitur, ſed ſecundùm noſtrum „ meritum dabitur." Atqui amor Dei ut auctoris naturæ eſt boni cupiditas, amor rectus, uno verbo, aliquod bonum. Ergo, ſi ſolis naturæ viribus haberi poteſt, gratia jam non eſt gratuita, jam non eſt gratia. Hæc conſecutio adeò evidens eſt, ut omnes ferè, qui aliquid boni ſolis liberi arbitrii viribus fieri poſſe cenſuerunt, quamvis ad declinandam invidiam negaverint hujusmodi inceptis gratiam propriè deberi, conveniens tamen eſſe dixerint ut, propter illum bonum uſum liberi arbitrii, gratia uni detur potiùs quàm alteri. Ita ſenſerunt non ſolùm Pelagiani & Semipelagiani, ſed etiam Molina cum plurimis ſuis aſſeclis, dum contendit ex pacto quodam dari gratiam facienti quod in ſe eſt ex naturæ viribus: ita etiam Suarez multique alii, cùm dicunt per actus bonos naturales removeri ſaltem gratiæ obices. Si qui autem id negant, malè omnino ratiocinantur, ideòque duntaxat iſtam conſecutionem admittere refugiunt, quia ſciunt eam in Maſſilienſibus jam dudum fuiſſe damnatam. Iſtud argumentum confirmat Bellarminus, loco ſuperiùs citato, his verbis: „ Omnis diſpoſitio ad juſtificationem cùm „ ſit converſio, vel converſionis initium, igitur ſine dono Dei & gra- „ tiâ ejus præveniente haberi non poteſt. Neque verò neceſſe eſt ut „ di-

Digitized by Google

„ dilectio Dei feratur in Deum, ut objectum beatitudinis, ut dici poſſit „ converſio. Nam quemadmodùm averſio à Deo ut auctore naturæ „ vera eſt averſio, ita ad eumdem converſio ut auctorem naturæ eſt „ vera converſio.“

Tertiam rationem ſuggerit idem Bellarminus ibidem, hunc in modum: „ Nullum pietatis opus fieri poteſt ſolis naturæ viribus, neque „ contrarium affirmari poteſt ſine hæreſis periculo. At dilectio Dei, „ quamvis ut auctoris naturæ, & imperfecta atque inchoata, opus eſt „ pietatis, ut Auguſtinus docet in Epiſt. 29 ad Hieronymum, qui ſic „ ait: *Pietas eſt cultus Dei, qui præcipuè diligendo exhibetur.* Igitur omnis dilectio Dei eget auxilio gratiæ ut haberi poſſit à nobis.“

4°. Fides docet neminem poſſe ſalutem conſequi ſine fide & gratia Chriſti, nullumque eſſe in altera vita quietis & beatitudinis locum, maximè pro adultis, extra regnum cœlorum. Atqui alterutrum admittendum foret, ſi Deus ſolis humanæ naturæ viribus diligi poſſet. Nam ſi homo ex ſeipſo poſſit habere aliquem gradum dilectionis Dei, cur non poſſet ſecundum, tertium, quartumque gradum addere ex ſeipſo, Deumque ſuper omnia diligere, ut reipſâ pleríque adverſariorum ſentiunt? Cur non etiam proximum ſecundùm Deum diligere, ſicque totam legem implere; quandoquidem, Chriſto ipſo docente, *in his duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ:* & juxta Apoſtolum, Rom XIII, *qui diligit proximum legem implevit*, & *plenitudo legis eſt dilectio?* Per caſtum illum amorem homo ſeipſum in ordinem, qui per peccatum violatus fuerat, reſtituet. Sicut enim ordo violatus eſt per averſionem à Deo & converſionem ad creaturas, ita reſtituetur per averſionem à creaturis & converſionem ad Deum: ac proinde homo ſeipſum reparabit abſque gratia reparatoris. Hanc quoque rationem attingit Bellarminus ibidem. „ Amor Dei ſuper omnia, inquit, etiamſi „ Deum ſolum reſpiciat ut auctorem naturæ, non patitur ſecum ullum „ affectum inordinatum; imo includit odium rerum omnium delectabi- „ lium contra legem Dei. Ergo, ſi poteſt hic amor naturæ viribus ob- „ tineri, poterit homo naturæ viribus implere omnia mandata, vivere „ ſine omni peccato, imò & à præteritis ſine Dei gratia juſtificari. „ Nam implicat contradictionem ut quis in peccato mortali ſit, & non „ ſit averſus à Deo & converſus ad creaturas...... At poſſe hominem „ ſolis naturæ viribus implere omnia mandata, vivere ſine peccato, & „ à præteritis delictis juſtificari, manifeſti ſunt Pelagiani errores.“ Et rurſus: „ Si poſſit homo ſuis viribus diligere Deum ſuper omnia, poſſet „ ſine ulla gratia Dei præveniente pertingere ad remiſſionem peccatorum: „ quæ eſt ipſiſſima hæreſis Pelagii, ex Auguſtino in lib. 1 ad Boniſa- „ cium, capite ultimo.“

Non ſolum illa omnia per naturæ vires præſtari poſſent; verùm etiam minimè repugnaret hominem per totam vitam ſuam in eis perſeverare, ac

Digitized by Google

ac proficere de virtute in virtutem. Multò enim facilius eſt amorem Dei ſuper omnia, quem propriis viribus produxeris, conſervare, quam prius non habitum procreare; ac proinde qui, cùm antea ſerviret cupiditati, ex ſeipſo dilectionem Dei ſuper omnia concipere valuit, à fortiori, debilitatâ jam & imminutâ cupiditate, eamdem fovere & augere valebit.

Verùm demus adverſariis hominem non diu perſtiturum in illa rectitudine, quam ipſe ſibi ex ſeipſo comparavit, atque ab ea defecturum ſtatim atque gravi aliquâ tentatione pulſabitur; ſaltem, ex ipſis, aliquandiu in illa ſtare poterit. Supponamus igitur hujusmodi hominem actu Deum ſuper omnia diligentem è vivis excedere, priusquàm gravi aliquâ tentatione dejectus fuerit. Quid, quæſo, de illo fiet? Damnabitur-ne? Reclamant ſenſus, religio, æquitas. Intrabit igitur in regnum cœlorum Chriſti exſors, aut donabitur naturali quadam beatitudine extra regnum cœlorum. Si primum dixeris, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt: ſi alterum, vicerunt Pelagiani naturalis illius beatitudinis architecti.

Cur tamen inter alterutram optionem damus adverſariis, cùm homini Deum ſuper omnia diligenti negari non poſſit introitus in regnum Dei? „ Non enim injuſtus eſt Deus, ait S. Auguſtinus, de hujusmodi homine loquens lib. *de Natura & gratia*, cap. 2, qui juſtos fraudet mercede „ juſtitiæ." Ergo hujusmodi juſtus (horreo referens) ſalutem conſequetur absque auxilio unici Salvatoris, de quo princeps Apoſtolorum dicit, Act IV. 12, *non eſſe in alio aliquo ſalutem, nec enim aliud nomen eſſe ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Ergo ſeipſum locabit tanquam lapidem vivum in templo ſpirituali, ſuper lapidem angularem Chriſtum non fundatus: in corpus Chriſti inſeretur Chriſto non cohærens: cantabit in cœlo, non canticum Agni, ſed proprium ſuum canticum: coronam juſtitiæ ſibi retributam non deponet ad pedes Agni, ſed capiti ſuo gloriabundus imponet! Omnes iſtas conſecutiones quis Chriſtianus non expaveſcat? Quis verò malè illatas eſſe probare poterit?

5°. Sub anathematis pœna definitum eſt à concilio Tridentino, ſeſſ. 6. can. 3, neminem præparari poſſe ad juſtitiam conſequendam ſine præveniente inſpiratione Spiritûs ſancti, atque ejus adjutorio. Atqui ex opinione quam reſellimus ſequitur poſſe hominem, absque præveniente inſpiratione & adjutorio Spiritûs ſancti, ad gratiam ſanctificantem ſeſe præparare. Detur catechumenus adultus, qui ex ſolis naturæ viribus eliciat actum dilectionis Dei ſuper omnia, quique, illo actu adhuc durante, baptismum recipiat, procul dubio conſequitur gratiam ſanctificantem; ſiquidem nullum ei ponit obicem. Ergo, contra expreſſam concilii definitionem, per ſolas naturæ vires ſeipſum præparavit ad gratiam recipiendam.

Ob-

Solvuntur objectiones.

Objiciunt 1°. Inter alias propoſitiones à Pio V damnatas iſtæ occurrunt: 34ª. *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis ſcilicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti quo amatur ut beatificator, vana eſt & commentitia, & ad illudendum ſacris ſcripturis excogitata.* Et 36ª: *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ, cum injuria crucis Chriſti, defenditur à nonnullis Catholicis.*

Respondeo hæreticos ex illa Bulla occaſionem arripuiſſe calumniandi Sedem Apoſtolicam, quaſi, ſpretis Conciliorum definitionibus ac SS. Patrum aſſertis, ad Pelagianismum defeciſſet. Quantum autem huic calumniæ robur addant Scholaſtici, qui doctrinam noſtram à Pio V damnatam fuiſſe jactitant, nemo non videt. Errant utrique profectò graviſſimè. Summos quippe Pontifices ab ea mente longè alienos fuiſſe manifeſtè conſtat, ex eoquòd eadem iſta doctrina, poſt emiſſam illam Bullam, ſicut anteà, palam ac liberè aſſerta & propugnata fuerit, ſciente atque etiam aperte protegente Sede Apoſtolicâ. Bellarminus, quem procul dubio nemo contemptæ Pontificiæ auctoritatis ſuſpicabitur, illam expreſſè tenuit tanquam indubitatam Scripturarum & Conciliorum doctrinam, ne quidem objectâ ſibi Pii V Conſtitutione: adeò perſuaſum habebat nihil contrarium ex illa concludi poſſe. Conſultores Romani in Congregationibus *de Auxiliis*, quamvis decretis Apoſtolicis addictiſſimi, quæſtione ſæpiùs ac maturiùs expenſâ, toties pronuntiarunt, præſente atque approbante Clemente VIII, Deum diligi non poſſe ſolis naturæ viribus, neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, neque perfectè, neque imperfectè, contrariamque opinionem Pelagianismi notarunt. Vasquez declarat Pianâ Conſtitutione nullatenùs vetari quominùs cenſurâ configatur eorum opinio, qui ſolis naturæ viribus Deum diligi poſſe ſentiunt. Sic ille loquitur in 1. 2. diſput. 197. cap. 4: „ Pius V non intendit definire eſſe alterum amorem Dei propter ſe depromptum ex viribus naturæ, alterum ex gratia; neque, me judice, contendit damnare cenſuram, quâ quis notaret eos qui dicerent eſſe aliquem amorem amicitiæ erga Deum depromptum ex propriis viribus.“ Hujus dicti rationem attulerat cap. 2. „ Cum in Scriptura, inquit, & SS. Patribus nunquam inveniamus diſtinctum hunc duplicem amorem amicitiæ, ſed Patres omnem hujusmodi amorem caritatem definiant, quam conſtat eſſe ſupernaturalem.“

Quid ergo, inquies, in iſtis propoſitionibus damnare intendit Pius V? Respondeo 1° nihil certi eâ de re definiri poſſe, cùm ſummus ille Pontifex mentem ſuam nunquam declaraverit, imò diſertè pronuntiaverit *nonnullas* è damnatis à ſe propoſitionibus *poſſe aliquo pacto ſuſtineri.* Respondet 2° Laurentius Berti in *Auguſtiniano Syſtemate vindicato*, part. 1. diſſert. 3. cap. 1. §. 1. pag. 310, memoratas propoſitiones „ non ideò damnatas fuiſſe, quaſi reprobata fuerit ſententia eorum qui ne-

„ gant

„ gant Deum, ut eſt auctor naturæ, poſſe diligi ſuper omnia ſine gra-
„ tia ſupernaturali & per ſolas naturæ vires, ſed propter acerbitatem
„ cenſuræ; & quoniam Baius (ut ille cenſebat) noluit admittere diſ-
„ tinctionem illam duplicis amoris ex parte objecti; aut quia aſſerit
„ omnem amorem naturalem, quia non eſt amor caritatis, eſſe intrin-
„ ſecùs (ſeu in ſeipſo) peccatum.“ Plurimos deinde Theologos commemorat, etiam ex Jeſuitis, qui variis illis modis Bullam Pii V interpretati ſunt. Demum concludit ibidem, §. 7. num. 1. pag. 373, „ falſiſſimum eſſe, ſenſum in propoſitionibus 34 & 36 damnatum in eo
„ ſitum eſſe, quòd Baïus exiſtimaverit *Deum non poſſe diligi per ſolas*
„ *naturæ vires, in quocunque ſtatu homo conſideretur*, ideòque admitten-
„ dum eſſe amorem Dei, ut auctoris naturæ, abſque actuali gratiæ
„ adjutorio.“

Cæterùm, quomodocunque exponatur illa Bulla, manifeſtum eſt illam, tum ratione formæ, quæ indeterminata eſt, tum ratione diverſarum ac planè oppoſitarum interpretationum quibus ſubjacet, nullatenus objici poſſe tanquam doctrinæ regulam.

Objiciunt 2°. Tam poteſt voluntas humana ex ſeipſa diligere Deum, ut auctorem naturæ, quàm intellectus eum ſub illo reſpectu cognoſcere. Atqui intellectus abſque auxilio gratiæ poteſt cognoſcere Deum eſſe auctorem naturæ. Ergo voluntas poteſt eum ſub illo reſpectu conſideratum diligere abſque auxilio gratiæ.

Nego majorem & paritatem. Diſparitas eſt 1° quòd cognitio Dei ut auctoris naturæ non faciat ex ſeipſa hominem meliorem, neque uniat affectum ejus Deo: contra verò per amorem Dei homo fit melior, ſummoque bono adhæret. 2°. Quòd res omnes creatæ enarrent gloriam Dei, ejusque exiſtentiam miro concentu prædicent: contra verò eædem, propter humanæ naturæ corruptionem, occaſio ſint deflectendi à Deo, illiſque inordinatè adhærendi, juxta illud Sapient. XIV. 11: *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* 3°. Quòd voluntas hominis multò gravius fauciata fuerit per peccatum, quàm intellectus, ut obſervat S. Thomas, 1. 2. quæſt. 109. art. 2. ad 3, his verbis: „ Magis eſt cor-
„ rupta natura humana per peccatum quantùm ad appetitum boni,
„ quàm quantùm ad cognitionem veri.“ Et S. Franciſcus Saleſius, quàmvis hac in materia non ſatis cautus, lib. 1 *de Amore Dei*, cap. 17:
„ Peccatum, inquit, multò magis debilitavit voluntatem humanam, quàm
„ obſcuravit intellectum; & ideò animæ noſtræ majorem habent clari-
„ tatem in intellectu, ad videndum quantùm ſit Divinitas amabilis,
„ quàm vires in voluntate ad illam amandam.“ Idem non piè minùs quàm eleganter notat clariſſimus Boſſuetus in *Meditationibus ſuper Evangelium*, ultimâ hebdomadâ Salvatoris, die 49, ſic exclamando: „ O
„ Dieu, j'ai connu & j'ai ſenti que pour vous aimer il faut être tiré

„ & attiré. Mais comment m'attirez vous? Eſt-ce ſimplement en me
„ manifeſtant vos beautés?..... Eſt ce aſſez que vous éclairiez mon
„ entendement? Ne ſuis-je qu'un ignorant qu'il faut inſtruire? Ma vo-
„ lonté n'eſt elle pas auſſi malade par un ſecret & invincibile attache-
„ ment au bien ſenſible, que mon entendement eſt malade par une
„ ignorance profonde de vos verités? Entrez donc au dedans de moi,
„ o Seigneur: ſaiſiſſez vous du ſecret & profond reſſort d'ou partent
„ mes reſolutions & mes volontés. Remuez, excitez, animez tout; &
„ du dedans de mon cœur, de cette intime partie de moi même (ſi je
„ puis parler de la ſorte), qui ébranle tout le reſte, inſpirez moi cette
„ chaſte & preſſante délectation, qui fait l'amour ou qui l'eſt. Repan-
„ dez la charité dans le fond de mon cœur, comme un baume & une
„ huile céleſte. Que delà elle aille, elle penetre, elle rempliſſe tout
„ au dedans & au dehors. Alors je vous aimerai, & je ſerai vraiment
„ fort pour vous aimer de toute ma force."

Et ſanè quid magis conſequens quàm ut ea facultas hominis profundiùs vulnerata fuerit per peccatum, per quam peccatum ipſum admiſſum eſt? Ergo ex eo quòd intellectus poſſit Deum cognoſcere absque auxilio gratiæ Chriſti, malè omnino concluditur voluntatem poſſe diligere Deum absque auxilio gratiæ.

Inſtant. Poteſt homo amare naturaliter quidquid naturaliter cognoſcit eſſe amandum. Atqui homo poteſt naturaliter cognoſcere Deum eſſe ſummè amandum. Ergo poteſt amare Deum naturaliter, ſeu naturæ ſuæ viribus.

Reſpondeo 1° hujusmodi ratiunculis in hæreſis præcipitium abreptos olim fuiſſe Pelagianos; Doctores verò Eccleſiæ, neglectis ac ſpretis humanæ rationis argutiis, attendiſſe duntaxat quid divina revelatio doceat, quid Eccleſia prædicando, credendo, orando profiteatur.

2°. Diſtinguo majorem. Poteſt homo amare naturaliter quidquid naturaliter cognoſcit eſſe amandum, ſi non obſtet vel naturæ ipſius corruptio & infirmitas, vel ſumma objecti ſublimitas & excellentia, concedo: ſecùs, nego. Porro tum ſumma creatoris ſublimitas & excellentia, quæ naturæ cujuslibet creatæ vires ſupergreditur, tum præſertim humanæ naturæ corruptio & infirmitas obſtant, quominùs ab amore rerum ſenſibilium, quibus peccando adhæſimus, ad verum & ſincerum Dei propter ſe amorem aſſurgamus, niſi gratiâ Chriſti ſanemur & adjuvemur.

Inſtant iterum. Apoſtolus Paulus, Rom. I, dicit Philoſophos Gentiles eſſe inexcuſabiles, eoquòd, cùm Deum per inviſibilia mundi cognoviſſent, non eum tanquam Deum glorificaverint. Ergo ad amandum Deum ut auctorem naturæ ſufficit eum naturaliter cognoſcere.

Nego conſequentiam, quæ falſò ſupponit peccatores non eſſe inexcuſabiles, niſi habuerint omnia ad non peccandum atque ad benè agendum neceſſaria. Id enim falſum eſſe conſtat tum ex dictis ſupra, Lib. II, de Li-

Libertate, tum ex dicendis poſteà. Sanè ut Philoſophi Gentiles fuerint inexcuſabiles, ſatis eſt quòd Deum glorificare debuerint ac potuerint, quàmvis hæc potentia vera & naturalis impar fuerit actûs productioni ſine auxilio gratiæ. Senſus Apoſtoli eſt eos ignorantiam non poſſe prætexere, quandoquidem ad creatoris notitiam per ea quæ facta ſunt pervenerant.

CAPUT TERTIUM.

An homo aliquid veri cognoſcere, & aliquid boni operari poſſit abſque auxilio gratiæ Chriſti

Cum duæ ſint humanæ mentis facultates, intellectus, ad quem cognitio veri, & voluntas, ad quam proſecutio boni pertinet, quid utraque ſine gratia Chriſti valeat nunc inquirendum nobis eſt.

Bonum morale, de quo hîc agitur, eſt illud quod mores ordinat rectosque facit. Iſtud bonum vel habituale eſt, & dicitur virtus, vel actuale, & dicitur actus virtutis. Actus autem virtutis vel eſt obſervatio mandatorum, vel pugna contra peccatum, ſive contra tentationes quæ ad peccandum provocant, vel deteſtatio & dolor de peccatis commiſſis, vel initium aliquod bonæ voluntatis, vel perſeverantia in bono, vel aliud quodlibet ad rectam vitam pertinens. Quamobrem hoc caput in plures quæſtiones diſtribuemus. In 1ª expendemus an aliquod verum cognoſci poſſit ſine gratia Chriſt: in 2ª an fieri poſſint actus boni ex omni parte abſque gratiæ auxilio: in 3ª an veræ virtutes haberi poſſint ſine gratia: in 4ª an tentationes rectè ſuperari poſſint abſque adjutorio gratiæ: in 5ª an verus dolor de peccatis concipi queat abſque inſpiratione gratiæ: in 6ª an aliquod fidei ſeu bonæ voluntatis initium haberi poſſit ſine gratiæ auxilio: in 7ª denique an in bono jam habito perſeverari poſſit abſque ſpeciali adjutorio gratiæ.

Digitized by Google

QUÆSTIO PRIMA.

An verum aliquod ab homine cognoſci poſſit abſque auxilio gratiæ.

VERITATES multiplicis ſunt generis: aliæ ſenſuum miniſterio, vel ratione humana innoteſcunt aut innoteſcere poſſunt, dicunturque naturales; aliæ intellectum hominis viatoris omnino excedunt, nec niſi ope revelationis divinæ cognoſcuntur, qualia ſunt Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ, & alia fidei myſteria, dicunturque ſupernaturales.

Veritates naturales vel directè non tendunt ad morum informationem, quales ſunt veritates dialecticæ, phyſicæ, geometricæ, hiſtoricæ, & aliæ id genus; vel præſcribunt quid agendum, quidve vitandum ſit, ad vitam honeſtè & rectè inſtituendam, dicunturque veritates morales.

Veritates morales cognoſci poſſunt vel univerſæ & collectivè, vel ſingulæ & diſtributivè: & rurſus vel in communi & univerſali prinpipio in quo continentur, quale eſt iſtud: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris;* vel in concluſionibus particularibus, quæ ex primis & generalibus principiis derivantur.

Denique cognitio veritatum moralium, ſive omnes collectivè, ſive ſingulæ ac diſtributivè, ſive in ſuis principiis, ſive in ſeipſis cognoſcantur, vel adjunctum habet pium aliquem erga illas amoris affectum, vel eſt merè intellectualis & ſpeculativa, abſque ullo pio voluntatis affectu. His poſitis:

Dico 1° nullam veritatem etiam naturalem cognoſci poſſe abſque interna illuſtratione Verbi, ſeu veritatis & ſapientiæ increatæ. Cùm enim intellectus quilibet creatus non ſit ſibi ſuum lumen (alioquin veritatem omnem abſque ulla caligine perſpectam haberet), neceſſariò indiget illuminari à luce intelligibili, ut quidqiam cognoſcat; ſicut oculus corporis indiget lumine ſolis, ut corpora & colores conſpiciat. Lux verò intelligibilis quænam eſt, niſi æternum Dei Verbum, de quo S. Joannes Evangeliſta dicit: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* de quo David dicit Pſalmo 93: *Qui docet hominem ſcientiam;* de quo Eccleſiaſticus, cap. 1: *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt:* & iterum: *Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis.* Quamobrem S. Paulus, Rom I, loquens de Philoſophis Gentilibus, qui rationis ope *inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta* conſpexerunt, ait *Deum illis manifeſtaſſe*, non tantùm eorum oculis objiciendo mundum.

dum hunc aſpectabilem, ſed etiam eos in ſecreto mentis illuſtrando & edocendo. Hinc etiam Scriptura graviter reprehendit eos qui de ſcientia qualibet ſuperbiunt, & in ſeipſis gloriantur, non in Patre luminum, nec ei gratias agunt tanquam omnis veræ cognitionis auctori. Hinc etiam S. Auguſtinus lib. *de Magiſtro*, cap. 11. num. 38: „ De „ univerſis, inquit, quæ intelligimus, non loquentem qui perſonat fo- „ ris, ſed intùs ipſi menti præſidentem conſulimus veritatem, verbis „ fortaſſe ut conſulamus admoniti. Ille autem qui conſulitur docet, „ qui in interiore homine habitare dictus eſt Chriſtus, id eſt, incommu- „ tabilis Dei virtus atque ſapientia, quam quidem omnis rationalis ani- „ ma conſulit, ſed tantùm cuique panditur, quantùm capere propter „ propriam, ſive bonam, ſive malam voluntatem poteſt: & ſi quando „ fallitur, non fit vitio conſultæ veritatis, ut neque hujus quæ foris „ eſt lucis vitium eſt, quòd corporis oculi ſæpè falluntur."

Dico 2° veritates ſupernaturales apprehendi & concipi non poſſe abſque revelatione Dei exteriùs propoſita, & ſine ſpeciali illuſtratione intellectûs. 1°. Quidem opus eſt revelatione exteriùs propoſita. Cùm enim fidei myſteria omnino ſuperent cujusvis intellectûs creati vires, nemini in mentem venirent, niſi Deus ea nota faceret. 2°. Opus eſt quoque ſpeciali illuſtratione Spiritûs ſancti, quæ intellectum roboret & inclinet ad aſſentiendum firmiter revelatis, quæ alioqui abſurda & impoſſibilia viderentur, ſicut reipſâ viſa ſunt ac videntur pſeudoſapientibus, qui aures audiendi deſuper non acceperunt. Verùm illa interna illuſtratio, ſi intellectum duntaxat afficiat, neque adjunctum habeat pium credulitatis affectum, non reddit hominem meliorem, ſed credentem tantummodò, nec gratiæ Chriſti propriè dictæ donum eſt, hominisque vitio vertitur in titulum gravioris damnationis.

Dico 3° ad cognitionem merè ſpeculativam veritatum quarumlibet, etiam moralium, non requiri gratiam Chriſti propriè dictam. Nam omnis gratia Chriſti propriè dicta eſt inſpiratio ſanctæ dilectionis & bonæ voluntatis. Cognitio autem merè ſpeculativa nullum includit ſanctæ dilectionis initium, nec hominem facit meliorem, qui gratiæ proprius caracter eſt, ſed ſcientem duntaxat. Hinc eorum etiam, quæ agenda vel vitanda ſunt, notitiam ſejunctam à caritate, quæ ſola ædificat; inflare, nec ad gratiam, ſed ad legem & doctrinam pertinere docent ſcriptura & traditio.

Dico 4° complexionem omnium veritatum moralium in lege naturali contentarum, ab homine lapſo cognoſci non poſſe abſque ope revelationis externæ, aut ſpeciali quadam mentis illuſtratione. Enimverò veritates illæ adeò multæ ac variæ ſunt, humanus intellectus per peccatum originis adeò obſcuratus & obnubilatus fuit, innumera vitæ civilis officia aliaque vitæ hujus incommoda mentis attentionem adeò diſtrahunt, plurima legis naturalis præcepta adeò abſtruſa vel cupiditati-

bus adverſa ſunt, ut fieri vix, ac vix quidem queat, ut quiſquam ad certam illarum veritatum notitiam ſolâ humanâ ratione duce unquam perveniat. Reverâ quàmvis Philoſophi Gentiles præſtantiſſimis ingeniis præditi, magiſtris ſolertiſſimis uſi, aſſiduo improboque labore in inquirendis morum regulis inſudaverint, non ſolùm nullus eorum qualemcunque univerſæ legis naturalis notitiam aſſecutus eſt, verùm etiam plerique illorum in graviſſimos errores lapſi ſunt. Famoſus ille Socrates ejuſque diſcipulus Plato cenſuerunt mulieres promiſcuas eſſe debere; Ariſtoteles, quem antonomaſticè *Philoſophum* appellant, docuit licere abortum procurare ad impediendam nimis oneroſam filiorum multitudinem: alii divinam providentiam de medio ſuſtulerunt, aut ſaltem nullam rerum humanarum curam gerere aſſeruerunt: omnes circa veri & unius Dei cultum, & circa ſummum hominis bonum, ad quod omnia referenda ſunt, penitùs caligaverunt, ut interim plurima alia legis naturalis præcepta graviſſima ſileam, de quibus ne leviſſimam quidem ſuſpicionem habuerunt. Denique ſi quas fortè veritates ratiocinando detexerunt, eis non certò ac firmiter, ſed hæſitando ac dubitando adhæſerunt. Meritò itaque Sapiens, IX. 14, ſic exclamat: *Quis hominum...... poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ; corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Et difficilè æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis ſunt quis inveſtigabit? Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis, & ſic...... quæ tibi placent didicerint homines?* Ad tantam illam per peccatum contractam mentis cæcitatem attendens S. Auguſtinus, lib. *de Natura & gratia*, cap. 40. num. 47: „ Vel hinc falſ„ tem, inquiebat, confiteatur (Pelagius) eſſe miſerabiles tenebras in „ animo humano, qui ſcit quemadmodùm debeat leonem domare, & „ neſcit quemadmodùm vivere. An & hoc ut ſciat ſufficit ei liberum „ arbitrium lexque naturalis?"

Eamdem univerſæ legis cognoſcendæ impotentiam præclarè exprimit Baruch Propheta, cap. III. 14 & ſeq. *Diſce*, inquit, *ubi ſit prudentia, ubi ſit virtus, ubi ſit intellectus, ut ſcias ſimul ubi ſit longiturnitas vitæ, & victus, ubi ſit lumen oculorum & pax. Quis invenit locum ejus? Et quis intràvit in theſauros ejus?..... Juvenes viderunt lumen, & habitaverunt ſuper terram: viam autem diſciplinæ ignoraverunt, neque intellexerunt ſemitas ejus, neque filii eorum ſuſceperunt eam; à facie eorum longè facta eſt. Non eſt audita in terra Chanaan, neque viſa eſt in Theman. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra eſt, negotiatores Merrhæ & Theman, & fabulatores, & exquiſitores prudentiæ & intelligentiæ; viam autem ſapientiæ neſcierunt, neque commemorati ſunt ſemitas ejus...... Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt,*

Digitized by Google

runt, ſtaturâ magnâ, ſcientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam diſciplinæ invenerunt; propterea perierunt, & quoniam non habuerunt ſapientiam, interierunt propter ſuam inſipientiam. Quis aſcendit in cœlum & accepit eam, & eduxit eam de nubibus? Quis transfretavit mare & invenit illam, & attulit eam ſuper aurum electum? Non eſt qui poſſit ſcire vias ejus, neque qui exquirat ſemitas ejus. Sed qui ſcit univerſa novit eam, & adinvenit eam prudentiâ ſuâ...... Hic adinvenit omnen viam diſciplinæ, & tradidit illam Jacob puero ſuo & Iſrael dilecto ſuo.

Et certè vel ipſa experientia demonſtravit homines omnino indiguiſſe externâ legis promulgatione divinitùs factâ, multaque inde ac magna commoda reportaſſe. Primò enim illius ope brevi cognoſcitur per fidem, quod alioquin nonniſi diuturno tempore ſtudioque difficili ratiocinando cognoſceretur. Secundò notitia agendorum, quam ex divina revelatione haurimus, firma eſt & indubitata, ut pote ſummæ veritatis auctoritate ſubnixa: contra verò operoſæ inquiſitiones Philoſophorum maxima ſaltem ex parte valde incertæ ac fluctuantes fuerunt, opinionesque veriùs quàm ſcientia. „ Quàmvis enim, ut ait Eſtius in 1. diſt. „ 3. §. 5, demonſtrativa eſſe poſſit cognitio Philoſophica, tamen propter tarditatem & caliginem mentis humanæ fit, ut non eâ certitudine „ & firmitate, quam parere nata eſt, demonſtratio ſemper ſuſcipiatur „ ab intellectu. Aut enim hæretur in principiis, aut non ſatis eſt evidens ex illis collectio. Quòd ſi etiam demonſtrata fuerit hæc cognitio, minor tamen adhuc erit ejus certitudo quàm fidei.“ Tertiò notitia, quam per legem divinam accipimus, ab omni non ſolùm errore, ſed etiam quâlibet ſuſpicione falſi remotiſſima eſt: quæ verò ſolâ ratiocinationis viâ comparari poteſt multis ſemper erroribus permiſcetur. Demùm pauciſſimi ſunt homines qui ad quantulamcunque agendorum notitiam ſolo humano ſtudio pervenire queant: contra verò revelationis lumine hom nes etiam ſimpliciſſimi, imperiti, ac mulierculæ, modò lectioni & publicis concionibus attendant, facili negotio Dei ſuorumque officiorum notitiam aſſequuntur.

Fatendum tamen eſt tantam eſſe humani intellectûs ex peccato contractam imbecillitatem, ut ipſi Chriſtiani, imò qui inter illos pietate conſpicui ſunt, nunquam hac in vita ad plenam ac perfectam agendorum notitiam perveniant. Quamobrem S. Auguſtinus requirens quare nullus juſtorum hîc vivat ſine peccato, dicit id magna ex parte oriri ex eoquòd ſæpè illos lateat quid agendum ſit; ideòque indeſinenter petendum eſſe à Deo gratiæ adjutorium, quo innoteſcat quod latebat, & manifeſtetur quid ſit beneplacitum Deo.

Dico 5° legem naturalem, inſitumque omnibus hominibus rationis lumen, ſine ſpeciali auxilio ſufficere ad cognoſcendas plurimas veritates morales, non tantùm in genere, ſed etiam in particulari. Id conſtat

tum

tum exemplo Philoſophorum Gentilium, qui, ſolâ ratione duce, multa præclara vitæ honeſtè inſtituendæ præcepta cognoverunt, ſuiſque in ſcriptis conſignarunt; tum ex ipſa luce legis naturalis *ſcriptæ in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas*, ut ait S. Auguſtinus lib. 2 *Confeſſionum*, cap. 4. num. 9; tum ex remorſibus conſcientiæ, quæ ne in perditiſſimis quidem hominibus unquam omni ex parte corrumpitur. *Cùm enim ſit timida conſcientia*, inquit Sapiens, XVII. 10, *dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæva perturbata conſcientia.*

Dico 6° nullam veritatem moralem ſalubriter cognoſci ſine auxilio gratiæ Chriſti. Cognitionem ſalubrem appello, quæ pium erga veritatem cognitam affectum comitem habet. Præter argumenta paulò poſt proferenda, quibus oſtendetur nullum veri boni affectum haberi poſſe ſine gratia, S. Paulus, 2. Corinth. III, declarat nos *non eſſe ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed omnem ſufficientiam noſtram ex Deo eſſe.*

Idem apertiſſimè docet S. Fulgentius lib. 2 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 9. „ Neque ſcientiam ſanctam, ait, poteſt habere (arbitrium voluntatis), niſi dono gratiæ deſuper acceperit à Patre lu- „ minum, à quo eſt omne datum optimum & omne donum perfec- „ tum...... Ideò verò ſanctam ſcientiam ſuperiùs dixi, quia eſt ſcien- „ tia non ſancta, illa ſcilicet quæ inflat hominem, quæ ædificantem „ non habet caritatem. Illâ ſcientiâ quidam agnoſcentes Deum, non „ ſicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt. Hâc ſcientiâ ſi quis „ ſe putat ſcire aliquid, nondum cognovit quemadmodùm oporteat ſci- „ re.“ Hanc legis ſcientiam piam & ſanctam cum Propheta regio univerſa poſtulat Eccleſia in toto ferè Pſalmo 118. De illa dicebat idem Propheta, Pſalmo XCIII. 12: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.* De illa ſcriptum eſt in Prophetis: *Et erunt omnes docibiles Dei.* (Joan. VI.) De illa loquens Apoſtolus Paulus, 1 Theſſal. IV. 9, Theſſalonicenſibus dicebat: *De caritate fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis; ipſi enim à Deo didiciſtis ut diligatis invicem:* & B. Joannes, 1 Epiſt. II. 20: *Vos*, inquit, *unctionem habetis à Sancto, & noſtis omnia...... Unctio ejus docet vos de omnibus.* Eamdem commemorant S. Auguſtinus, Epiſt. 147, al. 112, ad Paulinum, num. 1, ubi dicit eos „ qui didicerunt à Domino Jeſu Chriſto mites eſſe & humiles cor- „ de, plus cogitando & orando proficere, quàm legendo & audiendo;“ & S. Bernardus in Epiſt. 108 ad Thomam de ſancto Audomero, num. 2, dicens: „ Nec hanc (ſcientiam) lectio docet, ſed unctio: non littera, „ ſed ſpiritus: non eruditio, ſed exercitatio in mandatis Domini.

QUÆS-

QUÆSTIO SECUNDA.

An actus omni ex parte boni fieri poſſint absque auxilio gratiæ Chriſti.

Supra probatum eſt gratiam habitualem ac ſanctificantem non requiri ad bonitatem actuum, ſed tantummodò ut actus illi dicantur formati, atque ex condigno mereantur vitam æternam. Proinde de ſola gratia actuali hic agitur.

Actus morales conſiderari poſſunt vel ex parte officii ſeu objecti tantùm, vel etiam ex parte omnium circumſtantiarum, ac præſertim finis ultimi ad quem diriguntur. Nullus autem actus eſt bonus ex omni parte, niſi referatur ad debitum finem ultimum, ſcilicet Deum.

Pelagiani docebant hominem poſſe ſolis naturæ viribus facere opera bona ſub omni reſpectu, naturaleſque liberi arbitrii vires adeò extulerunt, ut contenderent hominem ex ſeipſo poſſe implere totam legem & vivere ſine peccato absque auxilio gratiæ.

Abaelardus, XII° ſæculo, in eumdem errorem magna ex parte lapſus eſt, teſte Guillelmo Abbate S. Theodorici in Epiſtola ad Gaufridum Carnutenſem Epiſcopum & ad S. Bernardum, inter S. Bernardi Epiſtolas 326, ſeu in tractatu *de Erroribus Abaelardi*, ubi inter alios plurimos ejus errores iſtum refert, *quòd libero arbitrio ſine adjuvante gratia benè poſſumus & velle & agere.* Idem teſtatur S. Bernardus Epiſt. 190. cap. 7. num. 17. „ Totum, inquit, quòd Dominus gloriæ ſeipſum exinanivit,..... quod „ per mortem ſuam in ſua reverſus, ad id ſolum putat & diſputat redi„ gendum, ut traderet hominibus formam vitæ vivendo & docendo, „ patiendo autem & moriendo caritatis metam præfigeret. Ergo (in„ quit) docuit juſtitiam, & non dedit: oſtendit caritatem, & non in„ fudit, & ſic rediit in ſua! Ita-ne hoc totum eſt magnum illud pie„ tatis ſacramentum?" Addit, hoc poſito, Chriſtum nobis minùs profuiſſe quàm nocuit Adamus, & parvulos, qui exempla Chriſti ſectari nequeunt, nullum ex ejus morte fructum poſſe percipere.

Multi recentiores Scholaſtici actus moraliter bonos dicunt eſſe duplicis generis, alios naturales, alios ſupernaturales, utroſque tamen verè & ſub omni reſpectu bonos. Supernaturales quidem ſine auxilio gratiæ fieri non poſſe fatentur. Naturales verò ſolis naturæ viribus produci poſſe ſentiunt; ita tamen ut, propter naturæ lapſæ infirmitatem, in illis perſeverari diu non poſſit. Ut autem à Pelagianis diſcernere ſe vi-

 dean-

Digitized by Google

deantur, dicunt 1°, quod illi de bonis operibus generatim & indefinitè docuerunt, id ſe (ut Conciliorum anathemata declinent vel eludant) de illis ſolis actibus bonis docere, quos vocant ordinis naturalis. 2°. Quod Pelagiani per totam vitam fieri poſſe contendebant, id ipſi nonniſi parvo tantùm tempore fieri poſſe aſſerunt.

Ex illis etiam recentioribus non deſunt qui, quod cæteri dicunt de hominibus viatoribus, id de ipſis etiam damnatis ac dæmonibus pronuntiare non dubitent; abſurdiùs quidem, conſequentiùs tamen. Ita Valentia, Comment. Theolog. tom. 1. diſput. 4. quæſt. 15. puncto 2. „ Alii ſentiunt, inquit, dæmones & alios damnatos poſſe naturâ ſuâ „ quidem exercere aliquem actum bonum moraliter,...... & hæc opi- „ nio videtur mihi probabilior.“ Ita etiam Becanus, Summæ part. 2, tract. 1 *de Beatitudine & actibus humanis*, quæſt. 10. num. 17, ubi ait „ dubium eſſe, quia multi affirmant dæmones poſſe aliquod opus bonum „ facere, ut Scotus, Durandus & Valentia, licet alii negent.

Doctrinam omnibus illis erroribus adverſam tribus propoſitionibus comprehendemus.

PRIMA PROPOSITIO.

Opera moraliter bona ex parte officii & objecti, vel etiam ex parte finis proximi tantùm conſiderata, fieri non poſſunt niſi ex dono & protectione Dei; fieri tamen poſſunt abſque auxilio gratiæ Chriſti propriè dictæ.

PROBATUR prima pars, quia, quidquid boni eſt in homine, non poteſt non eſſe ab illo qui ſummè atque incommutabiliter bonus eſt, omniſque boni fons & origo. *Nemo bonus*, inquit ipſe Chriſtus, Marci X. 18, *niſi unus Deus:* id eſt, ut interpretatur S. Auguſtinus Epiſt. 153, al. 54, ad Macedonium, cap. 5. num. 12, „ Deus nullius boni partici- „ patione bonus eſt, quoniam bonum, quo bonus eſt, ipſe ſibi eſt: „ homo autem, cùm bonus eſt,“ (quocunque modo, gradu & ordine bonus ſit) „ ab illo bonus eſt, quod à ſeipſo eſſe non poteſt. „ Ex „ quo colligitur, inquit lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3. num. 32, „ etiam ipſa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipſorum eſſe, ſed „ (Dei) qui benè utitur malis; ipſorum autem eſſe peccata, quibus „ & bona malè faciunt.

Et ſanè ſi, quidquid bonitatis & decoris in corporibus refulget, id totum Deo acceptum referendum eſt, quantò magis ejus operationi attribui debet quidquid boni coruſcat in moribus, etiamſi aliquâ cupiditatis.

tatis admixtione maculetur. Ita ratiocinatur S. Auguſtinus Epiſt. 144; al. 130, ad Cirtenſes, num. 2. Cùm enim narraſſet, Xenocrate de fruge temperantiæ diſputante, Polemonem quemdam, non ſolùm ebrioſum, ſed & tunc ebrium, ad meliores mores fuiſſe repentè mutatum, hæc addit: „ Quanquàm ergo ille, ſicut ſapienter & veraciter intellexiſtis, „ non Deo fuerit acquiſitus, ſed tantùm à dominio luxuriæ liberatus, „ tamen ne idipſum quidem, quod melius in eo factum eſt, humano „ operi tribuerem, ſed divino. Ipſius namque corporis, quod eſt infi- „ mum noſtrum, ſi qua bona ſunt, ſicut forma, & vires, & ſalus, & „ ſi quid ejuſmodi eſt, non ſunt niſi ex Deo creatore & perfectore na- „ turæ: quantò magis animi bona donare nullus alius poteſt? Quid „ enim ſuperbius vel ingratius cogitare poteſt humana vecordia, ſi „ putaverit, cùm carne pulchrum faciat Deus hominem, animo caſtum „ ab homine fieri? ..... Polemo ergo ſi ex luxurioſo continens factus „ ita ſciret cujus eſſet hoc donum, ut eum, abjectis ſuperſtitionibus „ gentium, piè coleret, non ſolùm continens, ſed etiam veraciter ſa- „ piens & ſalubriter religioſus exiſteret; quod ei non tantum ad præ- „ ſentis vitæ honeſtatem, verùm & ad futuræ immortalitatem va- „ leret.“

Idem docet venerabilis Beda in Præfatione lib. 1 *in Cantica Canticorum.* „ In quantùm, inquit, vel guſtum aliquem ſapientiæ cujuſ- „ libet, vel virtutum imaginem habebant (Gentiles Philoſophi), to- „ tum hoc deſuper acceperunt, non ſolùm munere primæ conditionis, „ verùm etiam quotidianâ ejus gratiâ (latiori ſenſu acceptâ), qui „ creaturam ſuam nec ſe deſerentem deſerens, dona ſua, prout ipſe ju- „ dicavit, hominibus & magna magnis, & parva largitur parvulis.“

Non tantùm opera ex officio bona, præclaræque animi dotes inter Dei dona numeranda ſunt, verùm etiam divinæ protectioni deputandum eſt, ſi quid mali non eſt à nobis perpetratum. Id egregiè probat S. Auguſtinus Serm. 99. cap. 5 & 6. Exponens quippe hæc Chriſti Al. hom. 23 inter Quinquaginta.
verba, *cui minùs dimittitur, minùs diligit*, obſervat non tantùm non ideò peccandum eſſe ut majora nobis dimittantur, ſed tantò plura nobis dimitti, quantò minora, Deo regente & protegente, peccamus. „ O tu, „ inquit, qui dicis te non multa commiſiſſe: Quare? Quo regente? „ Hic multa commiſit, & multorum debitor factus eſt. Ille, guber- „ nante Deo, pauca commiſit. Cui deputat ille quod dimiſit, huic „ & iſte deputet quod non commiſit. Adulter non fuiſti in illa vita „ tua præterita plena ignorantiæ, nondùm illuminatus, nondum bonum „ malumque diſcernens, nondum credens in illum, qui te neſcientem „ regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi; ſervabam te „ mihi. Ut adulterium non committeres, ſuaſor defuit: ut ſuaſor „ deeſſet, ego feci. Locus & tempus defuit: ut hæc deeſſent ego feci. „ Adfuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non conſen-

 „ tires

„ tires ego tenui. Agnoſce ergo gratiam ejus cui debes & quod non „ admiſiſti. Mihi debet iſte quod factum eſt & dimiſſum vidiſti: mihi „ debes & tu quod non feciſti; nullum eſt enim peccatum quod facit „ homo, quod non poſſit facere & alter homo, ſi deſit rector à quo „ factus eſt homo.“ Eam ob rem, lib. 2 *Confeſſionum*, cap. 7. num. 15, non tantùm gratias Deo rependit quòd ipſius peccata tanquàm glaciem ſolviſſet, ſed etiam „ gratiæ tuæ deputo, inquit, & quæcunque non „ feci mala,...... & omnia mihi dimiſſa eſſe fateor, & quæ meâ ſpon- „ te feci mala, & quæ, te duce, non feci:“ eoſque monet, qui minora peccaverunt, ut, infirmitatem corruptionemque ſuam humiliter agnoſcentes, ſibi ipſis non tribuant quòd caſtè vixerint, ne exinde minùs diligant medicum, qui eis hoc ipſum, quòd non ægrotarunt aut leviùs ægrotarunt, gratuitâ bonitate ac providentiâ præſtitit. Id præcipuè commendat virginibus Chriſtianis in lib. *de ſancta Virginitate*, cap. 40. num. 41, ne de collatis ſibi bonis ſuperbiant. „ Deputate „ vobis tanquam omnino dimiſſum, inquit, quidquid mali à vobis non „ eſt, illo regente, commiſſum.“ Idem inculcat cap. 41, 42 & 52.

Probatur altera pars Propoſitionis, nimirum fieri poſſe opera moraliter bona ex parte objecti, atque etiam finis proximi, abſque auxilio gratiæ Chriſti. Nam gratiæ Chriſti hic effectus eſt, ut reparet in homine quod peccato amiſſum eſt, hominemque faciat rectum in ordine ad Deum & vitam æternam. Atqui per opera ex officio tantùm, vel etiam fine proximo bona non reparatur quod per peccatum amiſſum eſt, nec homo fit rectus in ordine ad Deum & ad vitam æternam. 1°. Non reparatur quod amiſſum eſt per peccatum: nam per peccatum homo amiſit quidem omnem caſtam Dei dilectionem, ſed non amiſit varios reſpectus quos habebat cum ſuis ſimilibus. Hoc quidem naturæ bonum primi peccati granditate valde imminutum eſt, ſed non penitus extinctum; ideòque ex his naturæ bonis reliquiis capaces ſumus exercendi opera vitæ civilis & politicæ, quæ ad decus, honeſtatem & concordiam ſocietatis ex ſe tendunt. „ Quis ambigat, ait S. Proſper lib. „ *contra Collatorem*, cap. 10, hanc ſapientiam humano generi ad tem- „ poralis vitæ utilitatem ex naturæ à Deo conditæ ſupereſſe reliquiis? „ Si enim nec ad iſta terrena ordinanda rationalis animi vigeret inge- „ nium, non vitiata eſſet, ſed extincta natura.“ Igitur reſpectu hujuſmodi actuum humanorum indigemus quidem providentiâ & regimine creatoris, non autem gratiâ Salvatoris. 2°. Per hujuſmodi opera non fit homo rectus in ordine ad Deum & ad vitam æternam; ſiquidem non referuntur ad Deum tanquam finem ultimum propter ſe dilectum; quod tamen, ut actus omni ex parte boni ſint, omnino requiri ſupra probavimus.

Digitized by Google

SECUNDA PROPOSITIO.

Homo lapſus univerſam legem naturalem, etiam quoad officia & ſubſtantiam operum, implere non poteſt ſine auxilio gratiæ Chriſti.

Nam, præterquàm quòd homo, uti Capite præcedenti probavimus, non poteſt abſque adjutorio gratiæ Deum diligere, quod tamen primum & maximum eſt legis naturalis præceptum, inter tot & tantas vitæ hujus ærumnoſæ tentationes & procellas, quas ingenita concupiſcentia, artes diaboli, mundique ſcandala & blandimenta undique ſuſcitant, vix ac ne vix quidem poteſt humana infirmitas à recto & honeſto non frequenter & in multis deflectere. Hanc naturæ corruptæ impotentiam eleganter deſcribit auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 6. „ Humana natura, inquit, in prima hominis pravaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta & auxilia Dei, ſemper in deteriorem eſt proclivior voluntatem, cui committi non eſt aliud quàm dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, mutabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, ſuſpicionibus inquieta, gloriæ quàm virtutum avidior, famæ quàm conſcientiæ diligentior, & per omnem ſuî experientiam miſerior fruendo his quæ concupiverit, quàm carendo, nihil in ſuis habet viribus niſi periculi facilitatem, quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tantò citiùs propinquat iniquitati, quantò acriùs intenditur actioni.“

Hujus autem Propoſitionis fundamentum ſolidè ponit Angelicus Doctor, 1. 2. quæſt. 109. art. 8. in corp. „ Quia, inquit, ſicut rationi ſubdi debet inferior appetitus, ita etiam ratio ſubdi debet Deo, & in ipſo conſtituere finem ſuæ voluntatis. Per finem autem oportet quòd regulentur omnes actus humani, ſicut per rationis judicium regulari debent motus inferioris appetitûs. Sicut ergo, inferiore appetitu non totaliter ſubjecto rationi, non poteſt eſſe quin ſurgant inordinati motus in appetitu ſenſitivo; ita etiam, ratione hominis non exiſtente totaliter ſubjectâ Deo, conſequens eſt ut contingant multæ inordinationes in ipſis actibus rationis. Cùm enim homo non habet cor ſuum firmatum in Deo, ut pro nullo bono conſequendo vel malo vitando ab eo ſeparari vellet, occurrunt multa, propter quæ conſequenda vel vitanda homo recedit à Deo, contemnendo præcepta illius, & ſic peccat mortaliter; præcipuè quia in repentinis ho-

 „ mo

„ mo agit ſecundùm finem præconceptum, & ſecundùm habitum præexiſ-
„ tentem, quamvis ex præmeditatione rationis homo poſſit aliquid
„ agere præter ordinem finis præconcepti, & præter inclinationem habi-
„ tûs. Sed quia homo non poteſt ſemper eſſe in tali præmeditatione,
„ non poteſt contingere ut diu permaneat, quin operetur ſecundùm con-
„ venientiam voluntatis deordinatæ à Deo, niſi citò per gratiam ad
„ debitum ordinem reparetur."

Id reipſâ demonſtrat omnium, qui ſine fide & gratia Chriſti vixerunt, experientia. Quotquot enim, ſive apud Gentiles, ſive apud ipſos Judæos, aliquâ virtutis laude floruerunt (ſi paucos excipias, quos Chriſti gratia diſcrevit fecitque novi teſtamenti hæredes), multis infamibusque criminibus maculati ſunt. Antiquorum Philoſophorum, qui, ratione duce, Deum eſſe cognoverunt, cæterisque hominibus ſapientiores ſe eſſe jactabant, mores ſic deſcribit Apoſtolus Paulus, Rom. I: *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis...... Tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ...... Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate; ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, ſine fœdere, ſine miſericordia.*

Eisdem ferè coloribus Judæos ſub lege conſtitutos ac de lege gloriantes depingit ibidem, cap. II. „ *Si autem*, inquit, *tu Judæus cognominaris, & requieſcis in lege, & glorians in Deo, & noſti voluntatem ejus, & probas utiliora inſtructus per legem, confidis teipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſapientiæ & veritatis in lege:* quibus verbis manifeſtè deſignat eos qui doctrinæ & virtutis laude præcellebant, quique cæterorum magiſtri erant & duces. Sic tamen illos arguit: *Qui ergo alium doces, teipſum non doces; qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, ſacrilegium facis; qui in lege glorians, per prævaricationem legis Deum inhonoras, nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes, ſicut ſcriptum eſt.* Idem Judæorum Doctoribus exprobraverat Deus Pſalmo XLIX. 16 & ſeq. his verbis: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitiâ, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens adverſùs fratrem tuum loquebaris, & adverſùs filium matris tuæ ponebas ſcandalum.*

Igitur conſtanti & diuturnâ experientiâ compertum eſt hominem auxilio

Digitized by Google

xilio gratiæ deſtitutum, quàmvis nonnulla legis naturalis præcepta exteriùs obſervare valeat, univerſam tamen obſervare non poſſe, ne quidem quoad officia & ſubſtantiam operum.

TERTIA PROPOSITIO.

Nullus actus moralis omni ex parte bonus fieri poteſt abſque auxilio gratiæ Chriſti.

HÆc propoſitio arctiſſimè conjuncta eſt cum ea, quâ in Lib. III (pag. 474) aſſeruimus adjutorium legis non ſufficere ad rectè implendum ullum legis mandatum. Si enim ad id non ſufficit adjutorium legis, ergo requiritur gratia Chriſti interior. Verùm ad pleniorem hujus veritatis confirmationem, directis ac peculiaribus argumentis probanda eſt, ac primùm quidem eo quod ex modò dictis exurgit. Nulla actio bona eſt ex omni parte, niſi procedat à dilectione Dei ſaltem inchoata, ut probatum eſt Capite primo. Atqui nulla dilectio Dei haberi poteſt ſine gratia Chriſti, uti probatum eſt Capite ſecundo. Ergo nulla actio moralis omni ex parte bona fieri poteſt ſine auxilio gratiæ Chriſti. Probatio 1a ex dictis ſuperiùs.

Iſtud argumentum eſt S. Auguſtini plurimis in locis. Sic loquitur in Epiſt. 157, al. 89, ad Hilarium, cap. 2. num. 4: „ Illud quod dicunt, ſufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda,..... omnino anathematizandum....... Plenitudo quippe legis non eſt niſi caritas: & utique caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per nos ipſos nec viribus propriæ voluntatis, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.“ Eodem modo ratiocinatur lib. *de Spiritu & littera*, cap. 3. num. 5. „ Neque liberum arbitrium, inquit, quidquam, niſi ad peccandum, valet, ſi lateat veritatis via; & cùm id, quod agendum & quò nitendum eſt, cœperit non latere, niſi etiam delectet & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non benè vivitur. Ut autem diligatur, caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per liberum arbitrium quod ſurgit ex nobis, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.“ Et lib. 17 *de Civitate Dei*, cap. 4. num. 8, idem argumentum formâ dialecticâ inculcans: „ Facit judicium & juſtitiam, inquit, qui rectè vivit; rectè autem vivit qui obtemperat præcipienti Deo; & finis præcepti, id eſt, ad quod refertur præceptum, caritas eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Porro iſta caritas, ſicut Joannes Apoſtolus teſtatur, ex Deo eſt. Facere igitur judicium & juſtitiam, ex Deo eſt.“

Pro-

Probatio 2ª ex Scripturis.

Probatur II° ex Scriptura ſacra. Joannis XV. 4, Chriſtus dicit: *Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis,..... quia ſine nihil poteſtis facere.* Nihil prorſus excipit unicus magiſter noster Chriſtus. Non ait: nihil ſupernaturale, nihil difficile & arduum, nihil diuturnum poteſtis ſine me facere, ſed omnino nihil, ſicut palmes ſine radice nullum poteſt ferre fructum. Porro omnis actio omni ex parte bona eſt aliquid boni, ut omnes conſentiunt atque ex ſe patet. Ergo fieri nequit abſque adjutorio gratiæ Chriſti.

Iſtud oraculum ſæpiſſimè objecit S. Auguſtinus Pelagianis, qui in Epiſtola ad Rufum Theſſalonicenſem dixerant, hominem poſſe habere à ſeipſo ſaltem *boni imperfecti cupiditatem.* Sic verò reponit S. Doct. r lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 8. num. 18: „ Dominus, ut reſponderet futuro Pelagio, non ait: Sine me difficilè poteſtis aliquid facere; ſed ait: *Sine me nihil poteſtis facere*; & ut reſponderet futuris etiam iſtis, in eadem ipſa Evangelica ſententia non ait: Sine me nihil poteſtis perficere, ſed *facere.* Nam ſi perficere dixiſſet, poſſent iſti dicere non ad incipiendum bonum, quod à nobis eſt, ſed ad perficiendum eſſe adjutorium Dei neceſſarium." Et Tract. 8 in Joannem, num. 3: „ Non ait (Chriſtus): Sine me parum poteſtis facere, ſed *nihil poteſtis facere.* Sive ergo parum, ſive multùm, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt." His addamus, quod ideò non addidit S. Doctor, quia ejuſmodi effugium nondum fuerat excogitatum, non dixiſſe Dominum: Sine me nihil poteſtis facere quod ſupernaturale ſit, ſed abſolutè *nihil.*

Non minùs generatim loquitur Apoſtolus, 1 Corinth. IV. 7, cùm ait: *Quis te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quiſquis ergo dicit: habeo ex meipſo opera bona moralia, hac voce Apoſtolica refellendus eſt: *Quid habes quod non accepiſti?*

2 Corinth. III. 5, idem Apoſtolus dicit: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Certè nulla eſt actio omni ex parte bona, niſi aliqua cogitatio bona præceſſerit. Si ergo nulla cogitatio bona haberi poteſt ex nobis & ſine gratia Dei, nulla quoque actio poteſt eſſe ex nobis ſine gratia. „ Minùs eſt cogitare quàm cupere, inquit S. Auguſtinus lib 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 8. num. 18...... „ Quomodò ad id quod minùs eſt, id eſt, ad cogitandum aliquid boni, non ſumus idonei ex nobiſmetipſis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt; & ad id quod eſt ampliùs, id eſt, ad cupiendum aliquid boni ſine divino adjutorio idonei ſumus ex libero arbitrio? Neque enim & hîc Apoſtolus ait: Non quia idonei ſumus cogitare quod perfectum eſt, tanquam ex nobiſmetipſis, ſed *cogitare*, ait, *aliquid*, cui contrarium eſt *nihil.*"

Quid

Digitized by Google

Quid naturæ vires gratiâ non adjutæ valeant declarat ſacer textus; Geneſeos VI. 5, his verbis: *Videns Deus quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore* (in Hebræo habetur: *& omne figmentum cogitationum cordis hominis duntaxat malum omni die*). Job quoque, IX. 3, ait: *Si voluerit* (homo) *contendere cum Deo, non poterit ei reſpondere unum pro mille*; id eſt, homo quilibet, ſi diſceptare velit cum Deo, & ſeipſum innocentem probare, ex mille actibus ſolis naturæ viribus elicitis nullum proferre poterit, quem Deus non demonſtret aliquâ ſaltem ex parte vitioſum eſſe.

Probatur 3° auctoritate SS. Patrum, ſummorum Pontificum & Conciliorum, quorum teſtimonia ac definitiones majoris perſpicuitatis causâ ad duas claſſes revocabo.

Probatio 3ª ex SS. Patribus & Conciliis.

Prima claſſis eſt eorum qui docent nullum actum deliberatum, nullum voluntatis motum, nullum uſum liberi arbitrii ex omni parte bonum produci poſſe abſque adjutorio gratiæ.

Docent 1° nihil boni fieri poſſe ſine adjutorio gratiæ.

S. Juſtinus martyr, vel alius antiquus auctor, in Epiſtola ad Zenam & Serenum, num. 4: „ Caro prorſus ſumus, inquit, nec quidquam in „ nobis habitat boni. Advocandus igitur ad curam medicus.“ Quid, quæſo, veri boni fieri queat ab eis qui *caro prorſus* ſunt, & in quibus nihil quidquam boni habitat?

In edit. Commel. anni 1593 pag. 990. In Append. novæ Editionis pag. 410.

S. Irenæus lib. 3 *adverſùs Hæreſes*, cap. 17. num. 2, al. cap. 19: „ Sicut arida terra, ſi non percipiat humorem, non fructificat, ſic & „ nos, lignum aridum exiſtentes primùm, nunquam fructificaremus vi„ tam ſine ſuperna voluntaria pluvia.“ Ex iſta comparatione, non magis fieri poteſt ut homo fructum boni operis producat ſine gratia, quàm ut terra arida fructum proferat, niſi percipiat humorem.

Origenes in caput XII Epiſtolæ ad Romanos, ſub finem, exponens quam ob cauſam Apoſtolus præcepta moralia unà cum gratiis gratuitis jungat, hanc affert: „ Ideò ad munera gratiarum etiam moralia præcepta „ conjungit, ut oſtendat Chriſtianis hæc etiam per gratiam Dei dari. „ Sunt enim & nonnulli Gentilium compoſitis moribus & honeſtis in„ ſtitutis, qui tamen hoc ipſum quod habent non ad Deum referunt, „ nec ab illo ſibi datam gratiam confitentur, ſed aut propriæ in„ duſtriæ adſcribunt, aut ſuper magiſtris inſtitutionibus glorian„ tur. Nobis autem oſtendit Apoſtolus omne quod bonum eſt à „ Deo eſſe, & per Spiritum ſanctum dari.“ Ergo, juxta Origenem, nihil boni eſt in homine ſine auxilio gratiæ, & quæcunque in Gentilibus gratiâ Chriſti deſtitutis videntur bona & honeſta, non ſunt verè bona, quia ſuperba & elata ſunt, nec ad gloriam Dei referuntur.

S. Ephrem Diaconus Edeſſenus in Serm. de Margarita pretioſa: „ In „ me timeo, inquit; at in Chriſto confido...... Ipſe eſt vita, & ego „ mors: ipſe juſtitia, ego peccatum: ipſe veritas, & ego mendacium.“

Pag. 520 edit. Voſſii.

Quid verò ab eo, qui mors, qui peccatum, qui mendacium eſt, prodire unquam poteſt, quod non ſit vitio maculatum?

Biblioth. PP. Colon. tom. 4. pag. 79. S. Macarius Abbas Ægyptius in Hom. 24: „ Quæcunque, inquit, „ videtur anima per ſe agere, elaborare, exequi ſolis ſuis viribus fre- „ ta, exiſtimans ſe poſſe opus perfectum edere à ſeipſa, non cooperan- „ te Spiritu ſancto, procul aberrat.“ Hujus autem ſententiæ rationem hanc ſtatim affert: „ Sine virtute Spiritûs ſancti neminem percipere ve- „ ram vitam, neque reſipiſcere ab ebrietate materiæ,..... neque à „ ſomno ignorationis profundiſſimo expergefieri, ut hoc modo per vir- „ tutem Dei & efficaciam gratiæ verè Deum cognoſcat:“ nimirum ſignificans nullum opus eſſe perfectum, ſeu bonum ſub omni reſpectu, niſi procedat à vera cognitione & dilectione Dei, quæ gratiæ Chriſti dona ſunt. Ibid. pag. 70. Et in Hom. 18 hominem gratiâ non adjutum comparat pauperi mendico, qui nihil ſibi ex ſeipſo comparare poteſt. „ Pauper & men- „ dicus, inquit, fame laborans nihil in mundo comparare poteſt, ip- „ ſum urgente paupertate..... Ita etiam anima nuda, & ſocietate Spi- „ ritûs deſtituta, & ſub duram peccati mendicitatem derelicta nullum „ poteſt, etiamſi velit, producere verum fructum ſpiritûs juſtitiæ, ante- „ quàm Spiritûs particeps effecta ſit.“ Alia ſimilitudine non minùs Ibid. pag. 92. apta eamdem veritatem illuſtrat Hom. 32, his verbis: „ Veluti vo- „ lucris unicam habens alam hâc ſolâ volare non poteſt, ſic etiam „ natura humana, ſi nuda per ſe maneat, & non miſceatur & parti- „ ceps fiat naturæ cœleſtis, nihil rectum efficit, ſed nuda manet in ſua „ natura, & ſordibus multis reprehenſioni obnoxia.“ Quomodò iſta cum opinione adverſariorum ſtare poſſint, ipſi viderint.

Tom. 2. pag. 414. Al. pag. 329. S. Baſilius in *Regulis breviùs tractatis*, reſponſ. ad interrogationem 1, idem inſigni argumento demonſtrat. „ Cùm, inquit, Dominus noſter „ Jeſus Chriſtus dicat quidem de Spiritu ſancto: *Non loquetur à ſemetip-* „ *ſo, ſed quæcunque audierit loquetur*; de ſeipſo verò: *Non poteſt Filius* „ *à ſe facere quidquam*,..... quis eò dementiæ deveniat ut à ſeipſo „ audeat aliquid vel cogitatione concipere, qui ſcilicet ductore ſancto „ & bono Spiritu indigeat, ut dirigatur in viam veritatis, ſive in mente, „ ſive in ſermone, ſive in actione, & cæcus ſit, & in tenebris degat „ ſine ſole juſtitiæ Domino noſtro Jeſu Chriſto?“

Tom. 2. pag. 137. Idem egregiè canit S. Gregorius Nazianzenus in Carmine 58.

Quo (Chriſto) *ſine mortales vaniſſima ludicra cuncti,*
Quo cuncti ſine viva cadavera, putrida noxis.
Nam neque ſubmoto volitantes æthere cernas
Penniġeras volucres, nec, demptis fluctibus, unquam
Delphini æquored poterunt regione natare:
Sic quoque præſidio Chriſti ſine tollere greſſum

Haud

Haud unquam mortale genus queat. Ergo cavendum
Ne tibi plus æquo tribuas, & mente ſuperba
Viribus ipſe tuis fidas, quantùmlibet in te
Fulgeat inſignis ſapientia.

S. Chryſoſtomus, Hom. 25 in Geneſim, num. 7: „ Neque poſſibile „ eſt, inquit, bonum aliquod nos rectè agere non adjutos ſupernâ „ gratiâ. „ Hom. 12 in Epiſt. ad Rom. exponens hæc verba: *Cùm ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ*, ſic loquitur: „ Id eſt, cùm in ne- „ quitia viveretis, in impietate, in extremis malis, tanta cum obe- „ dientia vivebatis, ut nihil omnino boni ageretis; hoc enim ſibi vult „ illud, *liberi fuiſtis juſtitiæ*, hoc eſt, non eratis illi ſubjecti, ſed alie- „ nati ab illa prorſus: neque enim ſervitutis modum dividebatis par- „ tim juſtitiæ, partim peccato, ſed vos totos malitiæ dedebatis." Et Hom. 12. in 1 ad Corinth. num. 1 & 2, ad iſta verba: *Quid habes quod non accepiſti?* hæc ait: „ Nihil ex te habes, ſed à Deo accepiſti..... „ Ergo, cùm acceperis, habes non hoc vel illud, ſed omnia quæ ha- „ bes. Non enim tua hæc rectè facta ſunt, ſed ex Dei gratia prove- „ niunt...... Quid ergo habes, quæſo, quod non acceperis, ſed ex „ teipſo rectè facti acquiſiveris? Nihil dicere poſſis, ſed accepiſti." Fruſtra hic exciperentur actus naturalis ordinis ex omni parte boni, cùm S. Doctor nullam prorſus boni operis ſpeciem gratiæ operationi ſubtrahi ſinat.

Tom. 4. pag. 241. Al. tom. 8. pag. 306.

Tom. 9. pag. 542. Al. tom. 4. pag. 148.

Tom. 10. pag. 99. Al tom. 5. pag. 116.

Auctor Operis imperfecti in S. Matthæum (inter Opera S. Chryſoſtomi), quem auctorem ſexto ſæculo vixiſſe vulgò creditur, hom. 28: „ In gratia Dei, inquit, totum poſſumus, ſine gratia autem nihil, di- „ cente Apoſtolo: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.*"

S. Iſidorus Peluſiota, unus è præcipuis S. Chryſoſtomi diſcipulis, lib. 4, Epiſt. 81, ait voluntatem humanam tabe originali infectam eſſe arborem malam, quæ *non poteſt fructus bonos facere* quandiu mala eſt; at *ubi mutata fuerit & converſa ad virtutem* per aliquam ſaltem ſanctæ dilectionis inchoationem, *tunc ferre.*

S. Auguſtinus pro tuendo iſto doctrinæ Chriſtianæ capite plus cæteris omnibus laboravit, ideòque illud paſſim inculcavit contra Pelagianos. Ex innumeris ejus textibus nonnullos ſeligemus.

Lib 1 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 3. num. 7: „ Non „ poteſt homo, inquit, boni aliquid velle, niſi adjuvetur ab eo qui „ malum non poteſt velle, hoc eſt, gratiâ Dei per Dominum noſtrum „ Jeſum Chriſtum." Et cap. 24. num. ultimo, Pelagianos, dicentes hominem benè utendo libero arbitrio mereri gratiam, refellit, quia „ nemo illo benè uti poteſt niſi per gratiam." Cum igitur omnis actus omni ex parte moraliter bonus ſit bonus uſus liberi arbitrii, manifeſtum eſt nullum prorſus eſſe, juxta S. Doctorem, opus bonum ſine gratia.

 In

In Epiſtola 214 ad Valentinum & monachos Adrumetinos ſcripta, occaſione cujuſdam diſſidii circa gratiam & liberum arbitrium in eorum Cœnobio exorti, num. 2, ſic loquitur: „ Neque negetis Dei gratiam, „ neque liberum arbitrium ſic defendatis, ut à Dei gratia ſeparetis, „ tanquam ſine illa vel cogitare aliquid, vel agere ſecundùm Deum ullâ ratione poſſimus, quod omnino non poſſumus.“ Idem inculcat num. 8.

In lib. *de Correptione & gratia*, cap. 2. num. 3: „ Intelligenda eſt „ gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quâ ſolâ homines „ liberantur à malo, & ſine qua nullum prorſus, ſive cogitando, ſive „ volendo & amando, ſive agendo, faciunt homines bonum, non ſolum ut, monſtrante ipſâ quid faciendum ſit, ſciant, verum etiam ut, „ præſtante ipſâ, faciant cum dilectione quod ſciunt.“ Nihil excipit S. Doctor, gratiamque ſic confitendam eſſe aſſerit, ut ſine illa nullum prorſus bonum fieri poſſe credatur: bonum autem non aliud verùm agnoſcit, quàm quod fit cum dilectione.

Lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 5. num. 5: „ Ad peccandum, inquit, non adjuvamur à Deo; juſta autem agere, vel „ juſtitiæ præceptum omni ex parte“ (id eſt, ex parte tum objecti, tum circumſtantiarum, tum finis ultimi) „ implere non poſſumus, niſi „ adjuvemur à Deo. Sicut enim oculus corporis non adjuvatur à luce, „ ut ab eadem luce clauſus averſuſque diſcedat, ut autem videat adjuvatur ab ea, neque hoc omnino, niſi illa adjuverit, poteſt; ita Deus, „ qui lux eſt hominis interioris, adjuvat noſtræ mentis obtutum, ut „ non ſecundùm noſtram, ſed ſecundùm ejus juſtitiam boni aliquid „ operemur. Si autem ab illo avertimur, noſtrum eſt, & tunc ſecundùm carnem ſapimus, tunc concupiſcentiæ carnis ad illicita conſentimus.“

Demum lib. 2 *Oper. imperf.* cap. 198: „ Chriſte, inquit, reſponde, „ vince, atque convince, clama: *Sine me nihil poteſtis facere*, ut taceant „ qui clamant, etſi difficiliùs, tamen poſſemus & ſine te facere; aut ſi „ tacere non poſſunt, ſeipſos in latebras aliquas ducant, ut alios non „ ſeducant.“

His omnibus in locis S. Auguſtinus 1°. abſolutè pronuntiat hominem nihil prorſus boni velle aut facere poſſe ſine gratia. 2°. Duo tantùm eſſe actionum genera, nempe juſtitiæ opera, & peccata. 3°. Juſtitiæ opera ſine adjutorio gratiæ fieri nullomodò poſſe. 4°. Gratiam non minùs neceſſariam eſſe ad benè operandum, quàm lucem ad videndum. 5°. Hominem, quamdiu auxilio gratiæ deſtituitur, ſecundùm carnem ſapere & concupiſcentiæ obſequi. 6°. Tunc tantùm bonum rectè fieri, quando fit *cum dilectione*. His verò quid potentius dici poteſt contra aſſertores bonorum operum naturalium? Hanc porro doctrinam, non tanquam ſuam privatam ſententiam, ſed tanquam Eccleſiæ fidem proponit ac tuetur.

Auctor

Digitized by Google

Auctor *Hypognoſticon*, quem alii Sixtum Eccleſiæ Romanæ Presbyterum & poſteà Pontificem, alii Mercatorem fuiſſe opinantur, ſic loquitur lib. 3, cap. 5: „ Vitiato libero arbitrio, totus homo eſt vitiatus, „ per quod abſque adjutorio gratiæ Dei quod placeat nec valet incipere, nec perficere ſufficit. Prævenitur autem medicinâ, id eſt, „ Chriſti gratiâ, ut ſanetur & reparetur in eodem vitiata atque præparetur voluntas, quæ ſemper indigens adjutorio, illuminante gratiâ Salvatoris, poſſit tam Deum cognoſcere, quàm ſecundum ejus vivere voluntatem.“ Declarat hic auctor nihil quod placeat Deo incipi vel perfici poſſe ſine gratia, liberumque arbitrium vitiatum ſibi relictum ſecundum Dei voluntatem vivere non poſſe. Atqui omnis actio ex omni parte bona Deo placet fitque ſecundùm ejus voluntatem: ergo nulla actio ſub omni reſpectu bona fieri poteſt ſine adjutorio gratiæ. Quamobrem hic auctor concludit ibidem, cap. 9, „ quidquid „ (homo) vult bonum, à Deo eſſe, quia ſine me, ait Dominus, nihil poteſtis facere.“

S. Proſper in lib. *contra Collatorem*, cap. 10. num. 30: „ Quaſi, inquit, ullus ſit bonæ voluntatis motus, niſi quem creavit diffuſæ per „ Spiritum ſanctum caritatis afflatus.“ Nullum profectò opus bonum eſt ſine bono voluntatis motu: ergo nullum eſt opus bonum ſine gratia, ſine aliquo caritatis afflatu. Et Sententiâ 105, quæ deprompta eſt ex S. Auguſtino in Pſalmum 38: „ Prima, inquit, divini muneris „ gratia eſt, ut erudiat nos ad noſtræ humilitatis confeſſionem, & agnoſcere faciat quòd, ſi quid boni agimus, per illum poſſumus ſine „ quo nihil poſſumus.“

Auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 4: „ Humana ingenia (priuſquàm Spiritu Dei agantur), etiamſi corporeæ voluptati „ non turpiter ſerviant, & cupiditates ſuas juſtitiæ atque honeſtatis legibus temperent, nihil ſupra mercedem gloriæ temporalis acquirunt; „ & cùm præſentem vitam decenter exornent, æternæ tamen beatitudinis præmium non habent, quia rectas actiones ac bona ſtudia ſua „ non ad ejus gloriam & honorem referunt, à quo acceperunt ut ſublimiùs ſaperent & excellentiùs cæteris eniteſcerent.“ Quàmvis hic egregius auctor admittere videatur opera quædam bona, quæ ad vitam æternam non conducant, perſpicuum eſt eum illa bona non agnoviſſe niſi ratione officii tantùm, quod omnes admittunt, perſuaſumque habuiſſe eadem illa opera vitiata eſſe ex parte finis ultimi, hoc ipſo quòd ad gloriam & honorem Dei non referuntur.

S. Fulgentius, Epiſt. 4. ad Probam, cap. 3: „ Nec quiſquam hominum, inquit, ſive ad cogitandum, ſive ad operandum QUODCUNQUE bonum poteſt eſſe idoneus, niſi fuerit gratuito munere divinæ „ opitulationis adjutus.“

Primaſius, Comment. in Epiſt. ad Rom: „ Equus poteſt currere, „ in-

Tom. X novæ Biblioth. Patrum, p. 165.

„ inquit, ſed ſi non habeat rectorem, infrænis & præceps prævolitat, „ & rectum iter non ambulat: ita & nos ſine Deo & ejus gratia.“

Venerabilis Beda, Comment. in Joann. cap. XV. 5: „ Sive ergo parum, inquit, ſive multùm, ſine illo fieri non poteſt ſine quo nihil fieri poteſt.“ Num, quæſo, hujuſmodi verbis mentem ſuam exprimerent adverſarii?

Apud Mauguin. tom. 1. pag. 82 & 83.

Ratramnus lib. 2 de Prædeſtinatione: „ Quòd bonæ voluntatis inchoationem habere nequeamus, niſi ſuperni gratiâ largitoris, inquit, Apoſtolus teſtis eſt, qui ait: *Quid habes quod non accepiſti?* Si ergo nihil habemus niſi quod ſuperno conceſſum munere nobis fuerit, nec „ bonæ voluntatis quantulumcunque valemus adipiſci arbitrii viribus „ humani, ſi non de divini muneris fonte nobis emanaverit. Quod autem aliquid boni ſine divina gratia nequeamus efficere, ipſius ore

Ibid. pag. 85.

„ veritatis inſtruimur ita loquentis: *Sine me nihil poteſtis facere.*“ Et poſteà, relatis S. Iſidori Hiſpalenſis verbis declarantis gratiam Dei à nemine præveniri: „ Si nemo, inquit, Domini gratiam antecedit, nec in „ aliquo bono quiſquam opere debitorem Deum tenere poteſt, ſequitur ut OMNE opus bonum & OMNIS recta voluntas Dei gratiâ præveniente conferantur homini.“

Ibid. pag. 235.

S. Prudentius Trecenſis, lib. *de Prædeſtinatione contra Scotum*, cap. 4, ſic loquitur: „ Datum homini liberum arbitrium...... credimus „ & confitemur; ſed ita in peccantibus vitiatum atque corruptum, ut „ prorſus, niſi præveniente gratiâ Dei, AD NULLUM BONUM propria voluntate atque virtute poſſit aſſurgere. Quid enim habere virium AD BONI QUIDPIAM per ſe vel ex ſe poterat venditus ſub peccato?“ Et aliquantò poſt: „ Ineſt homini liberum arbitrium, „ ſed ad bonum jam languidum, tam invalidum, tam infirmum, ut, „ niſi præveniente gratiâ, nec velle bonum poſſit nec agere.“ Neſcio quibus verbis excludi poſſint opera quælibet omni ex parte bona facta ſine adjutorio gratiæ, ſi his non excludantur. Hanc autem doctrinam tanquam Eccleſiæ Catholicæ fidem contra Pelagianos definitam atque defenſam proponit S. Epiſcopus in recapitulatione libri, definitione 10. „ Reſpondemus, ait,..... deteſtari nos Pelagianos aſſerentes ali- „ quid boni per liberum arbitrium fieri poſſe ſine adjutorio gratiæ,..... „ ſed ita liberum arbitrium vitiatum & infirmatum tranſgreſſione primorum noſtri generis, ut per ſe prorſus ad NIHIL BONI aſſurgere „ valeat, niſi præveniatur aſpirante gratia, & ſubſequatur auxiliante.“ Et in *Tractoria* ad concilium Pariſienſe, quam à Patribus concilii approbatam fuiſſe omnino probabile eſt, declarat ſe non aliter conſentire ordinationi Æneæ in Epiſcopum Pariſienſem, niſi ſubſcriptione ſua profiteatur nos ſemper ad omne opus bonum Dei omnipotentis gratiâ „ indigere, ac ſine iſta nihil boni poſſe nos ullatenus aut cogitare, aut „ velle, aut operari.“

Lupus

Lupus Abbas Ferrarienſis idem ex profeſſo probat textibus ſcripturæ ſacræ in Epiſtola ad Carolum Calvum, & teſtimoniis SS. Patrum in *Collectaneo de tribus Quæſtionibus*, quæſt. 2. Apud eumdem Mauguin.

S. Anſelmus in lib. *Meditationum*, med. 6: „ Ut à malis abſtineamus, inquit, & bona faciamus, hoc noſtra virtute ſine illius adjutorio facere non poſſumus."

S. Hildebertus Cœnomanenſis Epiſcopus, in Epiſt. 14 ad Reginam „ Angliæ, ipſam hortatur ut tota adſit gratiæ Dei, ſine qua, inquit, „ nec volumus benè, nec benè operamur."

S. Aëlredus Abbas, lib. 1 *Speculi caritatis*, cap. 13, inquirens *quæ ratio ſit, ut, cùm* (liberum arbitrium) *nullius adminiculo ad malum egeat, ad bonum non ſufficiat*, ubi bonum generatim ſumit pro eo omni quod non malum eſt, ſic reſpondet: „ Quis eſt cui non ſatis ſit quòd huic „ aſſertioni faveat fides catholica? Probat quotidiana uniuſcujuſque „ benè proficientis experientia, affirmant inſuper Prophetica ſimul & „ Apoſtolica teſtimonia, &, quod his majus eſt, illa illius veridici oris „ ſententia: *Sine me nihil poteſtis facere.*" Ergo, ipſo judice, hæc doctrina eſt fides Eccleſiæ, Prophetica, Apoſtolica, atque ipſiuſmet veritatis ore prolata. Subdit ibidem argumentum ex ratione depromptum. „ Cùm omnis creatura, inquit, de nihilo facta ſit, & mutabilis facta, „ naturali quodam ſuæ mutabilitatis impulſu ſemper ad id de quo facta „ eſt, id eſt, ad nihilum vergit...... Quapropter, ut in inferiora ſuâ „ mutabilitate non defluat, & in eo quod eſt ſuam mutabilitatem cohi„ beat, ut ad altiora auſpicio feliciori ſe ſubrigat, ſemper illius eget gratiâ, cujus eſt creata potentiâ." Biblioth. PP. Col. tom. 13. pag. 91.

Richardus Victorinus in tract. *de Differentia ſacrificii Abrahæ & Mariæ*: „ Cognitio humanæ infirmitatis, ut plena ſit, inquit, in quatuor „ gradibus conſiſtit, duos habens in conſideratione mali, duos in con„ ſideratione boni. In conſideratione mali: 1°. Ut ſciamus nos nullum „ malum noſtrâ virtute poſſe cavere. 2°. Ut ſciamus à nullo malo poſt „ lapſum poſſe reſurgere. In conſideratione boni: 1°. Ut cognoſcamus „ nos ad nullum bonum de noſtra induſtria poſſe convaleſcere. 2°. Ut „ cognoſcamus nec in eo quod divinitùs accepimus noſtrâ induſtriâ poſ„ ſe perſeverare." Et poſteà: „ Subtractâ gratiâ & protectione divinâ, „ homo ad inimici ſuggeſtionem in quodcunque malum dejicitur, & ſe„ mel dejectus ad ſtatûs rectitudinem propriâ virtute non roboratur. „ Cinis ex ſeſe nullum omnino germen producit, & aliunde ſeipſum, „ non dicam ad incrementum, ſed ad ſuſtentamentum nutrire ullâ ſuâ „ pinguedine omnino non ſufficit. Habes hîc formam defectûs hu„ mani, quantùm pertinet ad conſiderationem boni. Nullum ſiquidem „ boni operis germen poteſt homo ex ſemetipſo ſine operante gratia „ producere; &, cùm ex gratia operante habere jam cœperit, per ſe„ metipſum omnino non poterit ſine ejus cooperatione cuſtodire."

Dictis

Digitized by Google

Dictis Patrum planè conſentiunt ſummorum Pontificum & Conciliorum definitiones.

Zozymus Papa in Epiſtola ad Epiſcopos univerſi orbis, pro condemnandis Pelagianis, (cujus fragmentum refertur in Epiſtola S. Cæleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliæ, cap. 9) ſic decernit: „ Quod ergo tempus „ intervenit, quo ejus (Dei) non egeamus auxilio? In omnibus igi„ tur actibus, cauſis, cogitationibusque & motibus adjutor & protec„ tor orandus eſt. Superbum eſt enim ut quidquam ſibi humana natu„ ra præſumat.“ Si nullo tempore non indigemus adjutorio gratiæ, ergo ſine illo nihil rectè agere poſſumus. Si in omnibus actibus, cogitationibus, motibus adjutor Deus orandus eſt, ergo nullus actus, nulla cogitatio, nullus motus noſter omni ex parte bonus eſt ſine adjutorio Dei. Si ſuperbum eſt ut quidquam ſibi humana natura præſumat, ergo certò tenendum eſt nihil boni moralis, quod vitio careat, ſolis naturæ viribus fieri poſſe.

S. Cæleſtinus in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, cui adjuncta Capitula à Sede Apoſtolica, ſi non digeſta, approbata ſaltem & promulgata ſunt, ſic decernit cap. 7: „ Quòd nemo, niſi per Chriſtum, libero be„ nè utatur arbitrio.“ Cap. 8: Quòd nemo aliunde Deo placere poteſt, „ niſi ex eo quod ipſe donaverit.“ Et cap. 9: „ Quòd ita Deus in „ cordibus hominum, atque in ipſo libero operatur arbitrio, ut ſancta „ cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo „ ſit, quia per illum boni aliquid poſſumus, ſine quo nihil poſſumus.“ Nihil hic exceptum videmus, nullum bonæ voluntatis motum, nullum bonum liberi arbitrii uſum.

Conc. Labb. tom. 1. pag. 1179. S. Gelaſius in Epiſtola ad Epiſcopos per Picenum conſtitutos ait: „ Quis audeat dicere Chriſtianus aliquid habere boni ſine gratia?“

Felix IV collegit atque ad Gallos tranſmiſit Canones Arauſicanos, de quibus dicemus paulò poſt.

Bonifacius II eoſdem Canones confirmavit in Epiſtola ad S. Cæſarium Arelatenſem.

S. Gregorius magnus, hom. 9 in Ezechielem, lib. 1: „ Sciendum, „ inquit, quia mala noſtra ſolummodò noſtra ſunt, bona autem noſ„ tra & omnipotentiæ Dei ſunt, & noſtra; quia ipſe aſpirando nos „ prævenit ut velimus, qui adjuvando ſubſequitur ne inaniter velimus, „ ſed poſſimus implere quod volumus.“ Omnia opera noſtra in duas tantummodò claſſes dividit S. Pontifex, mala ſcilicet & bona, nullaque admittit media. Omnia autem quæ bona, id eſt, quæ non mala ſunt, ex Dei gratia provenire definit.

Idem & Concilia ſanxerunt.

Inter Auguſtin. 175, al. 150. Concilium Carthaginenſe anni 416 in Epiſtola Synodica ad S. Innocentium Romanum Pontificem ſic decernit: „ Quicunque dogmatizat „ & affirmat humanam ſibi, ad vitanda peccata & Dei mandata facien-

„ da,

„ da, ſufficere poſſe naturam, & eo modo gratiæ Dei, quæ ſanctorum „ evidentius orationibus declaratur, adverſarius invenitur, anathema ſit.“ Certè quisquis facit opus omni ex parte bonum, hoc ipſo vitat peccatum, Deique mandatis obtemperat. Atqui concilium anathemate perculit, quisquis hominem dicit ſine auxilio gratiæ ſibi ſufficere ad vitandum peccatum mandataque facienda.

Synodus Epiſcoporum Africæ in Sardinia pro fide exulantium, in Epiſtola Synodica *de Gratia & humano arbitrio*, cap. 5, ſic definit: „ Ante largitatem gratiæ eſt in homine quidem liberum arbitrium, ſed „ non bonum, quia non illuminatum. Proinde, niſi gratia detur, bo„ num ipſum arbitrium non habetur. Sic namque eſt ipſum liberum „ hominis arbitrium abſque dono gratiæ, ſicut eſt oculus ſine lumine. „ Nam & oculus ad videndum factus eſt, ſed, niſi lumen acceperit, „ non videbit. Illa autem eſt lux vera, quæ illuminat omnem homi„ nem venientem in hunc mundum: illuminat autem hominem ſeipſum „ dando per gratiam.“ Ex hac definitione, liberum arbitrium ſine gratia non eſt bonum. Ergo non poteſt benè operari: quomodò enim poſſet benè operari non bonum? Ex eadem definitione, non magis homo gratiâ non illuminatus benè operari poteſt, quàm oculus corporis videre ſine lumine. Porro oculus videre nullatenus poteſt, niſi lumen ipſi adſit.

Concilium Arauſicanum II, cujus canones univerſa amplexa eſt Eccleſia, eamdem doctrinam ſancivit. Sic loquitur can. 9: „ Divini mu„ neris eſt, cum & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & ini„ quitate continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis at„ que nobiſcum, ut operemur, operatur.“ Can. 20: „ Multa Deus facit „ in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, „ quæ non præſtet Deus ut faciat homo.“ Demum poſt Canones hæc addit: „ Ac ſic, ſecundùm ſupra ſcriptas ſanctarum Scripturarum ſenten„ tias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc, Deo propitiante, & „ prædicare debemus & credere, quòd per peccatum primi hominis ita „ inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſ„ teà..... operari propter Deum quod bonum eſt poſſit, niſi gratia „ eum & miſericordia divina adjuverit.“ His canonibus declaratur 1° nullum hominis opus bonum eſſe ſine gratiæ munere. 2°. Gratiæ donum eſſe, quoties nos à falſitate & injuſtitia continemus. Porro per opus quodlibet omni ex parte bonum a falſitate & injuſtitia nos continemus. 3°. Neminem poſſe quod bonum eſt operari propter Deum abſque gratia Dei præveniente. Porro ſupra probatum eſt nullum opus omni ex parte bonum eſſe, niſi fiat propter Deum.

Mira procul dubio iſta videbuntur eis qui poſtremis hiſce temporibus aliter inſtituti ſunt. Verùm attendant, velim, quam firmis fundamentis SS. Patres, ſummi Pontifices & Concilia eam doctrinam ſuperſtruxerint. Quibus fundamentis hæc doctrina ſuperſtruatur.

Primum eſt, ut ſupra obſervavimus, nullum opus verè atque omni ex parte bonum eſſe, niſi procedat ex amore Dei, & ex illo amore ad Deum referatur: amorem verò Dei adeò non eſſe ſine gratia, ut ſit ipſamet gratia. Hoc fundamento nituntur S. Auguſtinus in Pſalm. LXVII. num. 34, & S. Proſper in Sententia 223. „ Plenitudo legis, inquiunt, „ caritas eſt, quia per caritatem lex impletur, non per timorem. In tan- „ tùm enim fiunt mandata juſtitiæ, in quantùm adjuvat Spiritus gra- „ tiæ."

Alterum fundamentum, primo affine, eſt, nullum opus eſſe ex omni parte bonum, niſi fiat ex dilectione juſtitiæ; dilectionem autem juſtitiæ non eſſe ſine inſpiratione Spiritûs ſancti. Tunc, ait S. Auguſtinus lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 9. num. 21, bonum „ concupiſci incipit, cùm dulceſcere cœperit. Quando autem timore „ pœnæ, non amore juſtitiæ, fit bonum, nondum benè fit bonum, nec „ fit in corde quod fieri videtur in opere...... Ergo benedictio dulcedi- „ nis eſt gratia Dei, quâ fit in nobis ut nos delectet & cupiamus, hoc eſt, „ amemus quod præcipit nobis." Superiùs verò, lib. 1. cap. 10. num. 22, dixerat hominem ſub lege conſtitutum, gratiâque deſtitutum, nullam habere juſtitiæ dilectionem. „ Non video, inquit, quomodò dice- „ ret homo ſub lege: *Condelector legi Dei* &c, cùm ipſa delectatio bo- „ ni, quâ etiam non conſentit ad malum, non timore pœnæ, ſed amo- „ re juſtitiæ (hoc eſt enim condelectari), non niſi gratiæ deputanda „ ſit." Hujus autem doctrinæ principium altiùs repetens lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 17. num. 26: „ Ignorantia, inquit, „ & infirmitas vitia ſunt quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad „ faciendum opus bonum, aut ab opere malo abſtinendum. Ut autem „ innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ „ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates." Igitur ſi voluntas hominis gratiâ Dei non adjuvatur, poteſt quidem vel timore pœnæ, vel aliquâ occultâ cupiditate bonum aliquod operari, malumve aliquod vitare, ſed neutrum facit ſicut faciendum eſt, quia non facit ex dilectione juſtitiæ.

Tertium fundamentum, ut alia omittam, iſtud eſt, voluntatem ipſam humanam, niſi per gratiam mutata & correcta fuerit, malam eſſe ac perverſam; ex mala autem voluntate nihil prodire poſſe, quod non ſit aliqua ſaltem ex parte inquinatum. Audiamus iterum illuſtrem gratiæ Vindicem. Sic loquitur lib. 4 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 6. num. 15: „ Quid poteſtis facere boni de corde non bono? Ut „ autem habeatis cor bonum: *Dabo*, inquit, *vobis cor novum*, *& ſpiri-* „ *tum novum dabo vobis*. Numquid poteſtis dicere: priùs ambulavi- „ mus in juſtificationibus ejus, & judicium ejus obſervavimus, & feci- „ mus ut digni eſſemus quibus gratiam ſuam daret? Quid enim boni „ faceretis, homines mali? Et quomodò iſta benè faceretis, niſi boni „ eſſe-

Digitized by Google

„ effetis? Ut autem homines ſint boni quis facit, niſi ille qui dixit: „ *Et viſitabo eos, ut bonos eos faciam?*" Concinit S. Proſper lib. *contra Collatorem*, cap. 10. num. 29. „ Nihil boni operis ex mortuis, in„ quit, nihil juſtitiæ procedit ex mortuis." Quod quidem non ita accipiendum eſt, quaſi omnia peccatorum opera peccato inquinata ſint, ſed quòd peccator, niſi aliquod boni cordis ac bonæ voluntatis initium de ſurſum acceperit, nihil benè ac rectè operari poſſit. Id Deus ipſe apertiſſimè declaravit, Ezech. XXXVI. 27, cùm dixit: *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum: & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis & operemini.* Quid enim ſibi volunt iſta verba, niſi præcepta non impleri, niſi per cor illud novum & bonum quod donum Dei eſt? Idem ſignificat Chriſtus Dominus, Matth. XII. 33 & ſeq. ubi ait: *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: ſiquidem ex fructu arbor cognoſcitur. Progenies viperarum, quomodò poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala.* Cum enim certùm ſit neminem ex ſeipſo bonum fieri, conſequens eſt neminem ſine auxilio gratiæ rectè ſapere, rectè loqui, aut rectè operari poſſe.

Tot teſtimoniorum mole oppreſſi adverſarii, ut ab illis ſeſe quoquo modo expediant, reſpondent SS. Patrum, Pontificum & Conciliorum definitiones non debere intelligi de quibuſcunque operibus bonis, ſed de illis tantùm quæ ſunt ſupernaturalia & proficua ad ſalutem æternam. Sed fruſtra hujuſmodi effugium quærunt. Ut enim ea omittam quæ ſupra de dilectione Dei *ſicut oportet* dicta ſunt, plurima demonſtrant allatis modò textibus nullam exceptionem reſtrictionemve accommodari poſſe. Præcluditur effugium adverſariorum.

Nam 1°, poſitâ hujuſmodi interpretatione, gratia jam non foret neceſſaria ad benè agendum præciſè, ſed ſolùm ad benè agendum modo quodam ſupernaturali, ſeu ad facienda opera quæ, præter bonitatem, ſupernaturalitate, ut ita dicam, veſtita ſint. Porro iſta bonorum operum diſtinctio omnibus antiquis Eccleſiæ Doctoribus fuit planè incognita, atque ab ipſis Pelagianis ultro admiſſa fuiſſet. Fatebantur enim ea opera, quæ ſine fide & ſine dilectione Dei fiunt, ſterilia eſſe apud Deum, nec proportionata beatitudini regni cœleſtis, quam, quia vires naturæ non habent, conferri debere dicebant per gratiæ largitatem. È contrario omnium Patrum conſtans doctrina eſt gratiam neceſſariam eſſe, non ad benè agendum certo quodam modo, ſed ſimpliciter ad benè agendum. Nullus certè illorum textus produci poteſt, quo interpretationem ſuam tueri poſſint adverſarii. Hoc autem poſito, quid manifeſtius eſt, quàm illos ſcripturæ & traditioni, peſſimo ſanè exemplo, illudere? Non tamen abnuo in mente SS. Patrum ac Conciliorum gratiam neceſſa-

Digitized by Google

riam non eſſe, niſi ad actus ſupernaturales & ordinatos ad ſalutem: quanquam eâ loquendi formâ nunquam uſi fuerint. Sed contendo, eorumque dicta planè demonſtrant, nullum opus ſub omni reſpectu bonum ipſos agnoviſſe, quod non ſit gratiæ donum, adeòque ſupernaturale & utile ad ſalutem; eamqne ob cauſam abſolutè pronuntiaſſe nihil boni eſſe, nihil rectè fieri abſque adjutorio gratiæ.

2°. Loquuntur generatim Patres de omnibus & quibuscunque operibus bonis, abſque ulla prorſus exceptionis umbra. Quo jure igitur eos certum quoddam bonorum operum genus excepiſſe putaretur? Quis non videt actum eſſe de omnibus doctrinæ Chriſtianæ dogmatibus, ſi Patrum & Conciliorum venerandas definitiones ſic liceat ad ſuum arbitrium interpretari?

3°. Patres loquuntur de bonis operibus prout malis opponuntur, asſeruntque ea ſola non eſſe à gratia, quæ mala ſunt. Porro hæc notio eſt univerſaliſſima, omneſque bonorum operum ſpecies comprehendit.

4°. Pelagianis probare nitentibus aliquid boni fieri poſſe ſine gratia, ex eo quòd infideles ſine gratia Chriſti præclara virtutum ſpecimina ediderint, nunquam Eccleſiæ Doctores reſponderunt eſſe quidem in infidelibus bona opera, ſed ordinis merè naturalis, neque ad ſalutem conducentia (quod tamen reſpondere utique debuiſſent, ſi in adverſariorum opinione fuiſſent); ſed abſolutè negarunt ea opera, quæ in infidelibus videntur bona, verè & omni ex parte bona eſſe, quia non fiunt propter Deum. Quamobrem Clemens VIII, in 2ª Congregatione de Auxiliis habita die octavo Julii 1602, Jeſuitas ſic arguebat: „ Profectò S. „ Auguſtinus contra Julianum non diſputabat niſi de virtutibus moralibus, quas Julianus dicebat reperiri in Ethnicis & impiis hominibus, „ nec potuit (Julianus) ita deſipere, ut putaret fuiſſe in Ethnicis veras virtutes fini ſupernaturali accommodatas: ſed ideò impugnabatur à „ S. Auguſtino, quia contendebat hominem ſine gratia benè operari „ poſſe moraliter propter Deum; quod ſimiliter agnoſcit Molina."

5°. Patrum & Conciliorum definitiones reſtringi nullatenus queunt ad opera bona quæ ſint ordinis ſuperioris, ſi diſtinctio illa bonorum operum in naturalia & in ſupernaturalia ne quidem illis in mentem unquam venerit. Id autem, confitente ipſo Molina, certiſſimum eſt. Sic ille loquitur in Concordia, quæſt. 14. art. 13. diſput. 15: „ Priſcis illis „ temporibus...... SS. Patribus minimè in mentem veniebat (quoniam „ Scripturæ id non docent) an circa ejuſmodi actus & diſpoſitiones, „ præter rationes formales ſupernaturales, ſecundùm quas diſpoſitiones „ ſunt proximæ vel remotæ ad gratiam, diſtinguendi eſſent actus merè „ naturales, qui vel ſimul elicerentur, vel certè ſeorſim...... Doctores „ autem Scholaſtici fuere, qui ſuis diſputationibus longâque perſcrutatione lucem hujuſcemodi rebus attulerunt. Hæc ita ſe habere ſatis „ pro comperto habebit, qui Patres antiquos Conciliaque antiqua evol-

„ ve-

„ verit, atque Eccleſiæ decurſum his mille centum anteactis annis conſiderarit, perlectiſque cujuſque ſæculi Conciliis ac Doctoribus, attentâ mentis acie perſpexerit modum ac tempora, in quibus, variis ortis controverſiis, continuis diſputationibus harum rerum notitia creverit." Igitur, Molina ipſo teſte, SS. Patres & Concilia de duplici illo bonorum actuum ordine ne ſomniando quidem cogitaverunt; ſed chimericam illam diſtinctionem moderni Scholaſtici vel è Philoſophia Peripatnetica, vel è ſuo cerebro confixerunt. Proinde luce clarius eſt SS. Patres, quibus illa diſtinctio planè ignota fuit, cum definiunt nihil boni rectè fieri poſſe ſine auxilio gratiæ, de quibuslibet operibus moralibus omni ex parte bonis nulloque vitio infectis, abſque ulla prorſus exceptione vel reſtrictione, locutos fuiſſe.

6°. Inane omnino eſt adverſariorum effugium, ſi, juxta SS. Patres, omne opus ſub omni reſpectu bonum fiat ſicut oportet, & ad ſalutem vel proximè vel remotè proficiat. Porro res ita eſt. Nam 1° omnis actus, hoc ipſo quòd eſt bonus ex omni parte, fit *ſicut oportet*. Si enim non fieret ſicut oportet, non foret omni ex parte bonus. 2°. S. Auguſtinus, optimus ſanè interpres conciliorum, quorum ipſe *dux* & *ingenium* fuit, conſtanter docet omnem actum, qui propter Deum & ex dilectione fit, fieri *ſicut oportet*. „ Ad hoc, inquit lib. *de Correptione & gratia*, cap. 2. num. 4, hominibus oſtenditur quid agere debeant, ut, „ quando id agunt SICUT AGENDUM EST, id eſt, cum dilectione „ & delectatione juſtitiæ, ſuavitatem quam dedit Dominus...... ſe „ accipere gaudeant." In Enchiridio, cap. 121: „ Quæcunque ergo „ mandat Deus....... tunc recte fiunt, cùm referuntur ad diligendum „ Deum & proximum propter Deum." Concione in pſalm. 118. num. 7, ad hunc verſiculum: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua*, ſic habet: „ Hæc eſt illa ſuavitas quam Deus dat, ut bonum VERE, BENÈ, id „ eſt, non mali carnalis formidine, ſed boni ſpiritualis delectatione faciamus." Demum lib. 21 *de Civitate Dei*, cap. 16: „ Neque id fit „ *veraciter* atque *ſinceriter* niſi vera dilectione juſtitiæ." Igitur bonum fit *ſicut oportet*, *ſicut agendum eſt*, *verè*, *benè*, *rectè*, *veraciter*, *ſinceriter* (hæ namque voces idem omnino ſignificant), quando refertur ad Deum, & non mali carnalis formidine fit, ſed dilectione juſtitiæ. Atqui omnis actio, ut bona ſit ex omni parte & in nullo delinquat, ejuſmodi eſſe debet. Ergo actio bona ſub omni reſpectu fit *ſicut oportet*. 3°. Omnis actio ex omni parte bona aliquatenus prodeſt ad ſalutem, Deo accepta eſt, mereturque ſaltem *de congruo*, ut loquuntur Theologi. Unde, cùm Julianus contenderet dari in infidelibus opera vere bona, ſed ſterilia, nec fructuoſa ad ſalutem, figmentum illud totis ingenii ſui nervis expugnavit S. Auguſtinus lib 4 *contra ipſum*, cap. 3; demonſtravitque nullum humanum actum eſſe ſteriliter bonum, ac vere bonum non eſſe quidquid non eſt fructuoſè bonum.

Cur ergo, inquies, Patres & Concilia frequenter dicunt, ſe loqui de operibus ad pietatem pertinentibus & ad ſalutem proficientibus?

Reſpondeo SS. Patres & Concilia duobus modis doctrinam Eccleſiæ enuntiaſſe. Plerùmque ſimpliciter & abſolutè dicunt nihil boni eſſe aut rectè fieri ſine gratia: interdum verò bona opera, quæ ſine ulla exceptione fieri poſſe negant, memoratis epithetis inſigniunt, ut ſignificent nullum opus verè & omni ex parte bonum eſſe, niſi quod pertinet ad pietatem & ad ſalutem ordinatur. Quamobrem, nedum ex illo loquendi modo concludi poſſit SS. Patres agnoviſſe aliquos actus bonos, qui ſolis naturæ viribus fiant, ſequitur è contrario eos non alios agnoviſſe actus bonos ex omni parte, quàm eos qui ad veram pietatem pertinent; ideòque illos actus nonnunquam appellaſſe actus pietatis, ut illos ab eis actibus diſcernerent qui nonniſi falſam boni imaginem præ ſe ferunt.

Docent 2° SS. Patres & Concilia liberum arbitrium ſine adjutorio gratiæ non valere niſi ad peccandum

Secunda claſſis Patrum & Conciliorum eſt eorum, qui docent liberum arbitrium ſine auxilio gratiæ non valere niſi ad peccandum, atque omnem actionem, quæ à gratia Chriſti non procedit, malam eſſe, pravam, vitiatam, ſeu non rectè fieri.

Tertullianus, lib. 2 *de Cultu feminarum*, cap. 1, cùm dixiſſet pudicitiam Gentilium non eſſe veram pudicitiam: „ Quid mirum? inquit, „ perverſa enim ſunt omnia quæ à Deo non ſunt.

S. Auguſtinus id ſæpiſſimè aſſeruit adverſùs Pelagianos. Lib. 2 *contra duos Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 5. num. 9, ſic loquitur: „ Peccato „ Adæ liberum arbitrium de hominum natura periiſſe non dicimus, ſed „ ad peccandum valere in hominibus ſubditis diabolo; ad benè autem „ piéque vivendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratiâ „ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis ad- „ juta.“ Et lib. 3. cap. 8. num. 24: „ Liberum arbitrium captivatum „ nonniſi ad peccatum valet; ad juſtitiam verò, niſi divinitùs liberatum, „ adjutumque non valet.“ Quod ſanè non ſic accipiendum eſt, quaſi homo per peccatum primi parentis potentiam phyſicam benè agendi perdiderit, quæ, quandiu homo viator eſt & rationis compos, à voluntate ſeparari nequit; neque etiam quaſi homo ſine gratiæ Chriſti adjutorio non poſſit nonnulla opera ex objecto ſeu officio bona facere; ſed hoc ſenſu quòd, etiamſi facere poſſit quædam ex objecto bona, nunquam tamen illa rectè faciat in ordine ad ultimum finem, niſi gratiâ præventus & adjutus fuerit.

Hanc autem doctrinam ad fidem Eccleſiæ pertinere indubitanter aſſerit lib. *de Correptione & gratia*, cap. 1. num. 2. „ Liberum arbitrium, „ inquit, & ad bonum & ad malum confitendum eſt nos habere. Sed in „ malè faciendo liber eſt quiſque juſtitiæ ſervuſque peccati; in bono „ autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab illo qui dixit: „ *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* Hanc fidem, quæ ſine du- „ bio vera, & Prophetica, & Apoſtolica, & Catholica fides eſt, etiam

„ in

„ in fratre meo Floro inveniſſe me gaudeo.“ Ne verò quis exiſtimet ea verba tanto Doctori parum attento excidiſſe, neque in rigore accipienda, advertendum eſt Julianum illâ doctrinâ vehementer offenſum fuiſſe. *Definis ergo*, inquiebat, *genus humanum per liberum arbitrium nihil aliud quàm peccare, nec aliud poſſe facere.* Proinde, ſi minùs cautè locutus fuiſſet S. Doctor, verba ſua malè intellecta temperare aut ſaltem exponere utique debuit. At nedum id quod Juliano diſplicebat retractaverit vel emolliverit, è contrario confirmavit, ſcripturarumque auctoritate munivit lib. 1 *Oper. imperf.* cap. 1. „ Quod tibi diſplicet, „ inquit, hominem non poſſe bonum velle, niſi adjuvetur ab eo qui „ malum non poteſt velle, nonne reſpicis ei te contradicere qui dixit: „ *Sine me nihil poteſtis facere?*“ Non igitur ex inadvertentia, neque hyperbolicè S. Doctor dixit liberum arbitrium ſine auxilio gratiæ non valere niſi ad peccandum, id eſt, ad eliciendos actus qui peccato non careant, quia nimirum, ut ait lib. 1 *Retractationum*, cap. 15, „ voluntas in tantùm libera eſt, in quantùm liberata eſt, ... alioquin tota „ cupiditas eſt.“ Quid mirum enim ſi voluntas, quæ *tota cupiditas eſt*, id eſt, tota in rerum temporalium amore defixa, ſemper ex aliqua cupiditate agat, niſi per gratiam Chriſti aliquod ſanctæ dilectionis initium acceperit?

Idem docet S. Proſper in Epiſt. ad Rufinum, cap. 17. „ Arbitrium, inquit, cùm ſolum eſſet ſibique permiſſum, nonniſi in ſuam perniciem „ movebatur.“ Et in Carmine *de Ingratis*, cap. 25, de gratia loquens:

„ *Non judex eſt meritorum,*
„ *Quæ niſi plena malis non invenit: & niſi donet*
„ *Quæ bona ſunt, nihil efficiet benè cæca voluntas.*“

Et infra, cap. XXVII:

Hinc arbitrium per devia lapſum
„ *Claudicat, & cæcis conatibus inque ligatis*
„ *Motus ineſt, non error abeſt: manet ergo voluntas*
„ *Semper amans aliquid quò ſe ferat, & labyrintho*
„ *Fallitur, ambages dubiarum ingreſſa viarum:*
„ *Vana cupit, vanis tumet & timet, omnimodâque*
„ *Mobilitate ruens, in vulnera vulnere ſurgit.*“

Et cap. ultimo, de humana voluntate loquens, ait:

„ *Quæ ſine te quid agit, niſi quo procul exulet à te?*
„ *Præcipites ſemper calles & devia motu*
„ *Ingreſſura ſuo, niſi feſſam tu, bone, & ægram*
„ *Suſcipias, referas, foveas, tuearis, honeſtes.*

S. Leo

S. Leo magnus, Serm. 8 in Jejunio ſeptimi menſis, cap. 1, motum omnem voluntatis humanæ productum abſque auxilio gratiæ malum eſſe decernit. „ Cùm ſint, inquit, in animis hominum multæ bonæ con- „ cupiſcentiæ & laudabiles voluntates, quid eſt quòd jubetur ut noſtris „ non conſentiamus affectibus (dicente ſcripturâ: *Poſt concupiſcentias* „ *tuas non eas, & à voluntate tua avertere*), niſi quòd ab illa concu- „ piſcentia prohibemur, & ab illa voluntate revocamur, cujus ortus ex „ nobis eſt, & ideò mala pronuntiatur quia noſtra eſſe convincitur?“

Auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 2 cap. 12: „ Voluntas „ (hominis), inquit, in malis actionibus ſola eſſe poteſt: in bonis au- „ tem ſola eſſe non poteſt. Quamvis enim ſecundum naturam ſit ejus „ ut bona ſit, vitium tamen, quod per malam voluntatem incidit in „ naturam, non naturæ ſuperatur virtute, ſed gratiæ.“ Non ſolùm hic auctor ſolas actiones malas naturæ viribus attribuit, ſed etiam opera bona, quæ ſecundum naturam ſunt, ſine gratiæ adjutorio rectè fieri, & vitio quod in naturam incidit carere non poſſe teſtatur.

Joannes Maxentius in fidei Profeſſione ſic loquitur: „ Liberum natu- „ rale arbitrium ad nihil aliud velle credimus, niſi ad diſcernenda tan- „ tum & deſideranda carnalia ſive ſæcularia, quæ non apud Deum, „ ſed apud homines poſſunt fortaſſis videri glorioſa: ad ea verò quæ ad „ vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, nec deſiderare, „ nec perficere poſſe, niſi per infuſionem & inſpirationem intrinſecùs Spiri- „ tûs ſancti, qui eſt Spiritus Chriſti.“ Nullum hic admittitur medium inter opera carnalia & opera ſalutifera quæ non niſi per gratiam fiunt. Opera autem carnalia vitiata & immunda eſſe quis dubitat, Apoſtolo ipſo dicente, Rom. VIII: *Prudentia carnis inimica eſt Deo,..... prudentia carnis mors eſt?*

S. Fulgentius & alii Africani Epiſcopi cum ipſo in Sardinia exules, lib. *de Incarnatione & gratia Chriſti*, cap. 19: „ Servire juſtitiæ non „ poteſt, inquiunt, qui juſtitiæ liber eſt, quia, quandiu eſt ſervus „ peccati, nonniſi ad ſerviendum peccato reperitur idoneus. Ab illa „ ſervitute peccati nemo liber efficitur, niſi qui Liberatoris Chriſti gra- „ tiâ liberatur, ut ſcilicet liberatus à peccato ſervus fiat Dei.“ Et lib. 2 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 5, idem S. Doctor ait: „ Niſi voluntas hominis mutetur ut bona ſit, aut ſemper appetit „ malum, aut nunquam benè appetit bonum: ac ſic, dum in rebus bo- „ nis rectum ordinem non tenet, Deo non placet.“ Attentè ponderanda ſunt iſta verba, quibus luculenter exprimitur quare voluntas hominis nonniſi peccato ſerviat, niſi gratiâ Chriſti fuerit liberata. Non enim eo ſenſu ſemper ſervit peccato, quòd nonniſi mala opera faciat (quædam enim bona facere poteſt, v. g. honorare parentes, providere ſibi, patriam tueri, egenos ſublevare), ſed quòd ea ipſa quæ facit ex objecto & officio bona, *non benè*, nec, ſervato debito ad Deum ordine, faciat.

Caſ-

Caſſiodorus in Pſalmum. 117, v. 8: „ Eſt quidem, inquit, in mala parte execrabilis libertas, ut prævaricator Deum deſerat & ad vitia ſe nefanda convertat: in bona verò parte arbitrium liberum, Adam peccante, perdidimus, ad quod niſi per gratiam redire non poſſumus.“

In gravi controverſia circa gratiam orta nono ſæculo, utraque pars hanc doctrinam ut certiſſimam tenuit. Una ex parte Hincmarus eam definivit in Capitulo 2 Cariſiaco his verbis: „ Habemus liberum arbitrium ad bonum præventum & adjutum gratiâ, & habemus liberum arbitrium ad malum, deſertum gratiâ.“ Id etiam fuſiùs exponit in lib. *de Prædeſtinatione*, cap. 21. Verùm, ex altera parte, illuſtres antiquæ doctrinæ vindices multò firmiùs eam adverſus Scoti Erigenæ deliramenta vindicarunt.

Florus Lugdunenſis, in Serm. *de Prædeſtinatione*, inter cætera quæ *de libero arbitrio, juxta veritatem fidei catholicæ*, ſunt tenenda, illud imprimis memorat, quòd „ ita liberum arbitrium in univerſo humano genere, illius (Adami) prævaricationis merito, vitiatum atque corruptum, ita obcæcatum eſt & infirmatum, ut ſufficiat homini ad malè agendum, id eſt, ad ruinam iniquitatis, & ad hoc ſolum poſſit eſſe liberum; ad benè verò agendum, id eſt, ad exercitium virtutis & fructum boni operis nullomodò aſſurgat & convaleſcat, niſi per fidem unius mediatoris Dei & hominum hominis Jeſu Chriſti, & donum Spiritûs ſancti inſtauretur, illuminetur atque ſanctur.“ Eadem verba leguntur in opuſculo Amolonis Archiepiſcopi Lugdunenſis *de Præſcientia & prædeſtinatione divina*, *& de libero arbitrio*, ad calcem operum Agobardi. Apud Mauguin tom. 1. pag. 26.

Idem Florus in libro quem Eccleſiæ Lugdunenſis nomine ſcripſit contra Scotum Erigenam, cap. 2, in refutatione tertiæ illius definitionis, allatis pluribus ſcripturæ ſacræ textibus, ſic concludit: „ Ideò quando homo deſeruit Deum, manifeſtè tunc amiſit libertatem boni, & non remanſit liber niſi ad malum.“ Capite 4 oppoſitam doctrinam Pelagianiſmi notat. Attendenda ſunt præcipuè hæc verba, quæ habet in refutatione quartæ definitionis Scoti: „ Quod dicit iſte, *peccantem hominem non amiſiſſe libertatem, ſed ipſius libertatis vigorem & potentiam*, non rectè dicit, quia nec rectè ſentit. Non enim bonum libertatis ex parte tenuit, & ex parte amiſit; ſed, ſicut vigorem & poteſtatem libertatis, ita & ipſam perdidit libertatem, ut jam per ſe ad verum bonum, unde cecidit, liber eſſe non poſſit. Remanſit autem liber ad malum, quia, ſicut liberâ voluntate deſeruit bonum, ita liberâ voluntate adhæſit malo. Habet itaque homo poſt illam damnationem liberum arbitrium, quo propriâ voluntate inclinari poteſt & inclinatur ad malum; habet liberum arbitrium, quo poſſit aſſurgere ad bonum: ut autem aſſurgat ad bonum, non eſt propriæ virtutis, ſed gratiæ Dei miſerentis. Habet liberum arbitrium ut poſſit benè velle,

Edit. Baluz. tom. 2 pag. 178. Mauguin, ibid. pag. 597.

„ le, ut poſſit benè vivere, ut poſſit Deo adhærere: ſed ut benè velit,
„ ut benè vivat, ut Deo adhæreat, non eſt propriæ virtutis, ſed gra-
„ tiæ Dei miſerentis.“

Si contra modernos Scholaſticos ſcripſiſſet doctiſſimus ille Eccleſiæ Lugdunenſis Diaconus, vix potuiſſet eos validiùs ac directiùs premere. Dicunt illi hominem, amiſſo liberi arbitrii vigore, non poſſe jam ſine adjutorio gratiæ totam legem naturalem diu ſervare; non ita tamen liberi arbitrii ad benè agendum vires perditas fuiſſe, quin poſſit ſaltem aliquandiu legis naturalis mandata obſervare, ita ut in eis obſervandis nullomodò peccet: id autem expreſſè rejicit Eccleſia Lugdunenſis, declaratque non vigorem tantummodò libertatis, ſed ipſam libertatem ad bonum, ſeu bonum uſum libertatis peccato amiſſum fuiſſe. Nec responderi poteſt celebrem illam Eccleſiam loqui de operibus ſupernaturalibus, non autem negare vires liberi arbitrii ſufficere ad opera naturalis ordinis ſub omni reſpectu bona: nam non minùs apertè affirmat hominem non remanſiſſe liberum niſi ad malum; ac proinde pro certo tenuit hominem lapſum non poſſe ex ſeipſo facere ullum opus quod peccato careat. Non minùs apertè definit non poſſe hominem ex ſeipſo facere illud bonum, ratione cujus habet naturalem liberi arbitrii poteſtatem. *Habet*, inquit, *liberum arbitrium quo poſſit aſſurgere ad bonum; ut autem aſſurgat, non eſt propriæ virtutis, ſed gratiæ Dei miſerentis.* Atqui, juxta adverſarios, bonum, reſpectu cujus habemus naturaliter liberi arbitrii poteſtatem, ſolis naturæ viribus fieri poteſt. Ergo Eccleſia Lugdunenſis, cujus interpretem ſe geſſit Florus Diaconus, opinionem adverſariorum velut erroneam & Pelagianam dudum damnavit.

Ejusdem Eccleſiæ nomine, S. Remigius ejus Archipræſul eamdem doctrinam vindicavit in lib. *de Tribus Epiſtolis*, cap. 21. Cùm enim Gotteſchalco imputaretur hic error, quòd, „ poſtquàm primus homo libe-
„ ro cecidit arbitrio, nemo noſtrûm ad benè agendum, ſed tantùm ad
„ malè agendum libero uti poteſt arbitrio,“ respondet id ſibi incredibile videri, ut vir à Catholicis eruditus, & in Patrum dictis non mediocriter exercitatus, adeò perverſa ſentire potuiſſet, ut liberi arbitrii ad bona opera cooperationem negaret. Mox addit: ſi dixiſſet generaliter
„ *nemo hominum*, & addidiſſet, *ſine Dei gratia*, & ita adjungeret, *libe-*
„ *ro benè uti poteſt arbitrio*, eſſet catholicus ſenſus & catholica omni-
„ no aſſertio.“ Igitur *aſſertio* eſt *omnino catholica*, dicere hominem ſine Dei gratia liberum non eſſe ad benè agendum, ſed tantùm ad malè agendum.

Et in lib. *de Tenenda veritate ſcripturæ*, cap. 10, ſic eadem Eccleſia loquitur: „ Habent omnes homines, etiam qui alieni ſunt à Chriſto,
„ liberum arbitrium, ſed tale quale iſti Patres oſtendunt, id eſt, in
„ prævaricatione Adæ infirmatum naturali poſſibilitate, & innocentiâ
ſpoliatum, ſine Chriſto nulli bono uſui aptum.“

S. Pru-

Digitized by Google

S. Prudentius Trecenſis, in Recapitulatione libri adverſus Scotum Erigenam, definitione 13, ſic ait: ,, Dicis hominem liberam voluntatem,
,, id eſt, naturam ſuam non perdidiſſe. Reſpondemus naturam ejus non
,, eſſe liberam voluntatem; eam tamen ad malum ſemper habuiſſe, ad
,, bonum verò ita perdidiſſe, ut abſque gratiæ præventione nulla ſit.“
Manifeſtum eſt eum per liberam voluntatem intellexiſſe uſum & exercitium liberæ voluntatis, quod ad bonum faciendum nullum eſt ſine gratiæ prævenientis auxilio. Et definit. 14: ,, Dicis libertatem homini
,, poſt peccatum remanſiſſe, vigorem verò & poteſtatem ejus perdidiſſe.
,, Reſpondemus nullam eſſe libertatem (ſibi ſufficientem ad boni quid-
,, piam rectè agendum) ſi careat vigore & poteſtate; remanſiſſe autem
,, libertatem homini ad malum tantummodò.“

Lupus Servatus, lib. *de tribus Quæſtionibus*, quæſt. 1. num. 16: ,, Ha-
,, bemus, inquit,..... ex Adam liberum arbitrium, non ad bonum &
,, malum, ſed ad malum liberum, ad bonum autem, ſi tamen id nobis
,, divino munere contigerit, liberandum.“ Cernitis quanto cum conſenſu omnes noni ſæculi ſcriptores hanc doctrinam, uti certiſſimam Eccleſiæ doctrinam, tenuerint ac defenderint.

S. Bernardus, tract. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 12. num. 41:
,, Liberum arbitrium, id eſt, humana voluntas, ait, tanquam in de-
,, flexo latere montis admodùm ardui inter utrumque pendens, ita in
,, appetitu infirmatur per carnem, ut niſi ſedulò Spiritus adjuvet infir-
,, mitatem ejus per gratiam, non ſolùm non valeat juſtitiæ, quæ eſt,
,, juxta Prophetam, *ſicut montes Dei*, aſcendendo de virtute in virtu-
,, tem apprehendere culmen, ſed etiam de vitio ſemper in vitium ſuo
,, ipſius pondere devoluta ruat in præceps; prægravata nimirum non mo-
,, dò lege peccati originaliter membris inſitâ, verum & conſuetudine
,, terrenæ inhabitationis uſualiter affectionibus inolitâ.“ Et Serm. 1 in feſto Annuntiationis, num. 1: ,, Neceſſe eſt credere..... quòd nihil
,, prorſus habere queas operis boni, niſi & quod dederit ipſe......
,, De operibus bonis certum omnino eſt quòd nemo hæc habeat à ſe-
,, ipſo...... Certum eſt ad ſuam originem univerſa, quantùm in eis
,, eſt, tendere, & in eam ſemper eſſe partem procliviora: ſic & nos,
,, qui de nihilo creati ſumus, conſtat quia, ſi nobis ipſis relinquimur,
,, in peccatum ſemper, quod nihil eſt, declinamus.“

Franco Abbas Afflighenſis, in tractatu *de Gratia*, quem hortatu Biblioth. PP.
Fulgentii deceſſoris ſui compoſuit, lib. 5, ex Iſaia Prophetâ probat nul- Colon. tom.
lum ſine gratiæ auxilio fieri opus, quod non ſit peccatô maculatum. 12. pag. 91.
,, Iſaias, inquit, humanæ fragilitati divinam gratiam aſſerit adeò per
,, omnia neceſſariam, ut, remotâ gratiâ, ſordidiſſimo panno menſtrua-
,, tæ comparare non vereatur omnem hominis juſtitiam. *Facti ſumus*,
,, inquit, *ut immundus omnes nos*, *& quaſi pannus menſtruatæ uni-*
,, *verſæ juſtitiæ noſtra*.“

In Theſauro Anecdot. Martenii.

Gerochus Abbas Reicherſpergenſis, in lib contra Simoniacos S. Bernardo dedicato, num. 25: „ *Sine me nihil poteſtis facere:* ſanè nihil, „ inquit, quia peccatum nihil eſt, quod ſolum ſine ipſo facere poſſu„ mus."

Eamdem doctrinam tradunt S. Hildebertus Cœnomanenſis, Serm. in Paſſione, pag. 436; Hericus in Dominicam 14 poſt Pentecoſten, pag. 133; Guibertus Abbas Commentario in Lamentationes, ad hac verba: *Circumædificavit adverſùm me ut non egrediar;* Odo Canonicus Regularis in lib. *de Libero arbitrio*, cap. 3. &c.

His omnibus Patrum teſtimoniis culmen addit definitio concilii Arauſicani ſecundi, can. 22, cujus verba ex S. Auguſtino deprompta, tract. 5 in Joann. num. 1, ſic habent: „ Nemo habet de ſuo niſi men„ dacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque jus„ titiæ, ab illo fonte eſt quem debemus ſitire in hac eremo, ut ex eo „ quaſi quibusdam guttis irrorati non deficiamus in via."

Reſpondent nonnulli adverſariorum hoc canone definiri duntaxat quid homo valeat abſque concurſu Dei generali. Miſera planè evaſio: quaſi verò de concurſu naturali, non de gratia Chriſti tantummodò actum fuerit in illo concilio. Reverâ quid ſunt guttæ illæ ſuperni fontis veritatis & juſtitiæ, quibus hac in eremo irrorari indigemus, inebriandi in patria, niſi gratia Chriſti Salvatoris, de qua in Iſaia dicitur: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris?* Ergo cùm, juxta canonem Arauſicanum, homo non habeat de ſuo, & ſine gratia Chriſti, niſi mendacium & peccatum, nihil ex ſe proferre poteſt quod mendacio & peccato, aliqua ſaltem ex parte, non maculetur.

Idipſum ſuis in precibus univerſa profitetur Eccleſia. Sic in Proſa, quæ in omnibus ferè Eccleſiis cantatur in die ſacro Pentecoſtes, Spiritus ſanctus his verbis invocatur:

Sine tuo numine
Nihil eſt in homine,
Nihil eſt innoxium.

Id eſt, nihil quod culpæ & vitii penitus expers ſit.

Modò allata Patrum & Conciliorum verba accipienda ſunt ut ſonant.

Huic alteri Patrum & Conciliorum documento reſpondent adverſarii illud ad vivum premi non debere, ſed eo ſenſu eſſe intelligendum, quòd homo lapſus, ſi auxilio gratiæ deſtituatur, in pleriſque ſuis actionibus peccet, cùm valde difficile ſit hominem in hoc naturæ corruptæ ſtatu diu ex fine honeſto bonum operari: non verò quòd in omnibus ſuis actionibus aliqua ex parte peccet. Verum quænam gloſſa textibus exponendis magis repugnavit unquam? Patres & Concilia diſertiſſimè definiunt hominem ex ſeipſo non valere niſi ad peccandum: juxta gloſſam autem homo lapſus valet ex ſeipſo ad rectè operandum, etſi difficilius. Patres & concilia definiunt voluntatis arbitrium ſine gratiæ adjutorio non

non eſſe liberum, ſeu ſibi ſufficiens, niſi ad malum: juxta gloſſam autem voluntatis arbitrium ſine gratiæ adjutorio ſibi ſufficit ad facienda, etſi difficiliùs, opera ex omni parte bona; adeò ut, ſi gloſſa vera ſit, dicta Patrum & Conciliorum erronea eſſe neceſſe ſit. Cum verò procul dubio doctrina Patrum & Conciliorum ſit apprimè catholica, adverſariorum interpretatio non poteſt non eſſe erronea.

2°. Admiſſâ illâ interpretatione, auxilium gratiæ non ampliùs foret abſolutè neceſſarium ad vitandum peccatum, bonumque faciendum; ſed tantummodò ad peccatum faciliùs vitandum, bonumque faciliùs operandum. Porro hic error jam dudum in Pelagianis damnatus eſt. Dicebant illi hæretici *ideò Dei gratiam hominibus dari, ut, quod facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per gratiam.* Id autem validè confutavit S. Auguſtinus Epiſt. 186, al. 6, ad Paulinum, cap. 10. num. 36, & Serm. 156, cap. 11. num. 12, ubi ſic loquitur: „ Hic fortiter vigilate, ne fortè dicat ſpiritus veſter; ſi ſubtraxerit ſe „ cooperatio & adjutorium Dei, etſi non ſine aliqua difficultate poteſt, „ tamen implere poteſt: quomodò ſi aliquis dicat, remis quidem pervenimus, ſed cum aliquo labore; ſi ventum habeamus, faciliùs pervenimus. Non ſic eſt adjutorium Dei; non ſic eſt adjutorium Chriſti. „ Prorſus ſi defuerit, nihil boni agere poteris. Agis quidem, illo non-„ adjuvante, liberâ voluntate, ſed malè; ad hoc idonea eſt voluntas „ tua, quæ vocatur libera, & malè agendo fit damnabilis ancilla.“ Et cap. 12: „ Velo faciliùs, remo difficiliùs, tamen & remo itur: jumento faciliùs, pedibus difficiliùs, ſed tamen & pedibus pervenitur. „ Non eſt ſic: magiſter enim verus, qui neminem palpat, neminem „ fallit, non ait: ſine me quidem poteſtis facere aliquid, ſed faciliùs „ per me; non ait: fructum veſtrum ſine me poteſtis facere, ſed uberiorem per me...... Quid dicit Dominus? *Sine me nihil poteſtis facere.*“ Eumdem errorem ſub anathematis pœna damnavit concilium Carthaginenſe anni 418, can. 6, his verbis: „ Item placuit ut, quicunque dixerit,..... ſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed „ tamen poſſumus etiam ſine illa divina implere mandata, anathema „ ſit.“

3°. Si vel unum actum ſub omni reſpectu bonum poteſt homo facere ſolis naturæ viribus, cur non ſecundum, tertium, quartum addere poterit, cùm rectè agendo minuatur boni agendi difficultas? Fruſtra opponerentur naturæ corruptio & infirmitas, quæ obſtant ne diu in bono ſtetur. Bonum enim, quod homo ex ſeipſo facere ſupponitur, vel ex amore juſtitiæ facit, vel ſine amore juſtitiæ. Si abſque amore juſtitiæ, non rectè illud facit, quia non ſponte, ſed quaſi invitus. Si verò ex amore juſtitiæ, rectè agendo non laborat; ubi enim amatur, jam non laboratur, aut labor ipſe amatur; ac proinde benè agendo fit homo validior ad benè agendum.

Digitized by Google

Probatio 4ª ex confeſſione Semipelagianorum.

Probatur IV° Propoſitio noſtra confeſſione Semipelagianorum, quos hoc in capite aliquatenùs contentientes habemus. Quamvis enim fidei ac bonæ voluntatis initia gratiæ Chriſti ſubtraherent, nullum tamen opus bonum ſine illa fieri poſſe fatebantur: in eo errantes quòd initium fidei & bonæ voluntatis bonis operibus accenſenda eſſe negarent, uti probavimus Lib. I. Diſſertat. 2. Unum hic proferam Vincentium Lirinenſem, qui *Commonitorii* cap. 34 ſic loquitur: „ Quis unquam, ante „ prophanum illum Pelagium, tantam virtutem liberi præſumpſit arbi„ trii, ut ad hoc in bonis rebus ad actus ſingulos adjuvandum gratiam „ Dei neceſſariam non putaret? “

Probatio 5ª ex Congregationibus de Auxiliis.

Hiſt. Congregat. lib. 3. cap. 9 pag. 410.

Probatur V° ex Congregationibus *de Auxiliis* coram Clemente VIII & Paulo V habitis. In ſecunda, die 8 Julii 1602, Conſultores „ ju„ dicarunt hanc Molinæ propoſitionem: *Cum ſolo concurſu generali Dei,* „ *absque alio dono vel auxilio gratiæ, poteſt homo efficere bonum opus* „ *morale, quod fini naturali hominis accommodatum ſit, atque compa*„ *ratione illius ſit verè bonum & virtutis opus; non tamen quod fini ſu*„ *pernaturali ſit accomodatum, quodque, comparatione illius, bonum ſim*„ *pliciter & virtutis opus dici queat*, eſſe omnino contrariam expreſſæ „ doctrinæ S. Auguſtini, neque excuſari aliquo modo poſſe ab errore, „ non obſtantibus ex adverſo productis à Patribus Societatis verbo & „ ſcripto “ Abſolutis verò Congregationibus, iidem Conſultores juſſu Pauli V *Canones* adornarunt *doctrinæ damnandæ*, quos inter hic legitur: „ Dicere quòd in ſtatu naturæ lapſæ homo cum ſolo concurſu „ Dei generali, absque alio dono vel auxilio gratiæ, poſſit efficere opus „ bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atque, „ comparatione illius, ſit verè bonum veræque virtutis opus, referendo „ illud in Deum naturaliter cognitum, id doctrinæ illi contradicit, „ quâ contra reliquias Pelagianiſmi olim definitum eſt (in concilio „ Arauſicano II) quòd, poſt peccatum primi hominis, nullus operari „ propter Deum quod bonum eſt poſſit, niſi gratia eum & miſericordia „ divina prævenerit.“

In Append. Hiſt. num XIII. pag. 205.

Probatio 6ª ex ſuffragiis Theologorum.

Ut autem obmuteſcant illi, qui doctrinam noſtram à pleriſque Scholaſticis rejici contendunt, probatur VI° noſtra Propoſitio ſuffragiis pluriṃorum magni nominis Theologorum. Tales ſunt inter alios:

Robertus Pullus, *Sententiarum* part. 1. cap. 12. fol. 48.

Alexander Alenſis, apud Vaſquez, part. 3. quæſt. 69. membr. 1. art. 2.

Guillelmus Autiſſiodorenſis, Summæ lib. 1. tract. 11. cap. 1. quæſt. 4.

Albertus magnus, in 2 Sentent. diſtinct. 28. art. 1. ad 2, à Vasquezio citatus ibidem.

Marſilius, in 1. diſt. 20. art. 3. prop. 4.

Capreolus, in 2. diſtinct. 29. quæſt. 1. concluſ. 4. pag. 478. & ſeq.

Toſtatus, in caput 19. Matthæi, quæſt. 147. ad 3.

Ce-

Cælius Pannonius, apud Caſalium, infra lib. 1. cap. 19.

Dionyſius Ciſtercienſis, in 2. diſtinct. 25. art. 2. concluſ. 5.

Major, apud Molinam in *Concordia*, diſput. 14. membro. 1, & apud Navarram in Manuali, cap. 27. num. 290.

Almainus Doctor Pariſienſis, lib. *de Bonitate morum*, cap. 15.

Alphonſus à caſtro, lib. 7 *adverſùs Hæreſes*, verbo *Gratia*, pag. 511.

Guillelmus de Verilong Præpoſitus generalis Fratrum Minimorum, in 2. diſtinct. 26.

Fiſcherus Roffenſis in Anglia, Epiſcopus & martyr, contra Articulum 36 Lutheri, §. *Neutrum*.

Catharinus, in caput 3 Geneſis, pag. 214.

Deza Dominicanus, Archiepiſcopus Hiſpalenſis, in 2 diſtinct. 18. quæſt. 1. num. 1. & 3, & apud Vaſquez.

Franciſcus Romæus Præpoſitus generalis Dominicanorum, in lib. *de Libertate & neceſſitate operum*, Veritatibus 14. 15 & 22.

Molanus, in *Compendio Theologiæ practicæ*, tract. 3. cap. 2. concl. 5.

Gaspar Caſalius, Epiſcopus Luſitanus, qui ſedit in concilio Tridentino, toto ferè libro 1 operis *de Quadripartita juſtitia*.

Lemos, in *Panoplia*, lib. 3. part. 2. tract. 2. cap. 9.

Alvarez, *de Auxiliis*, diſput. 50. num. 6.

Vaſquez, in 1. 2. diſput. 190, ubi ſic loquitur: „ Multò plures Scho-
„ laſtici Doctores, ut interim taceam antiquos Eccleſiæ Patres, affir-
„ mant nullum opus morale ex omni circumſtantia bonum fieri poſſe
„ ab homine ſine auxilio gratiæ.“ Ipſe tamen opinatur ſufficere concurſum Dei ſolitò majorem: verum ea opinio ipſi peculiaris eſt.

Macedo, in *Cortina D. Auguſtini*, quæſt. 2 de gratiæ neceſſitate, concl. 36. 37. 38. & 39.

Viguerius, in Inſtitutionibus, pag. 9. §. 3.

Hauzeur Provincialis Recollectorum, in *Anatomia Operum S. Auguſtini*, tom. 2. lib. 4 contra Julianum, cap. 3.

Sambovius Doctor Pariſienſis, in tractatu manuſcripto de Gratia.

Martinez de Riparda, lib. 1. *de Ente ſupernaturali*, diſput. 20. ſect. 6.

Cardinalis Noriſius, in Vindiciis Auguſtinianis.

Contenſon, tom. 5 *Theologiæ mentis & cordis*, diſſert. 2. cap. 1. ſpeculat. 2.

Laurentius Neeſen, Superior Seminarii Mechlinienſis, in *Theologia Chriſtiana*, tract. 1. dub. 10, & in tract. *de Gratia*, dub. 3.

Serry, Hiſtor. Congregat. de Auxiliis lib. 5. ſect. 7. cap. 4.

Cardinalis bona, in *Principiis vitæ Chriſtianæ*, part. 1. cap 3.

Henricus à S. Ignatio Carmelita, tom. 1 Ethicæ amoris, Prolegom 6, & lib. 9. cap. 6.

Fulgentius Belelli & Laurentius Berti, in ſcriptis ſuis Theologicis, quæ,

Digitized by Google

quæ, approbante ac protegente S. Pontifice Benedicto XIV, ſtrenuè vindicavit Laurentius Berti.

Alios plurimos omitto: hi namque abundè ſufficiunt, ut pateat hanc doctrinam in libris ſacris contentam, atque à Patribus traditam, perpetuò retentam ac defenſam fuiſſe. Qui horum aliorumque teſtimonia in unum collecta videre voluerit, adeat Diſſertationem gallicè ſcriptam, cui titulus: ***Memoire ſur l'amour naturel & ſur les œuvres faites ſans la grace***, atque editam anno 1714.

In ſolo Doctore Angelico paululùm immorabor, eoquòd ejus ſuffragio tueri ſe conantur adverſarii. Hic in *Quæſtionibus diſputatis*, quæſt. 24 de Veritate, art. 14, expendit *utrùm liberum arbitrium poſſit in bonum ſine gratia;* & reſpondet ſine gratia habituali poſſe hominem facere bona, non tamen meritoria de condigno vitæ æternæ, additque: „Si „ autem gratiam Dei velimus dicere, non aliquod habituale donum, „ ſed ipſam miſericordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur,..... ſic nec ullum opus bonum homo facere poteſt ſine „ gratia Dei: ſed communiter loquentes" (ipſius temporis Theologi Scholaſtici) „ utuntur nomine gratiæ pro aliquo habituali dono juſtificante." Ex his verbis facillimum eſt exponere quod ex adverſo opponitur ex Summæ 1. 2. quæſt. 109. art. 2. in corp. Ibi, eâdem quæſtione propoſitâ, diſtinguit duplicem humanæ naturæ ſtatum, ac de utroque ſic mentem ſuam aperit: „ Secundum utrumque ſtatum natura hu„ mana indiget auxilio divino, ad faciendum vel volendum quodcun„ que bonum, tanquàm primo movente," (id eſt, auxilio gratiæ actualis). „ Sed in ſtatu naturæ integræ, quantùm ad ſufficientiam vir„ tutis operativæ, poterat homo per ſua naturalia " (id eſt, abſque gratia habituali) „ velle & operari bonum ſuæ naturæ proportio„ natum, quale eſt bonum virtutis acquiſitæ; non autem bonum ſu„ perexcedens, quale eſt bonum virtutis infuſæ. Sed in ſtatu naturæ „ corruptæ etiam deficit homo ad hoc quod ſecundùm naturam ſuam „ poteſt, ut non poſſit totum hujuſmodi bonum implere per ſua „ naturalia " (deſtituta ſcilicet gratiæ habitualis dono naturæ ſu„ peraddito). Quia tamen natura humana per peccatum non eſt to„ taliter corrupta, ut ſcilicet toto bono naturali privetur, poteſt qui„ dem etiam in ſtatu naturæ corruptæ per virtutem ſuæ naturæ ali„ quod bonum particulare agere, ſicut ædificare domos, plantare vi„ neas, & alia hujuſmodi, non autem totum bonum ſibi connatura„ le, ita quòd in nullo (ſeu nulla ex parte) deficiat: ſicut homo „ infirmus poteſt per ſeipſum aliquem motum habere, non tamen per„ fectè moveri poteſt motu hominis ſani, niſi ſanetur auxilio medici„ næ. Ac ſic virtute gratuitâ, ſuperadditâ virtuti morali, indiget homo „ in ſtatu naturæ integræ quantum ad unum, id eſt, ad operandum

„ &

Digitized by Google

„ & volendum bonum ſupernaturale " (ſeu meritorium vitæ æternæ); „ ſed in ſtatu naturæ corruptæ quantùm ad duo, ſcilicet ut ſanetur, „ & ulteriùs ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur, quod eſt meri- „ torium. Ulteriùs autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio divi- „ no, ut ab ipſo moveatur ad benè agendum."

Ut ſenſus hujus articuli penitùs perſpiciatur, & cum tota S. Thomæ doctrinæ ſerie conciliatur, obſervandum eſt triplicem ab eo boni ſpeciem hîc diſtingui: 1° bonum ſimpliciter, ſeu ſub omni reſpectu; 2° bonum particulare; 3° bonum ſupernaturale & ſeipſo meritorium vitæ æternæ. Ad bonum particulare dicit ſufficere naturæ vires, ita tamen ut ſemper in aliquo deficiat, ſicut infirmus movere quidem ſeipſum poteſt, non tamen prompte & alacriter, ut homo ſanus: hoc eſt, hujusmodi actus, quàmvis boni ſint reſpectu boni particularis, non tamen rectè fieri, quatenus non referuntur ad Deum. Bonum ſimpliciter, ſeu quod ſub omni reſpectu bonum eſt, abſolutè pronuntiat fieri non poſſe in quocunque naturæ ſtatu ſine auxilio Dei moventis, id eſt, ut explicat ſupra, quæſt. 24 de Veritate, art. 14, absque gratia actuali, ſeu *miſericordia Dei motum mentis interiùs operante*. Demum ad bonum meritorium de condigno vitæ æternæ, quod appellat bonum ſupernaturale, docet requiri virtutem naturæ ſuperadditam, id eſt, gratiam habitualem & juſtificantem, quæ vulgò tunc in ſcholis nomine gratiæ ſignificabatur, uti obſervat in laudata quæſtione *de Veritate*. Hujusmodi gratia naturam integram idoneam reddebat ad volendum & operandum bonum ſupernaturale & meritorium de condigno; nunc autem homo ulteriùs indiget gratiâ ſanante, vireſque peccato amiſſas reſtituente. Hic eſt, ut mihi videtur, totius articuli ſenſus: unde concluditur, juxta S. Doctorem, nullum opus omni ex parte bonum fieri poſſe absque actuali gratiæ auxilio. Id inſuper confirmatur ex eoquòd, juxta eumdem, ut actio bona ſit ſub omni reſpectu, neceſſe eſt ut referatur ad Deum finem ultimum, atque ex ejus dilectione fluat, ut oſtenſum eſt ſupra, cap. 1. quæſtione 1.

VII°. His omnibus accedunt rationes Theologicæ magni ponderis. *Probatio 7a ex rationibus Theologicis.*

Prima petitur ab Eccleſiæ precibus. Id unum nempe Eccleſia poſtulat à Deo, quod ab ipſo dari credit. Atqui Eccleſia poſtulat à Deo gratiam bonum faciendi & nihil mali faciendi. *Oramus Deum*, inquit Apoſtolus 2 Corinth. XIII. 7, *ne quid mali faciatis,.....: ut vos quod bonum eſt faciatis:* quo textu relato, concludit S. Auguſtinus lib. *de Correptione & gratia*, cap. 2. num. 3: „ Quis hoc audiat, & non evi- „ gilet, atque fateatur à Domino Deo nobis eſſe ut declinemus à malo „ & faciamus bonum? "

Secunda petitur ab infirmitate legis. Probavimus in Libro præcedente cognitionem legis non modò non minuiſſe, verum etiam auxiſſe peccata. Atqui ſi homo ſolis naturæ viribus facere poſſet opera ex omni parte bo-

 na,

na, procul dubio dici nullatenus poſſet legem ſubintraſſe ut abundaret peccatum, ſeduxiſſe, occidiſſe, graviùsque peccandi occaſionem fuiſſe. Contra verò plurima peccata cohibere potuiſſet, magnoque adjumento fuiſſet ad benè operandum.

Tertia ratio deſumitur à gratuitate gratiæ. Multoties definitum eſt ab Eccleſia gratiam non ſecundùm merita hominum dari. Porro ſi homo ſolis liberi ſui arbitrii viribus aliquod verè & omni ex parte bonum operari poſſet, jam gratia daretur ſecundùm meritum. Neque enim poteſt opus verè & omni ex parte bonum non eſſe alicujus meriti apud Deum. Quapropter S. Auguſtinus, diſputans adverſus Julianum admittentem in infidelibus veræ virtutis actus ſteriliter bonos, è contrario contendit, lib. 4 contra ipſum, cap. 3. num. 22, „fieri non poſſe ut „ſteriliter boni ſimus; ſed boni non ſumus, inquit, quidquid ſterili„ter ſumus.“ Et lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 7. num. 15, commemoratis his Apoſtoli verbis, Rom. XI. 6: *Si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia*, ſic loquitur: „Præcedit namque non debita, ſed gratuita gratia, ut per illam fiant „bona opera, ne, ſi præceſſerint bona opera, tanquam operibus red„datur gratia, ac ſic gratia jam non ſit gratia.“ Pariter S. Bernardus, Serm. 67 in Cantica, num. 10, ait ſponſam, cùm dicit, *dilectus meus mihi, & ego illi*, profiteri ſe ad faciendum bonum gratiâ dilecti ſui præventam fuiſſe. „Alioquin, inquit, ... non eſt quò gratia intret, ſi „meritum jam occupavit...... Nam ſi quid de proprio ineſt, in quan„tùm eſt, gratiam cedere illi neceſſe eſt.“

Hoc argumento SS. Patribus uſitatiſſimo adverſariorum cauſa funditùs evertitur. Dicunt bona opera, quæ ſine auxilio gratiæ fieri poſſe contendunt, hoc ipſo quòd fiant ſine gratia, nihil prodeſſe ad ſalutem, nullamque proportionem habere cum gratia, ut pote quæ ſit ordinis ſublimioris. Docent è contrario SS. Patres, ſi quidpiam boni in homine auxilium gratiæ præcedat (quod proinde nonniſi ordinis naturalis eſſe poteſt), gratiam indubitanter illi deberi, adeòque gratiam jam non eſſe gratiam, ſed meritis redditam. Ergo opinio adverſariorum doctrinæ SS. Patrum, ipſique nomini & notioni gratiæ è diametro repugnat.

Quarta ratio. Si homo benè ac rectè operari poteſt ſine auxilio gratiæ, ſequitur hominem ſine Chriſto poſſe ſalutem conſequi, ac proinde Chriſtum gratis mortuum eſſe. Supponamus hominem rectè operantem atque actu benè viventem decedere, antequàm à ſua naturali bonitate & juſtitia per aliquod mortale peccatum excidat. Num ille homo damnabitur? Num ſalutem conſequetur? Illum damnari non ſinit juſtitia naturalis, quâ potiri ſupponitur, & ſecundùm quam vivit. Ergo ſine fide & ſine gratia Chriſti ſalutem conſequetur. Id autem quæ aures Chriſtianæ ferre poſſunt? Audiamus S. Auguſtinum lib. *de Natura & gratia*, cap. 9. num. 10: „De infante non loquor, inquit, juvenis

„ vel

Digitized by Google

„ vel ſenex in ea regione defunctus eſt, ubi non potuit Chriſti nomen „ audire: potuit fieri juſtus per naturam & liberum arbitrium, an non „ potuit?“ Manifeſtè hic agitur de juſtitia merè naturali, quæ ſola ſupponi poteſt in homine ſolis naturæ viribus, ſine fide & gratia Chriſti, bonum operante. Quid autem de illo ſentit S. Doctor? „ Si potuiſſe dicunt, inquit, (ſaltem ad breve aliquod tempus) ecce quod „ eſt crucem Chriſti evacuare, ſine illa quemquam per naturalem legem & voluntatis arbitrium juſtificari poſſe contendere. Dicamus & „ hic: *Ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.*“ Et cap. 40. num. 47: „ Si „ poſſibilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad cognoſcendum quomodò vivere debeat, & ad benè agendum ſufficit ſibi, ergo gratis „ Chriſtus mortuus eſt; ergo evacuatum eſt ſcandalum crucis. Cur „ non etiam hic exclamem? Imò exclamabo, & iſtis increpitabo dolore „ Chriſtiano: *Evacuati eſtis à Chriſto*, qui in natura *juſtificamini*:“ id eſt, qui putatis vos per naturæ vires veram aliquam juſtitiam vobis comparare, à gratia excidiſtis. *Ignorantes enim Dei juſtitiam*, & veſtram *volentes conſtituere*, *juſtitiæ Dei non* eſtis *ſubjecti*. Sicut enim finis legis, „ ita etiam naturæ humanæ vitioſæ ſalvator eſt Chriſtus, ad juſtitiam „ omni credenti.“ Idem inculcat in toto ferè cap. 3 libri quarti *contra Julianum*, ubi, inter alia, hæc dicit: „ Si per naturam voluntatemque juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Si per doctrinas hominum QUALISCUNQUE JUSTITIA, ergo gratis Chriſtus mortuus „ eſt. Per quod enim vera juſtitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus „ namque ipſe, quod abſit, erit injuſtus, ſi ad ejus regnum verus non „ admittitur juſtus.“ Agitur ibi, ut jam obſervavimus, de juſtitia naturali bonis operibus naturalibus acquiſita; non enim alia ſupponi poteſt in infidelibus. Ergo, ſi darentur bona opera naturalia omni ex parte bona, digna eſſent, ex Auguſtino, regno cœlorum, & qui ſic affecti è vivis excederent, ſalutem conſequerentur; ac proinde gratis Chriſtus mortuus eſſet.

Objiciunt 1°. S. Hieronymus, in fine libri 3 *Dialogorum* adverſùs Pelagianos, ſic illos aggreditur: „ Hoc eſt quod tibi à principio dixeram, in noſtra eſſe poſitum poteſtate peccare vel non peccare, vel ad „ bonum vel ad malum extendere manum, ut liberum ſervetur arbitrium; ſed hoc pro modo & tempore, & conditione fragilitatis humanæ; perpetuitatem autem impeccantiæ ſoli reſervari Deo, & ei qui „ Verbum caro factum carnis detrimenta & peccata non pertulit. Neque, quia ad breve poſſum, coges me ut poſſim jugiter. Poſſum jejunare, vigilare, ambulare, legere, pſallere, ſedere, dormire: numquid in perpetuum?“ Ibi, inquiunt, hoc unum in Pelagianis reprehendit S. Doctor, quòd dicerent poſſe hominem per totam vitam ſine peccato vivere, fateturque poſſe hominem per breve tempus à peccato abſtinere. Solvuntur objectiones.

Dis-

Diſtinguo propoſitionem. S. Hieronymus fatetur poſſe hominem peccata omnia vitare, ſed non ſine auxilio gratiæ, concedo. Fatetur hominem id poſſe propriis viribus ſine adjutorio gratiæ, nego. Igitur textus objectus minimè eſt ad rem. Non enim eo loco S. Doctor agebat de gratiæ ad benè agendum neceſſitate, ſed de immunitate ab omni peccato, etiam veniali, quam in pluribus reperiri affirmabant Pelagiani. Contendit ex oppoſito S. Hieronymus, quàmvis poſſit homo per breve aliquod tempus abſtinere ab omni peccato (quod utique ſine adjutorio gratiæ non fit), non poſſe tamen, etiam cum ordinariis gratiæ auxiliis, totam vitam ducere ſine peccato, eoquòd impeccantia ſoli Deo & homini Chriſto conveniat, neque ulli homini competere poſſit ſine ſingulari privilegio. Hanc eſſe S. Hieronymi mentem facilè deprehendet, quiſquis ejus verba attente conſideraverit.

Objiciebant 2° Jeſuitæ in Congregationibus *de Auxiliis* multos S. Auguſtini textus, in quibus aliqua opera bona in infidelibus agnoviſſe videtur.

Reſpondebant Dominicani illis textibus, quos Capite V expendimus, probari duntaxat dari in infidelibus nonnulla opera ex officio bona; quod ultro concedimus. Quamobrem Clemens VIII, qui illam teſtimoniorum congeriem attentè legerat, declaravit in 2ª Congregatione nullum ex eis id probare quod Jeſuitæ intendebant. Videri poſſunt Hiſtoria Congregationum, lib. 3. cap. 9. pag. 406, & Acta Lemoſii, pag. 166.

Objiciunt 3° Propoſitionem noſtram damnatam fuiſſe à Pio V, in Bulla adverſus articulos Baio adſcriptos. Sic eorum nonnulli ſe habent: 21ᵘˢ. *Libernm arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio nonniſi ad peccandum valet.* 32ᵘˢ. *Cum Pelagio ſentit qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit*; & 62ᵘˢ: *Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt liberi arbitrii uſus bonus, ſive non malus; & gratiæ Chriſti injuriam facit qui ita ſentit & docet.*

Reſpondeo certiſſimum eſſe intentionem ſanctæ Sedis nunquam fuiſſe ullum inferre damnum doctrinæ quam ex Scripturis, ex Patribus & Conciliis tuemur. Nam 1° poſt Bullam Pii V hæc doctrina à Dominicanis palam ac liberè defenſa eſt in Congregationibus *de Auxiliis*, opinioque oppoſita à Conſultoribus, tanquam Pelagianiſmum inſtaurans, reprobata fuit. 2°. Innumeri Theologi apprimè Catholici eamdem doctrinam publicè propugnarunt & quotidie propugnant, abſque ulla Superiorum reprehenſione, ut conſtat ex illis quos ſupra recenſuimus. 3°. Bellarminus, qui Lovanii verſabatur quando illa Bulla in Scholis lecta eſt, quique poſteà agens Romæ docuit ſine auxilio gratiæ fieri poſſe opera moraliter bona, non tamen ad id probandum uſus eſt auctoritate illius Bullæ: adeò pro indubitato tenebat nihil hac de quæſtione per eam definitum fuiſſe, ut obſervavit Vasquez tom. 2. in 1. 2. diſ-

diſput. 190. cap. 18. 4°. Ipſemet Vasquez aſſeruit nullam tentationem vinci poſſe absque auxilio gratiæ, atque ad opera moraliter bona facienda requiri ſaltem concurſum Dei ſpecialem & ſolitò majorem: objectâque ſibi Bullâ Pii V, respondet eam à præſenti quæſtione omnino alienam eſſe, idque confirmat teſtimonio Cardinalis Toleti, qui à Gregorio XIII Lovanium miſſus fuerat, ut eam Bullam recipi faceret, & quocum ipſe hac de re contulerat. „ Qui, inquit, ſenſum meum probavit, & „ germanum eſſe dixit, propriâque manu ſubſcripſit: cujus ſubſcriptio- „ nis exemplar apud me adhuc eſt.“ Certum eſt igitur doctrinam noſtram intactam ſemper manſiſſe, quidquid in contrarium verba Bullæ ſonare videantur.

Quid igitur, inquies, damnatum eſt? Jam monuimus non omnes articulos in Bulla contentos tanquam falſos aut erroneos damnatos fuiſſe: ſiquidem in ipſa Bulla expreſſè declaratur *nonnullos eorum aliquo pacto ſuſtineri poſſe*. Id autem ſi de aliquibus verum eſt, maximè de illis quæ vel eisdem vel æquivalentibus verbis paſſim leguntur apud SS. Patres. Cæterùm memorati articuli triplici ſenſu intelligi poſſunt: 1°. De gratia habituali; ita ut ſenſus ſit liberum arbitrium ſine gratia habituali & juſtificante non valere niſi ad peccandum. 2°. De operibus bonis ex officio tantùm; ita ut ſenſus ſit nullum opus ex objecto ſuo bonum fieri poſſe ſine adjutorio gratiæ. 3°. De operibus omni ex parte & ſub omni reſpectu bonis, & de gratia actuali; ita ut ſenſus ſit nullum opus ex omni parte bonum fieri poſſe ſine adjutorio gratiæ actualis. Hic ſenſus (quem unum defendimus) nec damnari potuit, cùm ſit ipſiſſima Scripturæ, Patrum & Conciliorum doctrina, nec reipſâ damnatus eſt, ut ex modò dictis manifeſtum eſt. Duo priores ſenſus falſi & erronei ſunt: uter verò damnatus fuerit, Bulla nullomodò determinat. Plurimi arbitrantur damnatum fuiſſe primum ſenſum, tum quia in alio inibi articulo aſſeritur *omne quod agit peccator peccatum eſſe*, quod utique hæreticum eſt; tum quia illâ ætate gratiæ vocabulum in ſcholis vulgò ſumebatur pro ſola gratia habituali & ſanctificante. Hanc interpretationem à Cardinali Toleto approbatam fuiſſe teſtatur Vasquez. Cunerus Petri, unus ex acerrimis Baii adverſariis, in ſcripto quod lucubravit ad tuendam Bullam ſic loquitur: „ De gratia ſi affirmaveris, quòd ſi- „ ne auxilio Dei nihil liberum arbitrium niſi ad peccandum valet, piè „ & ſanctè locutus fueris. Quia verò nomen gratiæ & ratio propriè „ ſanctorum juſtificationi, quæ naturæ divinitùs ſuperadditur, accom- „ modata eſt (juxta loquendi formam Patribus incognitam, quæ tunc „ in ſcholis obtinebat, nunc autem magna ſaltem ex parte obſolevit), „ ſi dixeris ſine gratia (liberum arbitrium) nihil, in quo non peccet, „ præſtare poſſe, durus, abſurdus, erroribus obnoxius erit ſermo.“

Objiciunt 4° plurimam Scholaſticorum turbam doctrinæ noſtræ adverſari.

Reſpondeo 1° plurimos ex adverſo Theologos, eosque magni nominis, eam amplecti, & tanquam inconcenſſam Eccleſiæ doctrinam tueri.

Reſpondeo 2° in hujuſmodi quæſtionibus non numeranda, ſed ponderanda eſſe Scholaſticorum ſuffragia. Tantùm autem valent, quantùm Scripturæ & Traditioni conſentiunt: aliter, quantùmcunque numero creſcant, auctoritate nequaquam vincunt. Quis neſcit pleroſque Scholaſticos aliquandiu docuiſſe attritionem ex ſolo pœnarum metu conceptam ſufficere in ſacramento Pœnitentiæ, ad conſequendam remiſſionem peccatorum? Idcòne aliquod robur huic opinioni adeò pernicioſæ addiderunt? Quot etiam Scholaſtici nefandum Probabiliſmi commentum amplexati ſunt! Eorum tamen ingens multitudo non obſtitit quin tam exitioſa novitas à Clero Gallicano damnata fuerit. Quamobrem ſive plures, ſive pauciores Scholaſtici nobiſcum ſentiant, parum moramur, cùm manifeſtum ſit nos à SS. Patribus traditæ doctrinæ adhærere. Fatente, ut videmus, ipſo Molina, diſtinctio duplicis ordinis bonorum operum Eccleſiæ Patribus nequidem in mentem venit. Ergo diſtinctio illa à modernis Scholaſticis excogitata nullius momenti eſſe debet. Non aliter profectò de Scholaſticis judicarunt Clemens VIII & Paulus V. Ille Jeſuitas graviter reprehendit, eoquòd Scholaſticos perpetuò allegarent, cum ipſe ad normam doctrinæ S. Auguſtini omnia tractari juſſiſſet, ut patet ex 7ª Congregatione in *Actis Lemoſii*, pag. 279, & in *Historia Congregationum*, lib. 3. cap. 12. pag. 423. Eamdem querimoniam renovavit in Congregatione 8, monuitque, ex concilio Tridentino, „ res „ fidei tractandas eſſe primò Libris ſacris, ſecundò auctoritate approba„ torum Conciliorum, tertiò auctoritate SS. Patrum. His uti debetis, „ inquit, non autem Doctoribus Scholaſticis quos adducitis.“ Paulus V quoque in Bulla quam, finitis Congregationibus, adornari juſſit, & quæ, licet non promulgata fuerit, grave tamen judicium cenſeri debet, decernit S. Auguſtinum inter cæteros Eccleſiæ Doctores præcipuum eſſe fidei catholicæ de gratia interpretem. De Scholaſticis verò hæc ait: „ Quòd autem è Scholaſticis Theologis, dum minutiùs tractarent quàm „ de his neceſſe fuerat, contra Pelagianos errores olim diſputantes, „ aliqui plus tribuerint viribus liberi hominum arbitrii, quàm admit„ tat doctrina, vel defenſa à S. Auguſtino, vel definita ab Eccleſia Dei, „ de neceſſitate ſeu efficacia gratiæ Chriſti, quidam etiam minùs quàm „ ea doctrina exigat, non ex illo fuit quòd intenderint à S. Auguſtino „ diſſentire...... Sed Eccleſia Dei ejuſmodi opiniones, quorumcunque „ eſſent, nunquam approbavit: quin etiam contrarias ſententias alii „ ſcholaſtici Theologi, quoad eas in Eccleſia magis approbati, tenue„ runt atque docuerunt.“ Propterea malam arguit hæreticorum fidem, qui nonnullorum Theologorum pravas opiniones, licet ab Eccleſia minimè approbatas, ipſimet Eccleſiæ attribuere audebant.

Acta Lemoſii, pag. 243.

Append. Hiſt. Congreg. §. 14. pag. 216 & 217.

Inſtant. S. Thomas hoc in capite cæteris Scholaſticis conſentit. Nam 1° do-

1° docet hominem facere poſſe opera bona ſine gratia. 2°. Docet aliqua eſſe bona opera, quæ fieri poſſunt naturaliter, ſeu per ſola naturalia, quæ vires naturæ non excedunt, ſuntque illis proportionata.

Nego antecedens, & primam illius probationem diſtinguo. S. Thomas docet hominem poſſe facere opera bona ſine gratia habituali, concedo: ſine gratia actuali, nego. Non diffitebimur nonnullos loquendi modos paulò obſcuriores, & ab hodierno ſanctisque Patribus uſitato loquendi modo alienos, apud S. Doctorem nonnunquam occurrere; ſed, licet verbis diſparibus, doctrinam tenuit minimè diſparem. Ejus ætate nomen gratiæ vulgò in ſcholis uſurpabatur, ad ſignificandam ſolam gratiam habitualem & juſtificantem, uti expreſſe obſervat Quæſt. 24 *de Veritate*, art. 14, in corpore. „ Communiter loquentes, inquit, utuntur „ nomine gratiæ pro aliquo dono habituali juſtificante.“ Hanc nominis gratiæ acceptionem frequentiſſimè apud ipſum reperies, v. g. in 2 Sent. diſtinct. 26. quæſt. 1. art. 1. 2. 3. 4 & 6; diſtinct. 27. art. 4. 5. & 6, nec non in Summa, 1. 2. quæſt. 110. art. 1. 2. 3 & 4, quæſt. 112. art. 1. 2. 3. 4 & 5, & quæſt. 114. art. 4. 5 & 6.

Diſtinguo ſimiliter ſecundam probationem. S. Thomas docet aliqua eſſe opera bona, quæ fieri poſſunt naturaliter, ſeu per ſola naturalia, quæ non excedunt vires naturæ, ſuntque naturæ proportionata; id, inquam, docet per excluſionem gratiæ habitualis, concedo: per excluſionem gratiæ actualis, ſubdiſtinguo: & tunc loquitur de operibus bonis ex parte tantùm objecti ſive officii conſideratis, concedo: & tunc loquitur de operibus ex omni parte & ſub omni reſpectu bonis, nego. Omnes hæ voces, *naturaliter*, *per pura naturalia*, *ex naturæ & liberi arbitrii viribus*, apud SS. Patres, & juxta communem hodie loquendi uſum Theologorum, excludunt omnem gratiam tum habitualem, tum actualem. Verùm apud S. Thomam ſolam excludunt gratiam habitualem. Plurima ſunt quæ id demonſtrant. Actus omnes, quibus peccator ad juſtificationem diſponitur, non produci abſque auxilio gratiæ Dei prævenientis definivit concilium Tridentinum, docetque S. Thomas Pelagianum eſſe contrarium aſſerere. „ Ad errorem Pelagianorum, inquit Quodlib. 1. quæſt. 2. art. 7, pertinet dicere quòd homo poſſit ſe ad gratiam præ„ parare abſque auxilio gratiæ divinæ; & eſt contra Apoſtolum, Phi„ lipp. I: *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet.*“ Illos tamen actus nonnunquam actus naturales appellat, dicitque eos non excedere vires naturæ, & fieri ex ſolo libero arbitrio. Sic in 2. diſtinct. 28. art. 4: „ Non oportet, inquit, ut actus, quibus homo ſe ad gratiam haben„ dam præparat, ſint naturam excedentes...... Actus virtutum natu„ ralium ſe habent ut diſpoſitiones ad gratiam...... Ad gratiam gratum „ facientem habendam ex ſolo libero arbitrio poteſt homo ſe præpa„ rare.“ Et in reſponſione ad 4: „ Ad fidem habendam aliquis ſe „ præparare poteſt per id quod in naturali ratione eſt.“ Idem ait ibidem,

Digitized by Google

dem, diſtinct. 27. quæſt. 1. art. 4, cujus titulus eſt: *Utrùm aliquis poſſit mereri gratiam.* Sic ibi loquitur: „ Donum gratiæ nullomodò ſub „ merito cadere poteſt ejus qui in puris naturalibus eſt; ſed tamen „ opera bona ante donum gratiæ facta præmio ſibi proportionato non „ carent: cauſant enim quamdam habilitatem ad gratiam, pro quanto „ ea facientes habent aliquam diſpoſitionem ad recipiendum; ex quo „ dicuntur quodammodò ex congruo gratiam mereri.“ Vide eumdem in 2. diſtinct. 3. quæſt. 3. ad 1; quæſt. 24 *de Veritate*, art. 14; 1. 2. quæſt. 109. art. 2. in corp. & 2. 2. quæſt. 8. art. 6. Igitur iſtæ loquendi formulæ, *fieri naturaliter, non excedere vires naturæ, fieri ex ſolo libero arbitrio*, apud S. Thomam non excludunt gratiam actualem; ſed tantummodò gratiam habitualem.

Hic autem loquendi modus non fuit Angelico Doctori peculiaris, ſed apud veteres Scholaſticos uſitatiſſimus. Albertus magnus, Alexander Aleſis, S. Bonaventura, Guillelmus Pariſienſis, Guillelmus Autiſſiodorenſis, Scotus, S. Antoninus, Gregorius Ariminenſis, & alii paſſim dicunt hominem per bona opera ſolis naturæ viribus facta mereri de congruo gratiam habitualem, & ad eam recipiendam ſeſe præparare ac diſponere. Quis verò credat celebres illos Scholæ principes errorem Pelagianum crudè & apertè docuiſſe? Certum eſt igitur eorum tempore has voces, *naturaliter, ex ſolis naturæ viribus*, & alias ſimiles minimè excluſiſſe gratiam actualem, ſed tantum habitualem. Hic loquendi modus vigebat adhuc Baii ætate, ut teſtatur ſupra Cunerus Petri, aſſerens nonnullas ejus propoſitiones ideò damnatas fuiſſe, quòd gratiæ vocabulum pro ſola habituali gratia in Scholis obtineret. Verùm paulò poſt reditum eſt ad normam loquendi Scripturæ, Patrum & Conciliorum.

Si autem quæras cur antiquis Scholaſticis ſic loqui placuerit, hæc ratio fuiſſe videtur, quòd gratiam actualem non conſideraverint ut principium rectè agendi ab actu diſtinctum, ſed tanquam actum ipſum, prout à Deo movente liberum arbitrium producitur; gratiam verò habitualem ſpectaverint ut virtutem agendi naturæ ſuperadditam, atque animæ inhærentem, ex qua, tanquam ex principio interno, procedunt opera de condigno meritoria vitæ æternæ.

2°. Plurimi etiam S. Thomæ textus exponi aliter poſſunt & debent de operibus ex objecto tantùm & officio bonis, quæ reipſâ ſolis naturæ viribus & ſine adjutorio gratiæ fieri poſſunt. Id liquet ex Quæſt. 24 *de Veritate*, art. 14, cujus hic titulus eſt: *Utrùm liberum arbitrium poſſit in bonum ſine gratia.* Sic nempe ibi loquitur, in corp: „ Eſt duplex „ bonum, quoddam quod eſt humanæ naturæ ſubordinatum, quoddam „ quod excedit naturæ humanæ facultatem: & hæc duo bona, ſi de actibus loquamur, non differunt ſecundum ſubſtantiam actûs, ſed ſecundum modum agendi; ut puta iſte actus, qui eſt dare eleemoſynam, eſt bonum proportionatum viribus humanis, ſecundum quòd „ ex

„ ex quadam naturali dilectione vel benignitate homo ad hoc move-
„ tur: excedit autem humanæ naturæ facultatem ſecundùm quòd homo
„ ad hoc inducitur ex caritate, quæ mentem hominis Deo unit. Ad
„ hoc ergo bonum, quod eſt ſupra naturam humanam, conſtat liberum
„ arbitrium non poſſe ſine gratia...... Illud autem bonum, quod eſt
„ naturæ humanæ proportionatum, poteſt homo per liberum arbitrium
„ implere. Unde dicit Auguſtinus quòd homo per liberum arbitrium
„ poteſt agros colere, domos ædificare, & alia plura bona facere ſine
„ gratia operante." Ex his verbis perſpicuum eſt S. Doctorem vires naturæ adjutorio gratiæ deſtitutas non extendere ultra ſubſtantiam, ſeu officium & objectum bonorum operum. Id etiam patet ex ejus reſponſione ad 2. „ Rectè, inquit, homo corripitur, qui præcepta non im-
„ plet, quia ex ejus negligentia eſt quòd gratiam non habet, per quam
„ poteſt præcepta ſervare quantùm ad modum, cùm poſſit nihilominùs
„ per liberum arbitrium ea ſervare quantùm ad ſubſtantiam actûs."

Cæterùm Angelicum Doctorem nullam actionem bonam absque gratia & caritate actuali agnoviſſe, manifeſtum eſt ex ejus textibus tum in hujusce Propoſitionis probatione, tum in capitibus præcedentibus productis.

Inſtant iterum. Omnis actus qui fit ex gratia eſt meritorius. Atqui S. Thomas agnoſcit actus bonos non meritorios; ſic enim loquitur in 2. diſt. 40. quæſt. 1. art. 5: „ In non habente gratiam poteſt eſſe
„ aliquis actus deliberatus, qui non ſit meritorius, & tamen ſit bonus."

Diſtinguo majorem. Omnis actus qui fit ex gratia habituali eſt meritorius, concedo: omnis actus qui fit ex gratia actuali eſt meritorius, ſubdiſtinguo: eſt meritorius lato ſenſu & de congruo, concedo: eſt meritorius ſtricto ſenſu & de condigno, nego. Loquitur S. Thomas de homine gratiam juſtificantem nondum conſecuto, dicitque illum poſſe facere actus, qui, tametſi non ſint meritorii proprio & ſtricto ſenſu, boni tamen ſint. Notandum eſt eum aliosque Scholaſticos, cùm de merito loquuntur, vulgò non aliud intelligere quàm illud quod vocant de condigno, quodque juſtorum proprium eſt. „ Meritum, ait S. Thomas, diſtinct. 29. art. 4. in corp. „ non conſiſtit in actu quolibet, ſed in
„ eo qui per habitum gratiæ informatur." SS. Patres verò nomen meriti plerùmque ſenſu latiore accipiunt. Cæterùm Angelicum Doctorem nullam actionem omni ex parte bonam agnoviſſe, quæ non ſit aliquo ſenſu meritoria, patet ex 1. 2. quæſt. 24. art. 4, cujus titulus eſt: *Utrùm actus humanus, in quantùm eſt bonus vel malus, habeat rationem meriti vel demeriti apud Deum.* Hæc habet in argumento *Sed contra:*
„ Eccleſiaſtis ultimo dicitur: *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judi-*
„ *cium, ſive bonum, ſive malum.* Sed judicium importat retributionem,
„ reſpectu cujus meritum vel demeritum dicitur. Ergo omnis actus hu-
„ manus, bonus vel malus, habet rationem meriti vel demeriti apud
„ Deum:"

„ Deum:“ idque confirmat in reſponſione ad 3, ex eo quòd omnis actus, ut bonus ſit, debeat ordinari & referri ad Deum ut finem ultimum.

Objiciunt 5° ex doctrina noſtra ſequi liberum hominis arbitrium non differre à libero arbitrio dæmonum, ſi proprio ſuo motu non poſſit velle niſi malum.

Nego ſequelam. Licet enim homo ſibi relictus aut ſemper malum appetat, aut bonum nunquam benè appetat, ut loquitur S. Fulgentius ſupra, non ideò tamen liberum ejus arbitrium non differt à libero dæmonum arbitrio, tum quia dæmones magis ſunt averſi à Deo & obdurati in malo, quàm plerique peccatores adhuc vitam iſtam agentes; tum quia hominibus etiam peſſimis conferri ſemper poteſt auxilium gratiæ, quo ad Deum convertantur, dæmonibus autem & damnatis irrevocabilis inſtet interitus, nullaque in ſempiternum gratiæ ſpes affulgeat. Poſſunt igitur ſemper homines viatores per Dei miſericordiam reſipiſcere, dæmonibus autem ac damnatis impoſſibilis fit converſio, eoquòd gratiæ participes ampliùs eſſe non poſſint. Ita reſpondebat S. Proſper ad objectionem ſextam Vincentianam. „ *Totus* quidem *mundus*, in- „ quit, ut loquitur Joannes Apoſtolus, *in maligno poſitus eſt*, & mul- „ torum hominum malitia talis eſt, qualis & dæmonum, quibus dice- „ bat Dominus: *Progenies viperarum, quomodò poteſtis loqui bona, cùm* „ *ſitis mali: & vos de diabolo patre nati eſtis, & concupiſcentias pa-* „ *tris veſtri facere vultis.* Sed hoc inter malos homines diſtat & dæ- „ mones, quòd hominibus etiam valde malis ſupereſt, ſi Deus miſerea- „ tur, reconciliatio; dæmonibus autem nulla eſt in æternùm ſervata „ converſio.“ Repete, ſi placet, quæ hac de re ſupra diximus Lib. II. pag. 452.

Inſtant. Lex naturalis naturæ viribus commenſuratur; alioquin naturalis non eſſet, ſed ſupernaturalis. Ergo impleri poteſt, ſaltem per breve tempus, per ſolas naturæ vires.

Reſpondeo craſſiſſimam hallucinationem eſſe legem naturalem opponere legi ſupernaturali, quæ nulla eſt. Lex naturalis dicitur, quia æterno immutabilique ordine ſancitur, mentique rationali ab ortu inſculpta eſt; ideòque opponitur tantummodò legibus poſitivis, quæ à libera voluntate Dei vel hominum dependent, nec obligant nos ab ortu, ſed ſucceſſu temporum per externam promulgationem nobis innoteſcunt. Lex autem naturalis non ea tantùm præcipit quæ ad hominum ſocietatem pertinent, ut honorare parentes, amare filios, pactorum fidem illibatam ſervare, ſed etiam ea quæ ad religionem Deique cultum pertinent, fidem, ſpem, caritatem, aliaſque virtutes ſupernaturales. Enimverò natura ipſa clamat credendum eſſe Deo revelanti, in ſola divina miſericordia & omnipotentia ſperandum & confidendum, Deum ut ſummum bonum ſoper omnia diligendum. Nullam aliam legem ab illa diſtinctam.

Digitized by Google

tam invenies, cùm Evangelium ipſum, ſi pauca præcepta excipias, quæ ſunt merè poſitiva, nihil aliud agat, quàm ut lex naturalis peccato magna ex parte oblitterata, Judæiſque promulgata & in tabulis conſcripta lapideis, denuò promulgetur ac renovetur. Lex illa naturalis nobiſcum nata eſt, eoque ſenſu naturæ noſtræ commenſuratur, quòd menti noſtræ indita ſit, quòd eam in nobis ne ipſa quidem penitus deleat iniquitas, quòd eam obſervare jure ipſo naturali teneamur, quòd eam obſervando tales efficiamur quales nos eſſe debere ordo naturalis dictat, quòd nullâ quâcunque poteſtate reſcindi aut abrogari poſſit. Hujus tamen legis obſervatio naturæ humanæ ſibi relictæ vires excedit, quatenus ſolis liberi arbitrii viribus impleri nequit: alioquin dicendum eſſet eum Pelagio hominem poſſe ad regnum cœlorum pervenire ſine gratia. Cum enim Chriſtus dixit, Matth. XIX: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, non alia quàm legis naturalis præcepta commemoravit. *Mandata noſti*, inquit: *non occides, non mœchaberis, non falſum teſtimonium dices; diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Proinde quiſquis legem naturalem ſervat, ſive per auxilium gratiæ, ſive (quod fieri non poſſe fides docet) per ſolas naturæ vires eam ſervet, vitam æternam meretur, eamque certò conſequetur. De eadem lege naturali Judæis exteriùs propoſita ſcriptum eſt: *qui fecerit ea* (mandata) *vivet in illis.* Quoniam verò ſacrilegus & impius error eſt, aſſerere hominem per ſolas naturæ vires beatam æternamque vitam conſequi poſſe, reſtat ut fateamur tantam eſſe humanæ naturæ excellentiam, ut, ſicut naturaliter ordinatur ad fruitionem Dei, quam propriis conatibus conſequi non poteſt, ita naturaliter lege ſanctiſſima teneatur, quam ſine præcipientis adjutorio implere nequeat.

Inſtant rurſus. Deus impoſſibilia non jubet. Atqui juberet impoſſibilia, ſi homo nullum opus omni ex parte bonum ſine auxilio gratiæ facere poſſet. Cùm enim gratia non omnibus detur, aut ſaltem non ſingulis inſtantibus detur, ſi mandata obſervari non poſſent ſine auxilio gratiæ, impoſſibilia forent eis qui gratia deſtituti ſunt. Neceſſe eſt igitur ut, præter actus ſupernaturales, ad quos gratia requiritur, dentur boni actus naturales, ad quos producendos naturæ vires ſufficiant.

Reſpondeo hac reipſâ ratione, ſeu hoc prætextu motos fuiſſe Molinæ aſſeclas, ut, contra ſcripturæ & traditionis auctoritatem, aliquid boni ſine gratia admitterent. Falsò namque ſupponentes neminem violati præcepti reum eſſe poſſe, niſi actu præſtò habuerit omnia requiſita ad faciendum id quod præcipitur, probèque intelligentes quàm abſurdum ſit contendere gratiam omnibus hominibus ſemper præſtò eſſe, concluſerunt hominem, abſente gratiâ, non teneri ad operandum bonum ſupernaturale, ut pote ſibi illa in hypotheſi abſolutè impoſſibile, ſed teneri, ſatiſque virium ex ſeipſo habere ad eligendos actus verè & perfectè bonos in ſuo genere, ſed ordinis inferioris. Verùm ſupra inane fun-

 da-

Digitized by Google

damentum quod, niſi ruitura moles, conſurgit? Probavimus Lib. II ad liberum arbitrium phyſicamque agendi potentiam minimè requiri ut adſint omnia ad actu agendum neceſſaria. Probavimus inſuper eſſentiam liberi arbitrii nequaquam conſiſtere in virium ſeu potentiæ ad utramque oppoſitarum partem æqualitate. Probavimus etiam poſteà neceſſarium non eſſe gratiam actu dari, ut mandata ſint poſſibilia, neque ut peccata juſtè imputentur, neque ut peccatores ſint inexcuſabiles. Quamobrem

Nego minorem. Quamvis enim nullum opus verè & ſub omni reſpectu bonum fieri poſſit ſine auxilio gratiæ, non ideò, abſente gratiâ, mandata ſunt impoſſibilia; non ſolùm quia nemo, niſi ſuâ culpâ, gratiâ deſtituitur, ſed etiam quia, qui gratiam non habent, poſſunt ſemper, quandiu in vivis ſunt, illâ donari, ejuſque ope mandata divina ſervare. Præterea, quamvis hoc in caſu non habeant potentiam proximam, moralem & cum effectu conjunctam, habent tamen ſemper potentiam remotam, realem & phyſicam, quæ, licet non ſufficiat ad mandata obſervanda, ſufficit ut mandata ſint poſſibilia. Malè igitur concluditur vel Deum impoſſibilia præcipere, vel aliquid verè bonum fieri poſſe ſine gratia. Falſum eſt utrumque: nihil præcipit Deus quod fieri nequeat; quod autem jubet, niſi ipſo opitulante, fieri non poteſt. Sed de hac difficultate recurret dicendi locus, ubi de gratia ſufficiente agemus. Obſervabimus duntaxat Pelagianos alioſque gratiæ inimicos nihil in ore frequentiùs habuiſſe, ut obtinerent hominem ſolis ſuis viribus mandata implere poſſe, quàm alioquin mandata fore impoſſibilia; nullumque SS. Patrum propterea dimotum fuiſſe à doctrina Eccleſiæ quam tuemur.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrùm veræ virtutes haberi, earumque actus exerceri poſſint ſine gratia.

VERAS virtutes appello, quæ non ex officio tantùm, ſed ex fine ultimo præſertim commendantur, nullumque defectum ſeu vitium adjunctum habent. De erroribus Pelagianorum, opinionibuſque Theologorum ſuperfluum hîc quidquam commemorare, cùm ex prænotatis ad præcedentem Propoſitionem ſatis innoteſcant.

PRO-

PROPOSITIO.

Nulla vera virtus moralis haberi vel exerceri poteſt ſine gratia.

SEQUITUR neceſſariò hæc Propoſitio ex demonſtratis ſuperiùs. Nam 1° nullam eſſe veram virtutem ſine aliqua ſaltem Dei dilectione probatum eſt Cap. 1, Quæſt. 2; nullam autem Dei dilectionem eſſe ſine gratia Chriſti, probatum eſt Cap. 2. Ergo nulla eſt vera virtus ſine gratia: 2°. Omnis vera virtus moralis eſt inclinatio voluntatis ad benè & rectè operandum. Atqui modò probatum eſt nullum opus benè ac rectè fieri, nec eſſe omni ex parte bonum ſine gratia. Ergo à fortiori nulla vera virtus eſt ſine gratia. His accedunt quæ dicentur Cap. 5, ubi de virtutibus & operibus infidelium agetur. Verùm, præter illa momenta,

Probatur Propoſitio I° ex Scriptura ſacra. Sapientiæ VIII. 7, declaratur virtutes Cardinales, ex quibus cæteræ derivantur, à ſapientia procedere. *Si ſapientiam quis diligit*, inquit auctor ſacer, *labores ejus magnas habent virtutes: ſobrietatem enim & prudentiam docet, & juſtitiam & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.* Hanc autem omnium virtutum matrem ſapientiam non à nobis, ſed ex Deo eſſe teſtatur ibidem, v. 21. *Ut ſcivi*, ait, *quoniam non poſſem aliter eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum, adii Dominum & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis:* &c.

Probatur II° ex SS. Patribus.

S. Juſtinus martyr, in Paræneſi ad Græcos, Platonis ipſius ſuffragio probat virtutem neque naturâ, neque doctrinâ, verùm divino munere, divinâ forte nobis obvenire, quibus ea obvenit. Edit. Commel. anni 1593. pag. 29.

S. Gregorius Thaumaturgus, in *Oratione Panegyrica ad Origenem*, loquens de quatuor virtutibus Cardinalibus: „ Maximæ ſunt illæ & „ excelſæ, inquit, & neutra comparari poteſt, nullique fas eſt confe- „ qui, niſi certè cui Deus aſpiraverit:“ atque hujus dicti rationem paulò poſt afferens, addit „ pietatem eſſe initium finemque omnium virtutum. Edit. Mauguin. anni 1604. pag. 107 & 108.

S. Iſidorus Peluſiota, lib. 1. Epiſt. 374, ait „ Deum virtutum & „ datorem eſſe & cuſtodem.“

S. Hieronymus, lib. 2. in Epiſtolam ad Galatas, ad hæc verba: *Juſtus ex fide vivit*, ſic loquitur: „ Sine Chriſto omnis virtus in vitio eſt.“

S. Auguſtinus breviter, ſed luculenter hoc docet Serm. 304. cap. 5.

Al. Serm. 37 de Diverſis. num. 4. „ Ille dat nobis veram virtutem, inquit, qui diffundit in „ cordibus noſtris caritatem.“

Id probat ſpeciatim de virtute patientiæ, quæ cæterarum inſtar eſſe poteſt, probat, inquam, lib. *de Patientia*, cap. 15. num. 12, ex eo quòd vera patientia non ſit niſi pauperum, quæ non peribit in æternum, quam pauperes non à ſeipſis, ſed à Deo habere ſe confitentur, Pſalm. LXX. Pſalm. LX. dicentes cum David: *Tu es patientia mea, Domine;* &: *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea, quoniam ab ipſo patientia mea?* Patientiam verò, quam Chriſti gratia non operatur, dicit eſſe terreſtrem, animalem, diabolicam, quia maledictus à Deo eſt qui de quacunque virtute confidit in homine. Tum ſibi objicit multos reperiri quotidie, qui adverſa quæque fortiter tolerant, ſive ad tuendam vitam ſuam, ſive ad explendas varias cupiditates, difficiliùs autem non eſſe ſtrenuè certare pro juſtitia, quàm pro rebus temporalibus; reſpondetque, cap. 17, ideò patientiam humanam non eſſe à Deo, quia naſcitur ex vehementia cupiditatis; patientiam autem Chriſtianam, quæ ſola vera eſt, naſci ex 1 Corinth. XIII. caritate, juxta illud Apoſtoli: *Caritas patiens eſt*: id eſt, patientiam non minùs eſſe à Deo quàm ipſam caritatem. Demum ſic concludit: „ Concupiſcentia, quâ fit ut peccantes pertinaciter omnia patiantur, ex „ mundo eſt: caritas autem, quâ fit ut rectè viventes omnia fortiter „ patiantur, ex Deo eſt. Et ideò illi falſæ patientiæ poteſt ſine adjutorio Dei voluntas humana ſufficere, tantò durior, quantò cupidior, & eò tolerabiliùs mala ſuſtinens, quò ipſa fit pejor. Huic autem, quæ vera patientia eſt, ideò voluntas humana, niſi deſuper adjuta & inflammata, non ſufficit, quia Spiritus ſanctus eſt ignis ejus, „ quo niſi accenſa diligat impaſſibile bonum, ferre non poteſt quod patitur malum.“ Id autem pluribus proſequitur cap. 23. num. 20, ubi ſic loquitur: „ Sine caritate in nobis non poteſt eſſe vera patientia, „ quia in bonis caritas Dei eſt quæ tolerat omnia, ſicut in malis mundi cupiditas. Sed hæc caritas per Spiritum ſanctum eſt in nobis, qui „ datus eſt nobis. Unde à quo nobis eſt caritas, ab illo eſt patientia. „ Mundi autem cupiditas, quando patienter ſuſtinet onera cujuslibet „ calamitatis, gloriatur de viribus propriæ voluntatis, tanquam de ſtupore morbi, non de robore ſanitatis. Inſana eſt iſta gloriatio: non „ eſt patientiæ, ſed dementiæ. Voluntas iſta tantò videtur patientior „ acerborum malorum, quantò eſt avidior temporalium bonorum, quia „ inanior æternorum.“ Et cap. 26: „ Nequaquam dubitante pietate, „ ſicut caritas ſanctè amantium, ita patientia piè tolerantium, donum „ Dei eſt.“ Expendens deinde quid ſentiendum ſit de patientia Schiſmaticorum, qui extra unitatem Eccleſiæ tormenta mortemque ipſam ſuperare malunt, quàm Chriſtum abnegare, definit eam, in ſeipſa & quoad officium conſideratam, minimè culpandam, ſed laudandam eſſe, &, quamvis non proſit ad conſecutionem regni cœleſtis, prodeſſe ut tolerabi-

Digitized by Google

biliùs puniantur; non tamen laudandam eſſe ſub omni reſpectu, quia fides in Schiſmaticis *per elationem vel timorem, non per dilectionem operatur.* Addit, cap. 27, donum Dei eſſe quod Schiſmaticus „ credat æ„ terno ſupplicio ſe eſſe puniendum, ſi negaverit Chriſtum, & pro iſta „ fide qualecunque ſupplicium perferat & contemnat humanum;“ verùm (cap. 28) non eſſe donum gratiæ Chriſti, nec donum filiorum, ſed exhæredatorum.

Idem de univerſis virtutibus docet S. Proſper in libro *contra Collatorem.* Cùm enim dixiſſet Caſſianus *ineſſe omni animo naturaliter ſemina omnium virtutum beneficio creatoris*, *aſſertionem illam ſic refellit* cap. 13. num. 1: „ Si dubitari non poteſt ineſſe omni animæ naturaliter virtu„ tum ſemina beneficio creatoris inſerta, ſolus Adam prævaricatus eſt, „ & in peccato ejus nemo peccavit. In nullis iniquitatibus concepti „ ſumus, & in nullis nos matres noſtræ pepererunt delictis. Non fui„ mus naturâ filii iræ, nec fuimus ſub poteſtate tenebrarum...... Abſit „ ab animis piorum fallacis doctrinæ inſidioſa deceptio...... Virtus „ namque principaliter Deus eſt, cui non aliud eſt habere virtutem „ quàm eſſe virtutem. Hujus eùm participes ſumus, habitat in nobis „ Chriſtus, qui eſt Dei virtus & Dei ſapientia: habitat fides, ſpes, „ caritas, continentia, intellectus, conſilium, fortitudo, cæteræque „ virtutes. Cùm verò ab hoc bono recedimus, omnia nobis è contra„ rio oriuntur ex nobis. Diſcedente enim pulchritudine, quid ſucce„ dat, niſi deformitas? Abeunte ſapientiâ, quid reſideat, niſi inſipien„ tia? Non regnante juſtitiâ, quid dominetur, niſi iniquitas?“ Attendamus quàm vehementer inculcet, & quàm validis argumentis demonſtret nullam ſine gratiâ Chriſti veram eſſe virtutem. Id probat 1° ex naturæ humanæ per peccatum originale contracta corruptione ac depravatione. 2°. Ex eoquòd ſolus Deus ex ſeipſo ſit virtus, & nonniſi ejus participatione quisquam verâ virtute præditus eſſe queat. 3°. Quia, cùm Chriſtus factus ſit nobis virtus & ſapientia à Deo, ſine ipſius gratia nonniſi iniqui, deformes & inſipientes eſſe poſſumus.

Non minus diſertè idem adſtruit in carmine *de Ingratis*, cap. 45, aitque virtutes omnes quæ ex Chriſti gratia non profluunt, non modò veras non eſſe, ſed etiam inter vitia deputandas. En ipſius verba:

Sicut enim palmes nullos valet edere fructus
Non in vite manens, quæ de radice miniſtra
Succum agat in frondes, & muſto compleat uvas:
Sic, infœcundi virtutum & fruge carentes,
Perpetui cibus ignis erunt, qui, vite relictâ,
Audent effuſa de libertate comarum
Fidere, ne Chriſti ſint ubertate feraces.

S. Leo

S. Leo magnus, *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 8, ſic loquitur: „ Si (Deus) non operatur in nobis, nullius poſſumus participes eſſe vir„ tutis. Sine hoc quippe bono nihil eſt bonum; ſine hac luce nihil „ eſt lucidum; ſine hac ſapientia nihil ſanum; ſine hac juſtitia nihil „ eſt rectum."

Julianus Pomerius, lib. 3 *de Vita contemplativa*, cap. 18. num. 3: „ Hoc imprimis noſſe & tenere debemus, inquit, quòd iſtæ quatuor „ virtutes (temperantia, fortitudo, prudentia & juſtitia), vel omnes „ quæ in eis exiſtunt, dona ſint Dei, & quòd nullus eas habet, ha„ buit, aut habebit, niſi Deus, qui eſt omnium virtutum proprietas „ & origo, contulerit." De ſingulis virtutibus ſpeciatim probat in capitibus ſequentibus eas eſſe gratiæ dona.

S. Bernardus, Hom. 85 in Cantica, num. 7: „ Verbum, inquit, „ virtus, Verbum ſapientia eſt. Sumat ergò anima de virtute virtu„ tem, ac de ſapientia ſapientiam, & uni Verbo utrumque adſcribat. „ Alioquin ſi aliunde aut utramque, aut alterutram arroget ſibi, neget „ etiam ſimul vel de fonte rivum, vel de vite vinum, vel lumen oriri „ de lumine. Fidelis ſermo: *Si quis*, ait, *indiget ſapientiâ*, *poſtulet à* „ *Deo*, *qui dat omnibus affluenter & non improperat*, *& dabitur ei*. „ Ego verò haud ſecus de virtute ſenſerim. Cognata virtus ſapientiæ „ eſt, donum Dei virtus eſt, deputanda in donis optimis, deſcendens „ & ipſa deſurſum à Patre Verbi."

Denique S. Thomas, 2. 2. quæſt. 136. art. 3. in corp: „ Manifeſtum „ eſt, inquit, quòd patientia, ſecundùm quòd eſt virtus, à caritate „ cauſetur, ſecundum illud 1 ad Corinth. 13: *Caritas patiens eſt*. Ma„ nifeſtum eſt autem quòd caritas non poteſt haberi niſi per gratiam...... „ Unde patet quòd patientia non poteſt haberi ſine auxilio gratiæ." Quæ autem patientiæ, eadem cæterarum quoque virtutum ratio eſſe debet, maximè cùm argumentum Angelici Doctoris æqualiter pro omnibus concludat.

QUÆS-

QUÆSTIO QUARTA.

Utrùm aliqua tentatio poſſit rectè vinci ſine auxilio gratiæ.

Tentatio dicitur id omne quod provocat ad malum, vel à bono revocat, ſive oriatur à concupiſcentia abſtrahente & alliciente, ſive à mundo blanditiis invitante aut minis terrente, ſive à diabolo ſuggerente.

Tentatio dividitur in gravem & in levem. Gravis dicitur ea quæ mentem vehementer movet & concutit: quod contingit quoties per peccatum magnum aliquod commodum conſequendum, vel magnum incommodum vitandum proponitur; vel quando tentatio pertinax eſt & diu perſeverat; vel demum quando is qui tentatur valde infirmus eſt. Levis cenſetur ea quæ parum movet animum, vel non diu durat.

Obſervandum eſt autem omni tentationi, ſive gravi, ſive levi, duplici modo reſiſti poſſe: vel ex dilectione Dei, vel ex alio quovis motivo à dilectione Dei ſejuncto. Oſtendimus ſupra, Cap. I, Propoſ. 3, nullam tentationem recte vinci, niſi ex dilectione vincatur.

Omnes conſentiunt poſſe hominem ſolis arbitrii viribus reſiſtere cuilibet tentationi, ſi non propter Deum reſiſtat. Ad hoc enim ſatis eſt ut voluntas validiùs moveatur alia quavis cupiditate, quàm actuali, quâ pulſatur, tentatione. Quapropter S. Auguſtinus, Enarrat. in pſalm. 43. num. 21, dicere non dubitat, fieri poſſe ut homo mortem pro Chriſti confeſſione oppetat ſine gratia, impellente ſcilicet ſuperbia vel pertinacia, vel alia quavis cupiditate. „ Prorſus, ait, in ipſa Eccleſia „ Catholica putatis aliquos defuiſſe aut deeſſe poſſe, qui cauſâ humanæ „ gloriæ paterentur? Si non eſſent hujuſmodi homines, non diceret „ Apoſtolus: *Si tradidero corpus meum, ut ardeam, caritatem autem non* „ *habuero, nihil mihi prodeſt.* Sciebat ergo eſſe poſſe quoſdam qui hoc „ jactatione facerent, non dilectione.“ His igitur quæ non controvertuntur ſemotis, quæritur duntaxat utrùm homo lapſus alicui tentationi verè ac rectè reſiſtere poſſit ſine gratia Chriſti.

Pelagiani docuerunt poſſe hominem cuilibet tentationi reſiſtere ſolis naturæ viribus, quàmvis faciliùs poſſit cum adjutorio gratiæ.

Catholici omnes confitentur hominem lapſum non poſſe ſine gratia univerſas tentationes per diuturnum tempus ſuperare: ſed de ſingulis non eadem eſt omnium ſententia.

Digitized by Google

Docet Molina tentationem quamcunque ſolis liberi arbitrii viribus rectè ſuperari poſſe, ſive amore Dei naturali, ſive alio quovis honeſto & laudabili motivo, niſi diutiùs duret.

Multi alii ſentiunt ſolas naturæ vires non ſufficere ad reſiſtendum gravibus tentationibus, ſed ſufficere ad leves ſuperandas.

Cæteri aſſerunt nullam tentationem, neque gravem, neque levem, rectè ac verè vinci poſſe ſine gratiæ auxilio: cum quibus ſit:

PROPOSITIO.

Nulla tentatio, ſive gravis, ſive levis, verè ac rectè ſuperari poteſt ſine auxilio gratiæ Chriſti.

SEQUITUR iſta Propoſitio ex jam dictis. Nam 1° tentationi cuilibet verè ac rectè non reſiſtitur, niſi ei reſiſtatur ex amore Dei, uti probavimus Cap. 1. Quæſt. 3. Atqui nullus eſt amor Dei, etiam inchoatus, ſine gratia Chriſti, uti probatum eſt Capite ſecundo. Ergo nulli tentationi verè & rectè reſiſtitur ſine gratia Chriſti. 2°. Victoria cujuslibet tentationis eſt actio bona ſub omni reſpectu. Atqui modò probatum eſt actionem bonam non eſſe ſub omni reſpectu ſine auxilio gratiæ. Ergo &c.

Probatur II° expreſſis Scripturæ oraculis.

Propheta regius victoriam quarumlibet tentationum Deo adjuvanti attribuit, Pſalm. XVII. 29, dicens: *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum:* & Pſalm. XXIX. profitetur ſe, Deo deſerente, ſtatim corruiſſe. *Dixi*, inquit, *in abundantia mea, non movebor in æternum. Domine, in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem* (id eſt, tu mihi fortitudinem præſtiteras): *avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.*

Hinc paſſim prædicat Deum eſſe ſuam fortitudinem, ſuum liberatorem, ducem, refugium. Pſalm. XVII. 2: *Diligam te, Domine, fortitudo mea, firmamentum meum & refugium meum: Deus meus adjutor meus, & ſperabo in eum.* Pſalmo XXX. 4: *Fortitudo mea & refugium meum es tu.* Pſalm. LVIII. 10: *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia, Deus, ſuſceptor meus es, Deus meus miſericordia mea.* Pleni ſunt libri ſacri ejuſmodi textibus, quibus ſancti infirmitatem ſuam confitentur, omneſque vires ſuas dono gratiæ Dei attribuunt. Porro ſi liberum arbitrium ad aliquas tentationes ex ſeipſo ſuperandas ſibi ſufficit, ea ſaltem ex parte ſua fortitudo eſt, ſuum firmamentum, ſuum refugium, nec veraciter dicere

Digitized by Google

dicere poteſt quod dicitur Pſalmo 107: *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis: in Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.*

Et fanè ſi victorias omnes ab Iſraelitis de hoſtibus viſibilibus reportatas Deo in integrum Scriptura attribuit, quem idcircò appellat *Dominum exercituum*: ſi, ut legimus Pſalm. XXXII. 16 & 17, *non ſalvatur rex per multam virtutem, nec gigas in multitudine virtutis ſuæ: ſi fallax equus ad ſalutem, in abundantia autem virtutis ſuæ non ſalvabitur:* ſi, Pſalm. LXXVII, *filii Ephrem intendentes & mittentes arcum converſi ſunt in die belli*, quantò magis ſoli Deo adjuvanti attribui debent omnes omnino victoriæ, quæ de hoſtibus ſpiritualibus reportantur; maximè cùm conſtet bella & victorias Iſraelitarum typum fuiſſe bellorum ſpiritualium, in quibus contra ſalutis hoſtes dimicandum habemus?

Probatur III° teſtimoniis SS. Patrum, qui docent ſine quotidiano gratiæ adjutorio nullas tentationes rectè vinci poſſe.

S. Athanaſius in *Vita S. Antonii*, num. 5, dicit ideò diabolum ab illo ſuperatum ſemper fuiſſe, quia „ cooperabatur huic Dominus, qui victoriam corpori (ſuo myſtico) dedit, ut unuſquiſque verè certans „ dicat: *non ego autem, ſed gratia Dei mecum.*“ Et in Pſalm. XXIX, ad iſta verba, *dixi in abundantia mea, non movebor in æternum*, cauſam lapſûs Davidis ſic enarrat: „ Quoniam, inquit, proſperis rebus altos ſpiritus aſſumpſi, propterea conturbatus ſum. Hoc autem non „ te compellente, ſed tantùm faciem tuam avertente, mihi accidit. „ Quando igitur, niſi tua fortitudine innitamur, ne conſiſtere quidem „ poſſumus, fac, obſecro, tuam ipſe voluntatem perficiens, ut decore „ illuſtretur anima mea.“ Tom. 2. pag. 455. Tom. 1. pag. 631.

S. Ambroſius in Pſalmum 43. num. 71: „ Quis eſt tam fortis ut nequaquam in tentatione moveatur, niſi Dominus ei adjutor aſſiſtat?“

S. Hieronymus, in dialogo 1° adverſùs Pelagianos, objicit illis præceptum illud Chriſti: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*, additque: „ Debuiſſet dicere, juxta vos: ſurgite & reſiſtite, liberum „ enim habetis arbitrium, &, ſemel conceſſâ vobis à Domino poteſtate, nullius alterius indigetis auxilio.“

S. Joannes Chryſoſtomus, Hom. in paralyticum demiſſum per tectum, num. 2: „ Quantùmvis ſæpè philoſophemur, inquit, quàmvis omnium „ robuſtiſſimi ſimus ac validiſſimi, ſi illius (Dei) abſit auxilium, ne „ mediocri quidem poterimus tentationi reſiſtere.“ Hom. 15 in Acta Apoſt. num. 3: „ Vincere diabolum non noſtri ſtudii opus eſt, ſed „ divinæ gratiæ.“ Et hom. 24. in 1 ad Corinth. iſtud exponens: *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*: „ Sunt „ inquit, tentationes quæ ferri non poſſunt: & quænam illæ? „ Omnes, ut ita dicam; poteſtas enim in Dei nutu ſita eſt. Quamobrem ut diſcas & videas quòd non ſolùm illas quæ noſtram ſupe- In nova Edit. tom. 3. pag. 35. Al. tom. 5. pag. 925. Tom. 4. pag. 125. Al. tom. 3. pag. 143. Tom. 10 pag. 211.

 „ rant

„ rant poteſtatem, ſed neque haſce humanas poſſimus ſine illius auxilio „ facilè ferre, ſubjunxit: *Sed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Neque enim illas moderatas, ut dixi, propriâ virtute „ feremus; ſed in his quoque ejus egemus auxilio ut eas pervadamus.

Auctor operis imperfecti in Matthæum (inter opera S. Chryſoſtomi), hom. 37: „ Quomodò navis, fracto gubernaculo, illuc impellitur quò „ tempeſtas voluerit, ſic & homo, divinæ gratiæ auxilio per peccatum „ perdito, agit non quod vult, ſed quod diabolus vult:" non ſanè quòd nolens agat, ſed quia voluntas ejus ad arbitrium diaboli captiva tenetur & movetur.

S. Auguſtinus, lib. 3 *Oper. imperf.* cap. 109, Julianum dicentem voluntati humanæ ineſſe virtutem ſeipſam à peccato cohibendi ſic refellit: „ Homines elati & inflati, nolite in veſtra virtute confidere; Deo „ vos ſubdite, atque ut voluntatem cohibeatis à crimine, & in tentationem non intretis, orate: nec exiſtimate vos non intrare in tentationem, quando ab opere aliquo malo concupiſcentiam carnis forti „ voluntate cohibetis. Ignoratis verſutias tentatoris; in MAJOREM „ TENTATIONEM, quando hæc voluntati veſtræ ſine Dei adjutorio „ deputatis, intratis." Qui igitur putant ſe propriâ ſuâ virtute vincere tentationes, ſuâ præſumptione in gravius plerùmque peccatum incidunt.

Cùm autem eâ doctrinâ Julianus offenderetur, diceretque: *Tu ergo quomodò liberum arbitrium confiteris, cui unum tantùm dicis eſſe poſſibile, id eſt, facere malum, non autem eſſe poſſibile deflectere à malo & facere bonum?* ſic illi reſpondet S. Doctor, ejuſdem Oper. lib. 6. cap. 15: „ Profectò, niſi Deus adſit, nemo idoneus eſt certare cum „ vitiis, ne ſine certamine pertrahatur ab eis, aut ne jam certans in „ ipſa eorum conflictatione vincatur. Ideò in hoc agone magis nos „ Deus voluit orationibus certare quàm viribus, quia & ipſas vires, „ quantas hìc habere nobis competit, ipſe ſubminiſtrat certantibus, quem „ rogamus. Si ergo hi, quorum contra carnem jam ſpiritus concupiſcit, ad ſingulos actus indigent Dei gratiâ ne vincantur, qualem libertatem voluntatis habere poſſunt qui nondum de poteſtate eruti „ tenebrarum, dominante iniquitate, nec certare cœperunt, aut ſi certare voluerunt, nondum liberatæ voluntatis ſervitute vincuntur?" Idem docet Enarrat. in pſalmum 89. num. 41, in pſalm. 123. num. 6, in pſalmum 149. num. 9, & lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 6. & 17.

Hanc autem univerſæ Eccleſiæ certiſſimam doctrinam eſſe, indubitanter aſſerit in lib. *de Perfectione juſtitiæ hominis*, cap. ultimo. „ Quiſ„ quis negat, inquit, nos orare debere ne intremus in tentationem" (negat autem hoc qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non eſſe homini neceſſarium, ſed, lege acceptâ, hominis ſufficere voluntatem), „ ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum eſſe non dubito."

Theo-

Digitized by Google

Theophylactus in 1 ad Corinth. cap. 10, ad iſta verba, *non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis:* „ Quævis tentatio, inquit, vires „ noſtras ſuperat, niſi ille auxilietur nobis, & felicem eventum præ- „ beat."

Œcumenius in eumdem locum: „ Quævis tentatio nos everteret, „ niſi Chriſtus auxiliaretur."

S. Bernardus, Serm. 1 in octavam Paſchæ, num. 2: „ Quoties ten- „ tationi reſiſtis, inquit, quoties vincis malignum, noli tuis tribuere „ viribus; noli in te, ſed magis in Domino gloriari. Quando enim „ fortis ille armatus tuæ cederet infirmitati?

Probatur IV° judicio ſummorum Pontificum.

S. Innocentius I in Reſcripto ad Patres concilii Carthaginenſis, num. Inter Epiſt. s. 7, ſic contra Pelagianos decernit: „ Quotidiana præbet ille (Chriſtus) Auguſtini 181. „ remedia, quibus niſi freti confiſique nitamur, nullatenus humanos „ vincere poterimus errores. Neceſſe eſt enim ut, quo auxiliante vin- „ cimus, eo iterum non adjuvante, vincamur."

Zozymus in Epiſtola ad univerſos orbis Epiſcopos, cujus fragmenta extant in Epiſtola S. Cœleſtini modò laudanda: „ Quod ergo tempus „ intervenit, inquit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igi- „ tur actionibus, cauſis, cogitationibus, motibus adjutor & protector „ orandus eſt. Superbum enim eſt ut quidquam ſibi humana natura „ præſumat, clamante Apoſtolo: *Non eſt nobis colluctatio adverſus car-* „ *nem & ſanguinem* &c."

S. Cœleſtinus in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, Capitulo 6, definit „ neminem, etiam baptiſmatis gratia renovatum (quantò magis qui „ gratiæ eſt penitus expers?), idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſi- „ dias, & ad vincendas concupiſcentias, niſi per quotidianum adjuto- „ rium Dei perſeverantiam bonæ converſationis acceperit." Requirit S. Pontifex *adjutorium* gratiæ *quotidianum*, atque adeò ad ſingulas tentationes vincendas neceſſarium.

S. Leo magnus, Serm. 19 de Paſſione Domini: „ Nunc, inquit, à „ Chriſto vincitur mundus, cùm à ſervis ſuis quorumcunque vitiorum incentiva ſuperantur; ipſius virtus eſt, ipſius quoque victoria."

S. Gregorius magnus, lib. 9 Moralium, cap. 29, al. 37, ſic loquitur: „ Cùm per ſubſtractionem Spiritûs mens aliquantulùm in tentatio- „ ne deſeritur, quaſi ab humore priſtino terra ſiccatur..... Qui aptè „ quoque ad pulverem reduci dicitur, quia dimiſſus ſibi cujuslibet ten- „ tationis aurâ raptatur." Et in Expoſitione pſalmi tertii pœnitentialis (ſi tamen ea S. Gregorii eſt), ad hunc verſiculum, *ne derelinquas me, Domine, Deus meus:* „ Sequitur, inquit, ut omni tentationi ſit ſubditus, quicunque fuerit à Deo derelictus.

Probatur V° definitionibus Conciliorum.

Dioſpolitanum, teſte S. Auguſtino, lib. *de Geſtis Pelagii*, cap. 18. LIlll 3 num.

num. 42, damnavit illud Cæleſtii capitulum: ***Victoria noſtra non eſt ex*** *Dei adjutorio, ſed ex libero arbitrio.*

Carthaginenſe anni 416, in Epiſtola Synodica ad Innocentium, eumdem errorem damnat, quia „ ex ſacrilegis Pelagianorum diſputationibus „ neceſſariò ſequitur, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem.“

Tridentinum, ſeſſ. 6. cap. 13, declarat „ formidare omnes (etiam juſ„ tificatos) debere de pugna quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, „ cum diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cùm Dei gratiâ „ obtemperant Apoſtolo dicenti: *debitores ſumus non carni* &c.“

In his omnibus Patrum, Rom. Pontificum & Conciliorum definitionibus nulla fit diſtinctio vel exceptio, neque ulla fieri ſinitur. Reſtringi ergo non poſſunt ad victoriam tentationum quæ ſit ſupernaturalis; loquuntur enim generatim & abſolutè de qualibet vera tentationum victoria. Reſtringi quoque nequeunt ad tentationes pertinaces & diuturnas; afferunt enim hominem tentatione dejici ſtatim atque auxilio gratiæ deſtituitur. Reſtringi denique non debent ad tentationes graves; non enim aſſertionis ſuæ rationem repetunt à gravitate vel diuturnitate tentationum, ſed tum ab infirmitate & corruptione naturæ, quæ ex ſe ad malum tendit, tum ex defectu dilectionis Dei, quæ gratiæ Chriſti proprium donum eſt. Ut enim ait S. Auguſtinus lib. 21 *de Civitate Dei*, cap. 16, „ tunc victa vitia deputanda ſunt, quando Dei amore „ vincuntur; quem niſi Deus ipſe non donat, nec aliter niſi per media„ torem Dei & hominum hominem Chriſtum Jeſum.“ Hæc autem ratio non minùs concludit pro levibus quàm pro gravibus tentationibus.

Tom. 2 de Gratia, pag. 210. Fruſtra igitur reſpondet Tournely Patrum dicta intelligi oportere *de gravioribus tentationibus, vel de facili & prompta victoria levium.* Quid enim aliud hoc eſt quàm, verbis licet diverſis, cum Pelagio docere gratiam eſſe neceſſariam ad reſiſtendum facilius, ſed ſine illa tentationes poſſe abſolutè ſuperari per liberum arbitrium? Quem errorem ſic refellit S. Auguſtinus, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 27. num. 28: „ Ut „ quid interpoſuit hoc verbum, id eſt, *faciliùs*? Quantum detrimen„ tum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? Volens utique cre„ di tantas eſſe naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam ſi„ ne auxilio Spiritûs ſancti, etſi minùs facilè, tamen aliquo modo ſpi„ ritui nequam reſiſtatur.“

Addit idem Theologus ideò Patres & Concilia nullam exceptionem expreſſiſſe, 1° quia tacito utriusque partis conſenſu ſupponebatur aliter judicandum eſſe de levibus quàm de gravibus tentationibus. 2°. Quia, cùm Pelagiani omnium diſtinctè tentationum victoriam viribus naturæ attribuerent, meliùs & efficaciùs repelli non poterunt, quàm omnium indiſtinctè victoriam gratiæ Chriſti adſcribendo. 3°. Quia utplurimùm ſingulari Dei protectione accidit tentationes leves eſſe. 4°. Quia raró contingit ut leves etiam tentationes ſine auxilio Dei vincantur.

Ve-

Digitized by Google

Verùm illa omnia non aliud ſunt quàm deploratæ cauſæ infirma præſidia. 1° Quippe unde probat Tournely, quod gratis ſupponit, utrimque admiſſum fuiſſe diſcrimen illud graves inter & leves tentationes? Quis Eccleſiæ Doctor, quis S. Pontifex, quod Concilium hujuſmodi diſtinctionem aliquo pacto unquàm inſinuavit? Imò quis non disertè excludit? Proferat, ſi poteſt, aliquod Eccleſiæ monumentum, quo hujusmodi diſtinctio fulciatur. Si nullum proferre poteſt, quantæ temeritatis eſt vim apertam inferre textibus Patrum, Conciliorumque definitiones ad libitum reſtringere! 2°. Falſum eſt abs re futurum fuiſſe diſtinctionem illam adhibere in certamine cum Pelagianis. Quàmvis enim illi hæretici omnium tentationum, nullo facto diſcrimine, victoriam libero arbitrio attribuerent, illâ tamen diſtinctione propoſitâ, faciciliùs forſitan fuiſſet eos ad unitatem fidei revocare. Cur ergo SS. Patres qualiumcunque tentationum victoriam gratiæ Chriſti indiſtinctè adſcripſerunt, niſi quia nullam, etſi leviſſimam, abſque auxilio gratiæ vinci poſſe certò credebant? 3°. Aliud eſt tentationem eſſe levem, aliud eam ſuperari. Utrumque Dei donum eſt: utrumque poſtulare jubemur in oratione Dominica, cùm dicimus: *ne nos inducas in tentationem.* Utrumque divini muneris eſſe docet Apoſtolus, 1 Corinth. X, ubi ait: *Deus non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Non ſic igitur conjuncta ſunt illa duo, ut unum non poſſit eſſe ſine altero. Præterea in allatis textibus non dicitur (quod tamen veriſſimum eſt) protectione divinâ fieri ut tentationes ſupra vires noſtras non ſint; ſed expreſſè dicitur nullam, quantùmvis levem, vinci poſſe ſine adjutorio gratiæ. 4°. Demum non dicunt Patres rarò contingere ut homo propriis ſuis viribus tentationibus reſiſtat, ſed dicunt nunquam id contingere, nec contingere poſſe, hominemque ſibi relictum non niſi ad peccandum valere.

Probatur VI° de ſingulis tentationum fontibus. Oriuntur illæ vel ex concupiſcentiæ fomite, vel ex diaboli inſidiis, vel ex mundi blanditiis aut terroribus. Atqui ex quolibet horum fonte naſcantur, nullatenus vinci poſſunt ſine adjutorio gratiæ.

1° Quidem tentationes ex concupiſcentia ortæ nequaquam vinci aliter poſſunt. Nam adverſùs carnem decertare non ſolius hominis eſt, ſed Spiritûs Dei, ut docet S. Paulus, Rom. VIII, & Galat. V, dicens: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit adverſùs ſpiritum, ſpiritus autem adverſùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur.* Proinde, ait S. Auguſtinus Serm. 155. cap. 12. num. 13, „ ſi recedat Spiritus Dei, pondere ſuo ſpiritus hominis revol- „ vitur in carnem, redit ad facta carnalia, redit ad concupiſcentias ſæ- „ culares.“ Inſuper, Chriſto ipſo docente, *quod natum eſt ex carne caro eſt*, non victor carnis, nec fit carni reſiſtendi capax niſi renaſcatur ex Spiritu. Prorſus, inquit ibidem S. Doctor, lib. 1 *Oper. imperf.* cap. Al. Serm. 6 de Verbis Apoſt. 11.

71,

71, „ non viribus noſtræ voluntatis, ut putas, huic (malo libidinis) „ obſiſtimus, niſi divinitus adjuvemur." Eam ob rem, ut rurſus obſervat Serm. 156. cap. 9, „ in hoc agone cùm laboramus, Deum poſcimus adjutorem. Si enim nos ipſe non adjuvat, non dico vincere, „ ſed nec pugnare poterimus." Concinit S. Fulgentius, Epiſt. 3 ad Probam *de Virginitate*, cap. 22. „ Ab hac lege peccati, inquit, quæ eſt „ in membris noſtris, non virtus cujuslibet hominis fortis, non induſtria ſapientis, ſed ſola liberat gratia Salvatoris, quæ non niſi humilibus datur."

Al. Serm 17 de Verbis Apoſto li.

Et ſanè cùm concupiſcentia ſit omnium vulnerum animæ noſtræ inflictorum teterrimum, ſi homo illi propriâ ſuâ virtute reſiſtere aliqua ſaltem ex parte poteſt, ſequitur eum ſibi ipſi illa ex parte medicum eſſe, gratiamque Salvatoris non ad inchoationem, ſed ad perfectionem duntaxat ſanitatis, neceſſariam eſſe; quod Semipelagianiſmum apertè ſapit. Porro ſi liberum arbitrium ex ſeipſo nullum concupiſcentiæ motum verè ac rectè ſuperare poteſt, nulli alii tentationi ſuperandæ ſibi ſufficit, cùm nulla ſit cui ſe concupiſcentiæ labes non immiſceat.

2°. Nullas diaboli ſuggeſtiones & inſidias rectè vinci poſſe ſine gratia Chriſti, docet Apoſtolorum princeps in 1 Epiſt. V. 8, cum monet ut *ei reſiſtamus*, non propriis viribus, *ſed fortes in fide*, hoc eſt, gratiâ Chriſti innixi. Diabolus eſt ille *fortis armatus*, de quo victoriam reportare nemo valet, niſi fortioris Chriſti adjutus auxilio. Hinc S. Auguſtinus, Serm. 57. cap. 10: „ Cùm deſeruerit, inquit, invenit quid „ faciat tentator: non enim invenit adverſum ſe luctatorem, ſed continuò illi ſe exhibet poſſeſſorem, ſi deſerat Deus. Ne deſerat ergo, „ nos ideò dicimus: *ne nos inferas in tentationem*,..... quia ſine dubio „ vinceris, ſi illum adjutorem non habueris."

Al. Serm. 9 de Diverſis.

3°. Denique nulla mundi, ſive blandientis, ſive terrentis, ſive fallentis tentatio rectè vinci poteſt ſine gratia. Ut enim ait B. Joannes, 1 Epiſt. V. 4, *omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum; & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* Tolle fidem & gratiam Chriſti, cui fides innititur, nullomodò vincitur mundus. Procul dubio blanditiis ejus cedit, quisquis non ampliùs diligit quod promittit Omnipotens. Minis & terroribus frangitur, quisquis non magis pertimeſcit quod minatur Omnipotens." Deceptionibus ſeducitur, quisquis internâ veritatis ſuavitate non magis delectatur: ideoque Chriſtus diſcipulos ſuos alloquens dixit: *in mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.*

Hiſt. Congreg. lib. 3. cap. 12. pag. 452.

Probatur VII° ex iis quæ adverſus Molinæ doctrinam geſta ſunt in Congregationibus *de Auxiliis*. In decima, habita coram Clemente VIII, Conſultores concluſerunt „ non poſſe ſolis naturæ viribus ullam veram „ tentationem ſuperari in ſtatu naturæ corruptæ, & hanc eſſe expreſſam „ doctrinam SS. Patrum, potiſſimumque S. Auguſtini, ſacrorum Conciliorum, ſummorumque Pontificum, contra Pelagianos eorumque re-

„ liquias

Digitized by Google

„ liquias aſſertam & definitam; ut conſtat ex Synodo Palæſtina relata „ à S. Auguſtino in Epiſtola 106 (nunc 186), & ex Epiſtolis concilio„ rum Milevitani & Carthaginenſis ad Innocentium, & ex Epiſtola „ ejusdem Innocentii ad Patres concilii Milevitani; ſimiliter & ex „ Epiſtola Zozymi, cujus meminit Cæleſtinus Papa in Epiſtola ad Epi„ ſcopos Galliæ, cap. 9, & ex eadem Epiſtola Cæleſtini, cap. 6.

Et in *Canonibus doctrinæ damnandæ*, quos iidem Conſultores, finitis Congregationibus, juſſu Pauli V digeſſerunt, damnatâ Molinæ opinione, doctrinam Eccleſiæ à S. Pontifice definiendam his verbis expoſuerunt: „ Juxta quas definitiones declaramus tenendum & docendum, „ quia tunc victa vitia deputanda ſunt, cùm Dei amore vincuntur, „ quem niſi Deus ipſe non donat, nec aliter quàm per mediatorem Dei „ & hominum, hominem Jeſum Chriſtum. Et ſic in vitiis & illicitis „ concupiſcentiis vincendis, in diaboli inſidiis ſuperandis, & tam in re„ ſiſtendo quàm in ſuccumbendo quibuscunque tentationibus, licet ha„ beat homo libertatem, id eſt, liberum uſum propriæ voluntatis, ta„ men ad vincendam ſeu ſuperandam quamcunque tentationem, ita ni„ mirum ut præceptum circa quod tentatur quiſpiam ſervetur propter „ Deum, id eſt, ne offendatur Deus, non ſufficiunt vires naturales li„ beri arbitrii, ſed neceſſarium eſt quotidianum, id eſt, continuò ſeu „ contra tentationes ſingulas ſubminiſtrandum adjutorium ſpecialis gra„ tiæ Dei; idque non tantum ad facilius & meliùs comparandam vic„ toriam, ſed adjutorium illud ſimpliciter eſt neceſſarium, juxta illud „ quod olim à Sede Apoſtolica reſponſum eſt in hac cauſa: *Neceſſè eſt* „ *ut, quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante, vincamur.*“ Nullæ hic tentationes excipiuntur, non mediocres, non leviſſimæ; innituntурque Conſultores eidem principio cui innixi ſunt SS. Patres, nempe tentationes non rectè vinci, niſi vincantur ex amore Dei, quem non niſi Deus ipſe donat per Jeſum Chriſtum. In Append. §. 13. pag. 208 & 209.

Iſtud judicium ratum habuit Paulus V, confirmavitque in Bulla, quam, occulto judicio Dei, nondum emiſſam ſcrinia Apoſtolica conſervant. Sic quippe illa ſe habet cap. 4: „ Ad reſiſtendum tentationibus, & „ difficultates ſuperandas quæ nos incitant ad tranſgredienda Dei man„ data, tanta eſt relicta ex peccato imbecillitas, etiam in ipſis juſtifi„ catis hominibus, ut olim hac de re ab Apoſtolica Sede reſcriptum „ fuerit pares nos ad reſiſtendum, non liberum arbitrium, ſed Dei ſo„ lum facere poſſe auxilium, & neceſſe eſſe ut, quo auxiliante vinci„ mus, eo iterum non adjuvante, vincamur. Ubi non id ſignificatum „ eſt, ut in illud ipſum peccatum inducamur, ad quod nos tentatio „ urget, verùm quia tunc victa vitia deputanda ſunt, cùm Dei „ amore vincuntur, quem niſi Deus ipſe non donat:“ & cætera, quæ eodem fere verborum tenore enuntiantur, quo in *Canonibus doctrinæ damnandæ* à Conſultoribus apparatis. Ibid. §. 14.

Digitized by Google

Probatur ultimò precibus & gratiarum actionibus Eccleſiæ. „ Legem credendi lex ſtatuit ſupplicandi, ait S. Cæleſtinus in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ; id eſt, quidquid Eccleſia poſtulat à Deo, Dei donum eſſe firmiſſimè credendum eſt. Porro Eccleſia poſtulat à Deo victoriam quarumlibet tentationum, etiam leviſſimarum. Id probat imprimis præceptum Chriſti, Matth. XXVI. 41: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem:* probat oratio quâ nos jubet inceſſanter petere ne inducamur in tentationem: probat exemplum Prophetæ regii dicentis, Pſalm. XXIV. 13: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos:* probat univerſæ Eccleſiæ uſus ſingulas horas ſuas canonicas ſic inchoantis: *Deus in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me feſtina.*

Hoc argumento SS. Patres inimicos gratiæ contriverunt.

Pag. 194. S. Cyprianus, ante ortam Pelagii hæreſim, in tract. *de Oratione Dominica* doctrinam Eccleſiæ ſic exponit: „ Quando oramus ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis noſtræ, „ dum ſic oramus ne quis ſe inſolenter extollat, ne quis ſibi ſuperbè atque arroganter aliquid aſſumat,..... ut, dum præcedit humilis & ſubmiſſa confeſſio, & totum datur Deo, quidquid ſuppliciter cum timore & honore Dei petitur, ipſius pietate præſtetur.

Hoc telum S. Auguſtinus præſertim in Pelagianos multoties vibravit. Sic loquitur lib. 3 *Oper. imperf.* cap. 109: „ Cohibere à crimine voluntatem, hoc ipſum eſt, nec aliud quidquam, non intrare in tentationem. Sed ſi haberemus in poteſtate propriæ voluntatis, non moneremur ut id orando à Domino poſceremus." Et lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 4. num. 9: „ Ergo unuſquiſque contra ſuam concupiſcentiam dimicans oret ne intret in tentationem, hoc eſt, ne ſit ab illa abſtractus & illectus. Non autem intrat in tentationem, ſi voluntate ſuâ vincat concupiſcentiam malam. Non tamen ſufficit arbitrium voluntatis humanæ, niſi à Domino victoria concedatur oranti ne intret in tentationem. Quid verò evidentius quàm Dei oſtenditur gratia, ubi quod oratur accipitur?" Vide etiam lib. *de Bono viduitatis*, cap. 17. num. 21, & lib. 6 *Oper. imperf.* cap. 15.

Eodem argumento uſi ſunt Patres conciliorum Milevitani & Carthaginenſis anni 416 in Epiſtolis Synodicis ad Innocentium. Porro orandi neceſſitate demonſtratur, non ſolum gravium, ſed etiam omnium tentationum victoriam eſſe à Deo. Quis enim, cum tentationibus etiam levibus pulſatur, non tenetur ad Deum confugere, cùm Chriſtus nos jubeat *ſemper orare & non deficere*, & Apoſtolus *ſine intermiſſione orare*?

Sicut autem non veraciter petitur à Deo, quod, ipſo non largiente, ſolis liberi arbitrii viribus impleri poſſe creditur, ita non ſinceriter gratiæ Deo aguntur, niſi pro eo quod ab ipſo datum eſſe agnoſcitur. Porro ob tentationum quarumlibet victoriam gratiæ Deo agendæ ſunt, dicen-

cendumque eſt cum Apoſtolo, 1 Corinth. XV. 56: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* „ Ergo, concludit S. Auguſtinus lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 4. num. 8, „ & victoria, quâ peccatum vincitur, nihil aliud eſt quàm donum Dei „ in iſto certamine adjuvantis liberum arbitrium.“

Opponunt noſtram ſententiam non differre à propoſitione 30 à Pio V damnata, quæ talis eſt: *Non ſolùm fures ſunt & latrones, qui Chriſtum viam, & oſtium veritatis & vitæ negant; ſed etiam quicunque aliunde quàm per ipſum in viam juſtitiæ, hoc eſt, ad aliquam juſtitiam conſcendi poſſe docent, aut tentationi ulli ſine ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea non ſuperetur.*

Reſpondeo, omiſſis aliis ſolutionibus, factorum evidentiâ conſtare intentionem Rom. Pontificum nunquam fuiſſe noſtram doctrinam damnare. Bellarminus Bullis Pontificiis obſequentiſſimus eam, poſt emiſſam Pii V Conſtitutionem, palam aſſeruit. Eamdem amplexi ſunt Vaſquez & Toletus, qui à Gregorio XIII Lovanium miſſus fuerat, ad urgendam dictæ Conſtitutionis in Facultate Lovanienſi receptionem. Illâ non obſtante, Conſultores Congregationum *de Auxiliis* eamdem ſtrenuè vindicarunt, oppoſitamque Molinæ opinionem Pelagianiſmi notarunt. Igitur memorata propoſitio reprobata fuit vel propter acerbitatem cenſuræ, vel intellecta de gratia habituali & ſanctificante, vel de reſiſtentia quæ non ſit omni ex parte recta, nec fiat ex amore Dei, vel quamcunque aliam ob cauſam quam Bulla non determinavit.

QUÆSTIO QUINTA.

An verus ac ſincerus dolor de peccatis, ſive perfectus, ſive imperfectus, concipi queat abſque gratia Chriſti præveniente ac operante.

In peccato duo ſunt diſtinguenda, affectus ſcilicet & reatus. Affectus eſt amor & inclinatio deliberata voluntatis in malum. Reatus eſt debitum quo peccator obligatur Deo, pœnamque æternam meretur. Affectus peccati non excluditur niſi per ſinceram cordis converſionem, quæ conſiſtit in dilectione Dei & in odio peccati. Reatus ſolvitur per remiſſionem peccatorum & reconciliationem cum Deo.

Conſentiunt omnes reatum peccati non tolli niſi per gratiam juſtificationis, cùm in ſuprema ſolius Dei poteſtate ſit peccata quibus offendi-

 tur

tur condonare vel non condonare. Id adeò evidens eſt, ut ab ipſis etiam Pelagianis ultrò admiſſum fuerit. Cùm enim, inquiebant, quod factum eſt infectum eſſe nequeat, peccator in ſempiternum eſſet Deo exoſus, niſi Deus ei indulgendo offenſam in ſe commiſſam pro non commiſſa habere vellet. De affectu verò peccati longè aliter ſentiebant, eumque tolli poſſe dicebant per pœnitentiam quæ ſemper ſit in poteſtate liberi arbitrii.

Eumdem errorem inſtaurarunt non pauci recentiores. Molina in *Concordia*, quæſt. 14. art. 12. diſput. 14. membro 1, docet poſſe hominem ſolo libero arbitrio concipere verum & ſincerum dolorem de peccatis, ſive ex timore gehennæ, ſive ex amore Dei ſuper omnia, ſimulque propoſitum abſolutum non peccandi in poſterùm; quod tamen propoſitum, ſi gratiâ non adjuvetur, diu perſeverare non poſſit, aliquandiu tamen ſtare valeat, maximè quando nulla gravis tentatio inſurgit: proinde, propriè loquendo, gratiam non eſſe neceſſariam ad producendam veram contritionem, ſive imperfectam, ſive perfectam, ſed tantùm ut contritio ſit ſupernaturalis & diuturno tempore perſeveret. Maldonatus, Comment. in Luc. cap. 7, cenſet converti poſſe hominem ad Deum per amorem naturalem, ac probabile eſſe mulierem peccatricem non aliter primùm converſam fuiſſe. Leſſius, in Append. Diſſert. apologeticæ *de Gratia efficaci*, eamdem opinionem amplectitur, quam ſequi pariter coguntur quicunque ſolis naturæ viribus Deum ſuper omnia diligi poſſe ſentiunt. Nonnulli addiderunt hujuſmodi contritionem naturalem ſufficere ad impetrandam in ſacramento pœnitentiæ remiſſionem peccatorum. Contra illos omnes ſit:

P R O P O S I T I O.

Verus ſincerusque dolor de peccatis, ſive perfectus, ſive imperfectus, concipi nequit ſine gratia Chriſti præveniente & operante.

PROBATUR I° ex ſupra dictis. Dolor de peccatis, ut verus ac ſincerus ſit, debet ex dilectione Dei procedere. Atqui nulla eſt vera dilectio Dei niſi ex gratia. Ergo ſine gratia nullus eſt verus dolor de peccatis. Prætereà verus dolor de peccatis eſt actus bonus ex omni parte; hujuſmodi autem actus produci non poteſt ſine gratia: quæ ſingula ſuperius abundè probata ſunt. Ergo nullus verus de peccatis dolor concipi poteſt ſine gratia.

Probatur II° ex Scripturis. 2 Timoth. II. 25 & 26, monet Apoſtolus cor-

Digitized by Google

corripiendos eſſe eos qui reſiſtunt veritati, *nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendum Deum, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* Nemo igitur verè reſipiſcit (quod primum eſt converſionis initium), niſi Deo ipſo operante.

Jeremiæ XXXI. 18 & 19: *Converte me, Domine, & convertar: poſtquàm enim convertiſti me, egi pœnitentiam.* Et Threnorum V. 21: *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur.* Ex quibus patet, antequàm Deus cor convertat, nullum eſſe in peccatore converſionis initium.

Probatur III° ex Patribus.

Pœnitentiam eſſe donum Dei manifeſtè ſupponunt Presbyteri & Diaconi Romani in Epiſtola ad S. Cyprianum, cùm dicunt orandum eſſe pro lapſis, ut Deus veram illis pœnitentiam inſpiret. „ Oremus, inquiunt, pro lapſis, ut erigantur: oremus ut, qui cecidiſſe referuntur, delicti ſui magnitudinem agnoſcentes, intelligant non momentaneam neque præpoſteram deſiderare medicinam. Inter Cyprianicas 30.

S. Macarius ſenior, Abbas Ægyptius, in Homilia 1 totus eſt, ut oſtendat voluntatem peccatoris ita peccato agglutinatam eſſe, ut ſine adjutorio gratiæ ab illo ſe extricare non magis valeat, quàm avis abſque pennis volare. Et in Homilia 2: „ Eſt igitur impoſſibile, inquit, animam à peccato ſeparare, niſi Deus ceſſare faciat & ſiſtat improbum „ illum ventum (concupiſcentiam ſcilicet) habitantem in anima & cor„ pore...... Obteſtamur itaque Deum...... ut etiam ſeparet ab anima „ & corpore noſtro, & extinguat improbum ſpiritum, ipſum videlicet „ peccatum habitans in membris animæ & corporis noſtri; hoc enim „ ille ſolus facere poteſt." Biblioth. PP. Colon. tom. 4. pag. 45.

S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 43: „ Muneris loco, inquit, præclaram Deo oblationem offer: ac ne ſic quidem magnificè de te ſen„ tias; verùm dic cum Davide, *hæc mutatio dexteræ Excelſi*, à quo „ promanat quidquid ab hominibus rectè & cum laude geritur."

S. Hieronymus, lib. 6 in Jeremiæ cap. 31, ad hæc verba: *Poſtquam convertiſti me, egi pœnitentiam*, ſic loquitur: „ Vide quantum ſit auxi„ lium Dei, & quàm fragilis humana conditio, ut hoc ipſum, quòd „ agamus pœnitentiam, niſi nos Dominus ante converterit, nequaquam „ implere valeamus."

S. Auguſtinus id multoties ex inſtituto adſtruit adverſùs Pelagianos. Sic lib. 5 *contra Julianum*, cap. 4. num. 14: „ Quantamlibet præbeat „ (Deus) patientiam, niſi ipſe dederit, quis agit pœnitentiam? Lib. 2 *de Peccatorum meritis & remiſſione*, cap. 18. num. 31: „ Quod à Deo „ nos avertimus, noſtrum eſt, & hæc eſt voluntas mala: quòd verò ad „ Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante, non poſſumus."

Lib. 2 *de Nuptiis & concupiſcentia*, cap. 8. num. 20, exponens quod de Chananæis dicitur Sapient. XII. 10: *Non ignorans qnoniam nequam eſt natio illorum, & naturalis malitia eorum, & quoniam non poterat*

mutari cogitatio illorum in perpetuum, ſic loquitur: „ Cur autem hominis mala cogitatio non poteſt in perpetuum mutari, niſi quia per ſeipſam non poteſt, ſed ſi divina miſericordia ſubveniat? Quâ non ſubveniente, quid ſunt homines, niſi quod ait Apoſtolus Petrus,
1. Epiſt. II. 12. „ *velut muta animalia, procreata naturaliter in captivitatem & in interitum?* " In *Enchiridio*, cap. 82. num. 22: „ Non ſolùm, inquit, cùm agitur pœnitentia, verùm etiam ut agatur, Dei miſericordia neceſſaria eſt: alioquin non diceret Apoſtolus de quibusdam: *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam.* Et ut Petrus amarè fleret, præmiſit Evangeliſta, & ait: *reſpexit illum Dominus.*" Tract. 53 in Joann. num. 11: „ Ipſa converſio de illius gratia eſt, cui dicitur: *Deus virtutum, converte nos.*" Enarrat. in Pſalm. 50. num. 16: „ Quia non poteſt eſſe confeſſio peccati & punitio peccati in homine à ſeipſo, cùm quisque ſibi iraſcitur & ſibi diſplicet, ſine dono Spiritûs ſancti non eſt." Enarrat. in Pſalm. 77. num. 24, exponens hoc dictum, Proverb. II: *Omnes qui ingrediuntur ad eam non revertentur:* „ Sic dictum eſt, inquit, quaſi de iniquis hominibus deſperandum ſit. Scriptura verò gratiam commendavit, quia per ſeipſum homo poteſt in via iniquitatis ambulare, non poteſt autem per ſeipſum redire, niſi gratiâ revocatus." Demum, Serm. 160. num. 7, hanc Eccleſiæ doctrinam præclarâ comparatione illuſtrat. „ Non delectat juſtitia, inquit, aut minùs quàm dignum eſt delectat. Unde hoc? niſi de languoribus animæ. Panis in faſtidio eſt, & delectat venenum. Unde iſte languor ſanabitur, obſecro vos? Itane à nobismetipſis & per nosmetipſos? Qui omnes idonei fuimus vulnerare nos, quis noſtrûm eſt idoneus curare quod fecit? Sic & in ipſis delictis quis non, cùm voluerit, vulnerat ſe? Sed non quis, cùm voluerit, ſanat ſe. Sit ergo animus pius, ſit fideliter Chriſtianus, ſit gratiæ non ingratus. Agnoſcatur medicus; nunquam ſe ſanat ægrotus." Idem docet lib. 4 *Op. imperf.* cap. 106.

In illis omnibus locis nulla eſt cujusvis exceptionis umbra: omnis vera converſio, omnis vera pœnitentia gratiæ Chriſti deputatur. Ergo vel errat Molina cum ſuis aſeclis, vel, quod abſit, erravit fidei catholicæ vindex Auguſtinus, erravitque cum eo univerſa Eccleſia, quæ omnibus ſubſecutis ſæculis illius doctrinam maximis laudibus approbavit.

S. Proſper in carmine *de Ingratis*, cap. 4, peccatoris ad reſipiſcendum ex ſeipſo impotentiam his verbis delineat:

Nec jam captivos oculos extollere in altum
Sponte poteſt, quoniam hoc etiam, ſpoliante tyranno,
Perdidit, ut quanto jaceat ſub vulnere norit.

S. Pe-

Digitized by Google

S. Petrus Chryſologus, Hom. 114: „ Qui ſub lege ſunt peccati, in-
„ quit, deprimuntur & incurvantur imperio, nec poterunt miſeri de
„ peccati miſerrima ſervitute, niſi gratiâ manumittentis, liberari.“

Auctor operis imperfecti in Matthæum, hom. 37, hæc ait: „ Si ſe- Inter Opera S.Chryſoſtomi.
„ mel peccantes obligaverimus nos operibus ejus (diaboli), jam noſtrâ
„ virtute non poſſumus evadere; ſed ſicut navis, fracto gubernaculo,
„ illuc ducitur ubi tempeſtas voluerit, ſic & homo, gratiæ divinæ auxi-
„ lio perdito per peccatum, agit non quod vult, ſed quod diabolus
„ vult; &, niſi Deus valida manu miſericordiæ ſuæ ſolverit eum, uſ-
„ ad mortem in peccatorum ſuorum vinculis permanebit.“

Eamdem doctrinam S. Fulgentius inter certiſſima & indubitata Eccle-
ſiæ Catholicæ dogmata recenſet, in lib. *de Fide ad Petrum*, cap. 31.
„ Firmiſſimè tene, inquit, & nullatenùs dubites neminem hîc poſſe
„ hominum pœnitentiam agere, niſi quem Deus illuminaverit, & gra-
„ tuita ſua miſeratione converterit.“

S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 1 *Differentiarum*, different. 27. num. 2,
ait: „ Pondere carnis ſic homo agitur, ut ad prævaricandum ſit faci-
„ lis, tardus ad pœnitendum. Habet de ſe unde corruat, & non ha-
„ bet unde conſurgat, niſi gratia conditoris, ut erigatur, manum ja-
„ centi extendat.“

S. Prudentius Epiſcopus Trecenſis, lib. *de Prædeſtinatione contra Sco- Apud Mauguin, tom. 1. pag. 281.
tum, cap. 5: „ Hæ ſunt neceſſitates, ait, quibus ita adſtringitur hu-
„ mana infirmitas, ut ſemel in quodlibet peccatum ſponte ruens, niſi
„ quantocyùs ſupernæ gratiæ reſpectu reſipiſcat, neceſſariò in aliud de-
„ terius, vel unum vel plura, corruat.“ Porro ſi peccator gratiâ de-
ſertus in alia peccata deteriora neceſſariò, neceſſitate ſcilicet morali,
voluntariâ & conſequentiæ, corruit, quomodò dici poteſt habere ex
ſeipſo vires ad peccatum excutiendum pares?

S. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, in *Concordia gratiæ cum li-
bero arbitrio*, cap. 6: „ Cùm dicit Deus, *convertimini ad me*, ſemen eſt
„ ſine germine, quandiu hominis voluntatem non convertit Deus ad
„ volendum converſionem.“ Et cap. 8: „ Quoniam enim homo eſt
„ ſpiritus vadens & non rediens, poſtquàm ſponte cadit, nullomodò
„ poteſt reſurgere, niſi divinâ gratiâ relevetur; ſed merito ſuo de pec-
„ cato in peccatum uſque ad abyſſum peccatorum ſine fundo, hoc eſt,
„ profundam abſque æſtimatione, demergitur, niſi miſericordiâ reti-
„ neatur; ita ut etiam bonum illi vertatur ad odium & ſit ei in mor-
„ tem.“ Eadem docet in Dialogo *de Libero arbitrio*, cap. 10; in Ora-
tione 5 ad Deum & 24 ad Chriſtum, & in Meditatione 8.

S. Bernardus materiam iſtam ſæpiſſimè tractat, Patrumque præceden-
tium doctrinam potenter tuetur. Serm. 13 de Diverſis, num 2, ait:
„ Quis ſcindit duritiam iſtam, niſi qui paſſione ſuâ petras ſcidit? Quis
„ dabit cor pœnitens, niſi à quo eſt omne datum optimum?“ Num.
3:

Digitized by Google

3: „ Difficilis prorſus res & ſoli virtuti divinæ poſſibilis, ſuſceptum „ ſemel peccati jugum à cervicibus ſuis excutere; quoniam qui facit „ peccatum ſervus eſt peccati, nec eſt jam liberari, niſi in manu fortí." Serm. 3 de Diverſis, num. 2: „ Neque ad Deum ſine ipſo, „ non dicam reverti, ſed nec converti quidem" (id eſt, etiam minimum converſionis initium concipere) „ poſſum." Idem inculcat Serm. 1 in feſto Pentecoſtes, num. 3; Serm. in Dominicam ſextam poſt Pentecoſten, num. 3; in tractatu *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 7 & 8, & num. 23 & 25; in tract. *de Converſione, ad Clericos*, cap. 1. num. 2. Sed omitti non debet quod dicit Serm. 84 in Cantica, num. 3. „ Quærit anima Verbum, inquit, ſed quæ à Verbo prius quæſita ſit: „ alioquin ſemel à facie Verbi egreſſa vel rejecta, non revertetur ocu- „ lus ejus ut videat bona, ſi non requiratur à Verbo. Quaſi verò aliud „ anima noſtra ſit quàm ſpiritus vadens & non rediens, ſi ſibi fuerit „ derelicta. Audi profugam & deviam quid doleat, & quid petat: *Er-* „ *ravi*, ait, *ſicut ovis quæ periit; quære ſervum tuum.* O homo, redire „ vis? Sed ſi in voluntate res eſt, quid opem flagitas? Quid aliunde „ mendicas, in quo abundas tu tibi?..... Quanquam non omnino il- „ lam animam expoſitam dixerim & relictam, quæ reverti cupit & re- „ quiri petit. Unde enim voluntas hæc illi? Inde (ni fallor) quòd à „ Verbo viſitata jam ſit & quæſita. Nec otioſa quæſitio, quæ opera- „ ta eſt voluntatem, ſine qua reditus eſſe non poterat. Sed non ſuffi- „ cit ſemel quæri, tantus eſt animæ languor, tantaque in reditu diffi- „ cultas. Quid enim, ſi vult? Jacet voluntas, ubi facultas non ſup- „ petit. *Nam velle adjacet mihi*, inquit, *perficere autem bonum non in-* „ *venio.* Quid ergo ille, quem de Pſalmo induximus, quærit? Non pla- „ nè aliud quàm quæri.: quod non quæreret, niſi quæſitus fuiſſet: & „ rurſus non quæreret, ſi quæſitus ſatis fuiſſet; quod & poſtulat, *quæ-* „ *re*, inquiens, *ſervum tuum*, ut, qui dedit velle, det & perficere pro „ bona voluntate."

S. Thomas, 2. 2. quæſt. 137. art. 4. ad 3: „ Homo, inquit, per ſe „ poteſt cadere in peccatum; ſed non poteſt per ſe reſurgere à pecca- „ to ſine auxilio gratiæ: & ideò hoc ipſo quòd homo cadit in pecca- „ tum, quantum de ſe eſt, facit ſe in peccato perſeverare, niſi gratiâ „ Dei liberetur." Et in Supplemento tertiæ partis peccantem comparat homini qui ſe in foveam projicit, unde abſque alterius ope exire non poſſit: quâ etiam comparatione utitur S. Bernardus tract. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 7. num. 23.

Summæ non modò temeritatis, ſed etiam arrogantiæ foret, reſpondere tot tamque expreſſa teſtimonia intelligi non debere de qualibet vera contritione, ſed de iſta tantummodò quæ ſit ſupernaturalis, vel quæ diu perſeveret. Hoc enim quid aliud eſt, quàm Eccleſiæ Doctores, quos revereri te ſimulas, protervè contemnere, nec ducentes ſequi, ſed reni-

nitentes quòcunque volueris trahere? Quis unquam hæreticus textus Scripturæ vel SS. Patrum ſibi adverſos hac methodo eludere, & cum ſuis erroribus conciliare non pariter poterit? Patres abſolute loquuntur de quovis ſincero reditu ad Deum, ac de tenuiſſima etiam converſionis inchoatione. Nullam prorſus pœnitentiam, nullum regreſſum ad juſtitiam, nullum boni deſiderium in nobis eſſe abſque auxilio gratiæ uno conſenſu prædicant: quod auxilium ſi non ſubminiſtretur, anima peccatrix magis ac magis in profundum iniquitatis devolvitur. Candidius foret venerandos Eccleſiæ magiſtros apertè aſpernari, quàm ſub ficta reverentiæ larva illorum definitiones adeò impudenter ludificari.

Probatur IV° ex Conciliis.

Synodus Epiſcoporum Africæ in Sardinia pro fide Chriſti exulum, in libro *de Incarnatione & gratia* à S. Fulgentio compoſito, & ab ipſa adoptato, cap. 17, probat fidem non niſi muneri Dei attribuendam eſſe, „ ne homo, dum initium fidei ſibi nititur aſſignare, pœnitentiam quo„ que, quam ad vitam Deus dat, ſibi, non ſanitate validus, ſed infir„ mitate præjudicatus aſſignet, tantique medicaminis beneficio careat, „ cujus gratiam contumax atque ingratus oppugnat.

Concilium Tridentinum definit non ſolùm contritionem perfectam, ſed etiam imperfectam, ſi excludat voluntatem peccandi cum ſpe veniæ, eſſe à Spiritu ſancto. Verba ejus hæc ſunt, ſeſſ. 14. cap. 4: „ Illam verò con„ tritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudi„ nis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu commu„ niter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, de„ clarat (ſancta Synodus) non ſolùm non facere hominem hypocritam „ & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe & Spiritûs ſancti „ impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis.“ Non ait Synodus contritionem imperfectam eſſe donum Dei & impulſum Spiritûs ſancti, quando ſupernaturalis eſt, vel diuturno tempore perſeverat, ſed quando excludit voluntatem peccandi. Porro dolor de peccatis, quem Molina & alii admittunt, conceptus ex amore Dei ſuper omnia, non poteſt non excludere, quandiu durat, voluntatem peccandi. Ergo nullus eſt verus ac ſincerus dolor de peccatis qui non ſit gratiæ donum.

Ibidem, can. 5, concilium ſub anathematis pœna definit contritionem modò memoratam præparare ad gratiam juſtificationis. Porro fide certum eſt præparationes omnes ad juſtificationem non produci abſque gratia actuali.

Duas illas concilii Tridentini definitiones Jeſuitis objecerunt Clemens VIII & Lemos in Congregatione 18 *de Auxiliis*, ut videre eſt in Actis Lemoſii, pag. 515 & ſeq., & concluſerunt Patres concilii, cum definierunt, ſeſſ. 6. can. 3, neminem *ſine gratia...... pœnitere poſſe ſicut oportet*, per has voces, *ſicut oportet*, intellexiſſe quemlibet actum ſinceri doloris qui excludat voluntatem peccandi.

Probatur V° ex Congregationibus *de Auxiliis.* In 6ª & in 30ª Conſultores Molinæ doctrinam damnarunt, tanquam è diametro adverſam definitionibus conciliorum Arauſicani II & Tridentini, ut refertur in Hiſtoria Congregationum, cap. 11 & 23, & in Canonibus doctrinæ damnandæ, ubi ſic loquuntur: „ Qui dixerit hominem ex facultate liberi arbitrii ſui, cum ſolo concurſu generali Dei,...... poſſe, præexiſtente maximè lumine fidei, quâ Dei beneficia tum naturæ, tum gratiæ, præmia juſtis, & ſupplicia impiis propoſita agnoſcimus, elicere ex Dei amore actum attritionis cum ſpe veniæ, & ex Dei amore actum contritionis de peccatis commiſſis, cum propoſito non peccandi ampliùs lethaliter, errat, etiamſi dicat actus hujusmodi eſſe merè naturales.“

Pag. 422, 474 & 475. Ibid in append. §. 13. pag. 207 & 208.

Probatur VI° & ultimò rationibus Theologicis.

1°. Nemo poteſt ſibi dare quod non habet. Atqui peccator, quandiu peccator eſt & auxilio gratiæ nudatus, non amat juſtitiam, ſed peccatum & cupiditates ſuas, plenus amore perverſo ſuî & creaturarum. „ Quis enim, ait S. Bernardus Serm. 1 in feſto Pentecoſtes, num. 3, „ cùm ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne veniſſe calorem, quem habere non poterat ſine illo? Sic ergo qui „ priùs iniquitate erat frigidus; ſi poſtmodùm fervore quodam pœnitentiæ accendatur, alium ſibi ſpiritum, qui ſuum arguit & dijudicat, non dubitet adveniſſe.“

2°. Christo ipſo docente, *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati* & diabolo mancipatus. Atqui ſervus non poteſt ſeipſum in libertatem aſſerere, ſed liberatore indiget per quem à ſervitute eximatur. *Cùm enim fortis armatus cuſtodit atrium ſuum*, ait Chriſtus, Luc. XI. 21, diaboli dominatum, opemque ſuam liberatricem deſcribens, *in pace ſunt ea quæ poſſidet: ſi autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet.* Ergo peccator jugum peccati ac diaboli excutere non valet, niſi Chriſtum habeat liberatorem. Excuteret tamen, ſi ſolis ſuis viribus ſincerè doleret & contereretur de peccatis. Ergo nulla vera contritio ſolis naturæ viribus concipi poteſt. Conſule quæ ſupra, Lib. II, dicta ſunt de ſervitute peccati.

3°. Peccator in Scripturis paſſim exhibetur velut mortuus, cæcus, claudus, paralyticus; ejusque converſio adumbratur per reſurrectionem ex mortuis, per cæcorum illuminationem, claudorum erectionem, paralyticorum redintegrationem. Atqui nec mortuus ad vitam regredi, nec cæcus videre, nec claudus rectè ambulare, nec paralyticus membris ſuis liberè uti poteſt ex ſeipſo. Igitur nec peccator ex ſeipſo poteſt ad vitam, ad lumen juſtitiæ, ad greſſus rectos, ad pios affectus, ad voluntatis rectitudinem redire, ſed opus habet reſuſcitari, illuminari, erigi & ſanari. Porro verus ſincerusque dolor de peccatis, quàmlibet te-

tenuis ſit, eſt vitæ ſanitatiſque ſpiritualis quoddam ſaltem initium. Ergo nullus verus ſincerusque dolor de peccatis à peccatore concipi poteſt ſine auxilio gratiæ Chriſti.

4°. Juxta adverſarios, contritio illa propoſitumque non peccandi, ſolis naturæ viribus concepta, non diù perſeverant, ſed, ingruente gravi aliquâ tentatione, ſtatim evaneſcunt. Proinde, in eorum opinione, nihil vetat quominùs centies in anno homo peccet mortaliter, & centies verè ac ſincerè illum de peccatis pœniteat. Atqui oſtendemus Lib. VI hujuſmodi momentaneas converſiones Eccleſiæ doctrinæ ac praxi omnino repugnare, atque ipſi etiam voluntatis naturæ adverſari, ut pote quæ affectum ſuum dominantem non mutet crebrò alternis vicibus, ſicuti veſtimentum ſumitur ac deponitur ad libitum. Ergo contritio illa ſolis naturæ viribus elicita merum eſt figmentum, rationi non minus quàm auctoritati repugnans.

QUÆSTIO SEXTA.

Utrùm fides, ſeu fidei ac bonæ voluntatis initium, gratiæ deſiderium, aut qualiſcunque ad gratiam præparatio haberi queat abſque auxilio gratiæ Chriſti prævenientis & operantis.

POSTQUAM adverſus Pelagianos, ac Theologos ſolâ tantùm loquendi formâ ab illis diſcrepantes, probavimus nullum actum omni ex parte bonum fieri poſſe abſque auxilio gratiæ, alterum certamen reſtat adverſùs Semipelagianos eorumque imitatores, qui aliquod ſaltem fidei, bonæ voluntatis orationiſque initium ſine gratia haberi poſſe ſentiunt.

ARTICULUS PRIMUS.

An fidem aliquodve fidei initium homo ex ſeipſo producere valeat.

Semipelagianorum his error fuit, hominem per originis peccatum ita vulneratum fuiſſe, ut, quàmvis ad nullum opus bonum agendum ſibi ſufficiat abſque gratia Chriſti medicinali, ex reſiduo tamen priſtinarum virium poſſit ex ſeipſo ſanitatem deſiderare, fidem in Chriſtum medicum concipere, ejuſque opem expoſcere.

Extat in Bibliοth. PP. Colon. tom. 15, & in Lugdun. tom. 6.

Idem ſenſerat Tichonius in libro *Regularum*, reg. 3, ubi, teſte S. Auguſtino lib. 3 *de Doctrina Chriſtiana*, cap. 33. num. 46, „ laboravit „ in (Pelagiana hæreſi) diſſolvenda benè, ſed non plenè. Diſputans „ enim de fide & operibus, opera nobis dixit à Deo dari merito fidei, „ ipſam verò fidem ſic eſſe à nobis, ut non ſit à Deo...... Sed non „ erat expertus, addit S. Doctor, hanc hæreſim, quæ noſtro tempore „ exorta nos...... multò vigilantiores diligentioreſque reddidit, ut ad„ verteremus in ſcripturis ſanctis, quod iſtum Tichonium minùs atten„ tum, minùſque ſine hoſte ſollicitum fugit."

Sanctus ipſe Auguſtinus, dum junior eſſet, in eumdem errorem incautus lapſus fuerat; adeò proclive eſt humanam rationem plus æquo ſibi tribuere, ſi divina revelatione non dirigatur. Id de ſeipſo teſtatur S. Doctor lib. 1 *Retractationum*, cap. 23. num. 2, ubi recenſens *Expoſitionem* à ſe datam *in nonnullas propoſitiones Epiſt. ad Rom.*, ſic loquitur ad propoſitionem 60: „ Diſputans quid elegerit Deus in nondum na„ to...... ad hoc perduxi ratiocinationem, ut dicerem: *Non ergo elegit* „ *Deus opera cujuſquam in præſcientia, quæ ipſe daturus eſt; ſed fidem* „ *elegit in præſcientia, ut, quem ſibi crediturum eſſe præſcivit, ipſum* „ *elegerit, cui Spiritum ſanctum daret, ut, bona operando, etiam vitam* „ *æternam conſequeretur.* Nondum diligentiùs quæſiveram, nec adhuc „ inveneram qualis ſit electio gratiæ...... Proinde quod continuò dixi „ (prop. 61): *Dicit enim idem Apoſtolus:* idem Deus qui operatur om„ nia in omnibus; *nuſquam autem dictum eſt: credit omnia in omnibus*, ac „ deinde ſubjunxi: *Quod ergo credimus, noſtrum eſt; quod autem bonum* „ *operamur, illius eſt qui credentibus dat Spiritum ſanctum*, profectò non „ dicerem, ſi jam ſcirem etiam ipſam fidem inter Dei munera reperiri, „ quæ dantur in eodem Spiritu. Utrumque ergo noſtrum eſt propter „ arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum eſt per Spiritum fidei „ & caritatis." Idem confitetur in lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 3 & 4, dicitque ſe non niſi in Epiſcopatûs ſui exordio, cùm reſponderet ad quæſtiones Simpliciani Mediolanenſis Epiſcopi, errorem ſuum deprehendiſſe & emendaſſe; Deo procul dubio id permittente, ut tanti Doctoris exemplo eruditi, non erubeſcamus, ſi qua fortè à nobis minùs rectè dicta vel ſcripta ſunt, palam retractare, ſtudeamuſque in cognitione & amore veritatis magis ac magis proficere.

Molina in *Concordia*, quæſt. 14. art. 13. diſput. 7, aſſerit hominem ſolis naturæ viribus poſſe credere in Deum, & firmiter adhærere omnibus à Deo revelatis, ut revelatis. Idem docent Maldonatus, tom. 3 operum Theologicorum, tract. 5 de Juſtificatione, quæſt. 5; Leſſius in *Diſſertatione apologetica de gratia efficaci*, in append. cap. 10. num 30; Suarez *de Gratia*, part. 1. lib. 2. cap. 10, & alii plurimi Jeſuitæ. Eam autem fidem naturæ viribus comparatam dicunt eſſe veram fidem, omnis

nis defectûs & vitii expertem, nec differre à fide ſupernaturali, niſi quia ſolis liberi arbitrii viribus producitur.

Ut autem ſtatus quæſtionis magis innoteſcat, obſervandùm eſt 1° in confeſſo eſſe apud omnes, ad fidem prærequiri revelationem divinitùs factam, & demonſtratam per prophetias, miracula, aliaque motiva, ut loquuntur, credibilitatis, nec non prædicationem externam, per quam divina revelatio nobis certò declaratur. 2°. Ut aſſenſus revelatis datus cenſeatur fides Chriſtiana, requiri ex Bellarmino, lib 6. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 3, tres conditiones: „ unam, ut certò credatur ex „ parte objecti, id eſt, tanquam à Deo revelatum, & quod nullomodò „ falſum eſſe poſſit; alteram, ut firmiter credatur ex parte ſubjecti, id „ eſt, ut homo nihil dubitet, & malit potiùs mori quàm articulum „ fidei non credere; tertiam, ut ex affectu credatur, id eſt, ex qua- „ dam inclinatione pia erga Deum, quâ incipit homo cervicem Deo „ flectere, eique ſe ſubjicere ad obedientiam fidei, etiam in rebus quæ „ rationem humanam ſuperant. " 3°. Duo præſertim attendi debere in actu fidei, nempe rationem formalem quâ impellimur ad credendum, & finem ultimum. Ratio formalis eſt divina revelatio per infallibilem Eccleſiæ auctoritatem declarata: finis verò ultimus Chriſtianæ fidei eſt Deus ipſe caſto amore, ſaltem inchoato, dilectus, ut ſupra probatum eſt. Porro inter eos qui fidem catholicam profitentur non pauci ſunt, qui ideò credunt quia ſic à parentibus & magiſtris inſtituti ſunt, vel quia inter Catholicos vivunt, eo ferè modo quo Mahumetani forent, ſi inter Mahumetanos verſarentur. Horum aſſenſus, planè fortuitus ac merè humanus, non eſt propriè fides, quæ eſt donum gratiæ Chriſti. Alii propterea credunt, quòd per argumenta certa & evidentia convicti ſunt religionem Chriſtianam & Catholicam ſolam eſſe veram. Hæc quoque fides non pertinet propriè ad gratiam Chriſti. Notandum tamen eſt rarò admodùm vel nunquam contingere ut uterque ille aſſenſus certus ſit & indubitatus ex parte ſubjecti, mentiſque infirmitatem, myſteriorum ſublimitate & obſcuritate quodammodò repercuſſam, plerùmque fluctuare ac titubare, niſi ſuperno lumine roboretur. Nonnulli demum omnibus fidei dogmatibus aſſentiuntur propter ſupremam Dei revelantis auctoritatem, & infallibilem Eccleſiæ Catholicæ declarationem, ſed abſque ullo pio in Deum & in veritates revelatas affectu. Horum fides ex Deo eſt reſpectu objecti & motivi proximi; ſed, quia caret debito fine ultimo, tametſi inter Dei munera computanda ſit, non eſt propriè donum gratiæ Chriſti. Igitur quæſtio tantùm eſt de fide verè Chriſtiana, quæ recta ſit reſpectu objecti, motivi, ſubjecti & finis ultimi, uno verbo, quæ nulla ex parte deficiat.

PROPOSITIO.

Sine adjutorio gratiæ Chriſti nec fides Chriſtiana, nec ullum ejus initium haberi poteſt.

PROBATUR I° Scripturæ teſtimoniis, quorum alia docent generatim nihil boni eſſe in homine ſine gratia Dei, alia ſpeciatim declarant fidem ejusque initia eſſe donum Dei.

Primi generis hæc imprimis ſunt: Joann. XV. 5: *Sine me nihil poteſtis facere.* Jacob. I. 17: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* 1 Corinth. IV. 7: *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quo præcipue teſtimonio convictum ſe fuiſſe teſtatur S. Auguſtinus, lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 3. num. 7, „ cùm ſimiliter erraret, „ putans fidem, quâ in Deum credimus, non donum Dei eſſe, ſed à „ nobis eſſe in nobis."

Secundi generis teſtimonia plurima ſunt: imprimis Joann. V. 44, ubi Chriſtus dicit: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum.* Nam venire ad Chriſtum nihil aliud eſt quàm credere in eum, ut exponit S. Auguſtinus lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 8. num. 13. Unde ibidem, v. 65 & 66, Chriſtus ſic proſequitur: *Sunt quidam ex vobis qui non credunt; proptereà dixi vobis: nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.*

Matth. XVI, cùm Petrus confeſſus fuiſſet Jeſum eſſe *Chriſtum Filium Dei vivi*, reſpondit Jeſus, v. 17: *Beatus es, Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.*

Lucæ XVII. 5, Apoſtoli dicunt Jeſu: *Domine, adauge nobis fidem:* quâ ex oratione S. Fulgentius ſic concludit lib. 1 *de Veritate Prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 17: „ Si ex ſe voluntas hominis habere poſſet „ initium (fidei), ex ſe profectò ſumpſiſſet augmentum...... Nam, ut „ homo non credat, ex ſe habet infidelitatem: ut autem in Deum cre- „ dat, à Deo accipit fidem; & ut in eo fides, augmento ſubſequen- „ te, perficiatur, non hoc virtus humanæ voluntatis, ſed divina gra- „ tia facit."

Iſtud fidei dogma frequentiſſimè inculcat Apoſtolus ſuis in Epiſtolis. Rom. XII. 3, dicit Deum *unicuique dividere menſuram fidei.* 1 Corinth. III. 7: *Ego plantavi*, inquit, *Apollo rigavit; ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus:* quia videlicet, ut obſervat S. Auguſtinus lib. 1 *de*

Pec-

Digitized by Google

Peccatorum meritis & remiſſione, cap. 25. num 37, „ audit homo dicen-
„ tem vel hominem, vel angelum; ſed ut ſentiat & cognoſcat verum
„ eſſe quod dicitur“ (quantò magis ut amet & corde amplectatur?),
„ illo lumine intus mens ejus aſpergitur, quod æternum manet, quod
„ etiam in tenebris lucet.“

Ibidem, VII. 5, Apoſtolus dicit: *miſericordiam conſecutus ſum, ut eſ-ſem fidelis.* Non ait, quia fidelis eram, ſed *ut eſſem*; neque ut eſſem magis fidelis, ſed ſimpliciter *ut eſſem fidelis.* Et cap XII. 3: *Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus* (quæ fidei prima vox eſt), *niſi in Spiritu ſancto.*

2 Corinth. III. 7: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Porro, ut ratiocinatur S. Auguſtinus lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 3. num. 5,
„ quis non videat priùs eſſe cogitare quàm credere? Nullus quippe cre-
„ dit aliquid, niſi priùs cogitaverit eſſe credendum...... Quanquam &
„ ipſum credere nihil aliud eſt quàm cum aſſenſione cogitare......
„ Ergo, quod pertinet ad religionem atque pietatem, ſi non ſumus
„ idonei ad cogitandum aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſuffi-
„ cientia noſtra ex Deo eſt, profectò non ſumus idonei ad creden-
„ dum aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, quod ſine cogitatione non poſ-
„ ſumus, ſed ſufficientia noſtra, quâ credere incipiamus, ex Deo eſt.“

Epheſ. VI. 23: *Pax fratribus, cum fide & caritate, à Deo Patre & Domino Jeſu Chriſto:* ubi *fides* non minùs quàm *caritas* declaratur eſſe donum Dei per Jeſum Chriſtum. Ibidem, II. 8: *Gratiâ eſtis ſalvati per fidem; & hoc non ex vobis, Dei enim Donum eſt: non ex operibus, ut ne quis glorietur.*

Philipp. I. 29: *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini:* ubi, inquit S. Auguſtinus ibidem, „ utrumque oſtendit Dei donum, quia utrumque dicit eſſe do-
„ natum; nec ait ut pleniùs perfectiùſque credatis in eum, ſed ut cre-
„ datis in eum.“

Hebr. XII. 2: *Aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Jeſum.* Porro „ ſi ex ſe homo habet fidem,“ verba ſunt S. Fulgentii lib. 1. *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 18, „ non eſt auctor fidei Jeſus.
„ Et ſi ſuis viribus homo fidem perficit, non eſt conſummator fidei Jeſus.“

S. Petrus, 1 Epiſt. I. 21: *Per ipſum* (Chriſtum) *fideles eſtis in Deo, qui ſuſcitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides veſtra & ſpes eſſet in Deo.*

S. Joannes, 1 Epiſt. cap. 4: *Omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum in carne veniſſe, ex Deo eſt.* Ergo non ſine dono Dei fidei dogmata verâ & rectâ fide creduntur.

Probatur II° ex ſanctis Patribus.

S. Barnabas in Epiſtola ſua, num. 4: „ Circumcidit (Deus) aures
„ noſtras, inquit, ut audito verbo credamus.“

Her-

Digitized by Google

Hermas, lib. 2 *Paſtoris*, mandato 9: „ Vides quòd fides deſurſum „ eſt à Deo."

S. Clemens Romanus, Epiſtolæ 1 ad Corinthios num. 36: „ Per hunc „ (Jeſum Chriſtum) oculi cordis noſtri aperti ſunt: per hunc intellec- „ tus noſter inſipiens & obtenebratus in admirabilem ejus lucem reflo- „ reſcit." Unde patet mentem noſtram inſipientem & obtenebratam ſine gratia Chriſti nihil ſapientiæ, nihil lucis ex ſeipſa producere, ſed opus eſſe ut oculi noſtri per Chriſtum aperiantur. Quis verò non ſentit ab illo eſſe fidem, à quo cordis oculi aperiuntur, ut incipiamus habere aliquid ſapientiæ & lucis?

S. Ignatius, Epiſcopus Antiochenus & martyr, ſuam ad Romanos Epiſtolam ſic inſcribit: „ Ignatius. . . . . miſericordiam conſecutæ in „ magnificentia altiſſimi Patris & Jeſu Chriſti unigeniti ejus Filii, Ec- „ cleſiæ dilectæ & illuminatæ per voluntatem illius, qui vult omnia ſe- „ cundum caritatem Jeſu Chriſti Domini noſtri." Quibus verbis Romanorum fidem nonniſi gratiæ Dei attribuit.

S. Polycarpus in Epiſtola ad Philippenſes, num. 3: „ Beatus, inquit, „ & glorioſus Paulus abſens vobis ſcripſit Epiſtolas, in quas ſi intuea- „ mini, ædificari poteritis in fide quæ data eſt vobis, quæ eſt mater „ omnium noſtrûm."

Pag. 109: al. In edit. Commel. anni 1593. Pag. 173. S. Juſtinus martyr in *Dialogo cum Tryphone*, num. 7, narrat venerandum ſenem, à quo veritatem Chriſtianam edoctus fuerat, id ſibi imprimis commendaſſe, ut „ ante omnia precaretur lucis portas ſibi ape- „ riri: neque enim hæc quiſquam perſpicere & intelligere poſſe, niſi „ cui Deus intelligere dederit & Chriſtus ejus."

Pag. 133: aliàs pag. 196. Iſtam monitionem ſecutus Juſtinus eam ſibi legem præſtituit, ut, quos doceret, eis fidei ſubmiſſionem precibus efflagitaret. Sic in eodem Dialogo, num. 34, pro Judæis orat ut fidem amplectantur. „ Quam- „ obrem, inquit, pro vobis & pro aliis omnibus qui nos oderunt pre- „ camur, ut, reſipiſcentes nobiſcum, in eum Jeſum Chriſtum blaſphe- „ mias non evomatis, ſed in eum credentes ſalutem in ſecundo ejus „ adventu, qui glorioſus futurus eſt, conſequamini." Et initio *Co-*

Pag. 6, al. pag. 1. *hortationis ad Græcos*: „ Cohortationem apud vos, Græci, inſtituens, „ Deum precor ut & mihi quidem apud vos, ut par eſt, dicere con- „ tingat, vos autem priſtinam pertinaciam relinquentes, & à majorum „ diſcedentes errore, quæ utilia in præſentia ſunt eligatis." Unde verò tanta illa orandi neceſſitas, niſi quia fides non eſt à nobis, ſed do-

Pag. 45. num Dei? Demum in *Apologia* prima (aliàs ſecunda), num. 10: „ Ut „ ab initio fieremus, in nobis ſitum non erat: ut autem ea ſequamur „ quæ ipſi placent, adhibitis ad eligendum rationalibus facultatibus quas „ ab eo accepimus, id ipſe nobis perſuadet, & ad fidem nos adducit." Igitur, ex S. Juſtino, Deus non minus eſt auctor fidei noſtræ quàm exiſtentiæ noſtræ.

Anti-

Digitized by Google

Antiquiſſimus auctor Epiſtolæ ad Diognetum (inter Opera S. Juſtini) Pag. 233. ſic eam orditur: „ Peto à Deo, qui & loquendi & audiendi nobis facul- „ tatem ſuppeditat, ut ab eo detur mihi quidem ita verba facere, ut „ imprimis contingat te, poſtquàm audieris, meliorem evadere, & tibi „ ita audire, ut triſtitiâ non afficiatur is qui verba fecerit."

S. Irenæus lib. 4 *adverſùs Hæreſes*, cap. 6. num. 4 (al. cap. 14): „ Edocuit Dominus quoniam Deum nemo ſcire poteſt, niſi Deo do- „ cente, hoc eſt, ſine Deo non cognoſci Deum: hoc autem ipſum cog- „ noſci eum, voluntatem eſſe Patris: cognoſcunt enim eum quibuſcun- „ que revelaverit Filius," revelatione utique interna & peculiari, quæ non omnibus præbetur. Et cap. 7. num. 3 (al. cap. 16): „ Revelat „ omnibus Filius quibus velit agnoſci Patrem; & neque ſine bona vo- „ luntate Patris, neque ſine adminiſtratione Filii cognoſcet quiſquam „ Deum." Quamobrem, lib. 3. cap. 25. num. 7 (al. cap. 45), de hæ- reticis loquens: „ Precamur, inquit, non perſeverare eos in fovea quam „ ipſi fecerunt, ſed...... legitimè eos generari, converſos ad Eccleſiam Dei, & formari Chriſtum in eis, & cognoſcere eos fabricatorem & fac- torem hujus univerſitatis, ſolum Deum verum & dominum omnium.

Tertullianus lib. *de Anima*, cap. 21: „ Lapides, inquit, filii Abra- „ hæ fient, ſi in fidem Abrahæ formentur...... Hæc erit vis divinæ „ gratiæ."

S. Clemens Alexandrinus, initio *Admonitionis ad Gentes*, precatur Edit. Pariſ. anni 1641, pag. 2. ut ſuprema veritas „ undique illuminet eos qui volutantur in tenebris, „ & homines liberet ab errore." Et paulò poſt: „ Deus miſeratus „ multam inſcitiam & cordis duritiam eorum qui erga veritatem lapi- „ des facti erant, excitavit ſemen pietatis in Deum, quod virtutem ſen- „ tiret, ex lapidibus illis, nempe gentibus quæ crediderunt lapidibus;" diis ſcilicet lapideis. Et lib. 1 *Stromatum*: „ Eſt autem donum doc- „ trina pietatis, gratia verò fides."

Origenes, in caput 4 Epiſt. ad Rom. exponens hæc verba, *ideò ex fi- de, ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio*, ſic loquitur: „ Quòd ſi for- „ tè hoc ipſum videatur, quod dicitur *ex fide*, non eſſe gratis, quip- „ pe ſi offerenda ſit fides priùs ab homine, & ita à Domino gratia pro- „ merenda, audi quomodò in aliis idem Apoſtolus...... oſtendebat „ quòd etiam fides per gratiam datur." Et commentans hæc verba cap. XI: *Reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt*: „ Omnes, in- „ quit, qui ad fidem Chriſti veniunt, per gratiam veniunt." Nemo igitur ſolis arbitrii ſui viribus, nemo, niſi per gratiam Chriſti, ad Chriſti fidem venit.

S. Cyprianus, tract. *de Oratione Dominica*: „ Chriſto monente, inquit, Edit. Oxon. pag. 192. „ oramus,..... ut quomodò in cœlo, id eſt, in nobis, ita & in ter- „ ra, id eſt, in illis non credentibus fiat voluntas Dei, ut, qui ſunt „ adhuc primâ nativitate terreni, incipiant eſſe cœleſtes.

Digitized by Google

Tom. 1. pag. 246. S. Hippolytus Epiſcopus & martyr in *Traditione Apoſtolica de Chariſmatibus:* „ Nemo eſt, ait, per Chriſtum in Deum credens, qui non „ acceperit charisma ſpirituale: ipſum enim hoc, liberatum eſſe ab im- „ pio multorum deorum cultu, & credidiſſe Deo Patri per Chriſtum, „ charisma (ſeu gratia) Dei eſt."

Edit. Pariſ. anni 1627, tom. 1. pag. 83. S. Athanaſius in oratione *de Incarnatione Verbi*, num 30 & 31, Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe verumque Deum eſſe inde probat, quòd gentes ad obedientiam fidei gratiâ ſuâ inclinet: quod utique argumentum valde infirmum foret, imò nullum, ſi ad ad concipiendam fidem ſola prædicatio externa ſufficere poſſet. „ Cum, inquit, tot & tanta Salvator „ in hominibus efficiat; cùm tot undique græcis & barbaris occultè quo- „ tidie perſuadeat ut ſuam fidem amplectantur, & ſuæ doctrinæ omnes „ obediant, num adhuc dubitabit aliquis utrùm à Salvatore facta ſit „ reſurrectio, & vivat Chriſtus, imò verò ipſe ſit vita?" Interius autem in cordibus operando Chriſtum id præſtare docet num. 51. „ Do-

Pag. 105. „ minus noſter Jeſus Chriſtus, inquit, omnium Dominus, Dei virtus, „ non ſolùm per ſuos diſcipulos prædicavit, ſed etiam ipſe interiori „ ſuaſione eorum (populorum omnium) animos induxit, ut, morum „ impietate abjectâ, patrios deos non amplius colerent, ſed ſeipſum

Pag. 995. „ agnoſcerent, & Patrem per ipſum venerarentur." In oratione *de Paſſione & cruce Domini*, paulò poſt initium: „ Poſtulat fidem Salvator, inquit, „ non quòd alicujus operâ aut miniſterio indigeat, ipſe enim

Nov. edit. pag. 967. „ fidei auctor eſt & ſuppeditator." Demùm in Epiſtola ad Monachos: „ Domino gratias ago, qui donavit vobis in eum credere." Et poſteà: „ Scribere ſtudui, ut piam fidem, quam in nobis gratia Dei operatur, „ ſincerè cuſtodientes &c."

S. Cyrillus Hieroſolymitanus, Catech. 13. num. 8, ſic loquitur: „ Omnia gratificatur Deus,..... qui precibus veſtris exoratus, & no- „ bis qui verba facimus dicere, & vobis qui auditis credere concedat." Et Catech. 14. num. 3: „ Præſtet omnibus nobis credere in eum qui „ reſurrexit."

Tom. 1. pag. 710. S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 44 in Pentecoſten, loquens de fide & confeſſione Trinitatis: „ Qui primum dedit, inquit, dabit profectò „ ſecundum, idque potiſſimum:" hoc eſt, ut interpretatur S. Auguſtinus lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 19. num. 49, „ qui dedit crede-

Pag. 627. „ re, dabit & confiteri." Et Orat. 39: „ Nobis divino beneficio con- „ ceſſum eſt ut, ſuperſtitioſo errore fugâ relicto, à veritate ſtemus, ac „ Deo vivo & vero ſerviamus."

Tom. 1. pag. 281. S. Gregorius Nyſſenus, tract. 1 in Pſalmos, num. 8, exponens hæc verba pſalmi 106, *deduxit eos in viam rectam:* „ Viam vocat, inquit, „ ipſum Dominum à quo aberraverant. Teſtatur autem hæc ipſa via „ neminem venire ad ſe, niſi Pater cœleſtis eum trahere velit: quocir- „ cà Deus errantes in viam reducit."

S. Am-

Digitized by Google

S. Ambroſius, lib. 1 in Lucam, explicans hæc verba capitis primi: *Viſum eſt & mihi:* „ Poteſt, inquit, non ſoli viſum eſſe, quod viſum „ ſibi eſſe declarat. Non enim voluntate tantùm humana viſum eſt: „ ſed ſicut placuit ei qui in me, inquit, loquitur Chriſtus; qui, ut „ id quod bonum eſt nobis quoque bonum videri poſſit, operatur; quem „ enim miſeratur, & vocat. Et ideò qui Chriſtum ſequitur poteſt, in- „ terrogatus cur eſſe voluerit Chriſtianus, reſpondere: *viſum eſt mihi.* „ Quod cùm dicit, non negat Deo viſum; à Deo enim præparatur vo- „ luntas hominum.“ Hæc quoque verba memorat S. Auguſtinus lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 19. num. 49. Tom. 1. pag. 7.

S. Epiphanius in Ancorato, num. 3: „ Eos, inquit, qui Spiritûs „ ſancti nondum participes ſunt, iſta commovet & perturbat oratio“ (quâ Chriſti divinitas aſſeritur). „ *Nemo enim dicere poteſt, Dominus* 1 Corinth. „ *Jeſus, niſi in Spiritu ſancto*...... Etenim, niſi quis Spiritum ſanctum XII. 3. „ acceperit, Jeſum verè Deum, aut verè Dei Filium, aut ſempiternum „ verè regem minimè eſſe dicit.“ Nulla ergo fides in Chriſtum eſſe poteſt ſine gratia Spiritûs ſancti.

S. Joannes Chryſoſtomus, Hom. 44 in Joannem (al. 45), num. 5, Tom. 8. pag. 265. exponens hæc Chriſti verba: *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet*, ait: „ Hoc ſignificat fides in me. Non parva res eſt, ſed ſupernâ gra- „ tiâ opus habet, & hoc ubique ſtatuit, oſtendens generoſam animam „ à Deo attrahi opus habere.“ Hom. 30 in Acta Apoſtol. num 3: Tom. 9. pag. 237. „ Nihil noſtrum eſſe putemus, quandoquidem ne ipſa quidem fides noſ- „ tra eſt noſtrum opus, ſed magis Dei.“ Audi Paulum dicentem: *Et hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt.* Homil. 28 in Epiſt. ad Hebr. Tom. 12. pag. 257. num. 2, ad hæc verba: *Aſpiciamus in auctorem fidei* &c: „ Quid hoc eſt, inquit? „ Id eſt, ipſe nobis fidem indidit, ipſe principium dedit: quod „ Chriſtus dicebat Apoſtolis: *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Si „ autem ipſe nobis impoſuit principium, ipſe quoque nobis finem im- „ ponet.“ Hom. 1 in Epiſt. ad Rom. num. 8: „ Ut gentes fidei obe- Tom. 9 pag. 433. Al. tom. 4. pag. 12. „ dierint, non Apoſtoli hæc efficiebant, ſed præveniens illos gratia. „ Illorum quippe erat circuire & prædicare: perſuadere autem Dei erat „ in illis operantis, ut Lucas dicit: *Deus aperuit cor ipſorum, quotquot* „ *crediderunt.*“ Et Hom. 11. num. 4: „ Ut diſcas non ex illorum pro- Ibid. pag. 520. Al. pag. 139. „ bitate tantùm, ſed Dei gratiâ totum factum fuiſſe, poſtquàm dixe- „ rat, *obediſtis ex corde*, addidit, *in eam doctrinæ formam in quam tra-* „ *diti eſtis.* Obedientia enim ex corde liberum arbitrium denotat: „ quòd autem *traditi* ſunt, id Dei auxilium ſubindicat.“ Demum lib. *de ſancta Virginitate*, memoratis his Apoſtoli verbis, *miſericordiam con-* Tom. 1. pag. 202. Al. tom. 4. pag. 318. *ſecutus ſum, ut ſim fidelis*, hæc habet: „ Ipſum etiam credere, inquit, „ mihi ejus miſericordiâ conceſſum eſt. Non enim, inquit, quòd dig- „ nus eſſem, fidem accepi; ſed quòd miſericordiam ſim conſecutus. Mi- „ ſericordia autem gratiæ eſt, non ex merito. Itaque niſi ſummè mi-

 ſe-

„ ſericors eſſet Deus, non tantùm Apoſtolus, ſed ne fidelis quidem un-
„ quam effici potuiſſem.“

Illi omnes Eccleſiæ Doctores ante ortos Pelagianos Semipelagianosque vixerunt. Qui poſteà ſcripſerunt eamdem doctrinam multò ſtudioſiùs operoſiùsque defenderunt.

S. Auguſtinus, Epiſt. 217 (al. 107) ad Vitalem, & in libris *de Prædeſtinatione ſanctorum*, & *de Dono perſeverantiæ*, totus in eo incumbit, ut hoc dogma ex Scripturis, ex Patribus ipſo antiquioribus, ex precibus & gratiarum actionibus univerſæ Eccleſiæ demonſtret, Semipelagianorumque objectiones repellat. Verùm multò ante natam Pelagii hæreſim, initio ſui Epiſcopatûs, veritatem catholicam ſic expreſſerat lib. 1 *de Geneſi contra Manichæos*, cap. 8. num. 14: „ Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Evangelio admiratus eſt fidem credentium. Quis autem in illis fecerat ipſam fidem, niſi ipſe qui eam mirabatur?

Auctor *Hypognoſticon*, lib. 3. cap. 19: „ Nec fides eſt ſine gratia,
„ nec gratia ſine fide...... Nemo penitùs glorietur fidem ſe ex proprio
„ ſenſu peperiſſe (quibus verbis omnino exploditur Molinæ commentum
„ de fide naturali ſolis liberi arbitrii viribus concepta); ſed agnoſcat,
„ tam ante legem, quàm ſub lege & poſt legem, fidem quæ eſt in Jeſu
„ Chriſto per illuminationem gratiæ, quæ à Deo Patre eſt, unicuique
„ revelatam ad ſalutem.“

Eamdem veritatem paſſim probat S. Proſper ſuis in ſcriptis, ac præſertim in Epiſtola ad Rufinum, in libris *contra Collatorem*, *Adverſùs Gallos*, *Adverſùs Vincentium*, & in carmine *de Ingratis*. Sic loquitur in *Reſponſione ad Capitula Gallorum*, cap. 8: „ Infidelitatem hominum
„ ipſis hominibus adſcribamus: fidem autem hominum donum Dei eſſe
„ fateamur, ſine cujus gratia nemo currit ad gratiam. Et in carmine *de Ingratis*, cap. 9:

Porro fidem quis dat, niſi gratia? Sic benè velle
Gratia dat, tribuendo fidem quæ credita poſcat,
Quæque voluntatis meritum creet, ipſaque ſolo
Naſcatur ſpirante Deo, mentemque reformans
De cinere algenti ſopitum ſuſcitet ignem.
. . . .
Sive illam vis eſſe tuam, non munere dantis
Sumptam, ſed genitam de libertate volendi,
Nullam habet in vobis ſalvatrix gratia ſedem,
Inflato excluſa arbitrio, quod fronte ſuperbâ
Erigitis, ſpatio ut gravids majore ruatis.

Non minori ſtudio auctor librorum *de Vocatione gentium* eos debellat, qui ſentiunt hominem ſolis naturæ viribus poſſe credere revelatis, ut.

Digitized by Google

ut revelatis. Audiant Molinæ diſcipuli quomodò celeberrimus ille auctor figmentum illud conterat lib. 1. cap. 8: „ Amator mundi, inquit, ... „ plenus eſt amore vanitatum, quas etiamſi potuerit ex aliqua parte vitare, &, tranſcenſis temporalibus ac viſibilibus, ad æterna & inviſibilia intelligendo profecerit; ſi à colendis quoque ſimulacris receſſerit, & venerari cœlum & terram, & omnia mundi hujus elementa deſtiterit " (quod nullum Gentilium unquam feciſſe certum eſt), fidem tamen dilectionemque Chriſti non capiet, & ſcandalum Dominicæ nativitatis & mortis proprio judicio non evincet. Propter ſapientiam enim mundi reſiſtentem ſapientiæ Dei, ut ſuperbia de ſe præſumentium cæcaretur, *placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.*" Et paulò poſt: „ Quis erit ille qui, ſolâ voce extrinſecùs ſonante doctoris, hoc tantùm de gratia habeat quòd audierit, & totum de voluntate quòd crediderit? Quod ſi ita eſſet, nihil inter gratiam legemque diſtaret."

S. Gelaſius Papa, Epiſt. 7 ad Epiſcopos per Picenum: „ Quid autem, ait, haberi poteſt ſine gratia, cùm ſit fides ipſa per gratiam, Apoſtolo nos docente: *Miſericordiam conſecutus ſum ut fidelis eſſem?*.... Audiamus etiam quemadmodùm informat Eccleſiam: *Gratiâ*, inquit, *ſalvi facti eſtis per fidem*, ut principium ſalutis & fidei à gratia cœpiſſe differeret."

S. Fulgentius in lib. *de Incarnatione & gratia*, ab aliis quoque Epiſcopis ipſius in exilio ſociis approbato, cap. 17, ſic loquitur: „ Si quis dixerit: meum eſt velle credere, Dei autem adjuvare,..... male gratiam Dei ſuæ voluntati poſtponit, cum iſta bona eſſe non poſſit, ſi illa defuerit. Non ergo dicat: meum eſt velle credere, Dei autem gratiæ adjuvare; ſed dicat: Dei gratiæ eſt adjuvare, ut ſit meum velle credere. Tunc enim verè rectèque eſt ejus hoc velle, cùm eum gratia præveniens cœperit adjuvare...... Adjutorio igitur atque munere Dei ſibi fidem dari unusquisque non dubitet.

Poſteriores Patres hìc referre ſuperfluum eſt. De illorum enim cum anterioribus perfecta conſenſione nullus poteſt eſſe ambigendi locus.

Probatur III° auctoritate Conciliorum, atque imprimis Arauſicani ſecundi, quod ad iſtam fidem definiendam potiſſimum celebratum eſt. Sic verò decernit can. 5: „ Si quis, ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui juſtificat impium,..... non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritûs ſancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, ſed naturaliter ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur." Et can. 7: „ Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, Evangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illumina-

Digitized by Google

„ tione & inſpiratione Spiritûs ſancti, qui dat omnibus ſuavitatem in „ conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu.“ Poſt canones autem declarant concilii Patres: „ Secundùm ſanctarum Scrip„ turarum ſententias & antiquorum Patrum definitiones, hoc (nos), „ Deo propitiante, & prædicare debemus & credere, quòd per pecca„ tum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbi„ trium, ut nullus poſteà...... credere in Deum...... poſſit, niſi gra„ tia eum & miſericordia divina prævenerit.“

Hæc decreta renovavit ac confirmavit concilium Tridentinum, ſeſſ. 6. can. 3, his verbis: „ Si quis dixerit hominem, ſine præveniente Spiri„ tûs ſancti inſpiratione atque ejus adjutorio, credere, ſperare, diligere „ aut pœnitere poſſe, ſicut oportet,..... anathema ſit.“

His tot tamque invictis auctoritatibus non tantùm veterum Semipelagianorum hæreſis damnatur, ſed Molinianum quoque commentum omnino proteritur. Nam credere revelatis, ut revelatis, ex pio voluntatis erga Deum affectu, actus eſt veræ fidei quam à nobis exigit Deus. Atqui auctoritates hactenus allatæ expreſſe definiunt fidem, quam Deus à nobis exigit, eſſe donum gratiæ, ſoliſque naturæ viribus concipi nullatenus poſſe; Evangelicæ prædicationi ex corde conſentire & acquieſcere neminem poſſe absque illuminatione & inſpiratione Spiritûs ſancti; de fide etiam amplectenda neminem piè cogitare poſſe, niſi hoc ipſum gratiæ munere acceperit. Ergo prædictæ auctoritates Jeſuiticam doctrinam apertiſſimè damnant.

2°. Molina ipſe obſervat, ut jam vidimus, duplicem fidem, unam naturalem, alteram ſupernaturalem, nulli SS. Patrum in mentem unquam veniſſe. Ergo, quando fidem nonniſi per gratiam haberi poſſe definiunt, excluſivè loquuntur, nullamque veram fidem agnoſcunt quæ non ſit gratiæ munus.

3°. Reverâ fides ordinis naturalis à Molina excogitata nullatenus differt intrinſecè à fide ſupernaturali, non differt, inquam, penes aliquam perfectionem, intentionemve intrinſecam, quæ uni inſit & deſit alteri; ſed in eo tantùm quòd in unam producendam gratiæ adjutorium influat, altera verò ſolis liberi arbitrii viribus cum concurſu Dei generali producatur. Hoc autem ſuppoſito, certamen Eccleſiæ contra Semipelagianos non fuiſſet de neceſſitate gratiæ ad credendum in Chriſtum, ſed de neceſſitate gratiæ ad credendum modo quodam ſupernaturali, ſeu ejuſmodi fide in quam gratia influat. Quaſi verò Semipelagiani adeò deliraverint, ut contenderent (quod in ipſis terminis implicat) fidem, quæ ſit à gratia, haberi poſſe absque auxilio gratiæ; & SS. Eccleſiæ Doctores adeò obtuſi fuerint, ut ſupinam illam contradictionem non animadverterint, non confutaverint, non deriſerint. Cur ſaltem ſtatum quæſtionis nec S. Auguſtinus, nec S. Proſper aliique ejus diſcipuli nunquam diſtinctè expoſuerunt? Cur gratiæ neceſſitatem ad fidem concipiendam

Digitized by Google

dam perpetuò repetunt ab humanæ naturæ infirmitate & pravitate, tenebriſque menti offuſis, cùm à ſola actûs ſupernaturalitate, quæ gratiam ſupponat, eam repetere debuiſſent?

4°. Conciliorum anathemate feritur, quicunque dixerit hominem credere poſſe ſicut oportet abſque gratia Chriſti præveniente. Atqui fides à Molina ſubintroducta, quamvis ordinis merè naturalis, eſt fides ſicut oportet. Habet quippe proprium fidei objectum, nempe omnia à Deo revelata: nititur ratione & motivo proprio fidei, ſcilicet auctoritate ac veracitate Dei revelantis: parit firmam & indubitatam mentis perſuaſionem, referturque ad debitum finem ultimum: uno verbo cujusvis defectûs, qui ad ejus ſubſtantiam pertineat, expers eſt. Ergo Conciliorum anathemata doctrinam Molinæ directè feriunt.

5°. Etiamſi illius aſſertores dicerent fidem illam naturalem eſſe imperfectam, nihilominùs Semipelagianiſmum inſtaurarent; inde enim conſequeretur initium fidei eſſe à nobis, perfectionem à Deo.

6°. Docet S. Auguſtinus, Epiſt. 217 (al. 107) ad Vitalem, cap. 3. num. 11, eos qui prædicationem Evangelicam audiunt, ſi auxilio gratiæ non præveniantur, pejores fieri. „ Doctrinam, inquit, qui audiunt & „ legunt ſine gratia Dei, pejores ejus efficiuntur inimici.“ Et cap. 4. num. 12: „ Agnoſcamus gratiam quæ facit prodeſſe doctrinam. Quæ „ gratia ſi deſit, videmus etiam obeſſe doctrinam.“ Porro qui prædicationi acquieſcit fidemque amplectitur quocunque modo debito, non pejor fit, ſed melior. Ergo hujusmodi aſſenſus non poteſt non eſſe à gratia.

7°. Concilium Arauſicanum definit per donum gratiæ *corrigi voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem.* Id autem ſtare nequit in opinione Moliniana, juxta quam Deus per auxilium gratiæ utplurimum non convertit ab infidelitate, ſed à fide naturaliter concepta transfert ad fidem ſupernaturalem.

Meritò proinde Conſultores Congregationum *de Auxiliis* cenſuerunt in tertia, habita coram Clemente VIII 9 Julii 1602, „ propoſitionem „ Molinæ, de actu fidei circa myſteria fidei ex ſola facultate naturæ, „ eſſe omnino contrariam doctrinæ à S. Auguſtino contra Pelagianos „ traditæ.“ Et in Canonibus *doctrinæ damnandæ* communibus votis juſſu Pauli V digeſtis: „ Qui dixerit, inquiunt, hominem ex facultate ſui liberi arbitrii, cum ſolo concurſu generali Dei, poſſe iis quæ „ credenda ſunt aſſentiri tanquam à Deo revelatis & quia à Deo revelata „ ſunt, quando proponuntur & explicantur, adhibitis argumentis quæ „ afferri ſolent, ut homines meritò ſibi perſuadeant ea revelata eſſe à „ Deo & juſſa credi, &, accedente externâ vocatione ad fidem per „ concionatores aliosque Eccleſiæ miniſtros, converti, errat.“ In Append. Hiſt. Congregat. pag. 207.

Probatur IV° rationibus Theologicis, quibus SS. Eccleſiæ Doctores hoc fidei dogma munivcrunt.

Primam ſic exponit S. Anſelmus in *Dialogo de concordia gratiæ cum li-*

libero arbitrio, cap. 6: „ Quòd mittuntur prædicatores, gratia eſt. Quapropter & prædicatio gratia eſt, quia gratia eſt quod deſcendit ex gratia; auditus eſt gratia, & intellectus ex auditu eſt gratia, & rectitudo volendi gratia eſt. Verùm miſſio, prædicatio, auditus, intellectus nihil ſunt, niſi voluntas velit quod mens intelligit: quod voluntas facere nequit niſi acceptâ rectitudine...... Ita quod mens ex auditu verbi concipit, eſt ſemen prædicantis, & rectitudo eſt incrementum quod Deus dat...... Qui audit & non obedit, dicitur non audire. Sed obedire nequeunt niſi velint; velle autem obedire eſt rectè velle: rectè autem velle nemo poteſt, niſi habeat rectitudinem voluntatis, quam nullus habet homo niſi per gratiam." Perſpicuum eſt toto iſto ratiocinio non ſolum Semipelagianos, ſed Molinam quoque pariter expugnari.

2°. Natura humana per peccatum originale non caritatem ſolùm, ſed fidem quoque amiſit, nec tantum fidem quam vocant ſupernaturalèm, ſed quamcunque veram & rectam in Deum fidem. Ergo nullam recuperare poteſt ſine gratia reparante. Sic argumentatur S. Proſper in *Reſponſione ad Excerptum primum Genuenſium*: „ Qui aſſerit, inquit, (fidem eſſe à nobis) fatetur, credo, nobiſcum quòd in primo Adam omnium hominum natura vitiata ſit, nec negat eam in illo lapſu ſuas amiſiſſe virtutes, quas, niſi per gratiam accipiat, habere non poſſit. Quid eſt autem quòd eidem naturæ ſolam fidem non vult eſſe præreptam, quam niſi primum amiſiſſet, cæteris bonis omnibus non careret? Credendo enim Adam diabolo, non credidit Deo...... Itaque...... quomodò fides in Adam perdita in quoquam filiorum ejus inveniretur, niſi eam idem Spiritus, qui omnia in omnibus operatur, infunderet?"

Tertia ratio deſumitur ab excellentia fidei Chriſtianæ. Cùm enim fons ſit & fundamentum omnis operis boni, ſi bona opera ſunt dona gratiæ, quantò magis gratiæ adſcribi debet ipſa fides, ſine qua nihil eſt verè bonum? Hoc etiam argumentum eſt S. Proſperi ibidem, in reſponſione ad octavum Excerptum. „ Operatur Deus, inquit, omnia in omnibus, bona profectò, non mala; & ſi omnia bona, utique & fidem, ſine qua nemo (Deo) placere poteſt, & quæ eſt virtutum omnium fundamentum. Quale eſt autem ut, cùm Dei ſit ædificatio, &, *niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborent qui ædificant eam*, aut nolint iſti fundamentum ad ædificium pertinere, aut ſe velint inchoare quod Dominus poſſit extruere? Non erit ergo illis principium Filius Dei, non fundabuntur in ipſo angulari lapide Chriſto Jeſu; nec de eis dictum eſt: *firmum autem fundamentum Dei ſtat.*" Eamdem rationem Semipelagianis oppoſuerunt S. Auguſtinus lib *de Dono perſeverantiæ*, cap. 7. num. 10, & Bonifacius II in Epiſtola ad S. Cæſarium Arelatenſem.

4°. Si

Digitized by Google

4°. Si quantulumcunque fidei initium oriri poſſet ex ſolo libero voluntatis arbitrio, gratia non jam gratuita daretur, ſed velut merito fidei debita redderetur. „ Non ergo receditur, ait S. Auguſtinus, lib. „ *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 2. num. 3, ab ea ſententia, quam „ ipſe Pelagius in Epiſcopali judicio Palæſtino damnare compulſus eſt, „ *gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari*, ſi non pertinet ad Dei gratiam quòd credere cœpimus, ſed illud potiùs, quod propter hoc nobis „ redditur, ut pleniùs perfectiùsque (vel, ſi vis, ſupernaturaliter) „ credamus: ac per hoc initium fidei noſtræ priores damus Deo, ut „ retribuatur nobis & ſupplementum ejus, & ſi quid aliud fideliter „ poſcimus." Et num. 4: „ Quis autem dicat eum, qui cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri? Unde fit ut jam merenti cætera dicantur addi retributione divinâ." Nec reſpondeant Moliniani fidem, quam ſine auxilio gratiæ haberi poſſe dicunt, cùm ſit ordinis merè naturalis, nullam habere proportionem cum gratia, quæ ordinis eſt ſupernaturalis, adeòque illam mereri nullatenus poſſe. Nam initium fidei, quod Semipelagiani ſolis naturæ viribus attribuebant, non poterat non eſſe mere naturale; & tamen S. Auguſtinus affirmare non dubitat initium illud fidei, ſi dari poſſit, non carere merito apud Deum. „ Debetur enim credenti, ait ibid. num. 6, ut à Domino ipſa fides „ ejus (etſi ſolis liberi arbitrii viribus genita) augeatur, & ſit merces „ fidei cœptæ fides aucta...... Cur autem non totum tribuatur homini, ut, qui ſibi potuit inſtituere quod non habebat, ipſe quod inſtituit augeat, omnino non video."

5°. Deus promiſit Abrahæ fidem gentium. Ergo fides eſt donum Dei; alioquin ab ipſis hominibus impleretur quod promiſit Omnipotens. Porro Deus abſolutè promiſit gentes in Chriſto benedicendas, & in ipſum credituras, id eſt, tranſituras ab infidelitate ad fidem. Non ergo ſupernaturalitas, ut ſic loquar, fidei, ſed ipſa ſubſtantia fidei eſt donum gratiæ Abrahæ repromiſſæ. Hanc probationem multis in locis verſat S. Auguſtinus. Unicum profero ex Serm. 168, cap. 1: „ Quando dictum eſt Abrahæ, inquit, *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, nos promiſſi ſumus. Ergo ipſe nos fecit filios fidei Abrahæ, „ qui potens eſt facere quod promiſit. Nemo dicat, ego feci: non enim „ promiſit Deus, & facis tu...... Sed ego, inquis, credidi: concedo, „ verum dicis. Credidiſti, ſed non tibi tu fidem dediſti. Unde autem „ credidiſti, niſi ex fide? Fides in te donum Dei eſt." Et cap. 3: „ Quæ eſt fides plena & perfecta? Quæ credit ex Deo eſſe omnia bona noſtra, & ipſam fidem." Eamdem probationem proferunt S. Proſper, S. Fulgentius, atque auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 20, ubi illam confirmat his verbis S. Joannis, 1 Epiſt. III. 33: *Qui accipit ejus teſtimonium*, id eſt, qui credidit, *ſignavit quia Deus verax eſt.*

Al. hom. 17 inter Quinquaginta.

Sextam rationem ſuppeditant preces univerſæ Eccleſiæ. Enimverò

Digitized by Google

id ſolum Eccleſia poſtulat à Deo, quod credit à ſolo Deo dari poſſe. Porro Eccleſia ubique terrarum poſtulat à Deo ut infideles credant: non poſtulat ut credant fide quæ ſit ſupernaturalis, ſed ſimpliciter & abſolute ut credant. Ergo omnis vera & recta fides eſt donum Dei. 2 Theſſalon. III. 1, Apoſtolus ait: *Fratres, orate pro nobis, ut verbum Dei currat & glorificetur.* Coloſſ. IV. 3: *Orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti.* Porro, ait S. Auguſtinus lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 20. num. 40: „ Quomodò aperietur oſtium verbi, niſi quando ſenſus aperitur audien„ tis ut credat, &, initio fidei facto, ea, quæ ad ædificandam ſalu„ brem doctrinam prædicantur & diſputantur, admittat, ne, per infi„ delitatem corde clauſo, ea quæ dicuntur improbet & repellat?“ Hunc pietatis ſenſum ab Apoſtolis commendatum nunquam non Eccleſia præ ſe tulit, omneſque verè Chriſtiani in cordibus impreſſum gerunt, ut obſervat S. Auguſtinus in Sermone modò citato, cap. 7. num. 8. „ Maritus Chriſtianus eſt, inquit, uxor infidelis eſt: non orat pro uxo„ re ſua ut credat? Uxor eſt Chriſtiana, maritus infidelis eſt: non „ orat mulier religioſa pro viro ſuo ut credat? Quando ergo id rogat „ qui orat, quid orat, niſi ut Deus det illi fidem? Ergo donum Dei „ eſt fides.“ Hac præpotenti ratione S. Doctor Vitalem Carthaginenſem, priùs aberrantem, ad ſanam fidem revocavit, Epiſt. 217 (al. 107), „ cap. 1. num. 2. „ Dic ergo apertiſſimè, inquiebat, nos pro iis, qui„ bus Evangelium prædicamus, non debere orare ut credant, ſed eis „ tantummodò prædicare. Exſere contra orationes Eccleſiæ diſputa„ tiones tuas; &, quando audis ſacerdotem Dei ad altare exhortantem „ populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem,..... „ ſubſanna pias voces, & dic te non facere quod hortatur, id eſt, Deum „ pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare, eoquòd non ſint „ iſta divinæ miſerationis beneficia, ſed humanæ officia voluntatis.“ Vide lib. 6 *Oper. imperf.* cap. ultimo, & S. Proſperum in *Reſponſione ad 5um Excerptum Genuenſium.*

7°. „ Hoc & gratiarum actio indicat, quod oratio, ait S. Auguſtinus „ ibidem, cap. 7. num. 28: oratio pro infidelibus, gratiarum actio pro „ fidelibus. Qui enim eſt orandus ut faciat, illi eſt gratiarum actio „ reddenda cùm fecerit.“ Igitur, ſicut Eccleſia, orando pro infidelibus ut credant, profitetur fidem eſſe gratiæ donum, ita gratias agendo pro fidelibus profitetur eorum fidem eſſe à Deo. Porro gratias agendas eſſe Deo pro fidelibus, non ſolùm perpetuus Eccleſiæ uſus, ſed Scripturarum quoque documenta demonſtrant. Refert S. Paulus, Galat. I, diſcipulos Chriſti, ſtatim atque fidem ipſius compertam habuerunt, inde gratias Deo egiſſe: *in me*, inquit, *magnificabant Deum.* Unde auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 8, rectè concludit „ ſic „ tunc populum Chriſtianum didiciſſe,..... ut, cùm viderent quem-

„ piam

„ piam ad agnitionem veritatis ab errore converſum, glorificarent Deum, „ & fidem correcti confiterentur muneris eſſe divini.“ Idem Apoſtolus in omnibus ferè ſuis Epiſtolis maximas agit gratias Deo pro omnibus qui fidem amplexi erant. Sic Rom. I. 8: *Gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.* Epheſ. I. 15 & 16: *Ego audiens fidem veſtram, quæ eſt in Domino Jeſu,..... non ceſſo gratias agens pro vobis.* Coloſſ. I. 4: *Gratias agimus Deo & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti,..... audientes fidem veſtram in Domino.* 1 Theſſal. II. 13: *Ideò & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam, cùm accepiſtis à nobis verbum auditûs fidei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed, ſicut eſt verè, verbum Dei, qui operatur in vobis qui crediditſtis.* His allatis textibus, ſic concludit auctor celeberrimus mox laudatus, cap. 23: „ Potuitne pleniùs & evidentiùs demonſtrari „ donum Dei eſſe credentium fidem, quàm ut ideò gratiæ agerentur „ Deo?“ Enimverò, uti obſervat S. Auguſtinus lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 19. num. 39, „ gratias agit Apoſtolus pro iis qui „ crediderunt, non quia eis eſt annuntiatum Evangelium, ſed quoniam „ crediderunt...... Nempe vacuum eſt atque inane, ſi, cui gratias „ agit, hoc ipſe non fecit. Sed, quia hoc vacuum & inane non eſt, „ profectò Deus, cui de hoc opere gratias agit, ipſe fecit...... Deus „ igitur operatur in cordibus hominum vocatione illâ ſecundùm pro- „ poſitum ſuum, ut non inaniter audiant Evangelium, ſed, eo audito, „ convertantur ut credant, excipientes non ut verbum hominum, ſed, „ ſicut eſt verè, verbum Dei.“ Hic obſervabimus rurſus, contra Molinam ejuſque aſſeclas, Eccleſiam nunquam gratias egiſſe Deo quòd fidem naturalem gratiâ ſuâ ſupernaturalem fecerit, ſed quòd fidem ipſam donaverit, adeòque ſemper crediſſe ſine præveniente auxilio gratiæ, non modò fidem non eſſe ſupernaturalem, ſed omnino nullam eſſe.

Objiciebant Semipelagiani fidem in Scripturis ab hominibus exigi; v. g. cum dicitur: *ſi credideris, ſalvus eris.* Ibi, inquiebant, unum ab homine exigitur, alterum homini offertur. Quod autem exigitur, in hominis poteſtate eſſe debet: quod offertur, in Dei poteſtate eſt. Solvuntur objectiones.

Reſpondeo illud ipſum, quod ab homine exigitur, non fieri ab homine abſque dono gratiæ Dei, à quo propterea petimus ut det quod jubet, quia ipſe facit ut velimus & faciamus quæ præcipit. Et certè non fidem ſolam Deus exigit ab homine, ſed & actus omnium aliarum virtutum. Sic Rom. VIII. 13: *Si ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis;* & Matth. XIX. 17: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Tamen, Semipelagianis ipſis fatentibus, nec facta carnis mortificari, nec mandata ſervari poſſunt ſine auxilio gratiæ. Quare meritò ſic concludit S. Auguſtinus, lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 11. num. 27: „ Si ergo, quàmvis donum Dei ſit facta carnis mortificare, exigi- „ tur tamen à nobis, propoſito præmio vitæ; ita donum Dei eſt & fi-

 des,

„ des, quàmvis & ipſa,..... propoſito præmio ſalutis, exigatur à nobis. Ideò enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei eſſe monſtrantur, ut intelligamus quòd & nos ea facimus, & Deus facit ut illa faciamus, ſicut per Ezechielem Prophetam apertiſſimè dicit. Quid enim apertius quàm ubi dicit: *Ego faciam ut faciatis?*

Tom. 7. pag. 60. Objiciunt 2°. S. Chryſoſtomus, hom. 10, al. 9, in Joannem, num. 2 & 3, exponens hæc verba capitis primi, *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, ſic loquitur: „ Cur non dixit: fecit illos filios Dei, ſed, *dedit illis poteſtatem filios Dei fieri?* Ut oſtenderet multâ nobis opus eſſe diligentiâ, ut adoptionis imaginem, in baptiſmate nobis impreſſam, immaculatam ſemper & intactam ſervemus...... Simul autem vult declarare gratiam non in quemlibet temerè infundi, ſed in eos qui voluntatis propoſitum & diligentiam adhibent. In horum enim poteſtate ſitum eſt ut filii Dei fiant. Niſi enim voluerint, donum Dei non advenit, nec operatur quidpiam. Ubique igitur neceſſitatem tollit, & voluntatis arbitrium effert; id quod nunc dixit. In his enim arcanis aliud Dei eſt, nempe dare gratiam, aliud hominis, ſcilicet fidem adhibere.“

Reſpondeo iſtum loquendi modum aliosque ſimiles, qui apud S. Chryſoſtomum aliosque antiquiores Patres, maximè græcos, identidem occurrunt, intelligi non debere de prima gratia, ſed de poſterioribus, quæ reipſâ non niſi credentibus, vigilantibus, orantibus, operantibus vulgò dantur; vel, ſi de prima gratia accipiantur, id unum illis ſignificari, Deum ita in nobis operari, ut nullam nobis imponat neceſſitatem, ſed integram ſemper ſervet arbitrii libertatem.

Illi Patres his in locis non infideles ad fidem adducendos alloquebantur, ſed Chriſtianos jam credentes. Porro, ſicut certum eſt prima fidei initia dari non petentibus, ita, fide jam donatâ, cætera, quæ ad perſeverantiam, vel ad augmentum fidei ac pietatis pertinent, dari non ſolent niſi credentibus, orantibus, vigilantibus, operantibus, conantibus: quæ quidem fides, oratio, vigilantia, labor, conatus, quàmvis ſint Dei dona in homine, nihilominùs ſunt actus noſtri, quia fiunt à nobis gratiæ liberè cooperantibus. Quamobrem malè omnino ratiocinantur, ſive qui gratiæ neceſſitatem negant eoquòd labor, diligentia & cooperatio noſtra exigantur, ſive qui laborem, diligentiam & cooperationem hominis inutilem eſſe putant, eoquòd Deus per gratiam ſuam operatur omnia quæ bona ſunt in hominibus. Ea tamen eſt plurimorum hominum ſocordia, ut à labore, vigilantia & oratione ceſſent, quaſi, ipſis oſcitantibus nihilque agentibus, per ſolam gratiæ munificentiam omnia in ipſis perficienda eſſent. Funeſtam hanc ſocordiam plurimùm fovebant nonnulli priſcorum illorum temporum hæretici, imprimiſque Gnoſtici & Manichæi. Ad hos confutandos, ſimulque ad ſegnes ac deſides Chriſtianos à torpore excutiendos, SS. Patres frequenter incul-

inculcabant, maximè in Sermonibus ad populum, laborem ſtudiumque noſtrum operationi gratiæ adjungendum eſſe, gratiamque non dari niſi vigilantibus & conantibus. Verum quàmvis non ſemper admoneant ipſos quoque conatus noſtros eſſe dona gratiæ, id ſemper ſupponunt tanquam conſtantiſſimam Eccleſiæ doctrinam, imò non rarò expreſſè docent, ut ex textibus ipſorum, quos in probatione retulimus, manifeſtum eſt.

2°. Siquando illi Patres etiam de prima gratia ſermonem faciunt, nihil aliud volunt, niſi eam in nobis non operari ſine nobis conſentientibus, nec nobis libertatem electionis adimere, aut neceſſitatem voluntati inferre. Id patet ex ipſiſmet S. Chryſoſtomi verbis quæ nobis objiciuntur. „ Ubique, ait, non violentum, non coactum, ſed voluntarium penitus & liberum nobis oſtendit arbitrium.“ Idcircò autem id frequenter urgebant, quia una ex parte Manichæi aliique hæretici, quibuſcum illis certamen erat, libertatem omnem de medio tollebant; ex altera verò multi gentiles Philoſophi fato cuidam omnia ſubdebant. Vide quæ de Patrum græcorum in materia gratiæ auctoritate diximus Lib. II. diſſert. 1. ſect. 2.

Objiciunt 3°. Poteſt homo naturaliter aſſentiri omnibus quæ credibilia ſunt. Atqui Pſalmiſta teſtatur *teſtimonia* Dei *credibilia facta eſſe nimis*. 2°. Quàmvis hæretici careant fide ſupernaturali, pleraque tamen fidei myſteria credunt, aſſenſu utique purè naturali. 3°. Si Lutheranus Ethnicum quempiam ſectæ ſuæ adjungat, ille Ethnicus fide merè naturali credet omnia myſteria in quorum confeſſione Lutherani nobiſcum conſentiunt. 4°. Fieri vix poteſt ut, qui inter Catholicos educati ſunt, non aſſentiantur fidei catholicæ, etiamſi gratiæ ſupernaturalis dono deſtituti ſupponantur. 5°. Ethnici atque hæretici complures multa receperunt creditu difficiliora quàm dogmata catholica. Poteſt ergo dari fides ſolis naturæ viribus concepta.

Reſpondeo hujuſmodi argutias ne attendi quidem debere contra Scripturarum oracula, præcipuæque Traditionis auctoritatem.

Ad primam, fateor motiva credibilitatis, quibus Chriſtianæ religionis veritas demonſtratur, certa eſſe & evidentia. Verum offuſæ humano intellectui ex peccato originis tenebræ, anticipatæ opiniones, myſteriorum credendorum inſcrutabilis altitudo, ac multò magis rationis humanæ ſuperba præſumptio impediunt, quominùs ſine ſpeciali auxilio Dei firmus veritatibus revelatis aſſenſus præbeatur propter ſolam revelationis auctoritatem, atque ex pio credulitatis affectu, ſine quo fides non eſt verè Chriſtiana, nec differt à fide dæmonum, quam ſola argumentorum evidentia extorquet. Et certè ſimili ratiocinio concluderetur poſſe hominem ſolis naturæ viribus & ſine auxilio Dei amare Deum, virtuteſque omnes colere, eoquòd evidentiſſimum ſit Deum eſſe amandum

Digitized by Google

dum virtuteſque omnes amplectendas; ac ſic, ſpretis Eccleſiæ definitionibus, purus putus Pelagianiſmus inſtauraretur.

Ad ſecundum, dico veram, rectam & Chriſtianam fidem confundi nequaquam debere cum aſſenſu quem hæretici præbent aliquibus catholicæ fidei myſteriis. Nam ille aſſenſus, ſicut non eſt donum gratiæ propriè dictæ, ita nec fides propriè dicta, quia non innititur divinæ revelationi & infallibili Eccleſiæ declarationi, ſed proprio & fallibili cujusque judicio. „ Formale objectum fidei, inquit S. Thomas, 2. 2. quæſt. 5. art. 3. in corp., „ eſt veritas prima, ſecundùm quòd manifeſtatur „ in Scripturis ſacris, & doctrina Eccleſiæ quæ procedit ex veritate prima. Unde quicunque non inhæret, ſicut infallibili & divinæ regulæ, doctrinæ Eccleſiæ,..... ille non habet habitum fidei; ſed ea quæ „ ſunt fidei alio modo credit quàm per fidem: ſicut ſi aliquis tenet mente aliquam concluſionem, non cognoſcens medium illius „ demonſtrationis, manifeſtum eſt quòd non habet ejus ſcientiam, ſed „ opinionem ſolum. Manifeſtum autem quòd ille, qui inhæret Eccleſiæ doctrinæ tanquam infallibili regulæ, omnibus aſſentit quæ Eccleſia docet. Alioquin ſi, de his quæ Eccleſia docet, quæ vult tenet, „ & quæ non vult non tenet, non jam inhæret doctrinæ Eccleſiæ ſicut infallibili regulæ, ſed propriæ voluntati. Et ſic manifeſtum eſt „ quòd hæreticus, qui pertinaciter diſcredit unum articulum fidei, non „ eſt paratus ſequi in omnibus doctrinam Eccleſiæ...... Unde manifeſtum eſt quod talis hæreticus circa unum articulum, fidem non habet de aliis articulis, ſed opinionem quamdam ſecundùm propriam „ voluntatem.“ Porro, ex eoquòd abſque auxilio gratiæ dari poſſit aſſenſus arbitrarius atque incertus veritatibus revelatis, malè omnino concluditur veram & rectam fidem haberi poſſe ſine auxilio gratiæ.

Inde patet etiam ſolutio ad tertiam rationem. Nam Ethnicus, qui tranſiret ad ſectam Lutheranorum, dogmata fidei, quæ Lutherani nobiſcum tenent, non propter infallibilem Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem crederet, ejusque credulitas non niteretur legitimo atque unico medio quo divina revelatio nobis certò innoteſcit.

Ad quartam, non abnuo hominem inter Catholicos nutritum poſſe amplecti fidem catholicam abſque auxilio gratiæ: verùm, ut omittam hujusmodi aſſenſum plerumque non eſſe firmum & indubitatum, niſi ſuperna illuſtratione roboretur, non meretur profectò nomen fidei, quia non nititur revelatione divina per Eccleſiam Catholicam propoſita, ſed motivo humano & incerto, quo falſum æquè ac verum approbari poteſt. Qui enim idcircò tantùm Catholicum ſe gerit, quia vivit inter Catholicos, ſic affectus eſt, ut apud Hæreticos Hæreticus, apud Judæos Judæus, apud Mahumetanos Mahumetanus eſſet.

Ad quintam denique, dico mirum non eſſe hominem, qui nihil habet de

Digitized by Google

de ſuo niſi mendacium & peccatum, ſatis valere ad credenda falſa & inſana. Quid verò abſurdius quàm inde inferre hominem poſſe omnes articulos fidei, propter auctoritatem Dei revelantis, & ex pio in Deum affectu credere ſine auxilio gratiæ? Idem eſt ac ſi quis concluderet ſine auxilio gratiæ hominem poſſe heroica virtutum omnium opera propter Deum exercere, eoquòd res difficillimas interdum faciat ad explendas ſuas libidines.

Articulus Secundus.

Utrùm homo lapſus aliquod bonæ voluntatis initium concipere, aut aliquo modo ſe ad gratiam præparare poſſit ex ſeipſo, ſine auxilio gratiæ prævenientis.

In ſalutis negotio diſtingui debent initium, progreſſus & finis ſeu conſummatio; horumque ſingula accipi poſſunt vel ratione prioris & poſterioris, ut initium dicatur id à quo incipitur, finis id per quod completur, progreſſus autem id quod inter utrumque eſt medium; vel ratione imperfecti & perfecti, ita ut initium dicatur quod imperfectiſſimum eſt, finis quod perfectiſſimum, progreſſus quod in mediis inter utrumque gradibus ſitum eſt; vel ut initium dicatur de bonis cogitationibus, progreſſus de bona voluntate, finis de bonis operibus. Quod enim in toto ſalutis negotio diſtinguitur, in ſingulis quoque bonis operibus, illis maximè quæ nonnullam durationem habent, diſtingui poteſt.

Pelagiani, Catholicorum argumentis admodùm preſſi, confiteri tandem non abnuerunt neceſſarium eſſe gratiæ adjutorium quod ſubſequatur bonum hominis propoſitum; ſed nunquam admiſerunt neceſſitatem gratiæ quæ illud præveniat & operetur.

Hunc Pelagianiſmi ramum retinuerunt Semipelagiani, dixeruntque in ſalutis negotio prima bonæ voluntatis initia eſſe ab ipſo homine, progreſſum verò & perfectionem per gratiam Chriſti donari; ad illa verò bonæ voluntatis initia pertinere deſiderium gratiæ, recurſum ad medicum, orationem.

Scotus Erigena, IX ſæculo, in libro *de Prædeſtinatione contra Goteſchalcum*, cap. 4, pariter docuit hominem nihil quidem boni perficere poſſe ſine gratia, poſſe tamen bonum velle, ſaltem imperfectè.

Inter Scholaſticos non pauci docuerunt poſſe hominem ex ſeipſo ſeſe aliquo modo præparare ad gratiam, ſive faciendo opera moraliter bona, quia, inquiebant, *facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ, Deus non denegat gratiam;* ſive adjutorium gratiæ deſiderando & poſtulando.

Obſervandum autem eſt controverſiam non eſſe de gratia habituali, nec

nec de ſubſequentibus & potentioribus gratiæ actualis adjutoriis, quæ per præcedens gratiæ adjutorium homo impetrare & obtinere à Deo poteſt, ſed de prima gratia actuali, ac de præparatione quæ non ſit à gratia.

PROPOSITIO.

Homo lapſus nullomodò poteſt ex ſeipſo & ſine auxilio gratiæ prævenientis ſeipſum præparare ad gratiam, ſive illam deſiderando, ſive aliquod bonæ voluntatis initium concipiendo, ſive alio quovis modo.

PROBATUR I° ex Scripturis, quæ docent non tantùm nihil boni fieri poſſe ſine gratia, ſed & ipſa prima bonæ voluntatis initia donari à Deo per gratiam prævenientem.

Pſalm. LVIII. 11: *Deus meus, miſericordia ejus præveniet me;* & Pſalm. LXXVI. 11: *Dixi, nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ Excelſi.*

Joann. VI. 44, Chriſtus dixit: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum.* „ Si autem homo ſeipſum præparare poſſet, „ inquit S. Thomas, 1. 2. quæſt. 109. art. 6, in *ſed contra*, non oporteret quòd ab alio traheretur. Ergo homo non poteſt ſe ad gratiam „ præparare abſque auxilio gratiæ.“

1 Corinth. IV. 7, Apoſtolus ait: *Quis enim te diſcernit?* „ Ubi ſi „ dixerit homo, inquiunt SS. Alypius & Auguſtinus, Epiſt. 186 (al. 106) ad Paulinum, cap. 1. num. 3, „ fides mea, voluntas mea, „ bonum opus meum, reſpondetur ei: *Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* “

Philipp. I. 6: *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipſe perficiet.* Et II. 12: *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere*, id eſt, uti exponunt S. Auguſtinus, ibidem, & Serm. 13. cap. 3, aliique Patres, & bonæ voluntatis initium, & operis complementum. Al. Serm. 94 de Tempore.

Rom. IX. 16: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Nulla ergo bona voluntas, nullus curſus hominis præcedunt donum miſerentis Dei.

Probatur II° ex Patribus.

S. Baſilius in Pſalm. XXIX, ad hæc verba: *Exaltabo te, Domine*, num. 2: „ Unde verò facultas mihi te exaltandi? Quoniam tu me præveniens ſuſcepiſti.“ Tom. 1. pag. 124; al. pag. 169.

S. Hilarius in pſalm. CXXIII. num. 2: „ Quis relictus eſt nobis „ glo- Pag. 398.

„ gloriandi locus, recordantibus omnia ex Deo eſſe?..... Si non in
„ omnibus opus eſt miſericordiâ Dei, etiam omnia nobis, tanquam
„ ex noſtro ſint, vindicemus." Et in pſalm. CXVIII, litt. 6. num. 4: Pag. 280.
„ Accipiat humana inſolentia humilitatis modeſtiæque doctrinam. Pro-
„ pheta omnia vult à bonitate Dei in ſe inchoari."

S. Cyrillus Hieroſolymitanus, Cathecheſi 13. num. 40, alloquens eos qui ad ſuas Catecheſes conveniebant, ut Chriſtianæ religionis rudimenta edocerentur: „ Hoc ipſum, quòd nunc ades, inquit, Crucifixi
„ virtutem tibi perſuadeat. Quis enim ad hunc cœtum te adduxit?
„ Qui milites? Quibus vinculis coactus? Quæ te nunc advexit judi-
„ cis ſententia? Verum ſalutare Chriſti trophæum, crux, omnes huc
„ coegit."

S. Macarius Abbas Ægyptius, Hom. 37: „ Nunquam exiſtimes te
„ præveniſſe Deum in virtute, ex ejus ſententia qui ait: *Ipſe eſt qui*
„ *operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.*

S. Gregorius Nazianzenus in Orat. 31, exponens hæc verba S. Tom. 1. pag. 594.
Matthæi: *Cùm conſummaſſet Jeſus hos ſermones*, ſic loquitur: „ Non-
„ nulli ſunt qui ob rectè facta tantum animo efferuntur, ut totum ſibi
„ adſcribant, nihil verò auctori, ſapientiæ largitori & bonorum ſup-
„ peditatori. Eos ſermo (Apoſtoli) docet quòd & benè velle indigeat
„ Dei adjutorio; immò verò ipſum eligere ea quæ oportet aliquid eſt
„ divinum, & ex Dei benignitate donum...... Ita, quoniam velle eſt
„ à Deo, optimo jure totum Deo aſſignavit." Et Orat. 12 (pag. 198):
„ A Deo bonum omne ducit initium, atque ad finem perducitur."

S. Gregorius Nyſſenus, Oratione 4 *de oratione Dominica*, hæc ait: Tom. 1. pag. 742.
„ Fiat igitur voluntas tua, ut diaboli voluntas extinguatur. Sed qua-
„ re precamur ut à Deo bonum nobis animi propoſitum contingat?
„ Quia infirma ad bonum eſt humana natura, poſteaquàm ſemel per
„ vitioſitatem enervata eſt...... Idcircò, cùm ad malum quidem ac vi- Pag. 241.
„ tium in nobis ruit appetitus, non opus eſt adjutore, quippe in vo-
„ luntate noſtra vitioſitate ſeipſam ultro perficiente. Quòd ſi in me-
„ lius inclinatio fiat, Deo opus eſt qui ſtudium & deſiderium ad opus
„ perducat: propterea dicimus,..... virtute tuâ hæc bona mihi volun-
„ tas contingat."

S. Ambroſius lib. 2 in Lucam, num. 83, ad cap. III. 3: „ Vides uti-
„ que quia ubique Domini virtus ſtudiis cooperatur humanis; ut ne-
„ mo poſſit ædificare ſine Domino, nemo cuſtodire ſine Domino, ne-
„ mo quidquam incipere ſine Domino." Iſtud teſtimonium refert S.
Auguſtinus lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 44. num. 48.

S. Hieronymus in cap. 26 Jeremiæ: „ In noſtra, inquit, ſitum eſt
„ poteſtate & facere quid, vel non facere; ita duntaxat ut, quidquid
„ boni operis volumus, appetimus, explemus, ad Dei gratiam refera-
„ mus, qui, juxta Apoſtolum, dedit nobis *& velle & perficere.*" Ex

eodem textu concludit, in cap. 24 Jeremiæ, „ non ſolùm opera bona,
„ ſed & voluntatem noſtram Dei niti auxilio.“

S. Auguſtinus, Epiſt. 217 (al. 107) ad Vitalem, cap. 1. num. 3:
„ Ideò, inquit, Pſalmiſta dicit, *à Domino greſſus hominis diriguntur*,
„ *& viam ejus volet*, ut intelligeremus ipſam voluntatem bonam, quâ
„ incipimus velle credere,..... illius eſſe donum, qui greſſus noſtros
„ propterea dirigit primitus ut velimus. Non enim ait Scriptura, à
„ Domino greſſus hominis diriguntur, quia viam ejus voluit, ſed *di-*
„ *riguntur*, inquit, *& volet.*“ Lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 23. num. 24:
„ Ergone, ut perveniatur ad adjutorium Dei, ad Deum curritur ſine
„ adjutorio Dei; & ut Deo adhærentes adjuvemur à Deo, à Deo non
„ adjuti adhæremus Deo?“ Et lib. *de Correptione & gratia*, cap. 1.
num. 2: „ Breviter, ſed planiſſimè dicit, deſiderare gratiæ auxilium,
„ initium gratiæ eſſe.“

S. Proſper in lib. contra Collatorem, cap. 9. num. 23: „ In eo, in-
„ quit, qui bonum incipit velle, & cupit ab iniquitate atque errore
„ diſcedere, gratiam Dei hoc ipſum profitemur operari.“ Hujus au-
tem catholicæ doctrinæ fundamentum poſuerat cap. 4. num. 11: infir-
mitatem ſcilicet & corruptionem humanæ voluntatis tantam eſſe, ut,
niſi per gratiam ſanetur, à bono ſemper averſa maneat. Caſſianum
enim alloquens hæc dicit: „ Doces non poſſe quidem hominem per ſe-
„ metipſum apprehendere ſanitatem, ſed habere cum à ſemetipſo deſi-
„ derium ſanitatis, & ſuâ tantùm ſponte venire ad medicum, non etiam
„ hoc ipſum medici eſſe quòd veniat. Quaſi verò anima ipſa non lan-
„ gueat, & corpori ſuo remedium ſana proſpiciat. Atqui totus homo
„ ex ipſa & cum ipſa in profundum miſeriæ ſuæ decidit, ubi eam,
„ priusquàm à medico notitiam ſuæ calamitatis accipiat, jacere delec-
„ tat, amantem ſemper errores ſuos & amplectentem falſa pro veris:
„ cujus prima ſalus eſt ut ſibi incipiat diſplicere, & vetuſtatem ſuæ
„ debilitatis odiſſe; ſequens verò eſt ut & ſanari deſideret, & à quo
„ ſananda ſit noverit. Quæ omnia curationem ipſius ſic præcedunt, ut
„ ei ab illo qui ægram ſanaturus eſt inſerantur, ne, cùm ei nullomodò
„ hæc fruſtra ineſſe poſſint, merito videatur ſalvata, non gratiâ.“
Et in *Reſponſione* ad objectionem ſextam Gallorum: „ Amat ergo lan-
„ guores ſuos, & pro ſanitate habet quòd ægrotare ſe neſcit, donec
„ prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat noſſe quòd langueat,
„ & opem medici deſiderare, quâ ſurgat.“

S. Leo, Serm. 8 in Epiphaniam, cap. 2: „ Dicente, inquit, diſcipu-
„ lis ſuis Domino: *Sine me nihil poteſtis facere*, dubium non eſt homi-
„ nem benè agentem à Deo habere & effectum operis, & initium volun-
„ tatis.“ Et Serm. 16 de Paſſione Domini, cap. 6: „ Meritò Dominus
„ ipſe nobis factus eſt via, quia, niſi per Chriſtum, non itur ad Chris-
„ tum.“

Auc-

Digitized by Google

Auctor lib. *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 6, idem probat ex eo quòd initium bonæ voluntatis ſit aliquid bonum & amore dignum, nihil autem amore dignum non ſit à Deo. „ Bonam voluntatem, inquit, „ rectè amamus in nobis, quæ utique, ſi opus Dei non eſſet, amanda „ non eſſet. Quis autem homo, niſi malæ voluntatis, non amet in „ ſe bonam voluntatem, quæ ſuperni agricolæ prima plantatio eſt ?" Et cap. 8: „ Homo mortalis, damnatâ in Adam origine carnaliter na- „ tus, ad ſpiritalem novi generis dignitatem, niſi Spiritu ſancto re- „ gente, non pervenit. Sed nullo hanc deſiderio appetit, qui calorem „ ipſius deſiderii non accipit à Deo, de quo dicit Dominus: *ignem ve-ni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat?* Luc. XII. 49.

Joannes Maxentius in ſua fidei Profeſſione abominatur eos, qui con- „ tra vocem Apoſtoli audent dicere: noſtrum eſt velle, Dei autem „ perficere; cùm idem doctor & velle & perficere donum teſtetur eſſe „ divinum."

Idem ſæpiſſimè ac validiſſimè inculcat S. Fulgentius. Lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 15, ſic loquitur: „ Et ſuſceptio „ & deſiderium gratiæ opus ipſius (gratiæ) eſt. Iſtam gratiam nullus „ hominum deſiderare, poſcere, ſed nec cognoſcere quidem poterit, „ niſi eam priùs ab illo accipiat, qui eam, nullis præcedentibus operi- „ bus aut voluntatibus bonis, ad hoc largitur, ut voluntatem, in qua „ ſemper maneat, ipſa donet, ipſa præparet, ipſa illuminet, ipſa excitet, „ ipſa conſervet." Et cap. 15: „ Ut ergo gratia Dei cognoſcatur & „ diligatur, deſideretur ac poſtuletur, ipſa donatur homini non cog- „ noſcenti, non diligenti, non deſideranti, neque poſtulanti. Ipſa ita- „ que ſe facit cognoſci, diligi, deſiderari, poſtulari." In lib. *de Fide ad Petrum*, cap. 3, idipſum iſto argumento confirmat: „ Bonæ volun- „ tatis & cogitationis initium non homini ex ſeipſo naſci, ſed divini- „ tùs & præparari & tribui, in eo Deus evidenter oſtendit, quòd ne- „ que diabolus, neque aliquis angelorum ejus, ex quo ruinæ illius me- „ rito in hanc ſunt inferiorem detruſi caliginem, bonam potuit aut po- „ terit reſumere voluntatem. Quòd ſi poſſibile eſſet ut humana natu- „ ra, poſtquàm à Deo averſa bonitatem perdidit voluntatis, ex ſeipſa „ rurſus eam habere potuiſſet, multò poſſibilius hoc haberet angelica „ natura, quæ, quantò minùs gravatur terreni corporis pondere, tan- „ tò magis hac eſſet prædita facultate. Sed oſtendit Deus unde bona „ voluntas hominibus detur, quam ſic amiſerunt angeli, cùm haberent, „ ut amiſſam deinceps habere non poſſint."

Optima ſanè probatio. Si enim dæmones naturâ excellentiore præditi, divinâque vindictâ edocti quantum bonum amiſerint, & quantum in malum incurrerint, nullam tamen bonæ voluntatis inchoationem ex ſeipſis depromere queant, quomodò homo, corporis corruptibilis mole prægravatus tenebriſque obſitus, bonam voluntatem initiumve bonæ vo-

Digitized by Google

voluntatis ex ſeipſo, & ſine gratia Dei præveniente producere valebit? Nec dicas ideò dæmones non poſſe bonum velle, quia obdurati ſunt in malo. In tantùm quippe obdurati ſunt, in quantùm nullâ gratiæ interioris dulcedine illorum duritia emollitur, ac proinde non minus non poſſet homo lapſus bonum velle, ſi ex divinæ juſtitiæ decreto omni prorſus auxilio gratiæ in perpetuum privaretur.

Demum in lib. *de Incarnatione & gratia*, quem, impellentibus & approbantibus cæteris Africæ Epiſcopis ipſius in exilio ſociis, conſcripſit, cap. 13, ſic loquitur: „(Homo) ſic jacuit oppreſſus ditione peccati, „ ut nullatenùs aliquod bonæ voluntatis initium habere potuiſſet, niſi „ hoc, Deo gratis donante, ſumpſiſſet." Et, cap. 29, Fauſtum bonæ voluntatis initium libero voluntatis arbitrio tribuentem his refellit verbis: „ Hanc amentiam & à fidelibus ſuis arceat, & ab infidelibus Deus „ auferat. Ille enim tam profana cogitatione polluitur, cui gratia vel „ obdurato non datur, vel ingrato auſertur."

S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. *Differentiarum*, differ. 27: „ Primus ho- „ mo, inquit, habnit inchoandi boni liberum arbitrium, quod tamen „ Dei adjutorio perficeretur: nos autem & inchoationem liberi arbitrii, „ & perfectionem de Dei ſumimus gratia."

S. Prudentius Trecenſis idem ex profeſſo adſtruit in lib. *de Prædeſtinatione adverſùs Scotum Erigenam*, cap. 4. Deinde, cap. 5, ſic loquitur: „ Sine gratia, ut ſe habet ſana, orthodoxa, catholica doctrina, „ nullus initium ſaltem bonæ voluntatis concipere valet aut valebit." In libri autem recapitulatione, definitione 4: „ Dicis, inquit, homi- „ nem ad Deum...... ſine laboris ſtudio & cooperantis gratiæ dono „ pervenire non poſſe. Reſpondemus nullum, niſi prævenientis gratiæ „ Dei aſpiratione, ſaltem ſtudium laboris poſſe concipere." Et definit. 5: „ Dicis velle homini à ſe per naturam eſſe, inchoare verò, poſſe „ & perficere, nonniſi per gratiam. Reſpondemus nec velle, nec inchoare, nec poſſe (poſſibilitate morali, quæ cum aliquo ſaltem effectu conjuncta ſit) „ nec perficere hominem quidpiam boni, niſi præveniente & „ ſubſequente gratiâ Dei."

S. Bernardus, tract. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 13. num. 42: „ Conatus (liberi arbitrii), inquit, & caſſi ſunt, ſi à gratia non ad- „ juventur, & nulli ſi non excitentur." Idem docet cap. 14. num. 46, & Serm. 84 in Cantica, num. 5.

S. Thomas, 1. 2. quæſt. 112. art. 2. in corp: „ Accipiendo, inquit, „ gratiam ut habituale donum Dei, præexigitur ad gratiam aliqua gratiæ „ præparatio, quia nulla forma poteſt eſſe niſi in materia diſpoſita. „ Sed ſi loquamur de gratia ſecundùm quòd ſignificat auxilium Dei „ moventis ad bonum, ſic nulla præparatio requiritur ex parte hominis „ præveniens divinum auxilium; ſed potiùs, quæcunque præparatio in „ homine eſſe poteſt, eſt ex auxilio Dei moventis animam ad bonum: „ &

„ & ſecundùm hoc ipſe bonus motus liberi arbitrii, quo quis præpara-
„ tur ad donum gratiæ recipiendum, eſt actus liberi arbitrii moti à
„ Deo, ... & eſt principaliter à Deo movente liberum arbitrium.“
Hujus autem doctrinæ rationem affert lib. 3 *contra Gentiles*, cap. 149.
num. 1. „ Homo non movet ſeipſum ad hoc quòd adipiſcatur divinum
„ auxilium, quod ſupra ipſum eſt, ſed potius ad hoc adipiſcendum à
„ Deo movetur. Motio autem moventis præcedit motum mobilis ra-
„ tione & cauſâ. Non igitur propter hoc datur nobis auxilium, quia
„ nos ad illud per bona opera præmovemus; ſed potius ideò nos per
„ bona opera proficimus, quia divino auxilio prævenimur.“ Demum
Quodlibeto 1, cap. 7, de oppoſita doctrina loquens: „ Ad Pelagianum,
„ inquit, errorem pertinet dicere, quòd homo poſſit ſe ad gratiam præ-
„ parare abſque auxilio divinæ gratiæ.“

His omnibus teſtimoniis diſertè excluditur quælibet præparatio ad gratiam, cujuſcunque generis & ordinis ſit, & quodlibet bonæ voluntatis initium abſque gratia Chriſti præveniente, ſive dicatur proximè diſponere ad gratiam, ſive remotè: ac proinde non minùs Moliniana novitas quàm Pelagianus error reprobatur.

Probatur III° rationibus Theologicis.

1°. Multò melius eſt eſſe bonum quàm eſſe ſimpliciter. Atqui hæreticum & blaſphemum, immò & inſanum foret dicere hominem poſſe eſſe à ſeipſo. Ergo à fortiori nec à ſeipſo poteſt eſſe bonus. Atqui inchoatè ſaltem bonus eſt, quiſquis aliquod habet bonæ voluntatis initium. Igitur nullum prorſùs bonæ ac rectæ voluntatis initium poteſt homo habere ex ſeipſo. „ Si pravæ voluntati Deus bonitatem non tri-
„ buit, ſed ut ex ſeipſâ bona ſit expectat, poteſt ergo prava voluntas
„ ex ſe bonitatem gignere; ita ut, cùm ex Deo habeat ut ſit, nonniſi
„ ex ſe habere poſſit ut bona ſit.“ Verba ſunt Epiſcoporum in Sardinia exulum, in lib. S. Fulgentii *de Incarnatione & gratia Chriſti*, cap. 29.

Et ſanè priùs eſt, prioritate naturæ ſive rationis, voluntatem eſſe bonam, ſaltem imperfectè, quàm velle bonum. Proinde non poteſt ex ſeipſa velle bonum, quia prius ſeipſam ex mala fecerit bonam, quod manifeſtè repugnat. Audiamus S. Anſelmum iſtud argumentum præclarè tractantem in dialogo *de Concordia gratiæ cum libero arbitrio*, cap. 3:
„ Sicut, inquit, non eſt acutus viſus quia videt acutè, ſed ideò videt
„ acutè quia acutus eſt; ita voluntas non eſt recta quia vult rectè,
„ ſed rectè vult quia recta eſt...... Non nego voluntatem rectam velle
„ rectitudinem quam nondum habet, quando vult majorem quàm ha-
„ beat; ſed dico nullam eam poſſe velle rectitudinem, ſi non habet
„ rectitudinem quâ illam velit. Conſideremus nunc utrùm aliquis hanc
„ rectitudinem non habens eam aliquo modo à ſe habere poſſit. Uti-
„ que à ſe illam habere nequit, niſi aut volendo, aut non volendo.

„ Volendo quidem nullus valet eam adipiſci; quia nequit eam velle, „ niſi illam habeat. Quòd autem aliquis, non habens rectitudinem „ voluntatis, illam valeat per ſe non volendo aſſequi, mens nullius ac„ cipit. Nullo igitur modo poteſt eam creatura habere à ſe...... Se„ quitur itaque quia nulla creatura rectitudinem habet, quam dixi vo„ luntatis, niſi per gratiam.“

2°. Nemo niſi per Chriſtum recuperare poteſt quod in Adamo omnes amiſimus. Atqui non perfectionem tantùm bonæ voluntatis, ſed omnem prorſùs bonam & rectam in Deum voluntatem per Adami peccatum in nos transmiſſum amiſimus. Ergo nulla bona in Deum voluntas, nullus rectæ voluntatis motus in nobis eſſe poteſt, niſi per gratiam Chriſti reparatoris.

3°. Gratia eſt omnino gratuita, nec gratia foret ullo modo, ſi gratuita non eſſet omni modo, ut poſteà probabitur. Atqui gratia non ampliùs foret gratuita, ſi liberum arbitrium quovis pacto, ſive propriè, ſive impropriè, ſive proximè, ſive remotè, ſive poſitivè, ſive negativè, ſeipſum ex ſeipſo ad eam præparare & aptare poſſet. Nulla ergo qualiscunque præparatio ad gratiam ex ſolo libero eſt arbitrio. Ita argumentabantur iidem Africani Præſules in lib. B. Fulgentii *de Incarnatione & gratia*, cap. 18. „ Si autem, inquiunt, ſecundùm opinionem illorum, „ noſtrum eſt velle eredere priusquàm nos Dei gratia cœperit adjuvare, „ injuſtè gratia dicitur, quia non gratis datur homini, ſed bonæ retri„ buitur voluntati...... Immò ſi ſic eſt, nos priores Deo voluntatem da„ mus...... Verumtamen *quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*“ Videri doteſt S. Prudentius contra Scotum, cap. 4.

4°. Idem conſtat ex orationibus & gratiarum actionibus Eccleſiæ, quæ non modò profectum & complementum, ſed & initium bonæ voluntatis poſtulat à Deo, eique de minimis boni conceptionibus gratias agit, ut patet ex iſta, inter alias multas, precatione: „ Actiones noſtras aſ„ pirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & „ operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.“ Porro illuſoriè id petitur, & de eo gratiæ aguntur, quod, Deo non donante, in hominis poteſtate eſſe creditur.

Solvuntur objectiones.

Pelagiani objiciebant ſalutis initium ſoli homini in Scripturis attribui. Sic Zachariæ I. 3: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Proverb. XVI. 1: *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Et. v. 4: *Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus.* His in locis, inquiebant, aliquid homini, aliquid Deo attribuitur. Porro quod Deo tribuitur, ita eſt à Deo, ut ſit etiam ab homine: quod verò homini attribuitur, ab ipſo ſolo eſt abſque auxilio gratiæ. Addebant quod ait Apoſtolus, Rom. VII. 18: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.*

Reſpondeo ſacros illos textus aut non eſſe ad rem, aut illis ſignificari tan-

Digitized by Google

tantummodò hominem debere cooperari primis gratiis, ut poſteriores conſequatur. Nam, ut ait S. Bernardus Epiſt. 327 ad Leonium, num. 3, „ gratia Dei volentem prævenit ut velit, & volentem ſubſequitur ne „ fruſtra velit.“ Hoc ſenſu voluntas humana præcedit quidem gratiam ſubſequentem, ſed non ſine priore gratia ipſam præveniente; ſeu, ut verbis utar S. Auguſtini, *Enchiridii* cap. 12: „ Totum Deo (dandum „ eſt), qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & „ adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa „ Dei dona, ſed non omnia: quæ autem non præcedit ipſa, in eis eſt „ & ipſa.“

Ut autem ad ſingula ſigillatim reſpondeam, dico id quod legitur Zachariæ I. 3, ſic intelligi poſſe: *Convertimini ad me* converſione ſaltem imperfectâ, quæ non eſt ſine gratia præveniente, *& ego convertar ad vos* per gratiam ſubſequentem, vel remittendo peccata ſi converſio ſit plena & integra, vel primum converſionis affectum augendo & perficiendo. Cùm enim, juxta communem juſtificationis curſum, Deus non unico inſtanti plenam converſionem peccatoris operetur, ſed paulatim & per iteratos progreſſus, ita ut peccator orando, vigilando, laborando, gemendo affectum peccati omnino exuat, Deumque ſuper omnia diligere incipiat, priora gratiæ auxilia ad ſubſequentia diſponunt, eaque quodammodò merentur de congruo. Alium ſenſum, & quidem, ut ſentio, magis litteralem tradit Eſtius in 2. diſtinct. 26. §. 36: „ Convertimini „ ad me per emendationem vitæ ac bona opera“ (quod utique non fit ſine auxilio gratiæ), „ & ego viciſſim convertar ad vos per beneficia „ temporalia. Eſt enim promiſſio veteris teſtamenti, quales multæ ſunt „ in Levitico & Deuteronomio; qualis etiam Iſaiæ 1: *Si volueritis & „ audieritis me, bona terræ comedetis.*“

Verba Proverbiorum nihil aliud ſignificant, quàm proſperum exitum operum ac ſtudiorum noſtrorum à ſolo Deo pendere, juxta illud vulgare effatum: *Homo proponit, ſed Deus diſponit.* Senſus ergo litteralis eſt, hominem, ſiquando principem aliquem allocuturus eſt, ſtudioſè verba ſua præparare & concinnare; ut verò ſermones ejus principi accepti ſint, non in ipſius hominis, ſed in Dei eſſe poteſtate, qui ſolus corda principum inclinare poteſt quò voluerit. Quapropter rerum omnium felix exitus ſoli moderatori Deo attribuitur, præparatio autem ac ſtudium attribuuntur homini, quia reverà illius ſunt, non tamen ſine adjutorio Dei, qui ſic tangit cor, ut homo præparet cor, ait S. Auguſtinus illa verba exponens, lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 9. num. 19. Itaque, ut dicit S. Thomas, 1. 2 quæſt. 109. art. 6. ad 4, „ hominis eſt præparare animam, quia hoc facit per liberum arbitrium, ſed tamen hoc non facit ſine auxilio Dei moventis & ad ſe „ attrahentis.“

De-

Demum quod dicitur Rom. VII, *velle adjacet mihi*, non in perſona peccatoris, nec per excluſionem gratiæ dictum eſt, ſed in perſona juſtorum, qui ex gratia ſibi collata mente jam renovati, contra concupiſcentias carnis dimicant, eas tamen penitùs expugnare juſtitiamque omni ex parte implere nondum valent. „ Ac per hoc, ait S. Prudentius „ contra Scotum, cap. 4, ſub gratia conſtitutus dicit, *velle adjacet mi-* „ *hi*, hoc eſt, voluntas mihi ex dono gratiæ ineſt ut caſtus ſim & „ caſtè vivam; *perficere autem non invenio*, repugnante ſcilicet concu- „ piſcentiâ carnis, cujus ſtimulos & titillationem per omnia extinguere „ non poſſum." Videri poteſt etiam S. Proſper, lib. contra Collatorem, cap. 14. num. 12, hunc textum ſimiliter exponens.

Objiciunt 2°. Plurimi SS. Patres initium ſalutis ac bonæ voluntatis ſoli homini apertè attribuunt.

Sic S. Irenæus, lib. 4 *adverſùs Hæreſes*, cap. 39. num. 2, al. cap. 76: „ Si tradideris ei, inquit, quod tuum eſt, id eſt, fidem in eum „ & ſubjectionem, percipies ejus artem, & eris perfectum opus Dei. „ Si autem non credideris ei, & fugeris manus ejus, erit cauſa im- „ perfectionis in te qui non obediſti, ſed non in illo qui vocavit. Ille „ enim miſit qui vocarent ad nuptias; qui autem non obedierunt ei, „ ſemetipſos privaverunt regiâ cœnâ.

S. Clemens Alexandrinus in Sermone, *Quis dives ſalvabitur?* num. 10: „ In homine tanquam libero libera eſt voluntatis electio, in Deo autem „ dare, tanquam domino & arbitro. Dat autem volentibus, & ſum- „ mo ſtudio annitentibus & orantibus, ut ſic illorum exiſtat propria ſa- „ lus. Neque enim Deus cogit (vis enim inimica eſt Deo), ſed quæ- „ rentibus tribuit, & petentibus præbet, & pulſantibus aperit."

S. Hilarius in pſalm. 118, litt. 5. num. 12, ad hæc verba: *Inclina cor meum, Deus, in teſtimonia tua*, ſic loquitur: „ Eſt ergo à nobis, „ cùm oramus, exordium, ut munus ab eo ſit. Dehinc, quia de exor- „ dio noſtro munus ejus eſt, ex noſtro rurſum eſt ut exquiratur, & „ obtineatur, & maneat." In litt. 19. num. 12, ſupra illud, *à mandatis tuis intellexi*: „ Licet à Deo intelligentia perfecta ſit, tamen à „ nobis incipiendum eſt, ut poſſimus perfectam intelligentiam prome- „ reri. His enim, qui non hoc per ſe inchoant, clauſa à Deo omnia „ ſunt." Et in litt. 20. num. 20: „ Voluntas noſtra hoc proprium „ ex ſe habere debet, ut velit. Deus incipienti incrementum dat, quia „ conſummationem per ſe infirmitas noſtra non obtinet: meritum tamen „ adipiſcendæ conſummationis eſt ex initio voluntatis."

Edit. Pariſ. anni 1679, pag. 51. S. Optatus, lib. 2 adversùs Parmenianum: „ Eſt Chriſtiani hominis „ quod bonum eſt velle, & in eo quod benè voluerit currere, ſed ho- „ mini non eſt datum perficere, ut, poſt ſpatia quæ debet homo exple- „ re, reſtet aliquid Deo ubi deficienti ſuccurrat...... Cæteri omnes ſe- „ mi-

Digitized by Google

„ imperfecti ſumus, quia noſtrum eſt velle, noſtrum currere, Dei perficere. Unde B. Apoſtolus Paulus ait: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed ad Dei gratiam pertinentis.*“

S. Cyrillus Hieroſolymitanus, initio Procatecheſis, ait: „ Liberalis eſt
„ Deus & pronus ad beneficentiam; expectat tamen cujuslibet propriam
„ voluntatem.“

S. Macarius Abbas Ægyptius, Hom. 37: „ Voluntas hominis eſt
„ veluti auxilium à natura inſitum, quâ abſente, ne Deus quidem quid-
„ piam operatur, tametſi facultate non careat, quod fit ob humani arbitrii
„ libertatem. Igitur operis perfectio Dei eſt, voluntas autem homi-
„ nis...... Ex hoc crede quòd (Deus) ipſe nos manuducat, à nobis
„ autem ſolam ſolam requirit voluntatem.“

S. Chryſoſtomus, in Pſalm. 5, num. 5, ſuper hæc verba, *deduc me* Tom. 5 pag.
in juſtitia tua, ſic habet: „ Ut in via quidem deducamur, ejus eſt: 35; al. tom. 3. pag. 49.
„ ut autem digni ſimus ut ab illa teneamur manu, noſtræ ſit diligen-
„ tiæ.“ Hom. 17 in Joann. num. 3: „ Hinc docemur Deum non præ- Tom 8. pag.
„ venire voluntates noſtras; ſed, ubi nos incœpimus, cùm voluntatem 107; al. tom. 2.
„ præmiſimus, tunc plurimas ille nobis dat ſalutis occaſiones.“ Et pag. 116.
hom. 12 in Epiſt. ad Hebræos, num. 3: „ In Dei quidem poteſtate Tom. 12. pag.
„ ſunt omnia; ſed non ita ut noſtrum lædatur arbitrium...... Eſt ergo 124 & 125; al. tom. 6. pag.
„ in noſtra & in ejus poteſtate. Oportet enim nos primùm eligere, & 816.
„ tunc affert quæ ſua ſunt. Non prævenit voluntates noſtras, ne perdat
„ noſtrum liberum arbitrium: quando autem nos elegerimus, tunc no-
„ bis multum affert auxilium...... Noſtrum quidem eſt præeligere &
„ velle; Dei autem eſt perficere & ad finem deducere.“ Demum in
homilia in pſalmum 6, quam in lucem dedit Cotelerius, in v. 2:
„ Sana me, Domine, quia malignus ſerpens totum me infirmum & pu-
„ trefactum fecit. Infirmus autem & putrefactus totus humi jacet,
„ totus proſternitur, cadaver inutile, niſi quòd voce medicum appellat,
„ niſi quòd clamat & liberatorem quærit, niſi quòd oculos attollit &
„ circumſpicit unde veniat, unde in eum intendat qui alligat contri-
„ tos, & ſervat deſperatos, & erigit eliſos.“

S. Hieronymus initio Dialogi tertii *contra Pelagianos*: „ Noſtrum
„ eſt, inquit, rogare: illius tribuere quod rogatur; noſtrum incipere,
„ illius perficere; noſtrum afferre quod poſſumus, illius implere quod
„ non poſſumus.“ Et cap. 3: „ Ubi miſericordia & gratia eſt, liberum
„ ex parte ceſſat arbitrium, quod in eo tantùm eſt ut velimus atque
„ cupiamus, & placitis tribuamus aſſenſum. Jam in Domini poteſtate
„ eſt ut id quod cupimus, quod laboramus ac nitimur, illius ope &
„ adjutorio implere valeamus.

S. Iſidorus Peluſiota, lib. 4 Epiſt. 13: „ Præcedant certè quæ tua
„ ſunt, & quæ divini ſunt muneris ſubſequentur; non enim verbis ſolùm
„ invocatum, ſed & operibus imploratum quaſi ſuâ ſponte adveniat. Il-

„ lud enim quod dormientes excitat, & nolentes inſtigat, non certè
„ eos dereliuquet qui à ſeipſis virtutem amplectuntur, ſed & cooperabitur,
„ & ad felicem exitum quod rectum eſt perducet.

Reſpondeo ea veterum Patrum dicta benignâ & commodâ interpretatione ita debere intelligi, ut cum Scripturæ ſacræ oraculis & cum Eccleſiæ definitionibus apertâ fronte non pugnent, v. g. cum Arauſicani concilii can. 4 ſic decernente: „ Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per ſancti Spiritûs infuſionem & operationem in nobis fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto per Salomonem dicenti: *præparatur voluntas à Domino:* " & cum can. 6: „ Si quis ſine gratia Chriſti credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri divinitùs, non autem, ut credamus, velimus, vel hæc omnia ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem Spiritûs ſancti in nobis fieri confitetur,..... reſiſtit Apoſtolo dicenti: *Quid habes quod non accepiſti?* " Quis enim ſibi perſuadeat tam eximios Eccleſiæ Doctores catholica dogmata conciliorum auctoritate poſtmodùm definita vel ignoraſſe, vel ſpreviſſe?

Quando ergo dicunt noſtrum eſſe velle, petere, conari, nihil aliud in mente habuiſſe cenſendi ſunt, quàm cooperationem ſtudiumque noſtrum divinæ gratiæ adjungenda eſſe, amplioribusque gratiæ auxiliis impetrandis præmittenda, juxta illud celebre S. Auguſtini dictum: *Qui creavit te ſine te, non juſtificabit te ſine te.* Duo quippe docet catholica fides: primum, nihil boni eſſe in homine niſi ex munere gratiæ; alterum, requiri tamen ſtudium, laborem, diligentiam, cooperationemque hominis, tum quia gratia non operatur in nobis ſine nobis liberè conſentientibus, & quantò efficacior eſt, tantò promptiùs ac liberiùs facit nos operari; tum quia, exceptâ primâ gratiâ, cæteræ vulgò non dantur niſi jam volentibus, orantibus & conantibus. Illud primum nos Deo ſubjicit atque ab ejus auxilio nos perpetuò dependentes tenet; hoc autem poſtremo admonemur torporem excutere, boniſque operibus incumbere. Porrò, ſicuti gratiæ defenſores primum fidei caput aſſerendo nihil alteri detraxerunt, ita viciſſim illi antiquiores Patres, qui adverſus ſegnes & ignavos Chriſtianos alterum fidei caput vehementiùs inculcarunt, quàmvis parum cautè interdum locuti ſint, nondum exortâ Pelagianâ lue, non idcircò primum illud inficiati ſunt. Singuli ſingulas catholicæ doctrinæ partes majori ſtudio aſſeruerunt. Utroſque proinde audire & venerari debemus: illos quidem ut catholicos de gratia ſenſus pleniùs & accuratiùs perſpectos habeamus; hos verò, ne ad vigilandum & laborandum ſegnes ſimus. Hanc SS. Patrum diverſa, non contraria docentium concordiam præclarè exponit Concilium Præſulum Africanorum

tum in Sardinia exulum, in Epiſtola ſua ſynodica *de Gratia & humano arbitrio*, cap. 10. „ Quod autem vos dicitis, inquiunt, ſolâ Dei „ miſericordiâ ſalvari hominem, illi autem dicunt, niſi quis propriâ „ voluntate cucurrerit & elaboraverit, ſalvus eſſe non poterit, dignè „ utrumque tenetur, ſi rectus ordo ſervetur divinæ miſericordiæ & vo„ luntatis humanæ, ut illa præveniat, hæc ſequatur; ſola Dei miſeri„ cordia initium ſalutis conferat, cui deinde voluntas humana coopera„ trix ſuæ ſalutis exiſtat, ut miſericordia Dei præveniens voluntatis hu„ manæ dirigat curſum, & humana voluntas obediens, eâdem miſeri„ cordiâ ſubſequente, ſecundùm intentionem currat ad bravium; ac „ per hoc humana voluntas, in eo quòd currit utiliter & laborat, ex „ Dei miſericordia ſibi eſſe donum curſûs & laboris agnoſcat, nec ſit „ ingrata miſericordiæ per quam ſalutis accipit initium, ut per ipſam „ perveniat ad plenum ſempiternæ ſalutis effectum.“

Quamobrem quod aiunt memorati Patres, noſtrum eſſe velle, incipere, orare, eligere, Dei verò perficere & donare, diſtinguo. Noſtrum eſt velle &c, ſed non ſine gratia Dei præveniente, Dei verò perficere per gratiam ſubſequentem, concedo. Noſtrum eſt velle &c abſque gratia præveniente, diſtinguo iterum: abſque gratia præveniente, quæ neceſſitatem inferat voluntati, liberamque hominis cooperationem excludat, concedo: abſque gratia præveniente quæ, nedum excludat, operetur ipſum liberum voluntatis conſenſum, nego.

Sic intelligenda eſſe veterum Patrum verba, conſtat 1° quia prima ſalutis initia dona eſſe gratiæ aliis in locis apertiſſimè docent, ut in probatione Propoſitionis vidimus. 2°. Quia fideles, quos alloquebantur, de gratiæ neceſſitate ad bonum quodlibet jam dudum edoctos ſupponebant, ideòque illos prudenter & opportunè admonebant, ut, gratiæ fideliter cooperantes, boniſque operibus vigilanter inſiſtendo, ampliora miſericordiæ Dei dona expectarent, quæ non ſtertentibus & otioſis, ſed jam acceptis ſtrenuè collaborantibus conferuntur. 3°. Quia S. Auguſtinus aliique gratiæ vindices præcedentium Patrum dicta non aliter intellexerunt.

Venio nunc ad ſingulos. De mente S. Irenæi nullus poteſt eſſe ambigendi locus, poſt luculenta illius teſtimonia in probatione præcedentis Propoſitionis allata, in quibus apertiſſimè docet fidei ac bonæ voluntatis initia nobis ineſſe non poſſe niſi ex munere gratiæ. Illis adjungi poteſt quod ait S. Doctor in Fragmento quod edidit eruditus Maſſuet, Novæ edit. pag. 343. ubi ait, „ qui Spiritum ſanctum non habet (adjutorem), non habere „ creatoris notitiam, non recepiſſe Jeſum Chriſtum vitam, neſcire Pa„ trem qui in cœlis eſt,“ ac proinde nulla habere ſalutis initia.

Ad S. Clementem Alexandrinum reſpondeo nihil ab illo in verbis objectis dici quod non veriſſimum ſit. Bonam autem voluntatem hominis, quam gratia ſubſequens adjuvat, & ipſam gratiæ donum eſſe expreſſè declarat, tum in textibus ſupra in probatione allatis, tum lib. 4

Digitized by Google

Pag. 530. *Stromatum*, ubi dicit „ hoc eſſe trahi à Patre, dignum effici ut gratiæ „ virtutem à Deo accipiat, & currat citra impedimentum.“ Ex quibus verbis liquet neminem *dignum effici qui gratiæ virtutem*, ſeu amplius adjutorium, *à Deo accipiat*, niſi *qui à Patre trahitur*, ſicque dignus efficitur. Aliunde ſermo ille dirigitur ad hominem Chriſtianum, multis jam gratiæ donis præventum, qui proinde non erat ſine aliqua bona voluntate à Deo accepta, quæ indigebat tantummodò novis gratiæ auxiliis augeri ac foveri. Demum S. Clementi providendum erat ne Valentinianis & Baſilidianis hæreticis aliquid concedere videretur. Negabant autem illi fidem eſſe noſtræ liberæ electionis, docebantque naturali neceſſitate alios ſalvari, alios verò damnari. Ad proſcribendam illam impietatem, obſervat S. Clemens *Deum neminem cogere, vimque eſſe inimicam Deo.*

Quod ad S. Hilarium ſpectat, obſervant doctiſſimi Benedictini Operum ejus editores, in Præfatione, num. 259, eum, dum impietatem „ infidelium, qui pertinaciæ ſuæ excuſandæ anſam hanc arripiebant, Pag. 11. „ quòd à Deo, ut fideles eſſent, nondum eſſent conſecuti, vincere co„ natur, nonnulla habere quæ ad limatioris & accuratioris Theologiæ „ normam non ſatis exacta ſunt. Verùm, inquiunt, ſi attendatur, „ non tam quid ſonent verba illa, quàm quid eis ſibi velit, agnoſci fa„ cilè poſſe hoc tantùm ab eo caveri, ne liberum arbitrium cum Mani„ chæis deſtruere, vel hominis cooperationem & conatus tollere exiſti„ maretur.“ Cæterùm prima ſalutis ac bonæ voluntatis initia donari à Deo ſæpiſſimè docet. Teſtimoniis ſupra in probatione allatis hæc addi poſſunt: In Pſalm. 108. litt. 6. num. 2: „ Salus noſtra, inquit, ex Dei „ miſericordia eſt, & bonitatis ſuæ hoc munus eſt: & inde cœpit ora„ tio, unde & ſalus inchoat deprecantis.“ Et in Pſalm. 123. num. 3: „ Deo, ſi quid in nobis eſt, debeamus, à B. Paulo edocti nihil noſ„ trum exiſtimandum, dicente: *Quid enim habes quod non accepiſti?*“

Ad ea verò quæ nobis objiciuntur, reſpondeo S. Doctorem, in litt. 5. pſalm. 118. num. 11, præmiſiſſe omnia ſine ulla exceptione ex Deo eſſe, obſervando religioſam Prophetæ modeſtiam „ omnia ad Dei munus re„ ferentis, ſive ut lex viæ juſtificationum ſibi ſtatuatur à Domino, ſive „ ut ſibi intelligentia præſtetur, ſive ut deducatur in ſemita, ſive ut „ cor ejus in teſtimonia inclinetur.“ Deinde, litt. 12, hanc ſibi proponit objectionem: „ Si omnia à Deo ſunt, humana ergo ignorantia ca„ ret culpâ, cùm nihil obtineri poſſit niſi quod donatum à Deo ſump„ ſerit.“ Aliam haud abſimilem addit litt. 14, eorum ſcilicet *qui in„ fidelitatem ſuam excuſabant*, eo quòd, ceſſante erga ſe divinâ volun„ tate, infideles maneant.“ Ubi obiter obſervandum eſt utramque illam objectionem manifeſtè ſupponere omnia prorſus bona, atque ipſa prima fidei ſalutiſque ac bonæ voluntatis initia ex Deo eſſe, hancque fuiſſe Chriſtianorum doctrinam. Reſpondere utique poterat S. Hilarius quod poſteà reſpondit S. Auguſtinus, *quòd homines gratiâ non adjuventur*,

tur, in ipſis (in eorum ſcilicet averſione à Deo praviſque affectionibus) *cauſam eſſe, non in Deo.* Verùm, omiſſà profundiore myſterii gratiæ tractatione, reſpondet, litt. 5. num. 12, impium eſſe exiſtimare „ ideò ſe ea quæ ſunt credentium propria non conſequi, quòd ſibi „ à Deo indulta non fuerint;“ atque hujuſmodi excuſationem à Propheta penitus excludi, dum, per orationem ad Deum recurrendo, *conveniens infirmitati ſuæ egit officium:* Deum ergo orandum eſſe, atque inde à nobis exordiendum, ut ejus auxilium accerſamus. Orationem autem, nedum à nobis ipſis, non à Deo eſſe ſenſerit, munus Dei eſſe diſertè confitetur, cùm in ejuſdem Pſalm. litteram 19. num. 2, dicit „ clamorem (mentis) in fidelibus Spiritûs eſſe clamorem, Apoſtolo „ dicente: *Spiritus in cordibus noſtris clamat, Abba, Pater.*“ Non aliud igitur ſibi vult S. ille Doctor, quàm omnia quæ ad ſalutem pertinent ſic eſſe à Deo, ut & ipſi debeamus ſaluti noſtræ ſtudere & allaborare; & quando dicit *à nobis, cùm oramus, exordium eſſe*, id intelligendum eſt reſpectu gratiarum ſubſequentium, non reſpectu gratiæ prævenientis quæ orationem ipſam in nobis operatur.

S. Optatus, in objecto nobis textu, non opponit prima ſalutis ac bonæ voluntatis initia progreſſui & perfectioni juſtitiæ hujus vitæ, ſed juſtitiam, quæ in hac vita haberi poteſt, opponit perfectæ & conſummatæ ſanctitati quam expectamus in patria. Ibi quippe Donatiſtas refellit qui ſe immaculatos eſſe inſolenter jactabant, probatque hujuſmodi perfectionem non eſſe præſentis hujus vitæ. Quamobrem poſt verba quæ nobis objiciuntur ſtatim addit: „ Nam & à Chriſto Salvatore „ noſtro perfecta ſanctitas non eſt data, ſed promiſſa. Denique ſic ait: „ *Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum.* Non dicit, ſancti eſtis; ſed, „ ſancti eritis, dixit. Unde eſt ergo quòd vobis perfectam ſanctitatem „ de ſuperbia vindicatis, niſi ut appareat quòd vos ipſos decipitis, & „ veritas in vobis non eſt?“ Cum ergo dicit S. Optatus *eſſe Chriſtiani hominis quod bonum eſt velle, ſed homini non eſſe datum perficere*, indicat tantummodò quid hac in vita per gratiam Chriſti poſſumus, quid non poſſumus. Perfectionem velle, deſiderare, ad eam tendere & currere, Deo donante, poſſumus, conſequi verò, dum adhuc in via ſumus, non poſſumus. Abſurdiſſimum autem foret exiſtimare hujus S. Doctoris mentem fuiſſe, nos ad perfectionem patriæ conſequendam currere ſine auxilio gratiæ.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus eo tantùm ſenſu dicit Deum expectare cujuſlibet bonam voluntatem, quòd nullam vim aut neceſſitatem voluntatibus inferat, nec in nobis operetur abſque noſtro conſenſu; quem ipſe producit; vel Deum non dare plerùmque gratias ſubſequentes, niſi volentibus ac poſcentibus, non ita verò primam gratiam quæ ſalutis initium operatur. Et ſanè, cùm Deus ſit de ſuo bonus, de noſtro juſtus, ſemper in nobis ipſis cauſa eſt cur gratiam non habeamus; quia ſcilicet eam non curamus, noſque illa indignos præſtamus. Quàmvis

 enim

enim, ut Deus gratiam nobis largiatur, nullâ excitetur bonâ voluntate noſtrâ ex nobis præcedente, ut tamen eam non conferat, cauſa ſemper eſt ſocordia noſtra, averſio ab ipſo ac prava voluntas. Legi poteſt Præfatio poſtremæ Operum ipſius editioni præfixa, in qua eruditus Editor mentem illius ita explanat, ut in omnibus ſanæ & catholicæ doctrinæ planè conſonam eſſe oſtendat.

Ad S. Macarium reſpondeo 1° homiliam, quæ nobis objicitur, integram legi in proemio libri Marci Eremitæ *de Vita ſpirituali:* qui Marcus claruit inter monachos Nitrienſes eo tempore quo Caſſianus Semipelagianus Nitrienſem eremum inviſit. Unde dubitari meritò poteſt utrum ea homilia verè ſit S. Macarii, an illius Marci. 2°. Cavius in *Macario*, ad annum 373, ſubnotat „ homilias S. Macarii ab aliquo for- „ ſan ſequioris ſæculi interpolatas extare.“ 3°. Haud incommodè tamen exponi poteſt quod objicitur. Sicut enim in primo illo membro, *operis perfectio Dei eſt*, non excluditur conſenſus & cooperatio liberi arbitrii, ita & in altero membro, *voluntas autem eſt hominis*, cenſeri non debet excludi auxilium gratiæ prævenientis. Reverâ ſtatim ſubdit: „ Si „ totam voluntatem tribuamus homini, integrum opus nobis adſcribi- „ tur.“ Relege alium ejus textum ſole ſplendidiorem ſuprà in probatione allatum.

Quàmvis S. Joannes Chryſoſtomus adeò incautè nonnunquam locutus fuerit, ut ipſis etiam Jeſuitis viſus fuerit in errore Semipelagianorum verſatus, (a) aliunde tamen tam frequenter tamque expreſſè docet

(a) Nonnulli recentiores, quaſdam elocutiones S. Joannis Chryſoſtomi perperàm interpretantes, ſanctum Præſulem Semipelagianiſmo impudenter notaverunt: ita Molina, Suarez, Richardus Simon &c; vel ſaltem ejuſdem erroris ipſum ſuſpectum habuere, ut Dupinus & alii. Hanc contumelioſam audaciam plura Concilia, tum Provincialia, tum œcumenica, ſanctum Joannem Chryſoſtomum, unà cum aliis Eccleſiæ Doctoribus quos vocant *orthodoxos ac probabiles Patres*, nominatim annumerando, dudum prædamnaverant; eâdemque in ſanctiſſimum ac doctiſſimum virum æquitate uſi ſunt ipſimet gratiæ Chriſti adverſùs Pelagianos & Semipelagianos perantiqui propugnatores. S. Auguſtinus lib. 1 contra Jul. & lib 6. Oper. imp. cap. 7, Chryſoſtomum appellat *magnum Chriſtianæ fidei defenſorem & excellentis gloriæ ſacerdotem*; & lib. 4 Oper. imperf. cap. 72, ipſum adjungit aliis Patribus, quos laudat & declarat *fide integerrimos, ingenio acerrimos, doctrinâ uberrimos, famâ celeberrimos*. S. Leo ejuſdem ſapientiſſimi Præſulis *ſpiritalem copioſamque doctrinam*, ut ait, ſummoperè commendat, & S. Papa Cæleſtinus 1, in Epiſtola ad Clerum & populum C. P. his verbis tam præclara cumulat encomia: „ Quid non animis veſtris eruditio ſanctæ memoriæ Epiſcopi Joannis infundit, cu- „ jus ſermo adſtruens catholicam fidem toto orbe diffuſus eſt; qui nunquam per doctrinam de- „ fuit, quia ubicunque lectus eſt prædicavit?“ Numquid tam nervoſè acerrimi gratiæ defenſores elocuti eſſent, ſi Chryſoſtomum in aliquo errore verſatum fuiſſe, Semipelagianiſmoque vias aperuiſſe perſuaſum habuiſſent? Uno verbo, omnes tum Latini, tum Græci ſcriptores ſæculo decimo ſexto antiquiores, qui de ſancto Joanne Chryſoſtomo injecere ſermonem, doctrinam ejus ſummis laudibus extulerunt, nedum illam alicujus erroris circa gratiam aliave dogmata inſimulaverint. Plures referunt PP. Benedictini ad calcem tomi XIII Operum S. Doctoris, & addunt pag. 290: „ Innumeros poſſemus adjicere ſcriptores medii & infimi ævi, qui de „ ſancto Joanne Chryſoſtomo luculenta tulere teſtimonia.“

Conc. V œcum. anno 553. Concilium Mediolanenſe anno 680 &c.

Tom. 3 Concil. Labb. pag. 365.

Digitized by Google

cet quodlibet bonum, ipſiusque fidei & bonæ voluntatis initium, ex dono gratiæ in nobis provenire, quemadmodum ex plurimis ejus textibus, tum in præcedenti, tum in iſto articulo prolatis manifeſtum eſt, ut, quæcunque ab eo aliis in locis minùs limatè & accuratè dicta ſunt, catholicum in ſenſum exponi neceſſariò debeant, ne tanto Doctori graviſſima irrogetur injuria. Quando ille de gratiæ neceſſitate ſermonem ad populum habet, tria plerùmque caviſſe videtur. Primum, ne, ſub obtentu ſummæ illius ad omnia gratiæ neceſſitatis, Chriſtiani ſegni negligentiâ torperent, quaſi per ſolam gratiam, nobis oſcitantibus nihilque boni agentibus, ſalus noſtra perficienda ſit, nec requiratur labor, cooperatio & conatus liberi arbitrii noſtri. „ Solùm eligamus, „ inquit Hom. 16 in Epiſt. ad Hebr., ſolùm ad opus accedamus; „ tantùm ſimus ſolliciti; tantùm mentem adhibeamus, & omnia ſe- „ quuntur. Sin autem dormiamus, & ſtertentes expectemus cœlum in- „ gredi, quando poterimus hæreditatem cœlorum apprehendere?" Et Serm. *De ferendis reprehenſionibus*, multos arguens, qui „ moniti ut vi- „ tæ inſtitutum commutent, aliaque bona opera exequantur, pigritan- „ tes & refugientes ita respondent: ſi Deus voluerit, perſuadebit mihi, „ & convertar. Sanè non comminor illos, ait S. Chryſoſtomus, ſed „ admodùm approbo quòd ad voluntatem Dei confugiant: ſed volo ut „ ea quæ penes ipſos ſunt afferant, & ſic dicant: ſi Deus voluerit. „ Nam ſi te ſomno & ſegnitiei dedens non coneris bona edere opera, „ ſed Dei tantùm voluntatem objeceris, nihil eorum, quibus opus ha- „ bes, adipiſceris usquam." Et in pſalm. 20: „ Non vult Deus otio- „ ſos, non dormitantes, non ſtertentes, nec ſupinos, ſed operantes & „ ſtudium adhibentes ad ſalutem."

Et verò nemo compertum habet ac certò detegere poteſt, absque ſpeciali revelatione, an gratiâ cœleſti in ſuis actibus bonis moveatur. Sæpè enim contingit ut homines ſeipſos ſeducant, & tacitæ cupiditatis motivo virtutis officium exter.ùs exerceant. In tanta autem verſati incertitudine, quâ Deus intendit humanam cohibere ſuperbiam, virtutum opera, quaſi gratiæ auxilium ſemper præſtò eſſet, ſtrenuè aggredi debemus, nedum ignaviâ & ſegnitie torpeamus. Faciendum eſt quod poſſumus, petendum quod non poſſumus, ac confidendum, cùm nullam in operibus noſtris labem cupiditatis advertimus, nos gratiæ influxu operatos fuiſſe. Si enim tanquàm ſtipites immoremur, nec aliquid boni agamus, *quando poterimus rectè vivere, & hæreditatem cœlorum apprehendere?*

Hoc ſenſu intelligendæ ſunt hæ locutiones, quibus interdum utitur S. Chryſoſtomus, nempè: *à nobis proficiscuntur principia, à nobis incipiendum eſt, oportet nos primùm bona eligere, ad opus accedere.* Etenim hæc verba, in mente S. Doctoris, non excludunt neceſſitatem gratiæ, ſed tantùm *ignaviam* eorum qui *pigritantes & refugientes* bonum conatibus

bus ſuis aggredi recuſant, ac *moniti ut vitæ inſtitutum commutent, reſpondent: ſi Deus voluerit, perſuadebit mihi, & convertar.* Unde dicit Chryſoſtomus, hom. 14 & 26 in Gen: „ Poſtquàm ſic incœpimus, „ *nobis copioſior præſtatur gratia: majorem gratiam nobis conciliamus.*“ Hom. 11 ad popul. Antioch: *Aliis & majoribus ſubſidiis potiemur* &c. Quod manifeſtè ſupponit hæc initia bonæ voluntatis non à ſolo libero arbitrio, ſed etiam ab ipſa gratia oriri, ſine qua, ait hom. 25 & 28 in Gen., nihil prorſus *rectè*, *probè* & *ſicut oportet* (ὡς χρὴ) agere poſſumus. „ Quemadmodùm enim reſpiratione, addit hom. 23 in Math., „ ita gratiâ indigemus ad bonum operandum.“ Et hom. 32 in Epiſt. 1 ad Corinth. „ Ubique & ſemper Dei egemus auxilio.“

Prætereà innumeris ſancti Præſulis textibus mox oſtendemus *omnia bona opera ex Deo eſſe, omnia ex gratia Dei profluere; in rectè factis...... totum ex ſuperna gratia factum eſſe; non aliud noſtrum eſſe, aliud Dei, non partim hominis, partim Dei, ſed totum Deo adſcribendum eſſe.* Et ideò, concludit, „ *homo nihil ſibi arroget; ſed totum ad gratiam refe-* „ *rat, nihil ſuum eſſe ducat, ſed ſeipſum deprimat. Quid enim habes,* „ ait Apoſtolus, *quod non accepiſti? Si autem accepiſti* &c: id eſt, *non* „ *tuum eſt id quod tibi datum eſt, ſed dantis. Si enim accepiſti, ab illo* „ *accepiſti. Si ab illo accepiſti, non rem tuam accepiſti: quòd ſi non rem* „ *tuam accepiſti, quid altum ſapis quaſi rem tuam habens?*“ Hæc autem doctrina ſaniſſima magis ac magis evincit, circà neceſſitatem gratiæ ad initium fidei &c, ſanctum Chryſoſtomum non aberraſſe, noſque genuinum ejus ſenſum ad amuſſim expoſuiſſe.

Obſervandum tamen eſt prædictas locutiones: *à nobis incipiendum eſt: oportet nos primùm ad opera bona accedere* &c, quibus poſteà Pelagiani ac Semipelagiani ad ſuum errorem exprimendum uſi ſunt, Eccleſiam repudiaſſe; neminique hodie licere has voces uſurpare, niſi forſan, certis in caſibus, ad ſenſum catholicum modò expoſitum clarè & diſtinctè revocentur.

Alterum punctum eſt, ne videretur S. Chryſoſtomus eam gratiæ neceſſitatem prædicare quæ lædat liberum voluntatis arbitrium, ſicque Manichæis favere; v. g. hom. 46 in Joannem, exponens hæc verba Chriſti: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum*, ſic loquitur: „ Hic inſurgunt Manichæi dicentes nihil nos ex nobis ipſis „ poſſe, quod maximè probat voluntatem noſtram in noſtrâ eſſe po- „ teſtate. Sed ſiquis venit ad illum, inquiunt, quid opus habet ut „ trahatur? Verùm hoc noſtrum non tollit arbitrium, ſed potiùs de- „ clarat nos auxilio opus habere.“ Et Serm. *De ferendis reprehenſionibus*, num. 6: „ Id verò, inquit, jam volo vos id probè noſſe, Deum „ nempe non vim inferre nolentibus, ſed volentes trahere...... Nemini „ vult neceſſitatem inferre...... Neceſſitate ac vi neminem unquam „ adigit...... Non invitum, non nolentem, ut ſæpè repeto, ſed liben-

„ tem

Digitized by Google

„ & volentem hominem ut ſalvum faciat, Deus paratus eſt...... Invi-
„ tos & reſilientes nunquam cogit nec vi adigit.“ Et hom. 4 in Epiſt. ad Coloſſ. num. 1: „ Vos non invitos, nec neceſſitate compulſos, ſed lu-
„ bentes & voluntariè ab ipſo reſilientes, cùm eſſetis indigni, liberavit.

Eamdem doctrinam indeſinenter inculcabat S. Chryſoſtomus in homiliis ad populum, ut, quantùm in ipſo erat, avocaret fideles ab erroribus Manichæorum cæterorumque hæreticorum, qui tunc temporis fati neceſſitatem inducebant, & hac peſtifera doctrina univerſum penè Orientem infeſtare conabantur.

3°. Denique cavebat S. Doctor ne homines peccatorum ſuorum cauſam in gratiæ defectum rejicerent, ſeque in peccatis ſuis excuſandos putarent. Homilia 45 in Joann. ſic explicat hæc verba Dominica: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*: „ Dicet fortaſſè quiſpiam, ait:
„ ſi omne quod dat Pater venit ad (Filium), & ſi nemo poteſt veni-
„ re, niſi ipſi datum fuerit deſuper, ii quibus non id dat Pater om-
„ ni ſunt crimine liberi. Hæc verba ſunt & obtentus, reponit S. Chry-
„ ſoſtomus, nam noſtrâ quoque opus eſt voluntate. Doceri quippe &
„ credere ex voluntate eſt. Hic verò nihil aliud declarat his verbis,
„ *quod dat mihi Pater*, quàm, non vulgaris res eſt in me credere,
„ neque id ex humano ratiocinio pendet, ſed opus eſt ſupernâ revela-
„ tione, & piâ animâ quæ revelationem recipiat.“

Dummodò hi tres errores abuſuſque removeantur, omnia prorſus gratiæ operationi attribuit S. Chryſoſtomus; adeòque doctrinæ catholicæ omnino conſentit, quàmvis, nullo premente adverſario, minùs cautè & accuratè quandoque illam exponat, quàm Patres latini qui poſt natam Pelagianam hæreſim vixerunt. Securiùs ac liberiùs loquebatur, confidens ſe non aliter intelligi quàm in Eccleſia credebatur.

De mente S. Hieronymi dubitare non ſinunt ſcripta ejus contra Pelagianos, in quibus ex inſtituto & latè probat nihil boni eſſe poſſe in homine, quod non ſit donum gratiæ; ejus adjutorium juſtis ipſis ad ſingulos actus neceſſarium eſſe, atque ad omnes & ad omnia pertinere dictum illud Apoſtoli: *Quid habes quod non accepiſti?* Quando igitur dicit *noſtrum eſſe rogare*, *Dei tribuere* &c, oſtendit quid fideles & juſti omnes ex gratia jam accepta facere debeant, ut nova & majora gratiæ munera accipiant, eo ſenſu quo concilium Tridentinum, ſeſſ. VI. cap. 11, poſt S. Auguſtinum declarat *Deum jubendo monere, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvare ut poſſis.* Eo loco Pelagium refellebat aſſerentem poſſe hominem vivere ſine ullo peccato, ſi velit, erroremque illum confutabat ex eo quòd velimus eſſe ſine peccato, nec poſſimus, quia *arbitrium ex parte liberatum*, *ex altera parte ceſſat*; & eatenus *liberum eſt*, ſeu ſolutum & expeditum per gratiam, *ut velimus & cupiamus* vivere ſine peccato, ſed *jam in Domini poteſtate eſſe ut*, *quod cupimus* per gratiam debiliorem, illius ope atque auxilio validiore *implere valeamus*. Cæterùm catholi-

eum dogma diſertiſſimè exprimit in Epiſt. *ad Cteſiphontem*, cap. 2; dicens: „ Velle & currere meum eſt, ſed ipſum meum ſine Dei auxilio „ non erit; dicit enim idem Apoſtolus: *Deus eſt qui operatur in nobis „ & velle & perficere.*“ Itaque, nedum ex verbis S. Hieronymi quidquam concludi poſſit contra catholicam doctrinam, quam juxta Conciliorum definitiones propugnamus, è contrario ſequitur aliorum quoque antiquorum Patrum paulò duriora quandoque verba ad ſenſum catholicum reduci oportere; quandoquidem S. ipſe Hieronymus non minùs durè interdum loquitur, cùm tamen ad minima quæque bonæ voluntatis initia gratiæ neceſſitatem apertiſſimè aſſerat.

Demum S. Iſidorus Peluſiota eum ad quem ſcribebat hortatur, ut, faciendo quod poterat ex gratia jam accepta, ampliora gratiæ auxilia conſequi ſtuderet. Quòd autem ad bonæ voluntatis initium gratiæ neceſſitatem agnoverit, manifeſtè patet ex his verbis quæ ibidem leguntur: „ Illud, quod dormientes excitat & nolentes inſtigat, non certè „ eos derelinquit, qui à ſeipſis“ (nempe liberè cooperando gratiæ) „ virtutem amplectuntur.“

Attamen cùm memorati Eccleſiæ Doctores doctrinam catholicam, quam utique mente & corde tenebant, minùs attentè expoſuerint & tradiderint, concludendum eſt non ex illorum ſcriptis, ſed ex Auguſtino aliiſque Patribus, qui pro gratiæ defenſione contra Pelagianos eorumque reliquias decertarunt, ſinceram Eccleſiæ fidem ſumendam eſſe.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An gratiæ adjutorium neceſſarium ſit ad perſeverandum in bono, & quanta ſit illius neceſſitas.

PERSEVERANTIÆ nomine intelligitur continuatio in bono quod habetur. Poteſt autem homo juſtus perſeverare in juſtitia usque ad finem vitæ, vel per aliquod duntaxat tempus, non autem usque ad extremum vitæ. Illa perſeverantia dicitur finalis, ut diſtinguatur ab ea quæ definit ante mortem. „ Non contendo de verbis, inquiebat S. Auguſtinus lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 1. „ Si & illa perſeverantia putatur eſſe dicenda“ (qua quis per decem v. g. annos in juſtitia ſtat) „ tanquam temporis ſui, hanc certè, de qua nunc agimus, perſeverantiam, quâ in Chriſto perſeveratur usque in finem, nullomodò habuiſſe dicendus eſt, *qui non perſeveraverit usque in finem;* potiùsque „ hanc

„ hanc habuit unius anni fidelis, & quantùm infra cogitari poteſt, ſi „ donec moreretur fideliter vixit, quàm multorum annorum, ſi exiguum „ temporis ante mortem à fidei ſtabilitate defecit."

Rurſus perſeverantia dividitur in activam & paſſivam. Perſeverantia activa eſt ſeries bonorum operum quibus juſtitia conſervatur, vel etiam augetur, comprehenditque obſervantiam mandatorum, virtutum exercitium, fugam peccati, victoriam tentationum (quæ tamen perſeverantiæ accidentaria eſt, cùm juſtitia retineri vel amitti poſſit citrà tentationes, ſicut contigit in angelis bonis & malis). Perſeverantia paſſiva non conſiſtit in actu aliquo, ſed in conſervatione gratiæ ſanctificantis, & in conjunctione ſtatûs gratiæ cum articulo mortis. Perſeverantia parvulorum, qui poſt baptiſmum, ante uſum rationis, ex hac vita decedunt, merè paſſiva eſt: adultorum verò partim activa & partim paſſiva eſt: activa quatenus per actus pietatis in juſtitia permanent & proficiunt; paſſiva quatenùs ex hac vita rapiuntur eo tempore quo verſantur in ſtatu gratiæ.

De perſeverantia paſſiva hìc non agitur. Quàmvis enim magnum ſit Dei donum, non eſt tamen propriè gratiæ auxilium, ſed protectio divina ſpecialis & externa circa electos, per quam à gravioribus tentationibus præſervantur, hujusque vitæ periculis ſubtrahuntur; ſed agitur de perſeverantia activa, ſive ſit finalis, ſive non, quæriturque an juſti poſſint in accepta juſtitia perſeverare, ſive per longum, ſive per breve tempus, absque actuali gratiæ adjutorio.

Pelagiani docuerunt poſſe juſtum in bono perſeverare per totam vitam absque auxilio gratiæ interioris.

Semipelagiani aliter ſentiendum eſſe dicebant de perſeverantia in bonis operibus, quàm de perſeverantiâ in fide, in bona voluntate, & in deſiderio gratiæ. Illam quidem gratiæ Chriſti medicinali, hanc verò libero hominis arbitrio attribuendam eſſe cenſebant. Caſſianus tamen ex eorum grege exiſtimabat, poſſe juſtos præclara virtutum opera interdum facere cum ſola gratia habituali, ut oſtendimus Lib. I. diſſert. 2. cap. 2.

Catholici omnes conſitentur non poſſe juſtos in juſtitia per longum tempus perſeverare ſine auxilio gratiæ actualis; ſed nonnulli negant illud adjutorium eſſe neceſſarium ad ſingulos actus bonos, quia, inquiunt, vires liberi arbitrii cum ſola gratia habituali ſibi ſufficiunt ad perſeverandum aliquandiu, maximè ubi graviores tentationes non urgent. Enimverò cùm, juxta illos, gratia propriè non requiratur ad benè operandum, ſed tantùm ad operandum ſupernaturaliter, conſequenter dicere tenentur habitum ſtatumque gratiæ ſufficere ad agendum piè ac meritoriè, actualemque gratiam non requiri ad ſingulos actus bonos, ſed interdum duntaxat, & quando graves ingruunt tentationes. Ita ſentiunt Molina ſuprà, Platel in *Compendio Curſûs Theologici*, part. 3. cap. 6. §. 5.

Digitized by Google

§. 5. num. 547 & 549, ac plerique alii Jeſuitæ, nec non Malebranchius in prima è quatuor Epiſtolis ad Arnaldum.

Illos omnes tum Hæreticos, tum Scholaſticos confutabimus duabus Propoſitionibis. In prima oſtendemus hominem juſtificatum non poſſe perſeverare in juſtitia ſine auxilio gratiæ actualis; in altera probabimus illud gratiæ adjutorium requiri ad omnes & ſingulos actus hominum juſtificatorum.

PRIMA PROPOSITIO.

Nemo juſtus poteſt in juſtitia perſeverare, neque per longum, neque per breve tempus, absque auxilio actuali gratiæ Chriſti.

PROBATUR I° è Scripturis, quæ, ſicut initium, ita & perſeverantiam, progreſſum augmentumque juſtitiæ, non ipſi homini, ſed operationi gratiæ Chriſti, tanquam primæ ac primariæ cauſæ, adſcribunt.

Pſalm. 126, poſtquàm dixit Propheta regius: *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*, quæ verba de ſpirituali ædificatione juſtitiæ SS. Patres intelligunt, continuò addit: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam;* ſignificans quotidianâ gratiæ cuſtodiâ juſtis opus eſſe, ſine qua in juſtitia ſtare nequaquam poſſunt.

Pſalm. 15: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commovear.* Et pſalm. 2 juſtis dicitur: *Servite Domino in timore & exultate ei cum tremore,..... nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta:* id eſt, ne Deus offenſus gratiæ ſuæ opem ſubtrahat, ſtatimque à juſtitia excidatis. Huic oraculo Prophetico conſonat iſtud Apoſtolicum, Philip. II. 12: *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*, id eſt, gratuitâ miſericordiâ operatur in vobis & bonam voluntatem, & perſeverantiæ effectum.

Pſalm. XXIX. 7, idem Propheta teſtatur, averſâ à ſe divinâ facie, id eſt, ſubtracto Dei auxilio, ſe ſtatim conturbatum corruiſſe. *Ego*, inquit, *dixi in abundantia mea, non movebor in æternum. Domine, in voluntate tua præſtitiſti* (præſtiteras) *decori meo virtutem: avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Hoc experimento edoctus quàm perniciosum ſit de ſeipſo præſumere, ſubmiſſè confitetur ſibi opus eſſe non ſolùm gratiâ præveniente, ut ſurgat, verum etiam ſubſequente

ne

Digitized by Google

ne cadat. *Miſericordia tua*, inquit, *ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ;* Pſalm. XXII. 6. Unde S. Fulgentius concludit lib. 1 *de Veritate Prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 16, „ miſericordiam, quæ gratis ma-„ lum hominem prævenit ut mutet in melius, & ipſum quem bonum „ facit ſubſequendo regere, ne mutetur in pejus.

S. Paulus, egregius gratiæ exemplar & Apoſtolus, hoc dogma ſuis in Epiſtolis frequenter inculcat. 1 Corinth. I. 8: *Qui* (Jeſus Chriſtus) *confirmabit vos usque in finem ſine crimine, in die adventûs Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Philipp. I. 6: *Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Chriſti Jeſu.* 1 Theſſal. III. 12: *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat caritatem veſtram in invicem & in omnes,..... ad confirmanda corda veſtra ſine querela in ſanctitate ante Deum & Patrem noſtrum, in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ibid. V. 23 & 24: *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia, ut integer ſpiritus veſter, & anima & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur. Fidelis Deus qui vocavit vos, qui etiam faciet.*

Non minùs apertè loquitur S. Petrus, 1 Epiſt. I. 5: *In virtute Dei*, inquit, *cuſtodimini per fidem in ſalutem.* Quibus verbis non ſolùm perſeverantiam in bonis operibus, ſed perſeverantiam quoque in fide virtuti divinæ gratiæ attribuit. Et cap. V. 11: *Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit vos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit ſolidabitque.*

Probatur II° orationibus Eccleſiæ, quæ non ſolùm converſionem peccatorum, ſed etiam juſtorum perſeverantiam in bono jugiter à Deo poſtulat. 1 Paralipom. 29, cùm univerſus populus prompto animo offerret quæ ad impenſas ædificationis templi conducere poterant, David piâ lætitiâ perfuſus Deum ſic precatus eſt: *Deus Iſrael, cuſtodi in æternùm hanc voluntatem cordis eorum, & ſemper in venerationem tui mens iſta permaneat.*

In Pſalmis, qui fidelibus omnibus, ſive juſtis, ſive nondum juſtificatis, orandi formam præſcribunt, Deo ſæpiſſimè dicimus: *Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne diſceſſeris à me.*

S. Ignatius martyr fideles omnes, ad quos martyrio proximus ſcripſit, enixè rogabat ut perſeverantiam ſibi dari inſtantiſſimis precibus à Deo poſtularent.

S. Juſtinus martyr in prima Apologia, num. 65, teſtatur in uſu Eccleſiæ fuiſſe ut fidelium perſeverantiam in publicis precibus à Deo expoſcerent. „ Nos, inquit, poſtquàm eum qui fidem ſuam & aſſenſum „ doctrinæ noſtræ teſtatus eſt, ad eos qui dicuntur fratres deduximus, „ ubi illi congregati ſunt ad communes preces, ac pro nobiſmetipſis, „ & pro illo qui illuminatus eſt, & pro aliis ubique omnibus attento „ animo oramus ut, veritatis cognitionem adepti, hâc etiam gratiâ

Pag. 84. In Edit. Commel. anni 1593 pag. 76.

„ dignemur, ut rectam operibus vitam agentes, & præceptorum custo-„ des inveniamur, quo ſalutem æternam conſequamur.“

Cùm Quadraginta Martyres ad ſtagnum ſæviſſimo frigore rigens congelandi deducti eſſent, ſic illos oraſſe memorat S. Baſilius, hom. 20 *de Quadraginta Martyribus.* „ Quadraginta in ſtadium intravimus: utinam „ quadraginta, o Domine, coronemur! Non deſit numero ne unus qui-„ dem:“ ut ſcilicet, quibus datum fuerat in ſtadium ingredi, eisdem daretur perſeverare uſque ad mortem. Unus tamen, occulto & inſcrutabili Dei judicio, defecit. „ Nec propterca, inquit S. Baſilius, Deus „ eorum vota inania eſſe permiſit: lictor enim, ut illum defuiſſe vi-„ dit,..... abjectis indumentis, ſeſe nudus immiſcuit, eamdemque „ cum ſanctis vocem emiſit: *Chriſtianus ſum.*

Eccleſia in ſolemnibus ſuis precibus conſtanti religione perſeverantiam pro fidelibus omnibus à Deo apprecatur. Sic feria 3 in Paſſione Domini: *Da, Domine, famulis tuis perſeverantem in tua voluntate famulatum.* In collecta Dominicæ 2 poſt Pentecoſten: *Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum.* Dominica 6: *Quæ ſunt bona nutrias, & pietatis ſtudio quæ ſunt nutrita cuſtodias.* Dominica 14: *Quia ſine te labitur humana mortalitas, tuis ſemper auxiliis & abſtrahatur à noxiis, & ad ſalutaria dirigatur.* Dominica 2 in Quadrageſima: *Deus, qui conſpicis omni nos virtute deſtitui, interiùs exteriùsque cuſtodi.* Singulis etiam diebus ad Primam: *Tuâ nos hodie ſolva virtute, ut ad nullum declinemus peccatum, ſed ſemper ad tuam juſtitiam faciendam noſtra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera.* Et in canone Miſſæ: *Fac me tuis ſemper inhærere mandatis, & à te nunquam ſeparari permittas.*

Demum, aliis prætermiſſis, ipſa oratio Dominica quid aliud ſingulis ferè petitionibus poſtulandum indicat, quàm perſeverantiam? Adeò id evidens eſt, ut qui perſeverantiam vel omni, vel aliqua ex parte operationi gratiæ ſubtrahit, „ non diſputationibus refellendus, ſed ſancto-„ rum orationibus onerandus (al. revocandus) eſt, ait S. Auguſtinus lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 2. num. 3. „ An verò quiſquam co-„ rum eſt qui non ſibi poſcat à Deo ut perſeveret in eo, cùm ipſâ ora-„ tione, quæ Dominica nuncupatur, quia eam Dominus docuit, quan-„ do oratur à ſanctis, nihil penè aliud quàm perſeverantia poſci intelli-„ gatur.“ Cùm verò dicimus Deo Patri: *Sanctificetur nomen tuum*, quid aliud dicimus, ait S. Doctor lib. *de Corrept. & gratia*, cap. 6. num. 10, „ quàm ut nomen ejus ſanctificetur in nobis? Quod cùm jam „ per lavacrum regenerationis effectum ſit, quare quotidie à fidelibus „ poſcitur, niſi ut in eo, quod factum eſt in nobis, perſeveretur à no-„ bis? Pariter, ut ait lib. *de Dono perſeverantiæ*, cap. 2. num. 5, „ cùm „ dicimus, *adveniat regnum tuum*, num aliud poſcimus, niſi ut veniat „ & nobis, quod eſſe venturum non dubitamus omnibus ſanctis? Ergo „ &

Digitized by Google

„ & hic qui ſancti ſunt quid orant, niſi ut in ea ſanctitate, quæ illis „ data eſt, perſeverent?“ Cùm addimus, *fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra*, petimus quidem ut infideles credant & peccatores convertantur. „ Sed cùm orant ſancti ut in facienda voluntate Dei æquentur „ angelis Dei, inquit ibidem, num. 6, perſeverantiam demonſtrantur „ orare; quoniam nemo pervenit ad illam ſummam, quæ in regno eſt, „ beatitudinem, niſi in ea ſanctitate, quam ſumpſit in terra, perſeve- „ raverit usque in finem.“ Eodem interprete, ibid. cap. 4. num. 7, quartâ petitione, *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, ſancti petunt „ ne à Chriſti corpore ſeparentur, ſed in ea ſanctitate permaneant, „ quâ nullum, quo inde ſeparari mereantur, crimen admittant...... Jam verò, addit cap. 5. num. 9, cùm dicunt ſancti, *ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo*, „ quid aliud, quàm ut in ſanctitate „ perſeverent, precantur? Nam profectò, conceſſo ſibi iſto Dei dono...... „ ne inferantur in tentationem, nemo ſanctorum non tenet usque „ in finem perſeverantiam ſanctitatis.“ Ergo qui contendit hominem ſine actuali adjutorio Dei perſeverare poſſe, ſaltem aliquandiu, orationibus Eccleſiæ Chriſtique documentis manifeſtiſſimè contradicit. Profectò enim, ut ait idem S. Doctor ibid. cap. 16. num. 39, „ qui ex ſeipſo „ perſeverantiam“ (quantulacunque ex parte) „ ſe habere putat, non „ orat ut habeat. Cavendum eſt igitur ne, dum timemus ne tepeſcat „ hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio.“

Probatur III° conſenſu SS. Patrum.

S. Clemens Romanus, Epiſt. 1 ad Corinthios, num. 50: „ Qui per „ Dei gratiam in caritate ſunt conſummati“ (ſeu vitam finierunt, τελειωθέντες) „ locum piorum obtinent, & in viſitatione regni Chriſti „ manifeſtabuntur...... Beati ſumus, Dilecti, ſi præcepta Domini in „ caritatis concordia perfecerimus...... Hæc beatitudo contigit electis „ per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.“

Tertullianus lib. *de Oratione Dominica*, ad quartam petitionem, ait per *panem noſtrum quotidianum* intelligi Euchariſtiam, noſque petendo „ panem quotidianum, perpetuitatem poſtulare à Chriſto & individuitatem à corpore ejus.“ Porro perſeverantiam ſinceriter poſtulare nequit, niſi qui eam donum Dei eſſe confitetur.

S. Cyprianus, in libro *de Oratione*, exponens primam Dominicæ orationis petitionem: „ Id petimus, inquit, ut qui in baptiſmo ſanctifi- „ cati ſumus, in eo quod eſſe cœpimus perſeveremus; & hoc quotidie „ petimus. Opus eſt enim nobis quotidianâ ſanctificatione...... Hæc „ ſanctificatio ut in nobis permaneat oramus...... Hanc continuis ora- „ tionibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus poſtulamus, ut „ ſanctificatio & vivificatio, quæ de Dei gratia ſumitur, ipſius pro- „ tectione ſervetur.“ Ex quarta quoque, quam de pane euchariſtico intelligit, eamdem conſecutionem infert. „ Hunc panem, inquit, „ dari

Digitized by Google

„ dari nobis quotidie poſtulamus, ne, qui in Chriſto ſumus, & Eucha-„ riſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo gra-„ viore delicto dum abſtenti & non communicantes à cœleſti pane pro-„ hibemur, à corpore Chriſti ſeparemur.“ Idem S. Antiſtes & martyr Epiſtolâ 60 ad Cornelium Papam (al. 57, vel 92): „ Incumbamus, „ inquit, gemitibus aſſiduis & deprecationibus crebris. Hæc ſunt no-„ bis arma cœleſtia, quæ ſtare & perſeverare fortiter faciunt. Hæc „ ſunt munimenta ſpiritualia & tela divina quæ protegunt.“ —

S. Hilarius in fine libri 12 *de Trinitate* hanc ad Deum precem fundit: „ Conſerva, oro, hanc fidei meæ incontaminatam religionem, & „ usque ad extremum ſpiritûs mei dona mihi hanc conſcientiæ meæ „ vocem, ut, quod in regenerationis meæ ſymbolo, baptiſatus in Patre „ & Filio, & Spiritu ſancto profeſſus ſum, ſemper obtineam.“ Hac oratione probatur ipſam quoque in fide perſeverantiam, non niſi Deo dante, haberi poſſe. Et in pſalm. 142. num. 2, ad hunc verſiculum, *ſpiritus tuus bonus deducet me in terram rectam propter nomen tuum, Domine*, ſic ait: „ Competens illa humanæ verecundiæ profeſſio eſt, ut quòd per ſpiritum „ Dei in terram rectam reducendus ſit, id non meriti eſſe ſui arroget, „ neque per ſatisfactionem pii obſequii id ſibi poſtulet; ſed totum hoc „ ad clarificandum in ſe Dei nomen expectet, ut propter honorem Dei „ nominis in terra recta eſſe ſtatuatur.“

S. Ambroſius in Pſalm. 118, ſerm. 10. num. 35, ad hæc verba: *Fiat miſericordia tua ut conſoletur* (vel *exhortetur*) *me*: „ Non volentis, in-„ quit, neque currentis hominis perſeverantia eſt: non eſt enim in homi-„ nis poteſtate, ſed miſerantis Dei, ut poſſis complere quod cœperis.“

Tom. 9. pag. 5... al. tom. 4. pag. 105. S. Chryſoſtomus, Hom. 9 in Epiſt. ad Romanos, num. 1: „ Si tot „ peccatis obnoxii, inquit,...... ab omnibus per Chriſtum liberati ſu-„ mus, multò magis illius ope fiet ut in hoc ſtatu maneamus.“

S. Hieronymus in Epiſt. ad *Cteſiphontem*, cap. 3: „ Sciamus, inquit, „ nos nihil eſſe, niſi, quod donavit, in nobis ipſe ſervaverit, dicente „ Apoſtolo: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* „ Velle & currere meum eſt, ſed ipſum meum ſine Dei auxilio non „ erit meum...... Semper largitor ſemperque donator eſt. Non mihi „ ſufficit quod ſemel donavit, niſi ſemper donaverit. Peto ut acci-„ piam, & cùm accepero rurſus peto. Avarus ſum ad recipienda bene-„ ficia Dei, nec ille deficit in dando, nec ego ſatior in accipiendo. „ Quantò plus bibero, tantò plus ſitio...... Cum me putavero ad cal-„ cem perveniſſe virtutum, planè habebo principium...... Hæc homi-„ nibus ſola perfectio, ſi imperfectos eſſe ſe noverint.“ Et in dialogo 3 *contra Pelagianos*, cap. 3, catholicam hanc doctrinam aptiſſimâ ſimilitudine confirmans: „ Sicut rami & flagella vitium, inquit, illicò „ contabeſcunt, cum fuerint à matrice præciſa, ita omnis hominum „ fortitudo marceſcit & deperit, ſi à Dei auxilio deſeratur.“

S. Pe-

S. Petrus Chryſologus, Serm. 135 in S. Laurentium, ſic loquitur: „ Ut fides non deficeret, ut ſpes non everteretur, ut caritas inter pœ„ nas igneas corporales plus accenderetur, dona Dei erant. Nemo ar„ roget potentiæ ſuæ quod non dat niſi Deus."

S. Auguſtinus librum aureum ſcripſit de *Dono perſeverantiæ*, ut hoc dogma contra Presbyteros Maſſilienſes vindicaret. Sic autem ibi loquitur, cap. 7. num. 14: „ Sicut operatur (Deus) ut accedamus, ſic ope„ ratur ne diſcedamus...... Manus igitur Dei eſt iſta, non noſtra, ut „ non diſcedamus à Deo: manus ejus eſt, inquam, iſta, qui dixit: *Timorem meum dabo in cor eorum, ut non recedant à me.*" Et num. 15: „ Quod poterat nobis & non orantibus dari; ſed oratione noſtra nos vo„ luit admoneri à quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim, niſi ab „ illo accipimus, à quo juſſum eſt ut petamus?" Et in lib. *de Correptione & gratia*, cap. 6. num. 12: „ Si dixerimus iſtam perſeverantiam „ tam laudabilem tamque felicem ſic eſſe hominis, ut non ſit ex Deo, „ illud primitus evacuamus quod dicit Dominus Petro: *Ego rogavi pro „ te ut non deficiat fides tua.* Quid enim & rogavit, niſi perſeveran„ tiam usque in finem? Quæ profectò ſi homini ab homine eſſet, à „ Deo poſcenda non eſſet. Deinde cum dicit Apoſtolus: *oramus autem „ ad Deum ne quid faciatis mali*, procul dubio perſeverantiam eis orat „ ad Deum."

S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 1 *de Oratione in ſpiritu & veritate*, hæc dicit: „ Infirmaretur profectò humana natura, & facillimè ad quævis ab„ ſurda deferretur, niſi illam Salvatoris gratia in virtute ſuſtineat, & „ bonis cœleſtibus, quorum ipſa fons eſt, augeat...... At ſi manum „ quodammodò contraxerit Deus, horumque bonorum (ſpiritualium) „ copiam non ſuppeditaverit, neceſſe eſt omnino ut in mala, etiam „ præter voluntatem, incidamus, atque ut ab omni prorſus virtute ex„ cidamus, ac veluti alterius jugum ſubeamus, ad eumque malorum „ cumulum perveniamus, ut non multùm abſit quin ipſam quoque „ intelligentiam amittamus." Tom. 1. p. 11.

S. Proſper in lib. *Sententiarum*, ſententiâ 131: „ Sicut duo ſunt, „ inquit, officia medicinæ, unum quo ſanatur infirmitas, aliud quo „ cuſtoditur ſanitas, ita duo ſunt dona gratiæ, unum quod aufert car„ nis cupiditatem, aliud quod facit animi perſeverare virtutem."

S. Fulgentius, lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 16: „ Sicut bonæ voluntatis initium nemo poteſt habere, niſi fuerit miſeri„ cordiâ Dei præveniente illuminatus,..... ita eamdem voluntatem bo„ nam nemo usque in finem poteſt obtinere, niſi fuerit jugiter eâdem „ miſericordiâ ſubſequente ſervatus." Et lib. 2, cap. 17: „ Sicut „ omnia bona, inter quæ etiam voluntatem habemus, non niſi Deo „ largiente accipimus, ſic omnia quæ accipimus non niſi Deo cuſtodien„ te ſervamus. Quæcunque ſint enim bonæ vitæ munera in homine,

 tunc

Digitized by Google

„ tunc ab illo cuſtodiuntur, ſi bona in eo perſeveret voluntas. Sed „ voluntas ipſa, cujus bonitate cætera bona benè habentur ritèque ſervantur, tunc in homine bona juſtaque perſeverat, ſi eam cuſtodiens „ gratia divina non deſerat...... Veruntamen, & orandi, & operandi „ quod bonum eſt, illis Deus tribuet perſeverantiam, quos prædeſtinavit „ ad vitam."

Patres poſteriores omitto, qui poſt definitivam Semipelagianorum damnationem ſcripſerunt. Lege, ſi vacat, S. Anſelmum in libro *de Concordia gratiæ cum libero arbitrio*, cap. 4, & S. Bernardum, Serm. 85 *in Cantica*, num. 3, 5 & 6.

Probatur IV° definitionibus Conciliorum.

Concilium Arauſicanum II, can. 10, decernit adjutorium Dei etiam „ renatis & ſanctis ſemper implorandum eſſe, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare."

Concilium Tridentinum, ſeſſ. VI. cap. 13, „ declarat perſeverantiæ „ munus aliunde haberi non poſſe, niſi ab eo qui potens eſt eum qui „ ſtat ſtatuere, ut perſeveranter ſtet, & eum qui cadit reſtituere." „ Et can. 22: „ Si quis dixerit juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio in „ accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema „ ſit."

Hæc omnia Scripturæ, Patrum, Conciliorum oracula planè demonſtrant adjutorium gratiæ adeò neceſſarium eſſe ad perſeverandum, ut ſine illo juſti, non modò per longum tempus, ſed ne per breviſſimum quidem in bono perſtare valeant. Non enim definiunt auxilio gratiæ opus eſſe ut diu perſeveretur, ſed abſolutè ut perſeveretur, eoque ſubtracto, nullatenùs perſeverari. Et ſanè ſi poſſent juſti abſque auxilio gratiæ propriiſque liberi arbitrii viribus aliquandiu perſeverare, cur pariter non poſſent per diuturnum tempus & usque ad vitæ finem, maximè cùm, firmiter ſtando per aliquod tempus, majores acquirant vires?

Probatur V° rationibus Theologicis.

Prima petitur ab omnimoda dependentia creaturæ à Deo, ſicque exponitur à S. Auguſtino, lib. 8 *de Geneſi ad litteram*, cap. 12. num. 25: „ Non tale aliquid eſt homo, ut factus, deſerente eo qui fecit, poſſit „ aliquid agere benè, tanquam à ſeipſo; ſed tota ejus actio bona eſt „ converti ad eum à quo factus eſt, & ab eo juſtus, pius, ſapiens, „ beatusque ſemper fieri; non fieri & recedere, ſicut à corporis medico „ ſanari & abire, quia medicus corporis operarius fuit extrinſecus, ſerviens naturæ intrinſecus operanti ſub Deo, qui operatur omnem ſalutem...... Non ergo ita ſe debet homo ad Deum convertere, ut, „ cum ab eo factus fuerit juſtus, abſcedat, ſed ita ut ab illo ſemper „ fiat." Et num. 26: „ Neque enim, ſicut operatur homo terram, ut „ culta & fecunda ſit, qui, cùm fuerit operatus, abſcedit, relinquens „ vel aratam, vel ſatam, vel rigatam, vel ſi quid aliud, manente ope-

„ re quod factum eſt, cùm operator abſceſſerit, ita Deus operatur hominem juſtum, id eſt, juſtificando eum, ut, ſi abſceſſerit, maneat in abſcedente quod fecit: ſed potiùs ſicut aër, præſente lumine, non factus eſt lucidus, ſed fit, quia, ſi factus eſſet, non autem fieret, etiam abſente lumine lucidus maneret, ſic homo, Deo ſibi præſente, illuminatur, abſente autem continuò tenebratur.“ Et num. 27: „ Ille itaque operetur hominem bonum atque cuſtodiat, qui incommutabiliter bonus eſt. Semper ab illo fieri, ſemperque perfici debemus, & in ea converſione, quæ ad illum eſt, permanentes, de quo dicitur: *mihi autem adhærere Deo bonum eſt.*“ Hæc ratio evidentiſſimè demonſtrat Deum non ſolummodò jugiter conſervare in juſtis gratiam habitualem, ſed etiam eos per gratiam actualem in ſingulis actibus adjuvare; ſiquidem actualis influxus ſummi boni ſe habet ad ſingulos actus bonos, ſicut jugis ejus præſentia & habitatio in juſtis ſe habet ad habitum caritatis aliarumque virtutum.

2°. Gratia actualis non minus, imò multò ſpecialiùs neceſſaria eſt ad perſeverandum in juſtitia hujuſce præſentis ſtatûs, quàm neceſſaria fuit ad perſeverandum in juſtitia originali. Atqui homo innocens non poterat perſeverare in juſtitia originali abſque adjutorio *ſine quo*, diſtincto à gratia habituali, ut alibi probavimus. Ergo à fortiori homo lapſus indiget gratiâ actuali ad perſeverandum in juſtitia.

3°. Perſeverantia activa, de qua hic agitur, conſiſtit in exercitio virtutum, in obſervatione mandatorum & in victoria tentationum. Porro oſtenſum eſt ſupra neque actus virtutum rectè exerceri, neque mandata veraciter obſervari, neque tentationes rectè vinci, neque ullum opus bene fieri poſſe abſque auxilio gratiæ. Illa autem gratia non poteſt eſſe niſi actualis; talis quippe eſſe debet qualis eſt ejus effectus. Proinde actualis eſt, cùm datur ad benè agendum: adeòque ad perſeverantiam activam neceſſariò requiritur gratia actualis.

Quartam rationem S. Thomas repetit ex debilitate liberi arbitrii creati. „ Perſeverantia, inquit, 1. 2. quæſt. 137. art. 4. in corp. dupliciter dicitur: Uno modo pro ipſo habitu perſeverantiæ, ſecundum quòd eſt virtus, & hoc modo indiget dono habituali gratiæ, ſicut & cæteræ virtutes infuſæ: alio modo poteſt accipi pro actu perſeverantiæ durante uſque ad mortem; & ſecundùm hoc indiget homo non ſolùm gratiâ habituali, ſed etiam gratuito Dei auxilio conſervantis in bono hominem uſque ad finem vitæ,..... quia, cùm liberum arbitrium ſit defectibile, & hoc ei non tollatur per gratiam habitualem præſentis vitæ, non ſubeſt poteſtati liberi arbitrii, etiam per gratiam reparati, ut ſe immobiliter in bono ſtatuat.“

SECUNDA PROPOSITIO.

Gratia ad perſeverandum requiſita neceſſaria eſt ad ſingulos actus juſtorum, eaque gratia eſt actualis, nec ſufficit gratia habitualis.

PROBATUR prima pars I° auctoritate Scripturæ ſacræ, quæ docet nullum actum à quoquam homine fieri ſine auxilio gratiæ. Joann. XV. 5, Chriſtus ait: *Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.* Hic textus potiſſimùm de juſtis intelligitur, qui manent in Chriſto ſicut palmites in vite, ſignificatque illos non magis poſſe benè agere abſque influxu Chriſti, quàm palmes ferre fructum à ſemetipſo ſine influxu vitis. Atqui palmes ita jugiter pendet à vite, ut, quidquid fructûs profert, à vite per continuum influxum recipiat. Ergo juſti, Chriſto per gratiam habitualem inſerti, indigent à Chriſto ad ſingulos actus adjuvari.

Haud abſimili comparatione utitur Apoſtolus, Coloſſ. II. 19, ubi dicit Chriſtum eſſe *caput, ex quo totum corpus, per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei.* Quid enim iſtud indicat, niſi juſtos, corpori Chriſti myſtico tanquàm viva membra adunatos, non tantùm ab ipſo juſtitiam habitualem jugiter recipere, ſed nullum eis ineſſe motum, nullam cogitationem, nullumve actum bonum, quem in eis Chriſtus non operetur; ſicut corporis humani membra nullum motum vitalem habent abſque actuali capitis ſubminiſtratione?

Accedunt inſuper hæc oracula: 1 Corinth. IV: *Quid habes quod non accepiſti?* 2 Corinth. III. 5: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Philipp. II. 13: *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere;* & alia his ſimilia, quæ pertinent ad omnes & ſingulos actus bonos, ad minima quæque boni deſideria, ad ipſas cogitationes pias tam juſtorum, quàm peccatorum, omniaque abſque ulla exceptione operationi gratiæ attribuunt.

Probatur II° definitionibus Conciliorum.

In ſynodo Dioſpolitana compulſus eſt Pelagius damnare capitulum iſtud Cæleſtii: *Gratiam Dei non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege & doctrina.* Id refert S. Auguſtinus lib. *de Geſtis Pelagii*, cap. 14. num. 30, atque inde concludit, Epiſt. 186, al. 106, ad Paulinum, cap. 9. num. 33, „ quiſquis ſequitur illius Epiſcopalis „ auctoritatem judicii, & ipſius Pelagii confeſſionem, ... fateri debere „ gratiam Dei & adjutorium etiam ad ſingulos actus dari."

Con-

Concilium Carthaginenſe 214 Epiſcoporum decrevit, teſte S. Proſpero, lib. *contra Collatorem*, cap. 10, ut ſententia à S. Innocentio Papa „ adverſus Pelagianos lata maneret, effectumque conſequeretur, donec „ apertiſſima veritate faterentur gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm ad cognoſcendam, ſed etiam ad faciendam „ juſtitiam, nos per actus ſingulos adjuvari; ita ut ſine illa nihil veræ „ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus."

Concilium Arauſicanum II ſic definit can. 9: „ Quoties bona agimus, „ Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur." Et can. 20: „ Nulla facit homo bona, quæ non præſtat Deus ut faciat homo."

Concilium Tridentinum, ſeſſ. VI. cap. 16, idem declarat, auctoritatibusque Evangelicis confirmat. „ Ipſe Jeſus Chriſtus, ait, tanquam „ caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos „ jugiter virtutem influit; quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, ac ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata „ & meritoria eſſe poſſent."

Probatur III° decretis ſummorum Pontificum adverſus Pelagianos & Semipelagianos.

S. Innocentius in Reſcripto ad Patres concilii Carthaginenſis, num. 7: „ Quotidiana, inquit, præſtat Deus remedia, quibus niſi freti conſilique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Neceſſe „ eſt enim ut, quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante, „ vincamur." Idem definit in Epiſtola ad Epiſcopos concilii Milevitani. Epiſt. 181 inter Auguſtinianas.

Zozymus in Epiſtola tractoria ad univerſos orbis Epiſcopos: „ Quod ergo, ait, tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus cauſiſque, cogitationibus, motibus adjutor & „ protector orandus eſt; ſuperbum eſt enim ut quidquam ſibi humana „ natura præſumat." Inter Auguſt. 182; al 93.

S. Cæleſtinus in Epiſt ad Epiſcopos Galliæ, cap. 6, definit „ neminem, etiam baptiſmatis gratiâ renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad vincendas carnis concupiſcentias, niſi per „ quotidianum adjutorium Dei perſeverantiam bonæ converſationis acceperit." Et capitulo 9: „ Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipſo libero operetur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit, quia per ipſum „ aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus."

Probatur IV° diſertiſſimis SS. Patrum teſtimoniis.

Origenes, Hom. 9 in Jeremiam, id confirmat ipſius Chriſti continuo à Patre æterno geniti exemplo, juxta illud Pſalmi 109: *Ego hodie genui te.* „ Salvator, inquit, ſemper naſcitur à Patre: ſic & tu, ſi habeas adoptionis ſpiritum, ſemper gignit te in ipſo Deus ad quodque opus, ad „ quamque cogitationem." Edit. Huet. tom. 1. p. 106.

Digitized by Google

S. Hilarius, Comment. in Pſalm. 123. num. 2: „ Quis relictus eſt „ nobis glorıandi locus, recordantibus omnia ex Deo eſſe? ..... Si non „ ın omnibus opus eſt miſericordiâ Dei, etiam omnia nobis, tanquam „ ex noſtro ſint, vindicemus.“ Quibus ultimis verbis obſervat, quod poſteà à ſanctis gratiæ defenſoribus obſervatum eſt, nullum adjutorio gratiæ locum relinqui, ſi vel una actio omni ex parte bona ejus operationi ſubtrahatur.

S. Ambroſius, lib. 1 de Caïn & Abel, cap. ultimo, num. 45: „ Quidquid ſanctum cogitaveris, Dei munus eſt, Dei inſpiratio, Dei gratia.“

Errorem oppoſitum acerrimè confutat S. Hieronymus in Epiſt. *ad Cteſiphontem*, cap. 3: „ Ita Dei gratiam ponunt (Pelagiani), inquit, „ ut non per ſingula ejus utamur & regamur auxilio...... Fraudulenter „ prætendis ut....... non in ſingulis operibus auxilium Dei requiras, „ ne ſcilicet liberum arbitrium videaris amittere. Audite, quæſo, audite ſacrilegum: Si, inquit, voluero curvare digitum, movere ma- „ num, ſedere, ſtare, ambulare, diſcurrere, ſemper mihi auxilium Dei „ neceſſarium erit? Audi, ingrate, imò ſacrilege, Apoſtolum prædi- „ cantem: *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in* „ *nomine Domini facite.*“ Idem inculcat initio Dialogi adverſus Pelagianos, cap. 2. „ Hac longa diſſertatione, ait, concluſum eſt, ut gra- „ tiâ ſuâ Dominus, qui nobis conceſſit liberum arbitrium, in ſingulis „ operibus juvet atque ſuſtentet.“

S. Auguſtinus, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 19: „ Facit homo, inquit, „ arborem bonam, quando Dei accipit gratiam...... Nec tantum „ ut arbor bona ſit, ſed etiam ut “ (poſtquam facta fuerit) „ faciat fruc- „ tus bonos, eâdem gratiâ neceſſe eſt ut adjuvetur, ſine qua boni ali- „ quid facere non poteſt. Ipſe quippe in bonis operibus cooperatur „ fructum, qui & forinſecus rigat atque excolit per quemlibet miniſtrum, „ & per ſe dat intrinſecus incrementum.“

Lib. 2 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 5. num. 9: „ Peccato Adæ liberum arbitrium de natura hominum periiſſe non dici- „ mus, ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis diabolo; ad „ benè autem pièque volendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis „ Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, ſermonis, co- „ gitationis adjuta.“ Nota voluntatem hominis, jam liberatam & ſanatam per gratiam ſanctificantem, adhuc indigere actuali auxilio gratiæ ad quemlibet pietatis actum, ſermonem & cogitationem.

Lib. 6 *Oper. imperf.* cap. 15, probat eos, qui nondum eruti ſunt de poteſtate tenebrarum, nihil boni operari poſſe ſine adjutorio gratiæ, ex eoquòd ipſi etiam juſti, „ quorum contra carnem jam ſpiritus concu- „ piſcit, ad ſingulos actus indigent Dei gratiâ ne vincantur.“ Ergo juſtos inter & peccatores nullum hac in parte diſcrimen eſt, ſed utrique ad benè agendum gratiæ adjutorio æqualiter indigent.

De-

Digitized by Google

Demum in Epiſt. 217, al. 107, ad Vitalem, cap. 5. num. 16, hanc doctrinam inter indubitatos fidei catholicæ articulos reponit: „ Quoniam, inquit, propitio Chriſto, Chriſtiani Catholici ſumus, ... ſcimus gratiam majoribus (ſeu adultis) ad ſingulos actus dari.“

S. Proſper, in lib. *contra Collatorem*, Caſſianum ex inſtituto refellit, eoquòd docuiſſet hominem juſtum, quàmvis in bono per totam vitam perſeverare ex ſeipſo non poſſit, nonnulla tamen bona opera, atque etiam præclara, interdum operari poſſe ſine adjutorio gratiæ Chriſti.

S. Leo, Serm. 7 de Jejunio decimi menſis, cap. 1, ſic loquitur: „ Natura mutabilis & de peccati labe mortalis, licet etiam jam redempta & ſacro baptiſmate ſit renata, in quantùm eſt paſſibilis, in tantùm eſt ad deteriora proclivis, corrumpereturque carnali deſiderio, niſi ſpirituali muniretur auxilio; quia, ſicut illi nunquam deeſt unde corruat, ita ſemper præſto eſt unde ſubſiſtat.“

Ferrandus Diaconus Carthaginenſis, in lib. *de Officiis militis Chriſtiani*, hanc ante omnia regulam ei præſcribit, ut „ gratiæ Dei adjutorium ſibi neceſſarium per ſingulos actus credat.“

S. Remigius & Eccleſia Lugdunenſis ſic loquuntur in lib. *de Tribus Epiſtolis*, cap. 23: „ Fideles Chriſti ſanguine redempti & per lavacrum regenerationis & renovationis mundati, inſtauratâ in ſe & quotidie inſtaurandâ arbitrii libertate, eâdem gratiâ, per quam illuminati ſunt, ſemper cooperante & auxiliante, operantur opera bona, non ex ſeipſis, neque ex viribus propriis, ſed ex illo cujus ſpiritu aguntur, quia, ut Apoſtolus dicit, *qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.*“ Et in lib. *De tenenda veritate Scripturæ*, cap. 12: „ Indigemus gratiâ Dei ad omnia & ſingula bona per ſingulos dies, ... quam gratiam quotidianam & aſſiduam Dominus noſter Eccleſiæ ſuæ promittere dignatus eſt, dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus usque ad conſummationem ſæculi.*“

Probatur V° orationibus & gratiarum actionibus fidelium, qui, quantò ſanctiores ſunt, tantò ſinceriùs agnoſcunt ſe ſine Dei adjutorio nihil poſſe, illudque frequentiùs & inſtantiùs petunt, tanquam ſibi ad minima quæque benè agenda abſolutè neceſſarium. Univerſa quoque Eccleſia illud adjutorium ad ſingula ſibi dari à Deo poſtulat. Sic Dominicâ 16 poſt Pentecoſten: *Tua nos*, inquit, *Domine*, *gratia ſemper & præveniat & ſequatur*, *ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentos.* Et Dominicâ 5 poſt Epiphaniam: *Familiam tuam*, *quæſumus*, *Domine*, *tuâ ſemper pietate cuſtodi*, *ut*, *quæ in ſola ſpe gratiæ cœleſtis innititur*, *tua ſemper protectione muniatur.* Et in alia oratione: *Actiones noſtras*, *quæſumus*, *Domine*, *aſpirando præveni & adjuvando proſequere*, *ut cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat & per te cœpta finiatur.* Quid verò opus eſt orationes ſingulas recenſere? Numquid, aiebat S. Hieronymus in Dialogo 1 *adverſùs Pelagianos*, cap. 2, „ mihi Scripturarum teſtimonia re-

„ pli-

Digitized by Google

„ plicanda ſunt, quomodò per ſingula Dei à ſanctis flagitetur auxilium, „ & in ſingulis operibus ſuis illo adjutore & protectore uti deſiderent? „ Lege totum Pſalterium, omnes ſanctorum voces: nihil erit niſi ad „ Deum in cunctis operibus deprecatio." Et ſanè, Chriſto ipſo docente, Luc. XVIII. 1, *oportet ſemper orare & nunquam deficere.* Cur *oportet*, niſi quia gratiæ adjutorium omnino neceſſarium eſt? Cur *ſemper*, niſi quia ad quemlibet actum bonum illo indigemus? Cur *nunqnam deficere*, niſi quia, ſi nos gratiæ auxilium deſerat, ſtatim labimur?

Gratiarum actio, cujus præceptum non minùs quàm orationis commendatur, idem demonſtrat. Tenemur quippe gratias Deo agere pro omnibus & ſingulis bonis, ſive noſtris, ſive aliorum. Apoſtolus Paulus in omnibus ferè ſuis Epiſtolis teſtatur ſemper ſe Deo gratias agere de bonis fidelium operibus, idemque nos facere jubet. *Sine intermiſſione*, inquit, 1 Theſſal. V. 17 & 18, *orate, in omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu in omnibus vobis.* Hinc Chriſtianis omnibus ſemper in ore fuit hæc laudatio, *Deo gratias*, quâ profitentur omnia bona eſſe ex Deo, atque de omnibus gratias eſſe agendas. Porro ſi ita eſt, manifeſtum fit adjutorium gratiæ ad ſingulos quoque actus neceſſarium eſſe.

Demum Scripturæ frequentiſſimè inculcant in ſolo Deo gloriandum eſſe, atque ad ipſum, tanquam ad omnis boni auctorem, bonorum omnium operum laudem referendam. Juſtis autem liceret de bonis ſuis operibus in ſeipſis gloriari, ſi aliquid boni, Deo ipſo non operante, operari poſſent.

Dixi gratiam ad ſingulos juſtorum actus requiſitam, eſſe gratiam actualem, nec ſufficere gratiam habitualem; quod altera pars eſt noſtræ Propoſitionis. Hanc adſtruunt textus omnes modò allati, quos de gratia actuali intelligendos eſſe multa demonſtrant. Nam 1° gratia habitualis non datur ad ſingulos actus, ſed ſemel in anima infuſa remanet, quandiu per aliquod mortale peccatum non amittitur: quemadmodùm habitus acquiſiti in nobis permanent, ſive cùm illorum actus exercemus, ſive dum ab eis ceſſamus. 2°. Ideò Concilia, ſummi Pontifices & SS. Patres definierunt gratiam ad ſingulos actus dari, ut errorem Pelagii proſcriberent, qui gratiam in libero arbitrio, vel in lege & doctrina, aliisve rebus permanentibus ſitam eſſe volebat. Illum autem errorem non radicitùs exſtirpaſſent, ſi gratiæ nomine gratiam habitualem intellexiſſent; ſiquidem gratia habitualis non magis datur ad ſingulos actus quàm ipſum liberum arbitrium, quàm lex & doctrina. 3°. Pelagiani nunquam non admiſerunt in juſtis gratiam habitualem & juſtificantem, ut probavimus Lib. I, illorum errores exponendo. Sanctus tamen Auguſtinus, lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 6. num. 15, dicit eos noluiſſe confiteri merita juſtorum eſſe dona Dei. Ergo gratia habitualis non ſufficit ut juſtorum bona opera Dei dona eſſe cenſeantur. 4°. Gratia,

tia, quam ad ſingulos actus neceſſariam eſſe Patres & Concilia definierunt, eſt ea quæ operatur velle & perficere, quæ boni affectum inſpirat, quæ pravos concupiſcentiæ motus ſuperat, quam nobis jugiter dari poſtulare jubemur, quæ juſtis negligentibus quandoque ſubtrahitur. Porro hujusmodi gratia procul dubio actualis eſt, non habitualis. 5°. Idcirco Pelagiani negarunt gratiam ad ſingulos actus dari, quia exiſtimabant per hujusmodi gratiam tolli liberum hominis arbitrium. Porro nemini unquam venit in mentem per gratiam habitualem, quæ non agit in liberum arbitrium, libertatem ejus tolli vel minui. Igitur gratia, quam ad ſingulos actus requiri definivit Eccleſia, gratia eſt actualis, non habitualis.

Nonnulli horum argumentorum evidentiâ convicti aliter effugere conantur, dicuntque eo ſenſu gratiam neceſſariam eſſe ad ſingulos actus, quia neceſſaria eſt ad genera ſingulorum actuum, quia ſcilicet neceſſaria eſt ad piè cogitandum, ad rectè volendum, ad ſanctè operandum, ad ſapienter loquendum, quàmvis neceſſaria non ſit ad ſingula generum, id eſt, ad quodlibet horum in individuo conſideratum. Verùm iſta interpretatio manifeſtè repugnat communi & obviæ ſignificationi harum vocum, *ad ſingulos actus*, quæ per ſe exprimunt, non genera actuum, ſed actus ipſos in individuo conſideratos; atque expreſſe explosa eſt à concilio Carthaginenſi definiente, eo ſenſu hominem indigere adjuvari à gratia ad ſingulos actus, quòd „ ſine illa nihil ve- „ ræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.“ Demùm ex illa interpretatione ſequeretur gratiam non eſſe neceſſariam ad omnes & ſingulos actus bonos, ſed ad aliquos duntaxat, & indefinitè; quod apertè Pelagianum eſt, & Eccleſiæ definitionibus adverſum.

Probatur II° ex S. Thoma, qui Quæſt. 24 *de Veritate*, art. 14, docet, ſumendo vocem gratiæ *pro miſericordia Dei, per quam motum mentis interiùs operatur*, hoc eſt, pro actuali auxilio gratiæ, hominem nihil omnino boni facere poſſe ſine gratia. Et 1. 2. quæſt. 109. art. 9. in corp:
„ Homo, inquit, ad rectè agendum dupliciter auxilio Dei indiget;
„ uno quidem modo quantùm ad aliquod habituale donum, per quod
„ natura humana corrupta ſanetur, & etiam ſanata elevetur ad operan-
„ da opera meritoria vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ:
„ alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut à Deo moveatur ad agen-
„ dum. Quantum igitur ad primum auxilii modum, homo in gratia
„ exiſtens non indiget alio auxilio gratiæ, quaſi alio habitu infuſo;
„ indiget tamen auxilio gratiæ ſecundùm alium modum, ut ſcilicet à
„ Deo moveatur ad benè agendum; & hoc propter duo: Primò quidem
„ ratione generali, propter hoc quòd nulla res creata poteſt in quem-
„ cunque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ: ſecundò ratione
„ ſpeciali, propter conditionem ſtatûs naturæ humanæ; quæ quidem,

„ licet per gratiam ſanetur quantùm ad mentem, remanet tamen in ea
„ corruptio & infectio quantùm ad carnem, per quam ſervit legi peccati. Remanet etiam quædam ignorantiæ obſcuritas in intellectu,.....
„ & ideò neceſſe eſt nobis ut à Deo dirigamur & protegamur, qui omnia novit & omnia poteſt.“

Probatur III° rationibus Theologicis.

1°. Nemo ſeipſum ex ſeipſo ab alio diſcernit in bono, ſed unusquisque gratiâ diſcernitur, juxta iſtud Scripturæ oraculum, 1 Corinth. IV: *Quis te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti?* Porro gratia habitualis non diſcernit juſtum benè operantem à juſto non benè operante. Quod enim utrique commune eſt, non diſcernit unum ab altero. Cùm ergo gratia habitualis illis ambobus juſtis communis ſit, nullomodò per illam juſtus rectè operans diſcernitur ab altero juſto non operante, vel non rectè operante. Diſcerni ergo non poteſt niſi per gratiam actualem, quæ proinde ad ſingulos juſtorum actus requiritur: alioquin juſti de aliquibus ſaltem operibus ſuis bonis gloriari poſſent in ſeipſis; quod humilitati, veritati, juſtitiæ, ſacriſque litteris apertè repugnat.

2°. De fide eſt, fatentibus adverſariis, juſtos non poſſe diu implere divina mandata & perſeverare in juſtitia ſine auxilio gratiæ actualis. Atqui nihil cauſæ eſt cur juſti non poſſint diu perſeverare in juſtitia ex ſeipſis, ſi poſſunt aliquandiu ex ſeipſis perſeverare. Si enim rectè operando poſſum perſeverare uno die, vel duobus, cur non per plures dies? Quid non per menſem integrum? Cur non per ſolidum annum? Cur non ad usque vitæ finem? Si unum alterumve bonum opus ex meipſo perficere valeo, cur non tertium, quartum, vigeſimum, centeſimum, milleſimum facere pariter non potero, maximè cùm benè agendo efficiar habilior ad perſeverandum in bonis operibus? „ Dic ergo ſimpliciter, inquiebat S. Hieronymus in Dialogo 1 *adverſùs Pelagianos*, cap. 1,
„ quòd Dei auferas gratiam. Quidquid enim tollis in partibus, neceſſe
„ eſt & in genere neges.“ Et cap. 2: „ Ex quo perſpicuè oſtenditur
„ te aut Dei negare gratiam, quam tollis in partibus, aut, ſi in partibus dederis, quod nequaquam te velle manifeſtum eſt, in noſtram
„ ſententiam tranſire, qua ſic liberum homini ſervamus arbitrium, ut
„ Dei per ſingula adjutorium non negemus.“

Hoc S. Doctoris ratiocinio demonſtratur quàm inepta & abſurda ſit comparatio à Molina inſtituta. Sicut poſſibile eſt, inquit, aliquem, talos luſorios projiciendo in tabulam, eumdem afferre numerum duobus, tribusve, aut quatuor vicibus, triginta verò vel centum continuis eumdem afferre non eſt poſſibile; ſic poſſibile eſt hominem juſtum absque auxilio gratiæ duas, tres, quatuorve actiones bonas facere, plures verò nullo gravi peccato interruptas eum facere nequaquàm eſt poſſibile, quantòque magis illarum ſic continuatarum numerus creſcere ſupponitur, tantò minùs poſſibile eſt. Inepta, inquam, & abſurda eſt iſta comparatio.

Digitized by Google

ratio. Namque 1° æquo jure inde concludi poſſet hominem non poſſe diu perſeverare in peccato, nec, quamvis gratiâ verſatili & Molinianâ adjutum, diu perſeverare in juſtitia & bonis operibus. 2°. Admiſſâ hujusmodi comparatione, actum planè eſſet de libertate arbitrii, quam tamen Molina ſupramodùm exaggerare nititur. Cur enim homo, talos luſorios in tabulam projiciendo, non poteſt eumdem numerum pluribus vicibus afferre, niſi quia in ejus poteſtate non eſt eum afferre numerum quem voluerit? Si enim id haberet in poteſtate, tam poſſet eamdem numerorum ſummam afferre centum vel mille continuis vicibus, quàm tribus quatuorve: contrà verò ſemper in poteſtate eſt liberi arbitrii ſeu benè ſeu malè agere, ut voluerit. 3°. Quàmvis rarò admodùm, vel fortè nunquam contingat eosdem numeros ex talorum projectione multoties reſultare, id tamen abſolutè non repugnat. At verò juſtum gratiâ actuali non adjutum diu perſeverare in juſtitia, Eccleſiæ fidei ac definitionibus adeò repugnat, ut, concedente ipſo Molina, contrarium aſſerere ſit hæreticum. Ergo allatum à nobis argumentum integrum manet.

Objiciebat Caſſianus, *Collatione* 13. cap. 12, conceptum à Davide propoſitum, templum Deo conſtituendi, bonum fuiſſe, ſiquidem à Deo approbatum; non tamen à gratia fuiſſe inſpiratum, ut pote quod Deus ab ipſo impleri noluerit. Solvuntur objectiones.

Reſpondeo cum S. Proſpero, lib. *contra Collatorem*, cap. 12. num. 34, propoſitum illud Davidis fuiſſe à Deo inſpiratum; ſiquidem, teſtè Apoſtolo, *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Nec obſtat quòd Deus propoſitum illud à ſe inſpiratum impleri à Davide noluerit; ſicut S. Paulo inſpiravit deſiderium prædicandi Evangelium in Aſia & Bythinia, quò tamen eum ire prohibuit, & ſicut facit Eccleſiam orare pro multis infidelibus, quos tamen decrevit ad fidem non adducere. Sic etiam Deus præcepit Abrahæ ut Iſaac unicum filium ſuum immolaret, eum tamen ad obediendum paratum retinuit. Irreligioſum profectò eſſet exiſtimare hujusmodi inſpirationes aut præcepta illuſoria eſſe. Quàmvis enim Deus multa bona, quæ ſanctis ſuis ut velint inſpirat, fieri non permittat, non ideò perit apud ipſum meritum piæ illorum voluntatis. Quis novit quot & quanta ſancti facere voluerint ad majorem Dei gloriam ſalutemque animarum, quæ, Deo aliter diſponente, minimè facta ſunt? Num proptereà pia illa deſideria aut mercede ſuâ fruſtrabuntur, vel non fuerunt Dei munera? Act. XVI. 6 & 7.

Objiciunt 2°. S. Chryſoſtomus, hom. 10, al. 9, in Joannem, num. 3, juſtorum perſeverantiam ſoli ipſorum ſtudio ac diligentiæ attribuere videtur. Sic quippe ibi loquitur: „ Ut myſticâ generatione naſcamur, „ & peccata ante commiſſa abluantur, per baptiſmum efficitur: ut ve- Tom 7. pag. 611.

 „ rò

„ rò deinceps in puritate maneamus, & nullam ultro admittamus ma„ culam, id in noſtra ſitum eſt poteſtate ac diligentia.“

Reſpondeo S. Chryſoſtomum juſtorum perſeverantiam ipſorum diligentiæ ſic attribuere, ut minimè excludat quotidianum gratiæ adjutorium. Revera perſeverare in bono, noſtræ diligentiæ eſt, & ipſa noſtra diligentia Dei munus eſt. Igitur ſicut, cùm docetur perſeverantiam à Deo donari, non idcirco negatur diligentia & ſtudium hominis, ita, cùm perſeverantia dicitur eſſe noſtræ diligentiæ, non propterea negatur eam eſſe donum Dei. Ideò verò S. Doctor remiſſionem peccatorum, quæ per baptiſmum confertur, gratiæ divinæ, perſeverantiam autem in ſanctitate ſtudio hominis attribuit, quia per baptiſmum ſanctitas nobis infunditur ſine nobis & abſque cooperatione noſtra, donum autem perſeverantiæ per gratiam actualem non operatur in nobis ſine noſtro ſtudio & libera cooperatione noſtra.

Inſtant. Saltem S. ille Doctor cenſuit gratiam juſtis non dari ad ſingulos actus, eoſque interdum à Deo ſibi ipſis permitti, ut aliquid ex
Tom. 7. Pag. 363. ſeipſis præſtent. Sic nempe loquitur hom. 33. al. 34, in Matthæum, num. 4: „ Vult Deus non ſuâ tantùm ope, ſed ipſorum propoſito opera bona fieri. Perpende itaque in ſuperioribus quomodò alia Dei, alia diſcipulorum ſint. Nam ſigna facere, illius ſunt; nihil poſſidere, diſcipulorum. Rurſum, domos omnes aperire, ſupernæ gratiæ eſt: nihil præter neceſſaria petere, diſcipulorum Philoſophiæ..... Pacem dare, Dei donum eſt: dignos quærere, nec omnes indiſcriminatim adire, ipſorum temperantiæ eſt. Illos qui diſcipulos non recipiunt ulciſci, Dei eſt: cum modeſtia diſcedere, nullo injecto probro vel contumeliâ, Apoſtolicæ manſuetudinis. Spiritum dare & ſollicitudinem adimere, mittentis erat: oves & columbas imitari, & omnia fortiter ferre, ad illorum conſtantiam & prudentiam pertinebat
Pag. 787. &c.“ Et hom. 82, al. 83. num. 4: „ Magnum hîc dogma accipimus, non ſufficere hominis fervorem, niſi ſuperna adſit gratia; itemque nihil nos à ſuperna gratia juvari, niſi voluntatis ſtudium adſit...... Quapropter ne omnia ad Deum remittentes dormiamus, neve agere ſtudentes putemus nos propriis laboribus rem totam facturos eſſe. Neque enim nos ſupinos eſſe vult Deus: ideò non totum ipſe perficit, neque vult nos arrogantes eſſe. Quapropter non totum
Tom. 9 pag. 169 & 170. nobis dedit.“ Et hom. 21 in Acta Apoſt. num. 1, in illud Act. IX. 28: *Judæi quærebant occidere eum* (Paulum): *quod cùm cognoviſſent fratres, deduxerunt eum in Cæſaream*, ait: „ Præ timore hoc faciunt, timentes ne idipſum (ei) accideret, quod Stephano...... Vide autem quomodò non omnia per gratiam fiant, ſed permittat Deus ut multa ſapientiâ ſuâ & humano more diſpenſent.“

Reſpondeo illis textibus nihil aliud ſibi velle S. Chryſoſtomum, quàm juſtos

Digitized by Google

juſtos ſalutem non conſequi ſine labore, ſtudio & diligentia ſua, nec oſcitare debere, quaſi gratia Dei, ipſis torpentibus, totum perfectura ſit. Cùm enim homines valde proclives ſint ad ea negligenda quæ ſpiritualia ſunt, eamque ſocordiam ſæpè excuſent eoquod ſine auxilio gratiæ nihil boni fieri queat, S. Doctor ſæpiſſime totus in eo fuit ut pernicioſum illum ſoporem excuteret; ideòque, quâlibet arreptâ occaſione, monet ſic totum gratiæ attribuendum eſſe, ut diligentia, labor & conatus noſter non deſint. Quando autem dicit non omnia per gratiam præſtari, ſed alia à Deo, alia ab homine fieri, de gratia interiore minimè loquitur, ſed de protectione Dei externa; ſenſuſque eſt alia eſſe in quibus ſolus Deus, abſque ulla induſtria noſtra, operatur, qualia ſunt patratio miraculorum, remotio tentationum, externorum adjumentorum ſubminiſtratio, facilis ad homines convertendos aditus, punitio perſecutorum, aliaque ſimilia; in cæteris verò Deum non operari ſolum, nec excludere humanam vigilantiam, ſed illam potius operari. Nam innumeris in locis vehementer inculcat nihil boni operationi gratiæ ſubtrahendum eſſe: v. g. hom. 83, al. 84, in Matthæum, num. 1, in hæc verba: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem:* „ Vides, inquit, quomodò eos inſtituat ne in arrogantiam declinent, ſed animum conterant, humileſque ſint, ac totum Deo adſcribant." Hæc gratiæ omnia in nobis operantis prædicatio adeò familiaris illi fuit, ut omnes ſermones, homilias exhortationeſque in virtutem ſemper his verbis concludat: „ Quod utinam nobis contingat gratiâ & miſericordiâ Domini noſtri Jeſu Chriſti." Quod certè votum manifeſtè ſupponit omnes actus virtutis à gratia Chriſti tanquam à ſuo fonte derivari. Tom. 7. pag. 79.

Objiciunt 3°. Juſti per gratiam habitualem habent potentiam, facilitatem & habilitatem ad facienda opera ſupernaturalia & meritoria. Ergo gratia habitualis ſola ſufficit ad aliqua ſaltem bona opera faciliora producenda.

Nego conſequentiam. Quemadmodùm enim concurſus Dei actualis ad quoſcunque actus naturales requiritur, quàmvis per facultates naturales, & quandoque per habitus acquiſitos adſit agendi potentia & facilitas; ita, quàmvis per gratiam habitualem habeatur potentia benè agendi, imò inclinatio ad benè agendum, non ideò minus neceſſarium actuale gratiæ adjutorium, quo illa potentia excitetur, moveatur, atque applicetur ad quodlibet piè operandum. Ut enim ait S. Thomas, 1. 2. quæſt. 109. art. 9. ad 1: „ Donum habitualis gratiæ non ad hoc datur nobis ut, præter illud, non indigeamus ulteriùs divino auxilio: indiget enim quælibet creatura ut à Deo conſervetur in bono quod ab eo acceperit. Et ideò, ſi poſt acceptam gratiam homo adhuc indiget divino auxilio, non poteſt concludi quòd gratia ſit in vacuum data, vel quòd ſit imperfecta, quia etiam in ſtatu gloriæ, quando gratia erit omnino perfecta, homo divino auxilio indigebit. Hic

„ autem aliqualiter gratia imperfecta eſt, in quantùm hominem non „ totaliter ſanat.“

Inſtant. Quantò quis juſtior, tantò validior robuſtiorque eſt ad benè agendum, adeoque minùs indigens adjuvari à Deo. Ergo ſaltem juſti perfectiores poſſunt aliqua bona opera facere absque auxilio gratiæ actualis.

Nego antecedens. Ex eo enim quòd aliquis juſtior eſt & ad bona opera propenſior, ſequitur tantùm actus, quos per gratiam adjutricem producit, eſſe perfectiores ac ferventiores; nequaquam verò eum non indigere actuali Dei auxilio. Nam, uti obſervat Eſtius in 2. diſtinct. 26. § 22: „ Quantò perfectior eſt habitus, tantò perfectiores actus qui ex „ illo habitu per divinam motionem in homine producuntur. Movet „ enim Deus plerùmque ſecundùm motum & perfectionem habituum „ quos dedit, ſicut in naturalibus. Unde ex eoquòd habitus ſint multùm intenſi ac firmi, non ſequitur gratiam non dari ad ſingulos ac„ tus, ſed potiùs ſequitur eam dari ad actus perfectiores. Alioqui, „ quod eſt abſurdiſſimum, infirmi quidem de ſuis actibus gloriarentur „ in Deo, fortes autem de ſuis in ſeipſis & in ſua virtute.“

Inſtant rurſus. Multi actus boni ſunt ſupra vires juſtorum imperfectorum, qui non ſuperant vires juſtorum provectiorum. Iſtud autem diſcrimen omnino evaneſcit, ſi utrique æqualiter indigeant gratia actuali.

Nego minorem. Ex eo enim quòd aliquis actus non excedat vires juſti provectioris, minimè ſequitur eum actum ab illo produci poſſe ſine actuali gratiæ auxilio, ſed tantùm produci poſſe absque hujusmodi auxilio, quod novas & ampliores vires ei conferat; cùm è contrario juſtus infirmior novâ virium acceſſione roborari indigeat, ut ad magna virtutum opera, quæ præſentes illius vires excedunt, applicetur.

Inſtant 2°. Ad faciendum bonum ſatis eſt quòd nos delectet. Atqui per gratiam habitualem bonum delectat. Ergo gratia habitualis ſufficit ad operandum bonum.

Diſtinguo majorem. Ad faciendum bonum ſatis eſt quòd bonum nos delectet actu, concedo: ſatis eſt quòd nos delectet habitu tantùm, nego. Porro per ſolam gratiam habitualem bonum non delectat niſi habitu; actu autem delectare nequit niſi per gratiam actualem.

Quæres undenam repetenda ſit iſta tanta neceſſitas gratiæ actualis ad ſingulos actus pietatis?

Respondeo illam repeti ex duplici cauſa: primò ex dependentia eſſentiali & omnimoda creaturæ à Deo, quâ fit ut, ſicut in naturalibus creatura nihil agere poteſt ſine motione divina, ita à fortiori nullum veræ pietatis opus facere valeat ſine actuali influxu primæ ac ſummæ bonitatis. Hanc rationem attingit ſupra S. Thomas. 2° (Quod etiam Angelicus Doctor ibidem commemorat) ex naturæ infirmitate & corruptione,

ne, quæ in ignorantia & concupiſcentia potiſſimùm ſita eſt. Quàmvis enim hæc vulnera per gratiam habitualem in mente magna ex parte ſanentur, non tamen penitus ſanantur & extinguuntur; ſed remanent in carne, ſeu in appetitu inferiori: atque adeò juſti ad ſingulos actus indigent auxilio gratiæ, quo concupiſcentiæ motus vel præveniantur, vel ſuperentur. Nec obſtat quòd aliquando actuales motus concupiſcentiæ vel remiſſiores, vel etiam nulli ſint. Quod enim nulli inſurgant, provenit à gratia. Homo quippe ageret vel ex vana gloria, vel ex alia qualibet occulta cupiditate, niſi per gratiam actualem, quæ ſanctæ dilectionis inſpiratio eſt, impelleretur ad agendum propter Deum. Quòd autem motus concupiſcentiæ remiſſiores ſint, inde eſt quòd tunc caſta dilectio validior ſit, fortiùsque illam coerceat. Ex his igitur Propoſitio noſtra invictè demonſtratur. Nam juſti nunquam rectè operantur, niſi operentur ex dilectione Dei, ut ſupra probatum eſt. Atqui dilectio Dei, quâ rectè operamur, actualis, aut ſaltem virtualis eſt; caritas enim habitualis, quatenùs habitualis, nihil quidquam operatur. Gratia autem actualis eſt actualis dilectio Dei, ſicut gratia habitualis eſt caritas habitualis. Ergo juſti nunquam benè agunt ſine gratia actuali.

Dices. Ex conceſſis, ideò gratia actualis requiritur ad ſigulos actus, quia, ut actus ſit bonus ex omni parte, procedere debet à dilectione Dei actuali. Atqui dilectio actualis, nobis ipſis fatentibus, non requiritur ad ſingulos actus, ſed virtualis ſufficit. Ergo gratia actualis non requiritur ad actus ſingulos, ſed ſemel inſpirata ſufficit ad plures ſubſequentes actus.

Nego conſequentiam duplici de cauſa. 1°. Quidem quia dilectio Dei virtualis, quæ ſufficit ad benè agendum, reipſâ actualis eſt aliquo ſenſu, quàmvis actu non advertatur. Nam quod actu operatur, actuale eſt ſuo modo: porro dilectio Dei, quæ virtualis dicitur, quàmvis ad eam ab agente non advertatur, nec reflectatur in ſeipſam, actu tamen operatur quoties ex illa benè agimus: adeòque quod ſit virtualiter propter Deum, ſit ex gratia actuali. 2°. Actio bona, quæ ſit ex dilectione Dei virtualiter operante, eſt à Deo motum illum ſanctæ dilectionis, quam cordi indidit, conſervante, excitante, applicante ac determinante ad hoc vel illud bonum opus agendum: ac proinde gratia actualis requiritur ad omnes & ſingulos actus bonos, qui virtualiter referuntur ad Deum.

CA-

CAPUT QUARTUM.

An auxilia gratiæ Chriſti propriè dictæ dentur ante initium fidei; ſeu an fides, ſaltem inchoata, ſit prima gratia Chriſti Salvatoris.

Status quæſtionis.

SENSUS quæſtionis non eſt an ante fidem perfectam dentur gratiæ actuales, quibus inſpirentur credendi cogitatio, deſiderium, pius affectus, bonæque voluntatis initium; quæ ab Auguſtino appellantur *inchoationes fidei conceptionibus ſimiles:* conſtat enim apud omnes Catholicos 1° illa prima initia fideique naſcentis motus nonniſi per gratiam Chriſti produci: 2° fidem, ut plurimum, unico inſtanti non perfici, ſed multis progreſſibus adoleſcere ac proficere, priuſquàm voluntas plenè, integre & indubitanter conſentiat omnibus à Deo revelatis. Sed quæritur an infidelibus, antequàm de Evangelio quidquam audierint, & interius excitentur ad fidem amplectendam, dentur gratiæ Chtiſti quæ nec fides ipſa ſint, nec fidei quantulumcunque initium.

Dixi *gratiæ Chriſti:* non enim hic agitur de pluribus aliis muneribus ac beneficiis, ſive externis, ſive internis, quæ fatentur omnes interdum dari infidelibus, ad eos ſive illuſtrandos, ſive corripiendos, ſive terrendos, ſive à quibusdam vitiis retrahendos, quæ omnia S. Auguſtinus vocat *dona exhæredatorum;* ſed de gratia Chriſti propriè dicta, id eſt, de inſpiratione bonæ voluntatis caſtæque dilectionis.

Magni momenti eſt iſta disquiſitio, multùmque inſervit, ſive ad dignoſcendam veram & propriè dictam gratiam Chriſti, ſive ad expaveſcenda ſalubriter inſcrutabilia Dei judicia, ſive ad rectè judicandum de operibus & de virtutibus infidelium.

Non pauci recentiores Scholaſtici contendunt gratiam, quam ſufficientem appellant, quamque gratiam Chriſti nuncupare non dubitant, omnibus infidelibus & barbaris, quibus fides Chriſti nullatenus illuxit, largâ manu à Deo impertiri. Quid de iſta opinione ſentiendum ſit, diſcutiemus, priuſquàm de virtutibus & operibus infidelium diſſeramus.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO.

Gratia fidei, hoc eſt, quæ prima fidei initia inſpirat, eſt prima gratia Chriſti Salvatoris.

PROBATUR I° ex ſacris Scripturis.

Argumentum primum à Scripturis.

Docent illæ 1° gentes fide Chriſti deſtitutas in tenebris jacere, deſertas eſſe à Deo, dimitti ingredi vias ſuas, alienas eſſe à Chriſto, nullamque promiſſionis ſpem habere. Act. XIV. 15 & 16, ſic loquuntur Paulus & Barnabas: *In præteritis generationibus dimiſit* (Deus) *omnes gentes ingredi vias ſuas: & quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda noſtra* &c. His verbis non ſolùm Apoſtoli declarant gentes illas à Deo fuiſſe derelictas, verùm etiam diverſa beneficia commemorantes, quibus de ſeipſo Deus teſtificatus eſt, non alia quàm exteriora & temporalia commemorant; de gratia autem interiori, quæ præcipuum eſt Divinitatis teſtimonium, penitus ſilent.

Act. XVII, S. Paulus in Areopago diſſerens, eademque tempora deſcribens, ſic ait: *Tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant.*

Epheſ. II. 11 & 12, ſtatum, in quo illi, antequàm prædicatum apud eos fuiſſet Evangelium Chriſti, verſati fuerant, his verbis depingit: *Eratis illo in tempore ſine Chriſto, hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo.* Certè qui gratiæ Chriſti quoquo modo participes ſunt, non ſunt *ſine Chriſto*, à quo influxum aliquem recipiunt; non ſunt *hoſpites teſtamentorum*, quorum præcipuum munus gratia Chriſti eſt; non ſunt exſortes *promiſſionum*, quæ ferè omnes in gratia tanquàm in germine comprehenduntur; non ſunt dimiſſi & derelicti à Deo, a quo gratia illis ſufficiens ſubminiſtratur.

2°. Scripturæ expreſſè docent gratiam Chriſti non dari niſi per fidem in Chriſtum, hancque fidem eſſe primum hominis acceſſum ad Deum.

Rom. V. 2, ait Apoſtolus: *Per Chriſtum habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam in qua ſtamus.* Porro ſi *per fidem habemus acceſſum in gratiam*, nulla ergo eſt gratia ante fidem. Rom. III. 22: *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum.* Per *juſtitiam Dei* hoc in loco omnes interpretes intelligunt juſtitiam quam Deus dat per gratiam Chriſti: unde manifeſtè liquet gratiam non dari niſi *per fidem Jeſu Chriſti*, & eis *qui credunt in eum.*

 Idem

Idem Apoſtolus, Philipp. III, declarat ſe omnia detrimentum feciſſe, ut Chriſtum lucrifaceret, & inveniretur in illo, *non habens*, inquit, *meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ eſt ex fide Jeſu Chriſti, quæ ex Deo eſt juſtitia in fide.* Nullam ergo veram juſtitiam, nullam proinde gratiam agnoſcit, quæ non ſit *ex fide Chriſti Jeſu.* Omnem autem qualemcunque juſtitiam, quæ ex illo fonte non fluat, non gratiæ Chriſti, ſed legi deputat, arbitraturque *ut ſtercora.* Quamobrem oſtendere volens, Galat. III. 24, *legem pædagogum noſtrum fuiſſe in Chriſto*, dicit eam nos ad Chriſtum duxiſſe, *ut ex fide juſtificemur.*

Epheſ. II. 8: *Gratiâ*, inquit, *ſalvi facti eſtis per fidem:* quaſi diceret gratiam Chriſti à fide ſumere exordium.

Demùm, Hebr. XI. 6: *Accedentem ad Deum credere oportet quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Igitur primus acceſſus ad Deum, ac proinde prima gratia eſt gratia fidei.

3°. Scripturæ docent hominem juſtificari per fidem. *Arbitramur*, ait Apoſtolus, Rom. III. 28, *juſtificari hominem per fidem;* & V. 1: *juſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum.* Quod quidem non ita intelligendum eſt, quaſi ſola fides ſit cauſa formalis juſtificationis noſtræ, uti poſtremi hæretici docuerunt; ſed, uti exponit S. Auguſtinus lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 7. num. 12, quia fides eſt fundamentum & radix totius juſtificationis. „ Ex fide autem, inquit, ideò dicit „ (Apoſtolus) juſtificari hominem, non ex operibus, quia ipſa prima „ datur, ex qua impetrantur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, „ in quibus rectè vivitur.“ Hanc expoſitionem confirmat & conſecrat concilium Tridentinum, ſeſſ. VI. cap. 8. „ Cùm verò, inquit, Apoſ- „ tolus dicit hominem juſtificari per fidem & gratis, ea verba in eo „ ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus „ tenuit,..... ut ſcilicet per fidem ideò juſtificari dicamur, quia fides „ eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificatio- „ nis.“ Porro ſi fides eſt initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis, manifeſtum eſt eam eſſe primam gratiam, ſeu, ut S. Auguſtinus loquitur, *primam dari.* Si enim aliæ gratiæ propriè dictæ gratiam fidei præcederent, jam non fides, ſed illæ aliæ gratiæ eſſent juſtificationis radix & fundamentum, atque humanæ ſalutis initium. Aliunde quid vetaret quominùs per illas gratias homo benè operaretur, mandataque obſervaret, atque adeò non per fidem, ſed ex operibus juſtificaretur; quod Apoſtolicæ doctrinæ è diametro repugnat.

Argumentum ſecundum ex SS. Patribus.

Probatur II° ex SS. Patribus.

Docent illi 1° nullum eſſe opus omni ex parte bonum ante fidem, uti oſtendemus in Capite ſequenti. Porro ſi ante gratiam fidei darentur gratiæ Chriſti propriè dictæ, admittenda quoque neceſſariò forent opera bona ante fidem: ſiquidem gratiæ non dantur niſi ad benè volendum & operandum. Ergo ab initio fidei ſumendum eſt initium gratiæ Chriſti.

Digitized by Google

ti. Quamobrem S. Auguſtinus, Enarrat. in Pſalm. 110. num. 3: „ Cre-
„ dens homo, inquit, in eum qui juſtificat impium, à fide incipit;
„ ut bona, non præcedentia quod meruit, ſed conſequentia quod ac-
„ cepit oſtendant."

2°. SS. Patres probant gratiam non omnibus hominibus dari, ex eo-quòd fides non omnibus detur: quod argumentum omnino imbelle eſſet ac planè nullum, ſi gratia fidei non eſſet omnium prima. Reſpondere quippe potuiſſent Semipelagiani, etſi fides non omnibus detur, alias tamen gratias, easque ſufficientes & à fide ſejunctas, omnibus impertiri.

Ita argumentatur S. Proſper in carmine *de Ingratis*, cap. 11.

. Dic unde probes quòd gratia Chriſti
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit? Nec enim vel tempore noſtro
Omnibus in terris jam certum eſt inſinuatum
Chriſti Evangelium.

Eodem modo ratiocinatur ſynodus Epiſcoporum in Sardinia pro fide exulum, in Epiſtola ſua ſynodica *de Gratia & humano arbitrio*, cap. 9. „ De gratia non dignè ſentit, inquiunt, quisquis eam putat omnibus
„ hominibus dari; cum non ſolum non omnium ſit fides, ſed adhuc
„ nonnullæ gentes inveniantur ad quas fidei prædicatio non pervenit.
„ Beatus autem Apoſtolus dicit: *Quomodò invocabunt eum in quem non*
„ *crediderunt? Aut quomodò credent ei quem non audierunt? Quomodò*
„ *autem audient ſine prædicante?* Non itaque gratia omnibus datur;
„ quandoquidem ipſius gratiæ participes eſſe non poſſunt, qui fideles
„ non ſunt, nec poſſunt credere, ad quos invenitur ipſe auditus fidei
„ minimè perveniſſe."

Eccleſia Lugdunenſis, concilium Valentinum, aliique ſcriptores IX ſæculi inde concluſerunt redemptionem Chriſti non omnibus hominibus applicari, quòd non omnibus fides impertiretur. Nullas ergo gratias Chriſti propriè dictas admiſerunt ante gratiam fidei.

3°. SS. Patres expreſſè aſſerunt fidem eſſe primam gratiam, initium, radicem, originem, januam, exordium juſtificationis & ſalutis.

S. Ignatius martyr in Epiſt. ad Epheſios, num. 14, ait: „ Fides &
„ caritas initium vitæ & finis ſunt: principium quidem fides, finis ve-
„ rò caritas.".

S. Clemens Alexandrinus lib. 2 *Stromatum*: „ Prima, inquit, ad ſa- Pag. 371.
„ lutem inclinatio nobis fides apparet."

Origenes in caput 4 Epiſt. ad Rom. ad hæc verba: *Qui contra ſpem in ſpem credidit*: „ Puto, inquit, quòd prima ſalutis initia & ipſa fun-

Xxxxx 2 „ da-

„ damenta fides eſt, profectus verò & augmenta ædificii ſpes eſt, per- „ fectio autem & culmen totius operis caritas.“

S. Ambroſius, Epiſt. 75 ad Clementianum, num. 5: „ Qui non ha- „ bet fidem, inquit, non habet ſpiritûs libertatem: ubi autem nulla „ libertas, nulla gratia.“

S. Hieronymus, lib. 2 in Epiſt. ad Epheſios, cap. 3, exponens hæc verba: *in quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ejus*, dicit „ fiduciæ & acceſſûs ad Deum principium & originem, fidem in „ Chriſto eſſe.“

Idem ſæpiſſimè & apertiſſimè docet S. Auguſtinus. In lib. *ad Simplicianum*, quæſt. 2. num. 2, ſic loquitur: „ Incipit homo percipere gra- „ tiam, ex quo incipit Deo credere, vel externâ, vel internâ admoni- „ tione motus ad fidem.“ Tract. 3 in Joannem, num. 8: „ Quam gra- „ tiam primò accepimus? Fidem...... Hanc ergo accepit primam gratiam „ peccator, ut peccata dimitterentur.“ Lib. *de Perfectione juſtitiæ*, cap. 19. num. 41: „ Initium corrigendi cor fides eſt, ſicut ſcriptum eſt: „ *Venies & pertranſies ab initio fidei.*“ Lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 7. num. 12: „ Fides prima datur, ex qua impetrentur cæte- „ ra.“ Lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 31. num. 34: „ Illud, unde inci- „ pit omne quod merito accipere dicimur, ſine merito accipimus, id „ eſt, ipſam fidem.“ Et Serm. 8. cap. 10. num. 11: „ Inter omnes „ tanquam natos cordis noſtri primogenita fides eſt. Nemo enim bene „ operatur, niſi fides præceſſerit. Omnia opera tua bona filii tui ſunt „ ſpirituales; ſed inter hos tibi primogenita eſt fides.“ Idem inculcat tract. 15 in Joann. num. 24; Serm. 27. cap. 1, & Serm. 43. cap. 1. His omnibus in textibus videmus tunc primùm dari nobis gratiam, quando incipimus credere; fidem eſſe primam gratiam, primam dari, initium eſſe corrigendi cor, primum gratiæ munus, & bonorum omnium operum primogenitam.

Al. Serm. 20 & 27 de Verbis Apoſtoli.

Auctor *Hypognoſticon*, lib. 3. cap. 14: „ Nec fides, inquit, ſine gra- „ tia, nec gratia ſine fide.“ Id autem probat ex Apoſtolo, 1 Timoth. I. 14, dicente: *Superabundavit autem gratia Domini noſtri, cum fide & dilectione quæ eſt in Chriſto Jeſu.* En brevis & aperta definitio. Sicut fides non eſt ſine gratia illam inſpirante, ita nec gratia eſt ſine fide, quia omnis gratia vel fidem jam datam ſupponit, vel fidem ipſam fideive initium inſpirat.

Tom. 4. pag. 549.

S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 1 in Joann. cap. 1, dicit „ fidem ja- „ nuam & iter eſſe ad vitam, & à corruptione ad incorruptionem re- „ ditum.“

Euſebius Emiſſenus, hom. 2 de Symbolo, *fidem appellat oſtium vitæ, fundamentum ſalutis.*

Auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 23, declarat

„ omne

Digitized by Google

„ omne hominis bonum meritum, ab initio fidei uſque ad perſeveran-
„ tiæ conſummationem, donum atque opus eſſe divinum.“ Quod manifeſtè ſupponit omnem gratiæ largitionem intra duos terminos concludi.

Petrus Diaconus, in Epiſtola ad Epiſcopos Africanos in Sardiniam relegatos, cap. 6: „ Primum eſt, ait, & præcipuum fundamentum, &
„ crepido quodammodò, ſive omnium bonorum operum origo, credere
„ in Dominum gloriæ crucifixum.“

Præſules quoque illi Africani, in Epiſtola ſua Synodica *de Gratia & humano arbitrio*, cap. 6, decernunt „ ipſius fidei dono omne bonum
„ meritum inchoari.“

S. Fulgentius illorum quodammodò princeps, in Prologo libri *de Fide ad Petrum:* „ Fides, ait, eſt bonorum omnium fundamentum: fides
„ eſt humanæ ſalutis initium.“ Et lib. *de Incarnatione & gratia Christi*, quem Collegarum nomine ſcripſit, cap. 20, dicit „ vitam noſtram
„ à fide ſumere initium, quia juſtus ex fide vivit.“ Et lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 17: „ Bonæ voluntatis initium in
„ fide conſiſtere, liber Cantici Canticorum oſtendit, ubi Chriſtus dicit
„ (juxta 70): *venies & pertranſies ab initio fidei.*

S. Gregorius magnus, lib. 2 *Moralium*, cap. 25. num. 33: „ In electorum corde, inquit, prior bonorum ſequentium ſapientia naſcitur,
„ atque hæc per donum ſpiritûs quaſi primogenita proles profertur, quæ
„ profectò ſapientia noſtra fides eſt.“

S. Petrus Damiani, lib. 2. Epiſt. 5 ad Cardinalem Hildebrandum (qui poſteà ſedem Romanam tenuit ſub nomine Gregorii VII) creationis hiſtoriam moraliter exponens, hæc dicit: „ Dixit Deus: *Fiat lux.* Tunc Pag. 28.
„ autem in homine dicitur ut lux fiat, cùm datur ut illuminatio credulitatis inſulgeat. col. 1.
„ Prima quippe mentis lux fides eſt. Unde jam
„ fidelibus dicit Apoſtolus: *fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in*
„ *Domino......* Tunc itaque in homine priùs dies fit, cum novus ad
„ fidem venit.“

Anſelmus Decanus Laudunenſis, qui ſæculo XII floruit, in Epiſtola ad Abbatem S. Laurentii Leodienſis, quam in lucem edidit Dacherius in Notis ad opera Guiberti Abbatis, pag. 643, dicit „ fidem, quæ
„ eſt prima lux animæ, præcedere omnes alias virtutes.“

In his textibus, aliiſque benè multis quæ proferri poſſent, vel expreſſè aſſeritur fidem eſſe primam gratiam, vel, quod planè ſynonymum eſt, fidem eſſe initium, fundamentum, originem ſalutis & bonorum operum: qui certè caracteres falſò illi attribuerentur, ſi ante illam gratia Chriſti propriè dictæ admitti deberent.

Confirmantur inſuper iſta Patrum teſtimonia auctoritate conciliorum Arauſicani ſecundi & Tridentini. Arauſicanum, can. 25, definit Deum,
„ nullis noſtris præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſui

Digitized by Google

„ prius inſpirare.“ Tridentinum verò, ſeſſ. 6. cap. 6, exponens varios gradus quibus adulti ad juſtitiam diſponuntur, primo loco fidem in Chriſtum recenſet. „ Diſponuntur autem, inquit, ad ipſam juſtitiam, „ dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, „ liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitùs revelata „ & promiſſa ſunt, atque illud imprimis, à Deo juſtificari impium per „ gratiam ejus, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.“ Profectò omnis gratia Chriſti ad juſtificationem tendit, ad eamque vel proximè vel remotè diſponit. Igitur, ſicut fides eſt prima diſpoſitio ad juſtitiam, ita prima quoque Chriſti gratia eſt.

Reſpondet Languetus Epiſcopus Sueſſionenſis, in 5 Epiſtola Paſtorali, part. 3. ſect. 2. §. 52, 53 & 54, eo ſenſu fidem à SS. Patribus primam gratiam dictam eſſe, quòd reipſâ prima ſit in ordine ad ſalutem & vitam æternam, prima radix meriti, prima virtus Chriſtiana; non verò quòd prima ſit gratiæ Chriſti inſpiratio. Verùm hujuſmodi interpretationem non ex ſcriptis SS. Patrum, quæ omnem prorſus exceptionem excludunt, ſed ex præconceptis Molinianæ ſcholæ opinionibus deprompſit. Deinde quis fructus eſſe poteſt hujuſmodi gratiarum actualium, quæ gratiam fidei præcedere ſupponuntur, ſi nullum ordinem habent ad ſalutem & vitam æternam? Quaſi omnes gratiæ Chriſti Salvatoris non tendant ex ſeipſis ad ſalutem eorum quibus dantur. Quale gratiarum genus, quod nec veram juſtitiam, nec ullum veræ juſtitiæ initium producit? Hujuſmodi gratiarum adjutorio præventus & excitatus infidelis, vel poteſt actus aliquos pietatis operari, & mandata obſervare, vel non poteſt. Si poteſt, quid vetat quominus bonum operetur, mandata impleat, veram virtutem conſequatur, fidemque mereatur, ſaltem de congruo, aut etiam abſque fide Chriſti ad vitam æternam perveniat? Si non poteſt, quid ergo commodi afferunt ejuſmodi gratiæ Chriſti actuales, quæ nullius boni operis principium eſſe queunt?

4°. Docent SS. Patres eos gratiæ Chriſti omnino exſortes eſſe, qui fidem nullumque fidei initium habent. Id expreſſe docet S. Auguſtinus lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 13. num. 25, ubi Pelagianos gratiam in ipſa hominis natura reponentes ſic refellit: „ Sed non eſt hæc gratia, quam commendat Apoſtolus, per fidem Jeſu Chriſti: hanc enim „ naturam etiam cum impiis & infidelibus certum eſt nobis eſſe communem; gratia verò per fidem Jeſu Chriſti eorum tantummodò eſt, „ quorum eſt & ipſa fides.“ Igitur quicunque a fide alieni ſunt, gratiæ, quam ſcripturæ ſacræ commendant, conſortes penitus non ſunt.“

S. Proſper in fine *Reſponſionis ad Capitula Gallorum*, ſententiâ 4, ſic loquitur: „ Qui dicit quòd non omnes vocantur ad gratiam, ſi de his „ loquitur quibus Chriſtus annuntiatus non eſt, non poteſt reprehendi, „ quia ſcimus quidem in omnes fines terræ Evangelium deſtinatum, ſed

„ non

„ non putamus jam in omnibus terræ finibus prædicatum; nec poſſu-
„ mus dicere quòd ibi ſit vocatio gratiæ, ubi matris Eccleſiæ adhuc
„ nulla eſt regeneratio.

Africani Præſules jam memorati, in Epiſtola ſua Synodica, cap. 9, definiunt „ ipſius gratiæ participes eſſe non poſſe qui fideles non ſunt.“ Horum teſtimoniorum perſpicuitati nihil addi poteſt.

Probatur III° ex pugna Eccleſiæ contra Semipelagianos. Illi hæretici, ut prædeſtinationis & reprobationis nodum ſolverent, dicebant cætera quidem bona à Deo donari per gratiam Chriſti, prima verò fidei & bonæ voluntatis initia eſſe à nobis: in eo ſcilicet cum Catholicis conſentientes, quòd ſalutis & bonæ voluntatis initium in ipſa fide conſiſtere profiterentur; atque in hoc tantummodò diſſentientes, quòd fidem, id eſt, primum bonæ voluntatis initium, ab ipſo homine oriri contenderent; cùm è contrario Eccleſia profiteretur fidem ipſam primam dari à Deo, quâ cætera deinceps impetrantur.

Argumentum tertium ex pugna Eccleſiæ cum Semipelagianis.

Probatur IV° conſenſu præcipuorum Theologorum.

Argumentum quartum ex præcipuorum Theologorum conſenſu.

Magiſter Sententiarum, lib. 2. diſtinct. 26. art. 4, ſeu litterâ D: „ Si
„ diligenter intendas, inquit, nihilominùs tibi monſtratur quæ ſit ipſa
„ gratia voluntatem præveniens & præparans, ſcilicet fides cum dilec-
„ tione.“ Quæ verba, ut obſervat Eſtius in hanc diſtinctionem, §. 13, ſignificant fidem cum dilectione primum eſſe gratiæ donum. Idem obſervant plerique Theologi in commentariis ad eamdem diſtinctionem.

Hugo Victorinus in Quæſtionibus ad Epiſtolam ad Galatas: „ Ex fi- Tom. 1. pag. 436.
„ de, ait, Apoſtolus dicit nos juſtificari, quia ipſa prima eſt, ex qua
„ impetrantur cætera,..... quia ipſa opera ſunt ex fide.“

Guillelmus Epiſcopus Pariſienſis, in Sermone de S. Laurentio, fidem appellat primum radium ſolis ſpiritualis ad cor humanum; & in Tractatu de Moribus, cap. 1, fidem ipſam inducit hiſce verbis ſeſe commendantem: „ Ego ſum prima vita gratiæ, quia prima conjunctio vi- Tom. 2. pag. 443.
„ vificantis virtutis, quæ Deus eſt, ad mentem humanam...... Ego Tom. 1. p. 191.
„ mortem mentis humanæ prima mortifico, prima de illa triumpho.
„ Ego ſum lux quæ tenebras ignorantiæ & infidelitatis irrumpo. Ego
„ ſum lux in operibus recreationis & reformationis humanæ primum crea-
„ ta, quemadmodùm lux in operationibus divinis...... Ego ſum in bellis
„ ſpiritualibus bellatrix prima...... Ego ſum radix ſapientiæ...... Ego
„ ſum porta vitæ, per quam ſolam vita ingreditur in mentem huma-
„ nam. Ego ſum via, per quam Deus ad mentem humanam ingredi-
„ tur; & propter hoc, ubi ego non ſum, nullus aditus patet Deo......
„ Ego ſum via, teſte Auguſtino, præter quam non niſi ad mortem cur-
„ ritur,..... & ideò ſum via vitæ, quoniam per me ſolam ad vitam
„ venitur...... Ego ſum totius ædificii ſpiritualis fundamentum. Ego
„ ſum in domo Dei prima lucerna, in templo ejus lampas prima;
„ neque enim in domo cordis humani, quod utique domus Dei
„ eſt,

„ eſt, aliqua lucerna ante me ponitur; neque in templo ejuſdem, „ quod utique eſt cor humanum, eſt aliqua lampas antequàm ego accendar...... Ego ſum in cœlo ſpirituali (id eſt, in quocunque ſanctorum, in tota Eccleſia Dei) ſtella quæ prima in eo oritur, & ſtella matutina, quæ ignorantiæ mortiferæ tenebras prima irrumpo...... „ Ego prima in omni genere obſequiorum Deo ſervivi...... Prima...... „ pro eo pugnavi...... Prima ei ſacrificia & capitis inclinationes obtuli.“ En quot quàmque variis epithetis ac metaphoris doctus ille ac pius Præſul inculcat fidem eſſe primam gratiam.

S. Thomas, 1. 2. quæſt. 113. art. 4. in corp: „ Prima, inquit, converſio (hominis) in Deum fit per fidem.“ Et 2. 2. quæſt. 161. art. 5: „ Primus acceſſus ad Deum“ (ac proinde prima gratia) eſt „ per fidem.“

Eſtius in 2. diſtinct. 26. §. 38: „ Patres docent, inquit, inter dona „ Chriſti fidem dari omnium primam, per quam deinde cætera impetrentur.“ Et §. 45: „ Ea beneficia, quæ per Chriſtum dantur, initium habent à fide, ſicut Auguſtinus & Proſper ſæpè teſtantur.“

Pag. 667 & 668. In Actis Lemoſii refertur Baltidam pro Molina pugnantem dixiſſe, in Congregatione 24 habita coram Clemente VIII, *quia ante vocationem ad fidem præcedit alia gratia, per quam liberum arbitrium moveatur;* huicque Lemoſium reſpondiſſe „ id non ſolùm eſſe contra veritatem, „ ſed etiam contra Molinam. Etenim, inquiebat, Molina ſupponit id „ quod eſt veriſſimum, nullam aliam poſſe eſſe priorem gratiam prævenientem ante vocationem ad fidem, licet hæc prima gratia præveniens habeat latitudinem.“ Addebat: „ Quæ enim alia poteſt eſſe „ præveniens gratia, niſi illa quæ vocat ad fidem, quæque initium & „ fundamentum eſt totius religionis & pietatis?“

Gonetus in *Clypeo doctrinæ Thomiſticæ*, diſput. 5 *de Reprobatione*, art. 5. §. 4: „ Primus actus, inquit, in ordine ſupernaturali eſt actus „ fidei. Ergo primum auxilium ſufficiens ordinis ſupernaturalis eſt auxilium ſufficiens ad credendum, & conſequenter carentes hoc auxilio „ carent omni auxilio ſupernaturali, ac proinde etiam ſufficienti remoto „ ad ſalutem.“

Cardinalis d'Aguirre, tom. 3 *Theologiæ S. Anſelmi notis illuſtratæ*, diſput. 118. ſect. 4. num. 39: „ Omnium gratiarum Theologicè acceptarum, inquit, ſive, quod perinde eſt, omnium ſpiritualium auxiliorum, quæ per Chriſtum conceduntur, initium ducit gratia fidei.“

Suarez ipſe, lib. 1 *de Neceſſitate gratiæ ad opera naturalia*, cap. 27. num. 27, docet „ nullum eſſe inconveniens, quòd infideles careant „ omnibus propriis auxiliis prævenientis & adjuvantis gratiæ, in ordine „ ad benè moraliter operandum,..... quia in iſtis primum initium „ gratiæ eſt per vocationem ad fidem, &, donec huic vocationi reſpon-

„ deant,

„ deant, non recipiunt ſpecialia auxilia ad vitanda alia peccata, vel ad „ benè operandum.

Probatur V° rationibus Theologicis.

Argumentum quintum ex rationibus Theologicis.

1°. Gratia Chriſti propriè dicta eſt inſpiratio caritatis ſeu ſanctæ dilectionis, uti probatum eſt Diſſert. 1 hujus Libri. Atqui nulla eſt castæ dilectionis inſpiratio ante initium fidei, ut omnes fatentur. Ergo nulla eſt gratia Chriſti ante initium fidei.

2°. De fide eſt neminem conſequi poſſe regnum cœlorum, vel juſtitiam adipiſci absque fide in Chriſtum, ut in Libro præcedente oſtenſum eſt. Atqui, ſi admittuntur veræ gratiæ Chriſti à fide diſtinctæ, nec ad fidem excitantes, regnum cœlorum veraque juſtitia comparari poſſent absque gratia Chriſti. Nam illarum gratiarum ope poſſent infideles facere opera bona ſupernaturalia & regni cœleſtis meritoria.

3°. Sic ad hominem, ut aiunt, argui poteſt contra adverſarios: Quando vobis objiciuntur textus iſte Apoſtoli, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, aliique ſimiles, ut probetur nulla eſſe opera verè bona in infidelibus, reſpondere ſoletis illis textibus ſignificari duntaxat opera quæ non fiunt ex fide, quàmvis moraliter ex omni parte bona, nullius eſſe valoris in ordine ad ſalutem. Illa tamen bona opera eſſent ſupernaturalia & meritoria, ſi fierent ex gratia Chriſti quæ fidem præcederet. Fatendum ergo vobis eſt nullam gratiam Chriſti dari ante gratiam fidei.

Objiciunt. S. Auguſtinus in Epiſt. 144, al. 130, loquens de mutatione Polemonis, qui, cùm non ſolùm ebrioſus, ſed & actu ebrius Xenocratem audiſſet de laudibus temperantiæ diſſerentem, de repente ad meliores mores ſeſe contulit, dicit mutationem illam operationi divinæ tribui oportere. Atqui in Polemone nullum erat fidei initium. Ergo S. Auguſtinus cenſuit fidem non eſſe primam gratiam.

Nego conſequentiam. Ait quidem S. Auguſtinus tranſlationem illam Polemonis ad alios mores operationi divinæ tribuendam eſſe: verùm nequaquam dicit eam fuiſſe donum gratiæ. Nimirum, ſicut duplex diſtingui poteſt hominum bonitas, ita duplex Dei donum diſtingui debet. Ea bonitas, quæ ſita eſt in moribus ex officio bonis, profectò Dei donum eſt, ſed non eſt gratia Chriſti ſalvatoris: bonitas verò quæ naſcitur ex amore caritatis, & refertur ad Deum tanquam finem ultimum, non qualecunque eſt donum Dei, ſed munus gratiæ reparantis. Igitur temperantia Polemonis reverà fuit opus divinum, quia quidquid bonum eſt, in quantùm bonum eſt, ex Deo eſt; verùm operationi gratiæ propriè dictæ nullatenus attribui debet. Ipſimet adverſarii dicere non auderent mutationem illam fuiſſe ſupernaturalem; quod tamen dicendum foret ſi gratiæ Chriſti donum fuiſſet. 2°. Per gratiam Chriſti, quam S. Auguſtinus ubique definit inſpirationem dilectionis, peccator Deo acquiritur: de Polemone verò è contrario affirmat eum nequaquam acquiſitum fuiſſe Deo. Si autem Polemo ſic mutatus eſt ut Deo non fuerit acqui-

Digitized by Google

acquiſitus, quid reſtat niſi ut alicui cupiditati, ſeu vanæ gloriæ, ſuperbiæ, inani ſuî complacentiæ fuerit acquiſitus? Denique S. Doctor, lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3, ubi omnia infidelium opera immunda eſſe demonſtrat, agnoſcit tamen ea quæ in ipſis videntur bona, quàmvis malè fiant, eſſe Dei dona. „ Ex quo colligitur, inquit num. 32, etiam „ ipſa bona opera quæ faciunt infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius „ qui benè utitur malis; ipſorum autem eſſe peccata, quibus & bona „ malè faciunt.“ Hæc autem bona, quæ male fiunt, gratiæ Chriſti adſcribere, abſurdum & inſanum eſſet.

Inſtant. Idem S. Doctor, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 24, exemplo regis Aſſueri, cujus cor Deus tranſtulit ab ira in lenitatem, probat Deum per gratiam ſuam in cordibus hominum operari bonas voluntates. „ Legant, inquit, & intelligant, intueantur atque fateantur, non „ lege atque doctrinâ inſonante forinſecus, ſed internâ & occultâ, mi- „ rabili & ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non „ ſolùm veras revelationes, ſed bonas etiam voluntates.“ Ergo infidelium bona opera gratiæ Chriſti attribuit.

Nego conſequentiam. Eo in loco S. Auguſtinus id unum ſibi propoſuit, ut oſtenderet Deum occulta & ineffabili poteſtate operari in cordibus hominum motum ipſum voluntatis eorum, illæſâ ipſorum arbitrii libertate. Inde quidem concludit Deum in ipſis ſanctorum cordibus operari, ſed iſta concluſio eſt à minori ad majus; quaſi diceret: ſi mirabili poteſtate Deus tranſtulit cor Aſſueri ab ira in lenitatem, quæ non erat veræ pietatis opus, quantò magis bonas piasque voluntates operatur? Simili argumento utitur in lib. *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 20 & 21. Cùm enim plurimis Scripturarum oraculis probaſſet, ubi agitur de operibus pietatis, corda hominum à Deo inclinari quòcunque voluerit, ſtatim addit „ Scripturam, ſi diligenter inſpiciatur, oſten- „ dere, non ſolùm bonas hominum voluntates,..... verùm etiam illas „ quæ conſervant ſæculi creaturam“ (hoc eſt, quæ ad pietatem non pertinent) „ ita eſſe in Dei poteſtate, ut eas quò voluerit, quando „ voluerit, faciat inclinari:“ atque inter alia plurima exempla commemorat cordis Aſſueri mutationem, ac demùm ſic concludit, num. 43: „ Si autem potens eſt (Deus) operari in cordibus etiam malorum,..... „ quorum malitiam ipſe non fecit,..... quid mirum eſt ſi per Spiri- „ tum ſanctum operatur in cordibus electorum ſuorum bona?“ Igitur mutationem cordis Aſſueri, non gratiæ Chriſti, ſed operationi divinæ alterius generis, quàmvis non minoris poteſtatis, ſanctus Doctor attribuit.

Objiciunt 2°. Beda, lib. 1 *in Cantica*, cap. 6, virtutes infidelium gratiæ adſcribere non dubitat. „ In quantùm, inquit, vel guſtum ali- „ quem ſapientiæ cujuslibet, vel virtutis imaginem habebant, totum „ hoc deſuper acceperunt, non ſolùm munere primæ conditionis, ve-

„ rùm

„ rùm etiam quotidianâ ejus gratiâ, qui creaturam ſuam nec ſe deſe- „ rentem deſerens, dona ſua, ſicut ipſe judicaverit, hominibus & mag- „ na magnis, & parva largitur parvulis.“

Diſtinguo antecedens. Beda virtutes infidelium attribuit gratiæ latiore ſenſu ſumptæ, concedo: gratiæ Chriſti propriè acceptæ, nego. Idem eſt Bedæ ſenſus ac S. Auguſtini modò expoſitus. Refellens enim Julianum, duo affirmat. Primum, Philoſophos, „ quicunque Chriſtum „ Dei virtutem & Dei ſapientiam neſcierunt, nullam veram virtutem, „ nec ullam veram ſapientiam habere potuiſſe;“ ſed tantùm *aliquam virtutis imaginem:* alterum, illud, quod in virtutibus infidelium conſpicuum viſum eſt, ex Deo fuiſſe, à quo procedit quidquid bonum eſt in hominibus. Illud quidem Dei donum gratiam appellat, ut pote indebitum, ſed gratiæ nomen ab eo latiore ſenſu acceptum fuiſſe inde maniſeſtum eſt, quòd neget virtutes illas veras fuiſſe, & quòd eam gratiam inter *parva* Dei dona computet, cùm è contrario gratiam Chriſti magnis Dei donis annumeret.

CAPUT QUINTUM.

Quid ſentiendum ſit de operibus & virtutibus infidelium.

TANTO animorum æſtu à nonnullis agitatur hæc quæſtio, ut hæreſis notare non dubitent eos, qui nulla in infidelibus opera omni ex parte bona, nullaſque veras virtutes agnoſcunt. Quapropter, etſi ex dictis ſuperiùs facilè intelligi queat quâ de re agatur, & quid de illa ſentiendum ſit, non abs re erit ſtatum ipſum quæſtionis breviter exponere. Status quæſtionis.

1°. Non agitur de operibus & virtutibus infidelium quoad officium duntaxat, vel etiam quoad finem proximum conſideratis; fatentur enim omnes opera quædam ſub illo reſpectu bona fieri poſſe ab infidelibus: ſed agitur de operibus ac virtutibus ſpectatis in ordine ad finem ultimum.

2°. Non etiam agitur de operibus quæ referuntur ad cultum falſorum numinum. Omnes quippe conſentiunt opera illa ex prava intentione corrumpi, & peccata eſſe; ſi tamen nonnullos excipias, qui barbaros quoſdam ex ignorantia Dei, quam putant eſſe invincibilem, à peccato excuſari ſentiunt.

3°. Non etiam agitur de gentilibus aliquam fidei inchoationem habentibus; conſtat enim eos ex initio illo fidei nonnulla rectè operari poſſe.

Digitized by Google

4°. Non pariter quæritur utrùm infideles in omnibus actibus ſuis peccent mortaliter, ſed tantummodò an abſolutè peccent, ſive mortaliter, ſive venialiter.

5°. Quæſtio igitur eſt de infidelibus nullum fidei initium habentibus, an ſcilicet, quandiu in eo ſtatu ſunt, omnia illorum opera, ea etiam quæ ex officio atque ex fine proximo in ſeipſis bona ſunt, vitientur ex defectu debiti finis ultimi.

6°. Quàmvis diligentiùs & attentiùs conſideranti diſcrimen aliquod videatur eſſe opus inter & actum, ſeu actionem, quatenus opus propriè eſt id quod fit, actus verò ſeu actio reſpectum habeat ad agentem & ad agendi modum; quia tamen ambæ illæ voces vulgò promiſcuè ſumuntur, ambabus utemur indiſcriminatim.

Errores & opiniones. Jam verò Pelagiani naturæ vires adeò extulerunt, ut in infidelibus veras virtutes operaque verè bona admiſerint, ſterilia tamen nec regni cœleſtis meritoria, eoquòd non fiant propter Deum.

Lutherus & Calvinus, cùm nullam fidem agnoverint, niſi quæ ex ſeipſâ juſtificat, conſequenter docuerunt omnia, quæ fiunt ante fidem juſtificantem, contaminata eſſe & immunda; imò juſtorum quoque ipſorum omnia opera per concupiſcentiæ labem ipſis inhærentem polluta eſſe, nec niſi imputativè & extrinſecè bona. Illum errorem damnavit concilium Tridentinum, definivitque non omnia opera quæ fiunt ante fidem eſſe peccata. Cùmque Kemnitius, calumniandi occaſionem inde arripiens, concluderet damnatos à Synodo fuiſſe illos, qui docent omnia infidelium opera eſſe peccata, falſam illam inſimulationem repulit Bellarminus lib. 5 *de Gratia & libero arbitrio*, cap. 4. „ Neque enim „ definit Concilium, inquit, opera infidelium non eſſe peccata, ſed „ non eſſe peccata opera omnia quæ juſtificationem præcedunt: præce- „ dunt enim juſtificationem illa opera quæ fiunt à fidelibus poſtea- „ quàm in peccatum ceciderunt. Non enim Concilium ſequitur regulas „ Lutheri, qui per omne peccatum voluit fidem amitti, ſed regulas Do- Tom. 2. pag. 42. col. 1. mini.“ Idem docent Wallemburgenſes in *Compendio Controverſiarum particularium*, cap. 58, his verbis: „ Definivit concilium Tridentinum ali- „ qua opera, quæ juſtificationem præcedunt, non eſſe peccata, illa ſci- „ licet quæ procedunt ab auxilio ſpeciali, & per quæ hominem Deus „ diſponit ad gratiam juſtificationis: non autem definivit concilium eſſe „ alia opera juſtificationem præcedentia, quæ non ſint peccata.“

Plurimi Theologi docent non omnia infidelium opera vitioſa eſſe, ſed quædam ab illis fieri ſub omni reſpectu bona. Ut autem id aſſequantur, varias in partes abeunt. Alii quippe ſentiunt ad bonitatem actûs non requiri ut fiat propter Deum, ſed ſatis eſſe ut referatur ad finem aliquem proximum honeſtum, vel etiam licitum. Alii exiſtimant actiones referri poſſe ad Deum abſque auxilio gratiæ Chriſti. Alii volunt omnibus hominibus dari gratias ſufficientes, quarum ope nonnulla interdum

Digitized by Google

dum rectè operantur. Nonnulli cum Noriſio, *Vindiciarum Auguſtinianarum* §. 4, rejectâ illâ opinione, arbitrantur tamen Deum nonnunquam, ſed perrarò & præter communem gratiæ ordinem, aliquibus infidelibus largiri auxilium gratiæ, quocum rectè & abſque peccato interdum agunt.

Eſtius docet textum Apoſtoli, *omnia in gloriam Dei facite*, continere quidem verum præceptum, & intelligi debere de relatione propriè dicta; eo tamen præcepto infideles non obligari, ſed fideles tantum. Errat profectò vir doctiſſimus. Nam primum decalogi mandatum, ex quo ſponte fluit illa obligatio, ad legem naturalem pertinet, ac proinde omnes homines, tum fideles, tum infideles, illo tenentur.

Alii opinantur aliter judicandum eſſe de illis infidelibus, qui naturali rationis lumine Deum unum & verum cognoſcunt, quàm de illis qui nullam habent veri Dei notitiam: illos quippe interdum benè operari propter Deum naturaliter cognitum & amatum, horum verò actiones omnes pollui defectu ordinationis debitæ ad Deum, quem non noverunt.

Alii diſtinguendum eſſe volunt inter actionem & agentem; ita ut infideles quidem peccent in omnibus operibus ſuis peccato omiſſionis, non referendo ea ad Deum; non ideò tamen omnes illorum actiones vitiari, ſed eas tantùm quæ fiunt propter finem proximum poſitivè malum. Ita ſentit celebris auctor *Ethicæ amoris* cum plurimis Lovanienſibus Theologis.

Cæteri omnes Theologi docent actiones omnes infidelium, qui nullum habent fidei initium, corrumpi ac vitiari defectu debiti finis ultimi, quatenùs ad Deum non referuntur, nec fiunt ex ejus dilectione, ſed ex aliqua cupiditate, id eſt, ex amore aliquo creaturæ ad Deum non ordinato; illorumque virtutes non modò ſteriles, ſed etiam falſas eſſe. Hanc doctrinam ut odioſam reddant adverſarii, Baianam & Janſenianam appellant, quaſi ante Baium & Janſenium inaudita in Eccleſia fuerit, vel in eis damnata. Quàm verò injuſtè, patebit ex ſequentibus Propoſitionibus.

Digitized by Google

PRIMA PROPOSITIO.

Omnis actio quæ non ſit ex aliquo ſaltem fidei initio, etiamſi ex objecto ſeu officio bona ſit, ſemper vitioſa eſt defectu debiti finis ultimi; adeòque, abſolutè loquendo, omnes actiones infidelium peccato ſeu vitio aliquo inficiuntur.

I°. ISTA Propoſitio neceſſariò ſequitur ex præcedentibus. 1°. Enim, ſi nulla eſt actio bona ſub omni reſpectu ſine caritate, ſeu dilectione Dei ſaltem inchoata, ut probatum eſt Cap. 1, nulla quoque bona eſſe poteſt ſine aliquo initio fidei; ſiquidem, ubi fides, ibi pariter caritas deeſt. 2°. Capite 3 probatum eſt nullum actum omni ex parte bonum, nullamque veram virtutem eſſe abſque gratia Chriſti. Atqui nulla gratia Chriſti præcedit primum fidei initium, ut probatum eſt cap. 4. Ergo nulla eſt actio verè bona, nulla vera virtus eſt ſine aliqua fidei inchoatione. Verùm, quoniam hæc propoſitio à multis vehementer impugnatur, atque etiam à nonnullis ut hæretica vel erronea traducitur, neceſſe eſt eam propriis & ſpecialibus argumentis directè adſtruere. Itaque

Probatur II° ex Scriptura, cujus ſacra oracula ad duas claſſes revocabimus. Alia quippe docent nullum opus bonum eſſe ſine fide: alia verò, omnia opera, quæ non fiunt ex fide, mala eſſe & corrupta.

1°. Quidem docent nullum opus bonum eſſe ſine fide. Hanc ſententiam validè inculcat Apoſtolus Paulus, Rom. I. 17, & Galat. V. 11, confirmatque hiſce Prophetæ verbis, *juſtus ex fide vivit*, quibus ſignificatur juſtitiam totam pendere ex fide, ſine qua non minùs repugnat aliquod opus eſſe verè bonum, quàm ullum vitalem corporis motum ſine anima. Omnis quippe actio moraliter ex omni parte bona bonum & juſtum facit agentem, ſive perfectè, ſive imperfectè, juxta illud B. Joannis, 1 Epiſt. II. 7: *Qui facit juſtitiam, juſtus eſt.*

Idem S. Paulus, Galat. V. 5 & 6, fidei peculiariter attribuit ex dilectione operari. *Nos*, inquit, *ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectamus. Nam in Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per dilectionem operatur.* Ubi videmus abſque fide per dilectionem operante nihil prodeſſe apud Deum, apud quem omnis actio ſub omni reſpectu bona non poteſt nullius eſſe valoris.

Chriſtus ipſe, Joann. XV. 4 & 6, declarat neminem, niſi in ipſo manentem, ullum boni operis fructum proferre poſſe. *Sicut palmes*, inquit, *non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec*

Digitized by Google

nec vos, niſi in me manſeritis...... Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Porro non niſi per fidem Chriſto inſerimur. Ergo ſine fide nullus eſt fructus bonus, nihil non aridum & igne comburendum.

Hinc Apoſtolus, Hebr. XI. 5 & 6, inde probat per fidem Henoch placuiſſe Deo, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. *Fide*, inquit, *Henoch translatus eſt ne videret mortem,..... ante translationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo: ſine fide autem impoſſibile eſt placere Deo.* Porro omnis actio bona ſub omni reſpectu, vitioque carens, placet Deo, cui non poteſt non placere quidquid bonum eſt.

Idem Apoſtolus, Philipp. III. 8 & 9, duplicem juſtitiam diſtinguit: unam *quæ ex Deo eſt per fidem Jeſu Chriſti;* alteram quæ per doctrinam legis humanosque conatus acquiritur, & quam idcirco appellat juſtitiam ſuam, id eſt, ex propriis viribus partam. Illam ſolam pro vera agnoſcit; hanc verò penitus abjicit, & averſatur *ut ſtercora.*

2°. Scriptura docet, omne quod ex fide non fit, malum, inquinatum, inordinatum eſſe.

Epheſ. II. 1, S. Paulus vitam gentilium, antequàm fidei donum à Deo recepiſſent, his verbis deſcribit: *Cùm mortui eſſetis delictis & peccatis veſtris, in quibus ambulaſtis ſecundùm ſpiritum mundi hujus, ſecundùm principem poteſtatis aëris hujus, ſpiritûs qui nunc operatur in filios diffidentiæ; in quibus & nos omnes converſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum.* Et cap. IV. 17 & 18: *Jam non ambuletis ſicut & gentes ambulant, in vanitate ſenſûs ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum.* Et cap. V. 8: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* His in ſacris textibus tota infidelium vita dicitur acta ſecundum ſpiritum mundi hujus, qui inimicus eſt Deo, ſecundùm principem tenebrarum, ad explendas cupiditates carnis & cogitationum, non ad voluntatem Dei faciendam, ordinata. „ Quaſi diceret, inquit S. Auguſtinus, lib. *contra Adimantum*, cap. 26: „ Fuiſ„ tis aliquando arbores malæ, & ideò non poteratis tunc niſi malos „ fructus facere; nunc autem *lux in Domino*, id eſt, & jam facti ar„ bores bonæ, date fructus bonos.“

In Epiſtola ad Titum, I. 15 & 16: *Omnia*, inquit, *munda mundis; inquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia,..... cùm ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Hìc expreſſe declaratur nihil infidelibus eſſe mundum, illorumque actiones omnes corruptâ mente & conſcientiâ contaminari; demùm, quòd decretorium eſt, eos eſſe ad omne opus bonum reprobos, id eſt, nullius operis rectè faciendi capaces. Nec dicant illa verba intelligi non debere de operibus ipſis infidelium, ſed de cibis aliiſque rebus quibus utuntur. Nam Apoſtoli verba abſoluta & generalia aliud manifeſtè ſonant. Verùm, eſto; detur illis ibi agi de

cibis

Digitized by Google

cibis aliiſque rebus quibus infideles utuntur: quid inde proficient? Cur enim omnia infidelibus immunda ſunt, niſi quia rebus omnibus malè ac perverſè utuntur?

Idem Apoſtolus, cap. XIV Epiſt. ad Romanos, de ciborum diſcretione loquens, definit peccatum eſſe manducare cum ſcandalo & offenſione infirmorum; eos verò qui de cibis edunt, quos ipſi pro immundis reputant, hoc ipſo peccare quòd non ex fide agant. *Qui autem diſcernit*, inquit, *ſi manducaverit, damnatus eſt, quia non ex fide; omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*

Reſpondent vulgò adverſarii fidem ibi non ſumi pro fide Theologica, ſed pro conſcientia; ut potè cùm ibi agatur de fideli agente contra propriam ſuam conſcientiam, & quem Apoſtolus propterea reprehendit, quòd id agat quod ipſius conſcientia judicat eſſe vetitum.

Verùm, quàmvis pauci quidam Patres textum Apoſtoli hoc modo expoſuerint, ut S. Chryſoſtomus, quem pro more ſuo ſecuti ſunt Œcumenius & Theophylactus, non tamen videtur eſſe genuinus Apoſtoli ſenſus, tum quia multò plures Patres textum illum intellexerunt de fide Theologica, ut modò videbimus, tum quia nuſquam in Scripturis conſcientia videtur nomine fidei exprimi. Porro libri ſacri ſemper debent exponi in proprio & obvio verborum ſenſu, quando ſenſus ille non repugnat, & aliunde ab omnibus ferè SS. Patribus comprobatur. Neque verò putandum eſt ſenſum illum ſcopo Apoſtoli non congruere. Quàmvis enim de caſu particulari loquatur, definitionem ſuam principio univerſali confirmat; quaſi diceret: *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Porro qui, reclamante conſcientiâ, cibum aliquem manducat quem ipſe immundum judicat, non agit ex fide; vetat quippe fides quidquam agi contra conſcientiam. Ergo cibum manducare quem vetitum reputes, peccatum eſt.

Ita reſpondebat S. Auguſtinus Juliano, qui Apoſtoli verba de conſcientia intelligi debere pariter contendebat. „ Quod ex Apoſtolo poſui, inquit S. Doctor, lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3. num. 34, „ *omne quod non eſt fide peccatum eſt*, ſicut tibi viſum eſt, accepiſti & „ expoſuiſti, non ut ſapit, ſed ut ſapis; de cibis enim Apoſtolus lo- „ quebatur. Verùm, cùm dixiſſet, *qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt, quia non ex fide*, hanc peccati ſpeciem, de qua „ agebat, generali voluit probare ſententia, mox inferens: *omne enim* „ *quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*"

Eamdem doctrinam videre eſt Pſalmo IX. 26, ubi cùm Propheta de impio & infideli dixiſſet, *non eſt Deus in conſpectu ejus*, continuò ſubdit, *inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore:* quæ verba ſic commentatur Bellarminus: „ Quia Deum nunquam cogitat, nullo tempore dirigit „ viam ſuam ad Deum, ſed ad carnalia deſideria explenda; & adeò om- „ nes viæ, id eſt, omnia opera ejus inquinata ſunt ſorde concupiſcen- „ tiæ."

Digitized by Google

„ tiæ.“ Porro manifeſtum eſt infideles non habere Deum in conſpectu ſuo, cùm eum vel penitus ignorent, vel non diligant; ac proinde omnia eorum opera ſorde concupiſcentiæ inquinata ſunt.

Probatur III° ex Patribus, quorum teſtimonia ad tres claſſes revocabimus. Prima erit eorum qui docent nihil boni fieri ſine fide; altera eorum qui omnia, quæ abſque fide fiunt, immunda & polluta eſſe pronuntiant; tertia eorum qui textum Apoſtoli, Rom. XIV, de fide Theologica intellexerunt.

Primò itaque Patres docent omnia opera bona ex fide tanquam ex radice naſci, & nullomodò bona eſſe quæ abſque fide fiunt. Advertendum autem eſt, omnia opera quæ bona non ſunt, hoc ipſo eſſe mala ſub aliquo ſaltem reſpectu. Nam, ut ait S. Auguſtinus lib. *de Utilitate credendi*, cap. 12, „ omne factum, ſi rectè factum non eſt, peccatum „ eſt.“

S. Clemens Alexandrinus, lib. 5 *Stromatum*, dicit „ fidem eſſe ope- „ ratricem bonorum, & juſtæ actionis fundamentum.“ Pag. 591.

S. Ephrem Syrus & Diaconus Edeſſenus, in *Parœneſi*, ſeu Exhortatione: „ Fides, inquit, mater eſt omnis boni operis, ... quemad- „ modùm ſcriptum eſt: ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.“ Edit. Voſſii. Pag. 209.

S. Auguſtinus idem copioſiſſimè docuit & aſſeruit.

Tract. 25 in Joannem, num. 12, ait: „ Sunt opera quæ videntur „ bona ſine fide Chriſti, & non ſunt bona, quia non referuntur ad eum „ finem ex quo ſunt bona. *Finis enim legis Chriſtus, ad juſtitiam omni* „ *credenti*..... Ipſa enim eſt fides quæ per dilectionem operatur.“

Nonnulli Pagani fidem amplecti nolebant, eoquòd ſibi de bona ſua vita rectiſque moribus blandirentur. Sanctus autem Doctor, ad muniendos fideles contra inanem illam gloriationem, ſic eos alloquebatur, Enarrat. in Pſalmum 31, num. 4: „ Debemus nulla opera præponere fidei, „ id eſt, ut ante fidem quiſquam benè dicatur operatus: ea enim ipſa „ opera quæ dicuntur ante fidem, quàmvis videantur hominibus lauda- „ bilia, inania ſunt. Iſta mihi videntur eſſe ut magnæ vires & curſus „ celerrimus extra viam. Nemo ergo computet bona opera ſua ante „ fidem. Ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus „ intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valde attendas quid „ homo faciat, ſed quid, cum facit, aſpiciat, quò lacertos optimæ gu- „ bernationis dirigat.“

Et in Pſalmum 67. num. 4: „ Ea ſola opera bona dicenda ſunt, quæ „ fiunt per dilectionem Dei. Hæc autem neceſſe eſt ut antecedat fides, „ ut inde iſta, non ab iſtis incipiat illa, quia nullus operatur per di- „ lectionem, niſi priùs credat in Deum.“

His in locis S. Doctor non ſolùm aſſerit, illa ipſa opera quæ videntur bona, non verè eſſe bona niſi fiant ex fide, verum etiam hujus doctrinæ fundamentum ponit, ſcilicet bonum non eſſe niſi quod fit per di-

Digitized by Google

dilectionem, quæ opera ad finem ultimum ſola dirigit, chriſtianamque fidem ex dilectione operari. Quamobrem, lib. 4 *contra Julianum*, cap. 8, num. 51: „ Nos, inquit, (Catholici) ea quæ videntur opera bona „ dicimus non eſſe verè bona ſine fide, quoniam opera verè bona neceſſe eſt „ Deo placere, cui ſine fide quia impoſſibile eſt placere, profectò quod „ verè eſt opus bonum ſine fide non poteſt eſſe.“ Hanc autem doctrinam addit ad fidem catholicam pertinere, eâque opprimi Julianum. Similia dicit Serm. 12 in Pſalm. 118. num. 2; Tract. 45 in Joannem, num. 2, & Tract. 82. num. 2, nec non Tract. 10 in Epiſt. 1 Joannis, num. 1; lib. *de Fide & operibus*, cap. 7. num. 11, & Serm. 14. num. 4.

Al. Serm. 55 de Verbis Domini. S. Proſper in Pſalmum 134, v. 18: „ Primogenita hominum, inquit, „ ſunt principia bonæ & laudabilis vitæ, quæ initium ſumit ex fide.“ Et lib. *contra Collatorem*, cap. 10. num. 29: „ Nihil boni operis ex „ mortuis, nihil juſtitiæ procedit ex impiis.“

Auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 23, „ docet fidem „ bonæ voluntatis & juſtæ actionis genitricem eſſe.“

Julianus Pomerius, *de Vita contemplativa*, cap. 21: „ Fides, ait, eſt „ juſtitiæ fundamentum, quam nulla bona opera præcedunt, & ex qua „ omnia bona opera procedunt.“

S. Leo, Serm. 4 in Nativitate Domini, cap. 5: „ Sine fide impoſſi„ bile eſt placere Deo, & nihil ſine illa ſanctum, nihil caſtum eſt, „ nihil vivum: juſtus enim ex fide vivit.

Auctor operis imperfecti in Matthæum (inter opera S. Chryſoſtomi), hom. 13: „ Gentiles, inquit, etſi bona opera faciebant, tamen, quia „ non propter Deum faciebant, ſed aut propter æſtimationem huma„ nam, aut propter futuram nominis memoriam, aut propter hoc ſolum „ quòd, facere bonum, bonum eſt, ipſa converſatio eorum non diſſi„ pabat naturam carnalem; quia hoc ipſum bonum, quod propter vanum „ aliquid fit, & non propter Deum, ſecundum carnem eſt & ſecun„ dum voluntatem naturæ carnalis.“

S. Gelaſius Papa, in Epiſt. 7 ad Epiſcopos per Picenum, probat nihil boni fieri poſſe ſine gratia, eoquòd ipſa fides gratiæ donum ſit: quod manifeſtè ſupponit nihil boni fieri poſſe ante fidem. En ipſius verba: „ Quis autem audeat dicere Chriſtianus aliquid habere boni ſine gra„ tia?..... Quid autem haberi poſſit ſine gratia, cùm ſit fides ipſa per „ gratiam?“

Eamdem probationem adhibet Bonifacius II in Epiſt. ad S. Cæſarium Arelatenſem, quâ ſynodi Arauſicanæ canones confirmavit. „ Certum „ eſt enim, inquit, atque catholicum, quòd in omnibus bonis, quo„ rum caput eſt fides, nolentes nos miſericordia divina præveniat..... „ Si enim nihil boni eſt ſine fide, fides autem ipſa venire negetur ex „ gratia, nullum, quod abſit, bonum erit gratiæ deputandum.“

Profectò ſi duo illi ſummi Pontifices quantulacunque opera verè bona in-

Digitized by Google

in infidelibus reperiri exiſtimaſſent, facillimum fuiſſet Semipelagianis argumentum eorum in ipſos retorquere, dicendo nimirum tam initium fidei eſſe poſſe à nobis, quàm bona opera quæ fidem quandoque præcedunt. Ut ergo argumentum rectè concludat, neceſſe eſt ſummos illos Pontifices nulla prorſus opera bona ante fidem, & quæ ex fide non ſint, agnoviſſe.

S. Cæſarius Arelatenſis, Serm. 65. num. 1: „ Meritò, ait, laudatur „ fides, ſine qua nihil unquam boni operis inchoatur atque perficitur, „ ſecundum illud quod ſcriptum eſt: *ſine fide impoſſibile eſt placere* „ *Deo.*" Extat a 74us in Appendice S. Auguſtini.

S. Gregorius magnus, lib. 2 *Moralium*, cap. 25. num. 33: „ (Fides) „ ſi non prima in corde gignitur, reliqua quæque eſſe bona non poſſunt, „ etiamſi bona videantur." Et lib. 29. cap. 14. num. 16, dicit gentilitatem, „ dum nullum cultum divinitatis tenuit, nullamque in ſe „ ſpeciem boni operis oſtendit, videlicet deſertum fuiſſe. In qua quia „ legiſlator non fuit, & qui rationabiliter Deum quæreret non fuit, „ quaſi hominum nullus fuit, &, velut ſolis beſtiis occupata, vacua à „ mortalibus extitit."

S. Maximus Abbas & martyr ſæculo VII, in Pſalmum 59, „ omnis juſti & omnis boni caput fidem eſſe" docet. Tom. 1. pag. 340.

Beda in caput 1 S. Marci: „ Non te, inquit, meritum bonorum operum adduxit ad fidem; ſed fides incipit ut bona opera conſequantur."

Florus Diaconus Lugdunenſis, in Serm. *de Prædeſtinatione*, declarat Mauguin, tom. 1. pag. 2.. „ ſecundùm veritatem fidei catholicæ eſſe tenendum, quòd liberum ar„ bitrium ad malè agendum...... ſolùm poſſe eſſe liberum; ad benè „ verò agendum nullomodò aſſurgat & convaleſcat, niſi per fidem unius „ Mediatoris."

Claudius Clemens Taurinenſis in Epiſt. ad Galatas, cap. V, ſic loquitur: „ Quoniam fides impetrat Spiritum ſanctum, per quem caritas „ Dei diffuſa eſt in cordibus operantium juſtitiam, nullomodò quiſ„ quam ante gratiam Dei de bonis operibus glorietur. Quapropter iſtos „ jactantes ſe de operibus legis ita refellit Apoſtolus, dum oſtendit...... „ opera ad bonos mores pertinentia non impleri niſi dilectione, per „ quam fides operatur."

Petrus Damiani, initio opuſculi primi *de Fide Catholica*, ait „ nos „ ſine fide nec in Chriſto vivere, nec Deo poſſe ullâ penitus operatione „ placere:" idque probat Apoſtolorum ac Prophetarum auctoritate, ac demum concludit „ fidem eſſe originem virtutum, bonorum operum „ fundamentum, totius humanæ ſalutis exordium."

Igitur SS. Patres omnium ſæculorum uno conſenſu tradiderunt nulla eſſe in infidelibus opera bona; eorumque aſſerta reſtringi nullatenus poſſunt ad genus quoddam operum ſupernaturalium ac meritoriorum æternæ vi-

 tæ,

tæ, cùm ſimpliciter & abſolutè negent quidquam boni fieri, ubi fides per dilectionem non operatur. Idem proinde ſentire ac confiteri debet quilibet Theologus Catholicus.

2°. SS. Patres docent omnia opera quæ fiunt abſque fide, mala, immunda, inquinata & peccata eſſe.

Id imprimis aſſeruit & demonſtravit S. Auguſtinus contra Pelagianos. Cùm enim dixiſſet lib. *de Nuptiis & concupiſcentia*, cap. 3. num. 4: „ Abſit pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum fidem „ connubii ſervat uxori," ſanctam hanc ſententiam Juliani ſuperbia ferre non potuit. Contendebat ille ex adverſo admittenda eſſe in infidelibus opera verè bona veraſque virtutes, quàmvis ſteriles, nec meritorias regni cœleſtis. Quamobrem quæſtionem iſtam copioſè diſcuſſit S. Doctor lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3, aſſeruitque illa ipſa opera, quæ in infidelibus præclariora videntur, non modò ſterilia eſſe apud Deum, ſed etiam in peccatum verti, quando non fiunt ex fide per dilectionem operante. De virtutibus agemus ſpeciatim in altera Propoſitione: nunc quid de operibus infidelium ſenſerit & docuerit exponendum eſt.

Primùm quidem, num. 21, principium iſtud ponit, non ex objecto ſeu officio duntaxat, ſed præſertim ex fine ultimo opera bona à malis, veraſque virtutes à vitiis diſcerni oportere. „ Noveris, inquit, non „ officiis, ſed finibus à vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium autem „ eſt quod faciendum eſt, finis verò propter quod faciendum eſt. Cùm „ itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, ſi non propter „ hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur."

2°. Ex hoc principio concludit, num. 22, opera quæ ſunt ex officio bona, poſſe non rectè fieri, ſi nempè non fiant propter debitum finem. „ Poſſunt ergo, inquit, bona opera fieri, non benè facientibus à quibus „ fiunt."

3°. Definit Deum ſolum eſſe finem ultimum ad quem omnia opera, ut rectè fiant, referri oporteat. „ Abſit enim, inquit, ut ſit vel dica„ tur voluntas bona, quæ in aliis vel in ſeipſa, non in Domino, „ gloriatur."

4°. Declarat bonam illam voluntatem, ſeu intentionem placendi Deo, eorum eſſe tantùmmodò qui ex fide per dilectionem operantur. Relatis enim his Chriſti verbis, Matth. VI. 22 & 23: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*, ſic loquitur num. 33: „ Hunc „ oculum agnoſce intentionem quâ facit quiſque quod facit; ac per hoc „ diſce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc eſt, „ ejus quæ per dilectionem operatur, totum quaſi corpus, quod illis, „ velut membris, operibus conſtat, tenebroſum eſſe, hoc eſt, plenum „ nigredine peccatorum."

5°. Ex illis omnibus concludit opera omnia infidelium, atque etiam illa quæ in ſeipſis & quoad officium videntur maximè laudabilia, in pecca-

cata

cata converti, hoc ipſo quòd non ex fide & dilectione fiant. Huic enim caſui à Juliano propoſito: *Si gentilis nudum operuerit, numquid, quia non ex fide, peccatum eſt?* ſic reſpondet num. 30: „ Prorſus, in quantùm „ non eſt ex fide, peccatum eſt: non quia per ſeipſum factum, quod „ eſt nudum operire, peccatum eſt, ſed de tali opere non in Domino „ gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum.“ Clarioribus profectò verbis definiri non potuit ea, quam tractamus, quæſtio. Non ait S. Doctor actum illum ſæpiſſimè eſſe peccatum, ſi videlicet referatur ad aliquem finem poſitivè & in ſe malum, ſed abſolutè pronuntiat illum ſemper malum eſſe, in quantùm non ſit in gloriam Dei, idque affirmat ſine impietate negari non poſſe.

Hujus concluſionis veritatem demonſtrat inſuper ex eoquòd, quidquid ſit à mala voluntate, malum ſit, voluntas autem hominis infidelis procul dubio mala ſit, quia, ut alibi dicit, *initium corrigendi cor fides eſt.* „ Quæro abs te, ait ibidem Julianum alloquens, utrùm hæc „ opera bona benè faciat (infidelis), an malè? Si enim, quàmvis bo- „ na, malè tamen facit, negare non potes eum peccare qui malè quod- „ libet facit...... Noli præcipitare ſententiam; diligenter conſidera quid „ te reſpondere conveniat. An dicis hominem infidelem arborem bo- „ nam?..... An reſpondebis: non in quantùm infidelis eſt, ſed, in „ quantùm homo eſt, arbor bona eſt? De quibus ergo Dominus ait: „ *non poteſt arbor mala bonos fructus facere?* Quandoquidem quicunque „ erit, aut homo erit, aut angelus. Sed ſi homo, in quantùm homo „ eſt, arbor bona eſt, profectò & angelus, in quantùm angelus, arbor „ bona eſt,..... ac per hoc nulla erit arbor mala, de qua dictum eſt „ quòd non poſſit facere fructus bonos...... Non itaque in quantùm „ homo eſt, quod eſt opus Dei, ſed in quantùm malæ voluntatis eſt, „ quiſque arbor mala eſt, & fructus bonos facere non poteſt. Vide „ itaque utrùm infidelem voluntatem audeas dicere bonam volunta- „ tem.“

6°. Cùm Julianus reponere potuiſſet voluntatem hominis infidelis aliquàndo bonam eſſe poſſe, v. g. quando vult indigentis miſereri, reſponſionem illam præoccupat & præcludit S. Doctor, obſervatque voluntatem miſerendi, quàmvis ex ſeipſa & ex objecto laudabilem, nòn tamen bonam eſſe ſub omni reſpectu, ſi ex fide per dilectionem operante non procedat: „ Sed fortè dicturus es, inquit num. 31, miſericors vo- „ luntas bona eſt. Rectè diceretur ſi, quemadmodum fides Chriſti, „ id eſt, fides quæ per dilectionem operatur, ſemper eſt bona, ita mi- „ ſericordia ſemper eſſet bona. Si autem reperitur & miſericordia mala, „ quà perſona pauperis accipitur in judicio,...... attentiùs cogita ne „ fortè miſericordia bona non ſit, niſi quæ hujus bonæ fidei fuerit. „ Immò reſponde...... utrùm bonam miſericordiam exiſtimas infidelem.

Digitized by Google

„ Porro ſi vitium eſt malè miſereri, procul dubio vitium eſt infideliter „ miſereri. Quòd ſi & ipſa per ſeipſam naturali compaſſione opus eſt bo„ num, etiam iſto bono malè utitur qui infideliter utitur, ac per hoc bo„ num malè facit; qui autem malè facit aliquid, profectò peccat.“ Et num. 32: „ *Omne* enim, velis, nolis, *quod non eſt ex fide, peccatum* „ *eſt*.“ Igitur, ex S Auguſtino, voluntas infidelis, id eſt, voluntas quæ fide caret per dilectionem operante, mala eſt; & conſequenter miſericordia infidelis, id eſt, quæ ex ea fide non naſcitur, tametſi in ſeipſa & quoad objectum bona ſit, mala eſt ex defectu debiti finis ultimi.

Demum totam illam diſputationem his verbis concludit, num. 33: „ Quoniam ſaltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur „ bona, non tamen eos ad ſalutem ſempiternam regnumque perduce„ re, ſcito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bo„ nam, illud opus bonum ſine Dei gratia, quæ datur per unum Me„ diatorem Dei & hominum, nemini poſſe conferri, per quod ſolum „ homo poteſt ad æternum Dei donum regnumque perduci. Omnia „ proinde cætera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, „ videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & ſine ullo facta „ peccato. Quod ad me pertinet, hoc ſcio, quia non ea facit volun„ tas bona; voluntas quippe infidelis atque impia non eſt bona. Di„ cantur, ſecundum te, hujuſmodi voluntates arbores bonæ; ſufficit „ quòd apud Deum ſteriles ſunt, ac per hoc non bonæ. Sint inter ho„ mines fructuoſæ, inter quos ſunt & bonæ, te auctore, te laudatore, „ ſi vis, etiam plantatore, dum tamen illud, velis, nolis, obtineam, „ quòd amor mundi, quo quiſque amicus eſt hujus mundi, non eſt à „ Deo, amorque fruendi quibuſcunque creaturis, ſine amore creatoris, „ non eſt à Deo; amor autem Dei, quo pervenitur ad eum, non eſt „ niſi à Deo Patre per Jeſum Chriſtum cum Spiritu ſancto. Per hunc „ amorem creatoris benè quiſque utitur etiam creaturis.“ His ultimis verbis definit iterum S. Doctor bonum non eſſe quidquid non inſervit ad ſalutem æternam, neque donum Dei eſſe; illud omne à mala, ſeu non recta voluntate procedere, atque malum eſſe, nec rectè fieri; amorem quemlibet cujusvis creaturæ, non relatum ad Deum per ipſius dilectionem, ſub illo reſpectu malum ac pravum eſſe; tandem ſine illo amore creatoris neminem benè uti quibuslibet creaturis.

Tom. 2 *de Gratia*, pag. 104. Horum teſtimoniorum evidentiſſimam lucem obſcurare conatur Tournely; ſed multa dicendo dicit nihil. Reſpondet S. Auguſtini dicta intelligenda eſſe comparatè ad mentem Juliani; Julianum autem non diſtinxiſſe inter officium & finem virtutis, atque exiſtimaſſe omne opus cujus objectum eſt bonum, hoc ſolo bonum æſtimandum eſſe, etiamſi ad malum finem referatur: 2° contendiſſe per hujuſmodi bona opera infideles juſtos effici: proinde S. Auguſtinum duo hæc ſolummodò contra illum-

Digitized by Google

illum probanda ſuſcepiſſe ; primum, ea opera, quæ ad finem poſitivè malum referuntur, peccata eſſe ; alterum, infideles per illa ipſa opera, quæ rectè faciunt, nequaquam juſtos fieri. Verùm cuique textus modò relatos vel tantillum attendenti patebit quàm frivola & inanis ſit iſta reſponſio.

1°. Omnino falſum eſt doctrinam S. Auguſtini æſtimari potiùs deberi ex mente Juliani, quàm ex ipſius apertiſſimis verbis. Quid ipſe ſentiret & Eccleſiæ nomine aſſereret, nimis dilucidè expoſuit, quàm ut ullis interpretationum nebulis offuſcari queat. Etſi verò concederemus Julianum, acutum profectò dialecticum, adeò deſipere potuiſſe, ut contenderet omnia infidelium opera, quæ ex officio bona ſunt, vitio carere, etiamſi ad malum finem referantur, illum ſolum craſſiſſimum errorem S. Doctor refellere debuerat. Contra verò ex tota gravis illius disputationis ſerie manifeſtiſſimum eſt eum, non illa tantùm opera infidelium, quæ propter pravum finem fiunt, ſed prorſus omnia peccati arguiſſe, ideòque præciſè illa arguiſſe, quòd non fiant ex fide per dilectionem operante, nec ordinentur ad Deum tanquam ad finem, ad quem omnis creaturæ rationalis actus deliberati ordinari debent. Tuam ipſius fidem hic, Tournely, appello. Num, quæſo, ſi hæreticum aliquem inſanientem, qui opus quodlibet ex objecto bonum peccato vacare contenderet, quantumlibet ad pravum finem referatur, refellendum haberes, eo modo refelleres quo S. Auguſtinus Julianum refellit? Negabis procul dubio, modò candidè & ingenuè loqui velis. Fatere igitur S. Doctoris ſententiam non eam eſſe quam ipſi affingis.

2°. Falſum eſt Julianum ea laudaſſe infidelium opera, quæ fiunt propter finem poſitivè malum. Gratis id fingitur & abſque ullo prorſus fundamento; neque adeò hebes fuit ille Pelagianorum coryphæus, ut tam ſtultè deliraret. Id unum contendebat, non pauca eſſe in infidelibus opera bona, & ſine ullo facta peccato, quàmvis ad Deum non referantur. Cur ergo, inquis, S. Auguſtinus illum admonet non officiis, ſed finibus potiſſimùm à vitiis diſcernendas eſſe virtutes? Eamdem certè ob cauſam, propter quam nos quoque etiam nunc adverſarios id admonere cogimur; ideò ſcilicet quòd Julianus, ſicut hodie Molinæ ſequaces, negaret actus humanos, ut boni ſint & omni peccato careant, referri debere ad Deum tanquam finem ultimum.

Quod alterum ſpectat, fateor Julianum ſenſiſſe infideles per opera ſua moraliter bona virtutesque morales juſtos fieri, ſteriliter tamen & infructuoſè quoad regnum cœlorum; ſed non in eo ſitus erat illius error. Quis enim neget virtutes veras operaque verè bona operantem juſtum facere, ſive imperfectè, ſi virtutes imperfectæ ſint; ſive perfectè, ſi perfectæ ſunt; ſive ſupernaturaliter, ſi ſupernaturales; ſive naturaliter, ſi naturales (ſi tamen dari poſſet vera juſtitia naturalis)? Quapropter S. Auguſtinus non ei reſpondet quod noſtri reſponderent adverſarii, ideò vi-

Digitized by Google

videlicet infideles per bona opera quæ faciunt juſtos non fieri, quòd aliunde multis vitiis peccatiſque laborent; ſed reſpondet ideò illos inde juſtos fieri non poſſe, quia *juſtus ex fide vivit*, & *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*.

Adeò perſpicuum eſt doctrinam quam tuemur à S. Auguſtino contra Pelagianos aſſertam fuiſſe, ut non pauci ex adverſariis id ultro fateantur. Maldonatus, licet eam ſententiam temerariam ſibi videri teſtetur, agnoſcit tamen illam fuiſſe SS. Auguſtini & Proſperi. Moraines quoque, ſeu Martinonus, in *Anti-Janſenio*, diſput. 19. num. 53, ſanctiſſimum gratiæ defenſorum eam ob cauſam erroris inſimulare non veretur. Horum ac ſimilium candorem laudo, ſed frontis pudet.

Ne quis autem putet hanc doctrinam S. Auguſtino peculiarem fuiſſe (quod profectò, ſi ita eſſet, Julianus ei vehementer exprobrare non omiſiſſet), non abs re erit aliorum quoque SS. Patrum in eamdem conſenſum oſtendere.

S. Clemens Romanus in Epiſt. 2 ad Corinthios, num. 1, dicit *totam vitam noſtram*, antequàm Chriſtus nobis Salvator adveniſſet, *nihil aliud fuiſſe quàm mortem*, id eſt, omnia opera noſtra mortua & reproba fuiſſe.

Tertullianus lib. 2 *de Cultu feminarum*, cap. 1, probat veram non eſſe pudicitiam infidelium, „ quia, inquit, nihil verum in iis qui Deum „ neſciunt præſidem & magiſtrum veritatis.“ Et paulò poſt: „ Quid „ mirum? Perverſa ſunt omnia quæ Dei non ſunt.“

Pag. 669. S. Clemens Alexandrinus, lib. 6 *Stromatum*, omnia S. Auguſtini principia breviter prævertens, ſic loquitur: „ Cujuſvis gentilis actio „ peccaminoſa eſt: non enim ſimpliciter benè agere, ſed ſcopum quem- „ dam ſpectando actiones producere, & ex ratione operari oportere, „ docent Scripturæ.“ Quis verò eſt ille ſcopus à Scripturis præſcriptus, niſi gloria Dei?

S. Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus, in Sermone ad Fideles & Catechumenos, ſtatum infidelium his deſcribit verbis: „ Deſtinati operibus „ immundis per malos angelos, quibus dominantibus, nec facere licuit, „ nec ſcire juſtitiam: parere enim talibus dominis res ipſa cogebat...... „ Dominatum eſt ergo peccatum, cujus vinculis quaſi captivi trahebamur ad mortem, mortem autem ſempiternam.“ Porro ſi talis eſt infidelium conditio, quid evidentius quàm omnia eorum opera & virtutes diabolo deſervire, *à quo*, ut ait Apoſtolus, *captivi tenentur ad ipſius voluntatem?*

S. Proſper in carmine *de Ingratis*, cap. 16, quæſtionem ſic reſolvit:

Omne etenim probitatis opus, niſi ſemine veræ
Exoritur fidei, peccatum eſt, inque reatum
Vertitur, & ſterilis cumulat ſibi gloria pœnam.

Et

Et cap. 19:

> *Quod non ſit ab illa (fide),*
> *Non benè ſit: quem non recto via limite ducit,*
> *Quantò plus graditur, tantò longinquiùs errat.*

Et in lib. *Sententiarum*, ſententia 106: „ Omnis infidelium vita „ peccatum eſt, & nihil eſt bonum ſine ſummo bono. Ubi enim deeſt „ agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falſa virtus eſt, etiam in „ optimis moribus."

Auctor operis imperfecti in Matthæum, hom. 19, ex hac Chriſti ſententia, *non poteſt arbor mala bonos fructus facere*, concludit infideles, atque etiam hæreticos, nihil boni operari poſſe; idque rationum quoque ope demonſtrat. „ Quod, inquit, ex malo propoſito fit, etiam bo- „ num, malum eſt; nam bonum opus malum propoſitum non excuſat, „ malum autem propoſitum bonum opus condemnat. Si videris infi- „ delem humilem & manſuetum, ſcito quia ſubdolus eſt in corde...... „ Si videris eum bona facientem, intellige quia propter homines fa- „ cit...... Si videris aliquem Deum in veritate non colentem, quaſi „ bonum, ne credas oculis tuis, ut & dicas bonæ vitæ illum; ſed cre- „ de magis Deo quàm tibi, qui dixit: *non poteſt arbor mala facere* „ *fructum bonum*. Si autem dicis illum bonum, mendacem feciſti „ Chriſtum. Tu enim vides quæ ſunt in facie, Deus autem quæ ſunt „ in corde...... In Eccleſiis hæreſeum, quæ ſunt ſylvæ deſertæ, ne- „ mo eſt bonus, quia, etſi aliquis eſt bonus, propter homines eſt bo- „ nus, & non propter Deum. Hæc ſecundùm fidem dixi: quæ autem „ ſunt ſecundùm rationem audi: Quicunque facit aliquid, eſt propter „ quod facit, & nemo facit aliquid propter nihil...... Sicut nihil poteſt „ ſine radice naſci, ſic nihil poteſt fieri ſine cauſa. Sic qui bonum fa- „ cit, aut propter retributionem regni cœleſtis facit, aut propter judi- „ cium pœnæ. Interrogo ergo te infidelis propter quid faciat bonum? „ Propter judicium pœnæ, dices; ſed non timet Deum...... Propter „ retributionem, dicis; ſed non ſperat in Deum...... Ut quid ergo fa- „ cit bonum? Ut videatur ab hominibus & laudetur, & ideò bonum „ illius malum eſt." Hactenus ille auctor, mirum in modum S. Auguſtino conſentiens. Inter opera S. Chryſoſtomi.

S. Remigius & Eccleſia Lugdunenſis, in lib. *De tenenda veritate Scripturæ*, cap. 10, nullum opus agnoſcunt in hominibus à Chriſto alienis, quod peccato vitiatum non ſit. „ Habent itaque, inquiunt, om- „ nes homines, etiam qui alieni ſunt à Chriſto, liberum arbitrium, „ ſed tale quale iſti Patres oſtendunt, id eſt, in prævaricatione Adæ „ infirmatum, naturali poſſibilitate & innocentia ſpoliatum, ſine Chriſto „ nulli bono uſui aptum. Habent etiam naturaliter inſitum liberum „ ar-

„ arbitrium voluntatis, ut eodem libero arbitrio poſſint velle mala, „ velle etiam quædam bona, ſed humanâ affectione ad ſocietatem atque „ honeſtatem pertinentia; quæ eâdem humanâ affectione vel propter „ aliqua temporalia commoda appetuntur, vel propter ipſam ſolummodò honeſtatem vitæ. Sed hujuſmodi humana bona, quæ humana af- „ fectio poteſt velle, poteſt etiam nonnunquam agere humana natura. „ Cùm propter temporalia bona appetuntur, ſine dubio cupiditates ſunt; „ cùm propter ſolam vitæ honeſtatem, ſine dubio inflata & elata „ ſunt."

Theſauri novi Anecdot. D. Martene pag. 646. Cardinalis Humbertus, lib. I *contra Simoniacos:* „ Infidelibus, in- „ quit, nihil munditiæ vel gratiæ poteſt adhærere, donec corda eorum „ fide mundentur." Et poſteà: „ In conſpectu ſatanæ faciunt (hæ- „ retici) quidquid faciunt: quod totum nonniſi malum eſſe poteſt, „ etiamſi bonum apparet."

Pag. 755. S. Bernardus, vel potiùs Nicolaus Abbas Claravallenſis, Serm. 7 *de Diverſis*, num. I, docet ſapientiam & præclara opera gentilium, qui veritati propiùs acceſſiſſe videntur, propriæ complacentiæ & inanis gloriæ cupiditate inquinata ſemper fuiſſe. „ Conſidera, inquit, quantùm „ ſuperexcedat Pauli philoſophia philoſophiam mundi hujus, quæ ni- „ mirum eſt ſtultitia apud Deum. Cùm enim nonnullos viderent Phi- „ loſophi alienis delectari laudibus, & gloriam ab invicem quærere, qui „ inter eos fuere præcipui prudenter adverterunt vanam eſſe ejuſmodi „ gloriam; & penitus contemnendam. Sed conſiderantes deinde, & „ ſtudioſius inquirentes quæ eſſet appetenda gloria ſapienti, hîc jam „ planè evanuerunt in cogitationibus ſuis, propriam cuique ſufficere „ gloriam arbitrantes, quaſi verò anima, quæ à ſemetipſa eſſe non po- „ teſt, à ſe poſſit eſſe beata. Sicut ergo cupidi laudis alienæ tota ſol- „ licitudine operam dabant operari quæ mirarentur homines & lauda- „ rent, ſic illi ea ſola judicabant ſectanda eſſe quæ interior arbiter ani- „ mus approbaret." Id autem quàm inflatum, elatum ſuperbumque ſit,

Cap. I. Quæſt. 2. tum Patrum auctoritate, tum rationum momentis ſupra ſatis oſtendimus.

3°. SS. Patres ferè omnes textum Apoſtoli, Rom. XIV, *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, de fide Theologica intellexerunt, atque ex illo probarunt omnia infidelium opera eſſe vitio infecta, hancque doctrinam tanquam certam & Apoſtolicam tradiderunt.

Origenes, lib. 10 in Epiſtolam ad Romanos: „ In hoc ſermone, in- „ quit, credentium quorumdam negligentes ac deſides animos vinculo „ arctè conſtringit, ut nihil ſine fide agant, nihil ſine fide dicant, „ nec abſque fide aliquid cogitent: quia, ſive quid geſſeris ſine fide, „ ſive locutus fueris, ſive etiam cogitaveris, peccas. Hoc idem eſt quod „ in aliis dicit: *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis,* „ *omnia in gloriam Dei facite.*"

S. Auguſtinus, lib. *de Gratia Chriſti*, cap. 26. num. 27: „ Ubi non eſt

„ eſt dilectio, inquit, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum „ opus vocatur, quia *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, & *fides „ per dilectionem operatur.*“ Lib. 3 contrà duas Epiſtolas Pelagianorum, cap. 5. num. 14: „ Sine ipſa (fide) quæ videntur bona opera in „ peccata vertuntur: *omne* enim *quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*“ In Epiſtola 194, al. 105, ad Sixtum, cap. 3. num. 9: „ Opera bona fiunt „ ab homine, fides autem fit in homine, ſine qua illa à nullo fiunt „ homine; *omne* enim *quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*“ Idem ex eodem ſacro textu probat lib. 1 *de Nuptiis & concupiſcentia*, cap. 4. num. 5; lib. 1 *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, cap. 3. num. 7; Epiſt. 217, al. 107, cap. 3. num. 10, & in lib. *de Continentia*, cap. 12. num. 26.

Sed ſilentio prætерire non poſſum quod ait lib. *de Geſtis Pelagii*, cap. 14. num. 34. „ Quantùmlibet, inquit, opera infidelium prædi- „ centur, ejusdem Apoſtoli ſententiam veram novimus & invictam, „ *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Ideò verò ſæpè dixit non ex „ operibus, ſed ex fide, nobis juſtitiam deputari, cùm potiùs fides per „ dilectionem operetur, ne quisquam exiſtimet ipſam fidem meritis ope- „ rum prævenirı, cùm ipſa ſit initium unde bona opera incipiunt, quo- „ niam, ut dictum eſt, *quod* ex ipſa *non eſt, peccatum eſt.*“

S. Alypius Thagaſtenſis Epiſcopus, in Epiſtola quam unà cum S. Auguſtino ſcripſit ad Julianum (inter Auguſtinianas 188, al. 143), cap. 3. num. 13: „ Ante fidem & ſine fide omnino nulla cujusquam bona opera „ exiſtimanda ſunt, quoniam *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*

Auctor Commentarii in Job, inter opera Origenis, quem auctorem V° ſæculo vixiſſe credunt, ſic Apoſtoli verba interpretatur lib. 1: „ Ut „ breviter atque audenter dicam, omnia quæcunque fecerint homi- „ nes,..... omnia gratis faciunt, ſi non ea in fide fecerint...... Om- „ nem ergo ſanctitatem & omnem juſtitiam, quam fecerit qui foris eſt „ à vera Dei cultura atque vera fide, gratis facit, in perditione fa- „ cit...... Ad quod teſtis eſt Apoſtolus, qui dicit: *omne quod non eſt „ ex fide, peccatum eſt.*“ Tom. 1 Origenis, pag. 369.

Probabile eſt iſtum auctorem fuiſſe Arianum; ſed cùm hic agatur de doctrina quæ cum Ariana hæreſi nihil commune habet, ex ejus teſtimonio inferendum eſt alias hæreticorum Sectas hoc in capite cum Catholicis conſenſiſſe.

S. Leo in Serm. 2 de Jejunio Pentecoſtes, cap. 2: „ Apud nos, in- „ quit, fides ſanctificat etiam manducantem: apud illos (Paganos) in- „ fidelitas polluit jejunantem. Unde? Quia extra Eccleſiam Catholi- „ cam nihil eſt integrum, nihil caſtum, dicente Apoſtolo: *omne quod „ non eſt ex fide, peccatum eſt.*“

S. Proſper in Epiſtola ad Rufinum, cap. 7: „ *Juſtus*, ait, *ex fide „ vivit*, & *ſine fide nemo poteſt placere Deo*, & *omne quod non eſt ex fide „ peccatum eſt*, ut ſcilicet intelligat (humana debilitas) juſtitiam inſi-

Digitized by Google

„ delium non eſſe juſtitiam, quia ſordet natura ſine gratia.“ Et lib. *contra Collatorem*, cap. 10. num. 30: „ Quaſi ullus ſit bonæ voluntatis „ motus, niſi quem creavit diffuſæ per Spiritum ſanctum caritatis affla- „ tus: *ſine fide* enim *impoſſibile eſt placere Deo*, & *omne quod non eſt* „ *ex fide, peccatum eſt.*“

Auctor operis imperfecti in Matthæum, hom. 24: „ Homo Dei, „ inquit, quàmvis fuerit juſtus, tamen ſemper habet in ſe aliquid mali „ ſecundùm carnem...... Qui autem Deum non cognoſcit, nihil in ſe „ boni habere poteſt...... Hominem non cognoſcentem Deum, aut „ cognoſcentem quidem, ſed non timentem natura compellit facere ma- „ lum, & timor Dei non retinet à malo; & ideò non poteſt eſſe in illis ali- „ quid boni, niſi fortè propter homines, quando ipſum non eſt bo- „ num, ſed malùm, quod non eſt propter Deum: *quidquid* autem *non* „ *eſt ex fide, peccatum eſt.*“ Et hom. 53 idem inculcans: „ Sunt mul- „ ti, ait, qui (ſine fide Chriſti) videntur aut manſueti, aut humiles „ eſſe: ſed quia non ſunt hoc propter Deum, licet videatur eſſe aliquod „ bonum eorum, non autem eſt; quia *quod non eſt ex fide, peccatum* „ *eſt.*“

Julianus Pomerius, lib. 3 *de Vita contemplàtiva*, cap. 1. num. 2 & 3: „ Hæc, inquit, etſi poſſint humano judicio diſcerni, tamen ſine dono „ Dei, quantùm mihi videtur, nec virtutes poſſunt appeti, nec habe- „ ri, nec earum ſimilitudines, quæ ſunt vitia virtutes imitantia, de- „ clinari: in tantùm ut infidelibus nihil profuiſſe credamus, etiamſi „ aliquas ſint per corpus virtutes operati, quòd eas nec à Deo ſe acce- „ piſſe crediderunt, nec ad Deum, qui eſt fons omnium bonorum, re- „ ferre voluerùnt. Et quid dico, nihil eis profuerunt? Imò nocuerunt, „ etiam dicente Apoſtolo: *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Non „ dixit, *omne quod non eſt ex fide*, nihil eſt; ſed dicendo, *omne quod* „ *non eſt ex fide, peccatum eſt*, declaravit quòd omnia bona, aut ex fi- „ de orta virtutes ſunt quæ juſtificant, aut, ſi fuerint ſine fide, non „ ſunt aliqua bona eredenda, ſed vitia quæ non juvant ſuos opera- „ rios, ſed condemnant, inflatoſque præcipitant, atque à finibus æter- „ næ ſalutis eliminant. Sed quid ego hæc de infidelibus, unde nullus „ ambigere videtur, exaggero?“ Nulla eſt adverſariorum evaſio quam hic autor non cautè præoccupaverit ac præcluſerit, ſive probando ex verbis Apoſtoli omnia infidelium opera peccato eſſe maculata, non lato quodam & improprio, ſed ſtricto ac proprio ſenſu; ſive addendo talem hanc doctrinam eſſe de qua nullus Catholicus ambigeret.

S. Fulgentius, lib. 1 *de Veritate prædeſtinationis & gratiæ*, cap. 18: „ Priuſquàm, inquit, (voluntas) accipiat fidem, punitionem per ſeip- „ ſam poteſt mereri, non fidem; *omne* enim *quod non eſt ex fide, pec-* „ *catum eſt*, & *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Qui autem Deo non „ placet, procul dubio diſplicet, & qui Deo diſplicet, non Deum mi-

„ ti-

Digitized by Google

„ tigat, ſed potiùs exacerbat.“ Idem confirmat lib. 2 *de Remiſſione peccatorum*, cap. 1, nixus eodem Apoſtolico textu.

Præſules Africani in Sardinia exules, in lib. *de Incarnatione & gratia*, quem S. Fulgentius conſcripſit, cap. 25, obſervant textum Apoſtoli, Rom. II, ubi de gentibus loquitur, quæ, *legem non habentes*, *quæ legis ſunt faciunt*, intelligi nequaquam poſſe de infidelibus, ut pote in quibus nihil non malum eſt. „ Quis audeat, inquiunt, illas in hoc „ loco gentes accipere, quas conſtat non eſſe juſtificatas ex fide, cùm „ ipſe teſtatur Apoſtolus quòd *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, „ & quia *fine fide impoſſibile eſt placere Deo?*“

Bonifacius II, in Epiſtola ad S. Cæſarium, ad confirmandos canones concilii Arauſicani, Semipelagianos ſic refellit: „ Illos autem qui, præ- „ cedente fide, cætera, ſicut indicas, volunt gratiæ deputare, ſua con- „ feſſione conſtringimus, ut multò magis dono gratiæ etiam fidem co- „ gantur adſcribere, præter quam nihil eſt boni, quod ſecundum Deum „ valeat quilibet operari, ſicut beatus Apoſtolus dixit: *omne quod non* „ *eſt ex fide, peccatum eſt.*“

Facundus Hermianenſis, lib. 1 *Pro defenſione trium Capitulorum*, cap. 1: „ Quid, inquit, prius laudatur in homine, ... quàm catholica „ fides, quæ totius noſtri boni eſt fundamentum, & ſine qua nihil in „ nobis eſt bonum? *Omne* enim *quod non eſt ex fide*, *peccatum eſt.*“

Primaſius Adrumetinus in Africa Epiſcopus, Comment. in Epiſtolam ad Romanos, ex eodem textu concludit infideles „ rectè vivere non va- „ lere, niſi credant.“

S. Iſidorus Hiſpalenſis, lib. 2 *Sententiarum*, cap. 2: „ Sine fide, ait, „ nemo poteſt placere Deo: *omne* enim *quod non eſt ex fide*, *peccatum* „ *eſt.*“

Venerabilis Beda, ſeu Florus Diaconus Lugdunenſis, qui, ex pluribus Manuſcriptis & ex Trithemio, auctor eſt Commentarii in Epiſtolas S. Pauli Bedæ vulgò attributi, textum Apoſtoli de quo agitur non aliter exponit, quàm propriam ſibi faciendo ſententiam S. Proſperi ſupra memoratam. „ Tota infidelium vita peccatum eſt, & nihil eſt bonum „ ſine ſummo bono. Ubi enim deeſt cognitio æternæ & incommutabi- „ lis veritatis, falſa virtus eſt, etiam in optimis moribus.“

Paſchaſius Ratbertus, lib. 4 in Matthæum, ſic loquitur: „ Si men- „ tis intentio non eſt ex fide, nequam eſt, propter quod totum cor- „ pus tuum, licet videantur virtutes ineſſe, id eſt, totus interior ho- „ mo nequam erit; quia *quidquid non eſt ex fide*, *peccatum eſt*, & ideò „ corpus, quod ex ipſis (operibus) conſtat, tenebroſum erit. Nihil „ enim magis damnat Deus quàm infidelitatem, ubi etſi bona videan- „ tur fieri, inter vitia computantur, quia de origine vitiorum naſcun- „ tur.“ Et lib. 5. cap. 8: „ Quatuor virtutes ſcimus generales eſſe, „ prudentiam, juſtitiam, fortitudinem & temperantiam, quibus ſub-

Biblioth. PP. Colon. tom. 9. part. 2. pag. 898. col. 1.

 „ vecta

Digitized by Google

„ vecta anima defertur ad Salvatorem, ita tamen ſi ex fide manant. „ *Quidquid ergo non eſt ex fide, peccatum eſt.*“

Hincmarus Remenſis, lib. *de Prædeſtinatione*, cap. 21, refert & adoptat dictum iſtud S. Proſperi: „ *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt;* „ ut ſcilicet intelligas juſtitiam infidelium non eſſe juſtitiam, quia ſordet natura ſine gratia.“

Rabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus, in Comment. Epiſtolæ ad Romanos, exſcribit ſuamque facit expoſitionem Origenis ſupra relatam.

Mauguin, tom. 1. pag. 49.

Ratramnus Abbas Corbeienſis, lib. *de Prædeſtinatione*, ſua quoque facit hæc S. Auguſtini verba ex Tract. 86 in Joannem, num. 2: „ Non „ eſt ut dicas: antequàm crederem jam benè operabar; ideò electus „ ſum. Quid enim eſt boni operis ante fidem, cùm dicat Apoſtolus: „ *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt?*“

S. Remigius & Eccleſia Lugdunenſis, in lib. *de Tribus Epiſtolis*, cap. 22, eamdem veritatem ex Apoſtolo validiſſimè adſtruunt. „ Verè mortua ſunt, inquiunt, opera infidelium, non ſolum quando apertè peccatis & vitiis ſerviunt, ſed etiam quando naturali bono, in quantùm omnipotens creator tribuit, inſtigati, vel naturali lege commoniti, ... quædam bona opera & velut quaſdam virtutes habere atque exercere videntur; quia fidem Dei & Chriſti ejus vel ignorantes, vel odio habentes, vel etiam perſequentes, quod ex illa fide non operantur, omnino nec bonum opus eſt, nec vera virtus eſſe poteſt, quæ non procedit ex radice veritatis & bonitatis. Dum illa ipſa, quæ inter homines videntur eſſe bona opera, nequaquam verâ fide ad Dominum referuntur, quem ignorant, nec propter eum agunt, ſed propter quamdam honeſtatem, quâ inter homines magni eſſe videntur, vel propter cupiditatem alicujus commodi temporalis, ipſâ impietate infidelitatis, ipſâ inflatione elationis, ipſâ perverſitate cupiditatis ita immunda & inquinata ſunt, ut apud Deum non virtutes, ſed vitia judicentur. Unde Apoſtolus ait: *Inquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia;* „ & iterum: *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt,* & *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.*“

Igitur IX° ſæculo tum Eccleſia Lugdunenſis, & alii docti ſcriptores qui illi adhærebant, tum illi etiam qui ab illa circa alia Auguſtinianæ doctrinæ capita diſſidere videbantur, Hincmarum dico & Rabanum, in Apoſtolici textûs expoſitione planè conſentiebant.

Tom. 5 Anecdot. Martenii, pag. ..5.

Cardinalis Humbertus, lib. 1 *contra Simoniacos*: „ Quantùmcunque, „ inquit, continentiæ vel ſanctitatis, ſi dici debet, videatur “ (hæreticorum Epiſcopus), „ apud Deum tamen & homines pervigilis cordis „ nihil computatur; quia, *quidquid ſine fide eſt, peccatum eſt.*“

Bruno Aſtenſis primùm Monachus, poſtea Epiſcopus, in Pſalmum 51,

51, exponens hunc verſiculum, *non eſt qui faciat bonum, non eſt usque ad unum*, ſic loquitur: „ Quia tales ſunt & à SS. Patribus fide receſſerunt, non eſt inter eos aliquis qui faciat bonum, quia *quod ex fide non eſt, malum eſt*. Nam ipſæ quoque orationes eorum, ſicut ſcriptum eſt, fiunt eis in peccatum. Non eſt igitur in eis qui faciat bonum, at verò nec in aliis omnibus, usque ad unum. Unus igitur populus eſt, & ipſe ſolus, qui faciat bonum, per quem populus Chriſtianus ſignificatur.“ Tom. 20 magnæ Biblioth. PP. pag. 1505.

S. Bernardus, Serm. 51 in Cantica, num. 2: „ *Sine fide*, inquit, *impoſſibile eſt placere Deo*, Paulo atteſtante, magis autem æquè ipſo docente: *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Itaque nec ſine flore fructus, nec ſine fide opus bonum.“ Eodem modo textum illum Apoſtoli applicat Serm. 30. num. 6.

Radulphus Niger, lib. 15 in Leviticum: „ Soli fideles, inquit, quidquid boni faciunt, fidei ſuæ virtute ſanctificari præſumunt. Alii bona faciunt non benè, quia ſine fide Deo placere non poſſunt: *omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt*.“ Tom. 17 magnæ Biblioth. PP. pag. 191.

S. Aëlredus, Serm. 2 in Iſaiam, cap. 14, exponens hæc verba: *interire faciam fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam*, ſic loquitur: „ Interfectâ radice, quidni rami pariter moriantur, &, percunte quod primum eſt, etiam ipſi quoque deleantur? Fides radix, cæteræ virtutes reliquiæ. Itaque, ubi fides corrumpitur, omnes pariter virtutes evaneſcunt, quia omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.“

S. Bernardinus Senenſis, Serm. in feriam 3 poſt Quinquageſimam: „ Sine fide, inquit, falſa virtus eſt, etiam in optimis moribus: unde Apoſtolus ait: *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*.“

Magiſter Sententiarum, infra laudandus, textum Apoſtolicum non aliter intelligit; & Gloſſa ordinaria eumdem exponit his S. Proſperi verbis: „ Omnis infidelium vita peccatum eſt, & nihil eſt bonum ſine ſummo bono.“

In Pontificali Romano, quo univerſa Eccleſia Latina à plurimis ſæculis utitur, Epiſcopus Subdiaconos ordinandos ſic alloquitur: „ Eſtote ergo tales qui ſacrificiis divinis & Eccleſiæ Dei, hoc eſt, corpori Chriſti dignè ſervire valeatis, in vera & catholica fide fundati, quoniam, ut ait Apoſtolus, *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ſchismaticum & extra unitatem Eccleſiæ eſt.“

Demùm Clerus Gallicanus in Conventu Melodunenſi, conſtitutâ *fidei catholicæ Profeſſione*: „ Ut fidei, inquit, ſervetur ſinceritas, *ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*, & contra quam quidquid eſt, peccatum dici meretur, teſte Apoſtolo &c.“

Ex hac tot teſtimoniorum omnino conſonantium nube ſic demùm concludo: Omnia infidelium opera mala ſunt ex defectu debiti finis ultimi, ſi fides ſit radix, origo, fundamentum cujuslibet boni operis; ſi omnia quæ

quæ non fiunt ex fide, ſub eo reſpectu polluta, inquinata, vitiata & peccata ſint; ſi denique, juxta omnes ferè Patres omnium ſæculorum, textus Apoſtoli, Rom. XIV, de fide Theologica intelligendus ſit. Atqui ex prolatis modò Patrum textibus tria hæc manifeſtè conſtant. Ergo omnia infidelium opera mala & prava ſunt ex defectu debiti finis ultimi.

Negare profectò non poſſunt adverſarii, niſi oculos obſtinatè claudere velint, hanc doctrinam non ab uno alterove, ſed ab omnibus omnium ſæculorum Patribus perpetuâ traditione diſertiſſimè afferi. Non enim ex obſcuris quibuſdam ambiguiſve textibus operoſis interpretationum machinis eam deduximus, ſed expreſſiſſimis verbis traditam oſtendimus. Conſtat ergo ſemperque conſtabit eam eſſe genuinam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, niſi aliis textibus æquè perſpicuis demonſtretur eos quos produximus temperari reſtringique debere. Nam in omni controverſia, ubi una pars profert plurima, lucidiſſima, vetuſtiſſima, concordiſſima inſtrumenta, quæ jus ipſi adjudicant, altera pars cauſâ cadat neceſſe eſt, niſi ex adverſo inſtrumentis æquè validis probet ſibi non adverſari quæ ipſi opponuntur. Porro omni prorſus Eccleſiæ monumento deſtituuntur adverſarii, quo palam faciant ea quæ à nobis proferuntur reſtringi debere vel emolliri. Fieri ergo nequit ut coram ſanctiſſimo & infallibi Eccleſiæ tribunali cauſa quam tuemur victrix non evadat, adverſariorum autem non ſuccumbat & reprobetur.

Ne tamen conquerantur ſe non auditos eſſe, paulisper expendamus quid reponant.

Reſpondent 1° in allatis modò textibus vocem *peccati* lato quodam ſenſu uſurpari pro eo omni quod non prodeſt ad ſalutem, nec eſt vitæ æternæ meritorium. 2°. Scripturam & SS. Patres, per id quod non eſt *ex fide*, intellexiſſe id quod eſt contra fidem, quod fit ex motivo infidelitatis, quod refertur ad cultum falſorum numinum. 3°. Illorum dicta non rigoroſè, ſed moraliter eſſe accipienda, hoc videlicet ſenſu, quod raro admodùm contingat bona opera infidelium aliquo pravo fine proximo non corrumpi.

Verùm tria illa, nullis certis documentis munita, quid aliud ſunt quàm mera petitio principii? Ne tamen iſtæ qualeſcunque reſponſiones candidatis, ingeniiſve tardioribus vel præoccupatis illudant, ſingulas confutare non pigebit.

Ad primam igitur dico, omnino falſum eſſe vocem *peccati* à ſcriptoribus ſacris & eccleſiaſticis acceptam fuiſſe pro eo quod tantummodò non prodeſt ad ſalutem, tametſi bonum ſit ex omni parte, nulloque vitio laboret. Nam 1° in quonam dictionario reperietur hæc *peccati* ſignificatio? Quis opus, quod ſub omni reſpectu bonum arbitrabatur, *peccatum* appellavit unquam? Si reipſâ vox *peccati* interdum ſignificare poteſt actionem bonam vitioque carentem, ſed tantummodò non meri-

to-

toriam apud Deum, cur adverſarii tantoperè reſugiunt dicere omnia infidelium opera eſſe peccata? Ergo iſta reſponſio planè frivola eſt, atque ad eludenda, contra græcæ & latinæ linguæ uſum conſtantiſſimum, apertiſſima Scripturæ ſacræ & SS. Patrum documenta unicè excogitata. 2°. Nomen *peccati* in eodem ſenſu acceperunt SS. Patres, quo ipſe Apoſtolus cum dixit *omne quod non eſt ex fide peccatum eſſe;* ſiquidem illo imprimis oraculo nituntur. Atqui *peccati* nomen in ſuo proprio ſenſu ibi acceptum fuiſſe ab Apoſtolo, demonſtrat ipſius ſcopus. Inde quippe probat eum, qui aliquid, conſcientiâ reclamante, manducat, peccati reum eſſe & damnatione dignum: *ſi manducaverit*, inquit, *damnatus eſt.* 3°. Varia epitheta, quibus infidelium opera notant SS. Patres, dubitare non ſinunt eos *peccati* nomen in ſenſu proprio accepiſſe. Dicunt, inter alia, illa ipſa opera, quæ bona videntur hominibus, *non benè*, *non rectè fieri*, *malè fieri*, *infideliter fieri*, *plena eſſe nigredine peccatorum*, *immunda*, *contaminata*, *inquinata* eſſe, *in reatum verti*, *pœnam ſibi cumulare*, *inflatos præcipitare*, *inter vitia computari* &c. 4°. Illa opera in proprio ſenſu *peccata* dicuntur à Patribus, quæ, ipſorum judicio, verè inordinata & prava ſunt ex defectu debiti finis ultimi, quatenus ad Deum non referuntur, nec propter ipſius gloriam fiunt. Et certè longè aliter loquuntur de illis operibus ſpectatis quoad officium ſeu objectum, quàm de eiſdem conſideratis ex parte finis ultimi. Officium interdum bonum eſſe ac laudabile ultro confitentur; finem verò ultimum nunquam non perverſum atque inordinatum eſſe aſſerunt. Porro, admiſſâ adverſariorum reſponſione, nihil abſurdius foret quàm hujuſmodi diſtinctio: quandoquidem officium, æquè ac finis, dici debuiſſet *peccatum*, ut pote perinde inutile ad ſalutem. Reſtat ergo ut, cùm officium dicatur bonum, quàmvis non ſit meritorium, finis ultimus ideò dicatur malus, quia reipſâ malus eſt, in quantùm opus ex officio bonum non ſit propter Deum. 5°. Ea opera dicuntur peccata in proprio verborum ſenſu, quæ dicuntur produci ab arbore mala, à voluntate prava & infideli, à cupiditate vel ſuperbia, ab origine vitiorum. Atqui hæc omnia dicuntur à SS. Patribus. 6°. Adeò certum eſt infidelium opera in proprio ſenſu peccata appellari à Patribus, ut expreſſè definiant ea, quatenus ad Deum non referuntur, non modò proficua non eſſe ad ſalutem, ſed etiam vera peccata. Juliano quippe dicenti *virtutes affectus eſſe*, *per quos aut fructuoſè*, *aut ſteriliter boni ſumus;* fructuoſè, ſi propter Deum regnumque cœlorum exerceantur, ſteriliter, ſi propter alium quemlibet finem honeſtum vel licitum, reſpondet S. Auguſtinus, lib. 4 *contrà ipſum*, cap. 3. num. 22, diſtinctionem illam planè ineptam & inanem eſſe. „ Dici non poteſt, inquit, „ quantum te iſta fallat opinio, quâ dixiſti *omnes virtutes affectus eſſe*, „ *per quos aut fructuoſè*, *aut ſteriliter boni ſumus.* Fieri enim non poteſt „ ut ſteriliter boni ſimus; ſed boni non ſumus, quidquid ſteriliter ſu-

„ mus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Abſit autem ut Deus „ bonus, à quo ſecuris paratur arboribus non facientibus fructum bo- „ num, excidat & in ignem mittat arbores bonos. Nullomodò igitur „ homines ſunt ſteriliter boni; ſed, qui boni non ſunt, poſſunt eſſe „ alii minùs, alii magis mali.“ Et num. 24: „ Tamen cùm ſine fide „ impoſſibile ſit placere Deo, tibi virtutes ſine fide ſic placent, ut eas „ veras prædices, eiſque bonos eſſe homines; & rurſus, quaſi te pœni- „ tuerit laudis illarum, ſteriles pronuntiare non dubites.“ Idem re- fellit irridetque, num. 32, his verbis: „ Quomodò igitur, obſecro, „ non aut jocaris in his diſputationibus, aut deliras, qui ſterilium „ fructus arborum laudas? Qui utique aut nulli ſunt, aut, ſi mali „ ſunt, laudandi non ſunt, aut, ſi fructus boni ſunt, profectò ſteriles „ arbores non ſunt; imò & bonæ ſunt, quarum fructus boni ſunt, & „ Deo debent placere, cui bonæ arbores non poſſunt non placere, fal- „ ſumque erit quod ſcriptum eſt: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.*“ Et num. ſequenti: „ Sed reſponſurus es, quid, niſi vana? *Ego*, in- „ quis, *ſteriliter bonos dixi homines*, *qui*, *non propter Deum faciendo* „ *bona quæ faciunt*, *non ab eo vitam conſequuntur æternam.* Juſtus ergo „ Deus & bonus bonos eſt in mortem miſſurus æternam! Piget jam di- „ cere quàm multa te ſequantur abſurda talia ſentientem, talia di- „ centem, talia ſcribentem, in talibus me, quòd ſimiliter non deſi- „ piam, velut cenſoriè reprehendentem.“ Poterat ne iſtud adverſario- rum effugium ſtrictiùs præcludi? Demùm non eo ſenſu S Auguſtinus aliique Eccleſiæ Doctores tanto ſtudio aſſeruerunt omnia infidelium opera eſſe peccato inquinata, quo Pelagiani id ultro conceſſiſſent. Alioquin totum contra illos, circa hoc caput, Eccleſiæ certamen nonniſi de vo- cibus fuiſſet; quod ſupponere nimis abſurdum foret. Porro Pelagiani ultro fatebantur inſigniora infidelium opera nihil eis prodeſſe ad vitam æternam conſequendam. Non ergo eo ſenſu illa opera à SS. Eccleſiæ Doctoribus peccatis annumerata ſunt, quòd nihil conferant ad ſalutem, ſed eoquòd planè perſuaſum habuerint illa opera, in quantùm ad Deum non referuntur per fidem ex dilectione operantem, nullatenus poſſe ex- cuſari à peccato.

Tom 2 *de Gratia*, pag. 181 & ſeq. Neque dicas cum Tournely Julianum eas tantùm virtutes appellaſſe ſteriles, quæ ad finem poſitivè malum referuntur; illas autem fructuoſas dixiſſe, quæ ad aliquem honeſtum finem referuntur. Hanc enim reſpon- ſionem expreſſè repellunt iſta ipſius Juliani verba: *Ego ſteriliter bonos dixi homines*, *qui*, *non propter Deum faciendo bona quæ faciunt*, *non ab eo vitam conſequuntur æternam:* ubi non alia agnoſcit opera fructuoſa, niſi quæ *propter Deum* fiunt; ſterilia verò reputat quæcunque propter alium quemlibet finem, etiam honeſtum, fiunt. Conſule quæ de Pe- lagianorum circà hoc caput doctrina diximus Lib. I.

Primam illam adverſariorum reſponſionem non minùs præciſè elidit Ju-

Digitized by Google

Julianus Pomerius ſupra citatus. Cùm enim dixiſſet præclariora infidelium opera nihil eis profuiſſe, ſtatim, quaſi ſeipſum reprehendens, addit: „ Quid dico, nihil eis profuerunt? Imò nocuerunt etiam, dicente „ Apoſtolo: *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*. Non dixit, omne „ quod non eſt ex fide nihil eſt; ſed dicendo, *omne quod non eſt ex* „ *fide, peccatum eſt*, declaravit quòd omnia bona,..... ſi fuerint ſine „ fide, non ſunt aliqua bona credenda, ſed vitia, quæ non juvant ope„ rarios ſuos, ſed condemnant, inflatosque præcipitant.“

A vero penitus quoque aberrat altera reſponſio, nempe allata Patrum teſtimonia intelligi debere de operibus quæ fiunt ex motivo infidelitatis, ſive ad cultum dæmonum, ſive ad alium quemcunque pravum finem. Nam 1° Patres diſertiſſimis verbis docent, omne quod non fit ex fide & ex amore creatoris, pravum eſſe atque perverſum. At profectò non ignorabant opera, quæ non ſunt ex fide & ex amore creatoris, non ideò fieri ob cultum idolorum, vel aliquem finem proximum poſitivè malum. 2°. Inde probant opera quæ non fiunt ex fide mala eſſe, quòd fides ſit radix, origo, fundamentum omnis operis boni. Ita loquuntur Origenes, S. Ephrem, auctor librorum *de Vocatione gentium*, Romani Pontifices Gelaſius & Bonifacius II &c. Ergo loquuntur de quibuscunque operibus absque fide factis. 3°. Argumenta, quibus aſſertum ſuum evincunt, idem demonſtrant. Probant ſiquidem omnia opera infidelium peccato inquinata eſſe, non quia referuntur ad cultum dæmonum aliumve perverſum finem, ſed præcisè quia non referuntur ad Deum; quia fiunt à mortuis & impiis, quibus nullum ineſt bonæ ac rectæ voluntatis initium; quia, hoc ſolo quòd non fiunt ex amore Dei, ex ſuperbia, ex cupiditate, aut ex alia quavis mala origine naſcuntur. Ita S. Clemens Alexandrinus, Origenes, S. Auguſtinus, S. Proſper, Julianus Pomerius, Paſchaſius Ratbertus, Eccleſia Lugdunenſis &c. Certè quid luculentius deſiderari poteſt, quàm id quod S. Auguſtinus reſpondebat Juliano interroganti: *Si gentilis nudum operuerit, numquid, quia non eſt ex fide*, id eſt, ex ſolo fidei defectu, *peccatum eſt?* „ Prorſus, ait S. Doctor, IN QUANTÙM NON EST EX FIDE, peccatum „ eſt, ſed de tali opere NON IN DOMINO GLORIARI, SOLUS IM„ PIUS NEGAT ESSE PECCATUM.“ 4°. Loquuntur Patres de omnibus absque ulla exceptione operibus infidelium. Id verò abſurdiſſimum fuiſſet, ſi ea duntaxat opera notare voluiſſent quæ fiunt poſitivè contrà fidem. Quis enim neſcit infideles multa facere, quæ nullatenus referuntur ad cultum falſorum numinum aliumve pravum finem, qualia ſunt opera miſericordiæ, timor filiorum, honor parentum, fides conjugalis &c. Porro hæc ipſa, quæ ab adverſariis præcipuè commendantur in infidelibus, vitio non carere docent SS. Patres, ob defectum rectæ in Deum intentionis. 5°. Doctrinam illam adſtruunt hiſce Apoſtoli verbis, Hebr. XI: *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Porro luce clarius

Bbbbbb 2 eſt

eſt ſenſum horum verborum non eſſe, illud quod fit ex motivo infidelitatis non poſſe placere Deo: alioquin objectum ſibi propoſitum nequaquam attigiſſet Apoſtolus. Intendebat enim probare Henoch fidei ſuæ merito *tranſlatum fuiſſe, ne videret mortem;* idque probat ex eoquòd Henoch *ante tranſlationem teſtimonium habuerit placuiſſe Deo; ſine fide autem impoſſibile eſſe placere Deo:* quod certè argumentum nihil concluderet, quatuorque terminis conſtaret, ſi iſta verba, *ſine fide*, aliud quàm merum defectum fidei ſignificarent. Igitur SS. quoque Doctorum ſenſus eſt, omnia infidelium opera ob ſolum defectum fidei peccato inquinata eſſe, Deoque propterea placere non poſſe. 6°. Si SS. Patres ea ſola infidelium opera culpaſſent, quæ fidei poſitivè adverſantur, ipſoſmet Pelagianos ſibi conſentientes habuiſſent, grandiſque illa S. Auguſtini contra Julianum concertatio fuiſſet de nihilo. Quis enim credat Julianum, hominem acutiſſimi profectò ingenii, nullum vitium agnoviſſe in operibus propter finem poſitivè malum factis, vel S. Auguſtinum tanto ſtudio, tantoque apparatu errorem omnium ſtolidiſſimum confutaſſe, atque ita confutaſſe, ut in quo ſitus ille eſſet nunquam adverterit? Nam iſtiuſmodi errorem à Juliano prorſus removet, cùm ſic eum alloquitur, num. 30: „ An Reſpondebis, non in quantum infidelis eſt, ſed in „ quantùm homo eſt, arbor bona eſt?" Fatebatur ergo Julianus, ea quæ faciunt infideles ex motivo infidelitatis, non bona eſſe, ſed mala. Cur ergo, inquies, S. Doctor, num. 31 & 33, inde probat infideles malè miſereri, quia infideliter & voluntate infideli miſerentur? In promptu eſt reſponſio. S. Auguſtini mens quippe eſt infideles voluntate infideli, id eſt, quæ fide deſtituta ſit, miſereri, ac proinde voluntate quæ mala ſit; quandoquidem voluntas fide deſtituta non poteſt non eſſe mala, cùm *fides*, ut alibi ait, *initium ſit corrigendi cor;* voluntatem autem malam, ſicut & arborem malam, nonniſi malos fructus facere. Hunc S. Doctoris ſenſum eſſe manifeſtè apparet, tum ex eoquòd dicat miſericordiam infidelium non poſſe eſſe niſi infidelem, quod apertè falſum eſſet, ſi miſericordiam intelligas poſitivè infidelem, id eſt, contra fidem poſitivè operantem, non verò negativè tantùm infidelem, ſive fide deſtitutam; tum ex eoquòd alioquin controverſiæ ſtatum minimè attigiſſet, ſiquidem Julianus, ut modò diximus, ſponte fatebatur opera infidelium, quæ poſitivè fiunt ex motivo infidelitatis, ex perverſo illo fine vitiari. 7°. Denique his omnibus addi poteſt, ea quæ non ſunt ex fide, aliquo & vero ſenſu eſſe contra fidem, quatenus fides docet omnia in Deum eſſe referenda, & in ejus gloriam facienda, quomodò Chriſtus dicit, Lucæ XI. 23: *Qui non eſt mecum, contra me eſt.*

Tertia reſponſio, nimirum dicta SS. Patrum accipienda eſſe moraliter, hoc ſenſu quòd pleraque infidelium opera perverſo aliquo fine corrumpantur, non minus ab illorum mente aliena eſt. Nam 1° cur aliquid exceptum faceremus, ubi Patres abſolutè, generaliter & abſque ul-

la.

la prorſus exceptione loquuntur? 2°. Idcirco præciſè SS. Patres opera infidelium reprobant, quia non ex fide fiunt. Id porro omnibus illorum operibus commune eſt. 3°. Si aliqua infidelium opera vitio carere exiſtimaſſent, illa certè maximè quæ majori laude digna videntur, & quibus virtutum officia ob ſolam honeſtatem exercentur, qualia ſunt eleemoſynæ ex compaſſione erogatæ, pudicitia conjugalis, & alia id genus. Porro illa ipſa in infidelibus peccato non vacare expreſſè docent. 4°. SS. Patrum dicta non minùs univerſaliter ſumi debent, quàm textus Scripturæ quibus innituntur. Porro illa ſacra oracula nullam admittunt exceptionem. Si enim hic v. g. Apoſtoli textus, *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, moraliter tantùm intelligendus eſſet, non abſolutè, tota funditus rueret ipſius argumentatio, quæ talis foret: *Omne quod non eſt ex fide* plerùmque *peccatum eſt*. Atqui quidquid fit contra conſcientiam, non fit ex fide. Ergo qui agit contra conſcientiam certò & ſemper peccat. Non minus vitioſum foret ejuſdem ratiocinium, Hebr. XI. Sic quippe procederet: *Sine fide* plerumque *impoſſibile eſt placere Deo*. Atqui Henoch placuit Deo. Ergo Henoch fidem habuit. Nemo non videt quàm pravæ ſint hujusmodi concluſiones univerſales, ex duabus propoſitionibus particularibus ſeu moralibus deductæ, contra primarias logicæ leges. Ergo ſententiæ Apoſtolicæ univerſaliter accipiendæ ſunt, non moraliter tantùm; ac proinde idem dicendum eſt de SS. Patrum textibus.

Probatur IV° noſtra Propoſitio ex confeſſione plerorumque Semipelagianòrum, qui hoc in capite cum S. Auguſtino aliisque gratiæ vindicibus conſentiebant, uti probavimus Lib. I. Diſſert. 2. Cap. 2. Conſule, ſi vacat, quæ ibi dicta ſunt.

Probatur V° ſuffragiis Theologorum. Quàmvis enim non modica Scholaſticorum, præſertim recentiorum, turba contrariam opinionem amplexa fuerit, nunquam tamen alii defuerunt, & maximi certe nominis, qui SS Patrum doctrinæ fideliter adhæſerunt.

Illam diſertè tradit Magiſter Sententiarum, lib. 2. diſt. 41, cujus titulus eſt: *An omnis intentio vel actio eorum qui carent fide ſit mala*. Sic ibi loquitur: „ Cum intentio bonum opus faciat, & fides intentionem „ dirigat, non immeritò quæri poteſt utrum omnis intentio, omneque „ illorum opus malum ſit, qui fidem non habent. Si enim fides intentionem dirigit, & intentio bonum opus facit, ubi non eſt fides, nec „ intentio bona, nec opus bonum eſſe videtur. Quod à quibusdam non „ irrationabiliter adſtruitur, qui dicunt omnes actiones & voluntates „ hominis ſine fide malas eſſe, quæ, habitâ fide, bonæ exiſtunt. Unde Apoſtolus ait: *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt;* & Jacobus „ in Epiſtola Catholica ait: *qui offendit in uno*, ſcilicet caritate, *factus eſt omnium reus*. Qui ergo fidem & caritatem non habet, omnis „ ejus actio peccatum eſt, quia ad caritatem non refertur. Quod enim

 „ ad

„ ad caritatem non refertur, non fit quemadmodùm fieri oportet, ideò-„ que malum eſt.“ Addit quidem litterâ C, ſeu art. 3, nonnullos jam tunc duplicis generis bona opera diſtinxiſſe. „ Sola illa intentio, in-„ quiebant illi, remunerabilis eſt ad vitam, quam fides dirigit, ſed non „ illa ſola bona eſt. Nam ſi quis Judæus vel malus Chriſtianus ne-„ ceſſitatem proximi relevavit, naturali pietate ductus, benè facit, & „ bona fuit voluntas quâ illud facit.“ Verùm eam opinionem minimè approbat Magiſter. Notandum verò eſt hoc primum à me reperiri apud Catholicos exemplum iſtius opinionis, quæ opera verè bona admittit nullatenùs à Deo remuneranda, & facta ſine fide.

Pag. 149. Robertus Pullus, Summæ ſententiarum part. 5, docet opera, quantùmlibet bona videantur, nihil eſſe ante fidem. *Non* enim *eſt*, inquit, *qui „ faciat bonum, non eſt usque ad unum:* id eſt, nemo facit bonum do-„ nec veniat ad Chriſtum. Ipſe enim eſt *unus*, id eſt, ſolus in quo „ benè fiat.“

Gregorius Ariminenſis hanc doctrinam ſtrenuè tuetur, eaque refellit quæ ex adverſo opponebantur.

Cœlius Pannonius, apud Caſalium mox citandum, & Molanus Doctor Lovanienſis in *Theologiæ practicæ Compendio*, tract. 3. cap. 2. concl. 4, idem docent.

Gaspar Caſalius Epiſcopus Leirienſis in Luſitania, unus è Patribus Tridentinis, in grandi opere adverſus hæreticos *de Quadripartita juſtitia*, quod Tridenti compoſuit, & S. Pontificis Legatis nuncupavit, lib. 1. cap. 22 & ſeq. eamdem tanquam certò Auguſtinianam defendit, aliorumque Patrum ac Theologorum, atque rationum momentis confirmat. Inter alia verò hæc ait: „ De illo alio quod S. Auguſtinus ſemper vi-„ detur docere, extra fidem, extra cognitionem veri Dei non reperiri „ aliquam veram juſtitiam, quæ non ſit vitium, quid dicendum? Quid „ dicendum, inquam, ſecundùm ſapientiam ejus & aliorum ſanctorum „ Doctorum? Quoad ipſum dicimus: Ipſe quidem ita docuit, &, quia „ verax erat & ex corde loquebatur, ita credidit. Nunc alii ſecus di-„ cunt, ſed ſeipſos ſapientiores eſſe Auguſtino non oſtendunt.“

Baſilius Poncius Auguſtinienſis, ac primarius Theologiæ Profeſſor in Academia Salmaticenſi, in prima parte *Relectionum de Gratia*, cap. ult: „ Ponamus, inquit, id quod probabilis opinio fert, ut dicam in ſe-„ cunda parte, omnia infidelium opera eſſe peccata.“

Fromondus Profeſſor Lovanienſis idem adſtruit in *Anatomia hominis*, cap. 6.

Bagotius Jeſuita, in *Apologia fidei*, parte poſter. lib. 5. diſp. 8. cap. 9: „ Dico ſecundò, inquit, qui abſque ulla gratia...... hujusmodi „ actus (miſericordiæ) exerceret, illum in eo actu peccare & deficere...... „ Si verò Dei opem tanquam munus gratuitum à Dei bonitate expec-„ tat, eſt prima illius gratia & fidei initialis fructus, ſine quo non ſo-

lum

„ lùm intentio, & ex ea conſequens virtutis electio, non bona, ſed „ etiam mala eſt; & qui non hoc modo fidem intendit, & virtutem „ illam eligit, deficit in agendo & peccat. Hæc tota doctrina & Theo„ logorum aliquorum & Patrum communi conſenſu probatur."

Idem docent Sambovius Doctor & Profeſſor Sorbonicus, in tractatu manuſcripto *de Gratia*, & Sinnichius Doctor Lovanienſis in libro inſcripto, *Saül Exrex*, lib. 1. cap. 144. §. 546.

Idem acerrimè tuetur P. Joſeph Capucinus in lib. *de Neceſſaria ad ſalutem gratia omnibus & ſingulis data*, edito Pariſiis anno 1673, part. 2. ſect. 2. §. 5 & ſequent. Sic loquitur §. 5: „ Advertendum eſt quòd „ aliqui, non attendentes huic doctrinæ Auguſtinianæ de prædictis bonis „ operibus ſecundùm quid, multùm hallucinati ſunt, putantes Auguſ„ tinum cenſuiſſe infideles ante omnem fidem potuiſſe aliqua opera ex „ omni parte bona facere, eoquòd ſupradicta bona opera ſecundum quid „ vocet aliquando bona, & præmio ſeu laude digna: quod non feciſſet, „ inquiunt, ſi ex fine pravo aut alia circumſtantia eſſent intrinſece vi„ tiata. Quaſi verò non ſatis explicuerit ſenſum ſuum Auguſtinus, „ cùm in prædicto lib. *contra Julianum*, cap. 3, ubi formaliter & ex „ profeſſo tractat ipſam materiam, vocet talia opera bona, quâ parte „ reſpiciunt objectum bonum, ſeu qua parte voluntas facit quod de„ bet, & facit officium ſuum; mala autem, quâ parte vitiantur ex ma„ lo fine aut alia prava circumſtantia." Et §. 7: „ Quod autem id „ intelligat de vera malitia, & non de negatione cujuſdam boni ſuper„ naturalis meritorii regni cœleſtis, ut plerique putant, ſatis patet ex „ ſequentibus, cùm dicat illos eſſe puniendos in die judicii propter „ illa opera." Et §. 9, cujus hic titulus eſt: „ Magis ac magis oſten„ ditur prædicta abſurditas expoſitionis nobis adverſæ, & oſtenditur „ quanti momenti putarit Auguſtinus eſſe iſtam diſputationem, de bo„ nis operibus moralibus infidelium, quam putat pertinere ad fidem, „ contra multorum opinionem parum callentium Auguſtini doctrinam." In corpore obſervat S. Doctorem „ non alio nomine impugnare ſenten„ tiam Juliani, bonas actiones morales, ſeu moralem juſtitiam infide„ lium aſſerentis, quàm ut reſtrictivam gratiæ Chriſti, & evacuativam „ paſſionis & mortis illius."

Macedo, in *Cortina S. Auguſtini*, quæſt. 2 *de Gratiæ neceſſitate*, eamdem doctrinam aſſerit concluſ. 36. 37. 38 & 39. In hac autem ſic loquitur: „ Omnis actus ſine ullo fidei lumine & ſine ullo gratiæ impulſu, pec„ catum eſt."

Eadem doctrina eſt Facultatis Lovanienſis in Articulis quos anno 1677 per ſuos deputatos examinandos obtulit Innocentio XI, & in Memoriali per eoſdem deputatos oblato Conſultoribus ſancti Officii, à quibus illa duo probata fuere.

In eamdem conſentiunt Antonius Gonzalez de Roſende Theologiæ Pro-

Digitized by Google

Profeſſor in Facultate Complutenſi, tom. 1. diſput. 7. num. 27; Havermans Belga Præmonſtratenſis, in *Tyrocinio Chriſtianæ Theologiæ moralis* ab Innocentio XI approbato, part 2; Laurentius Neeſen Superior Seminarii Mechlinienſis, in *Theologia Chriſtiana*, tract. 1. dubio 10; & Nourri Benedictinus, in *Apparatu ad Biblioth. PP.* Lugdunenſem, diſſert. 2 in Clementem Alexandrinum, num. 3. pag. 1028. Steyaert in *Aphoriſmis*, part. 1, conſentit infideles in omnibus ſuis operibus peccare, quàmvis neget omnia illorum opera eſſe peccata: quod ſentiunt quoque Henricus à S. Ignatio Carmelita, tom. 1 *Ethicæ amoris*, prolegom. 6, & non pauci recentiores Lovanienſes & Auguſtiniani. Hos autem poſtremos penes loquendi formam tantummodò à nobis diſcrepare, & quoad doctrinæ ſubſtantiam nobiſcum planè conſentire, cuilibet attendenti manifeſtum erit.

Probatur VI° evidenti ratione. Probatum eſt ſupra nullum opus rectè fieri, niſi procedat ex dilectione Dei, ſaltem inchoata; teneri hominem, vi primi mandati, actiones omnes ſuas referre, ſaltem virtualiter, in Deum tanquam finem ultimum; quidquid ex amore Dei & ad ejus gloriam non fit, quàmvis ex objecto bonum eſſe poſſit, ſub illo reſpectu malum eſſe. Atqui infideles nullum opus ſuum referunt ad Deum ut finem ultimum. Vel enim verum Deum penitus ignorant, vel, ſi naturali lumine illum norunt, utique non eum propter ſe diligunt, nec ſicut Deum glorificant, quandoquidem ſine auxilio gratiæ, quæ ab initio fidei ſumit exordium, nullus eſt amor Dei verus. Neceſſe eſt ergo ut omnia quæ faciunt infideles, non ex dilectione Dei quæ in eis nulla eſt, ſed ex amore alicujus creaturæ propter ſe & abſque reſpectu ad ad Deum dilectæ, operentur: qui certè amor, cùm cupiditatis ſit, inordinatus ac perverſus eſt.

Reſpondent nonnulli, hoc argumento invictè quidem probari infideles in omnibus ſuis operibus peccare peccato omiſſionis, non autem probari omnia illorum opera eſſe mala, eoquòd omiſſio illa relationis ad Deum non vitiat ipſam actionem, ſed ſolummodò agentem. Hos profectò velut in doctrinæ ſubſtantia nobis conjunctiſſimos ac planè conſanguineos libenter amplectimur; illorum autem loquendi modum approbare nequaquam poſſumus. 1°. Quia Scriptura & Traditio, quæ nobis, ſicut ſentiendi, ita & loquendi forma eſſe debet, non tantùm infidelem agentem peccati arguunt, ſed etiam ejus actiones malas, pollutas, peccato inquinatas eſſe pronuntiant. 2°. Quia omnis actio humana, ut ab omni culpa vacet, referri debet ad debitum finem ultimum, qui non alius eſt quàm ipſe Deus; atque, ſi ad Deum non referatur, nec propter illum fiat, caret rectitudine debita, juxta vulgatum iſtud axioma: *Bonum ex integra cauſa, malum ex quocunque defectu.* 3°. Quia concipi nequit agentem in agendo peccare, & tamen ejus actionem, quæ reipſà nihil aliud eſt quàm ipſe agens, aut ſaltem ab eo non diſtin-

ſinguitur, peccato non maculari. Et certè cur iſti Theologi ultro fatentur infideles in omnibus ſuis actionibus peccare, niſi quia infideles eas non rectè, ſed malè faciunt, non eas referendo ad debitum finem ultimum? Atqui relatio vel omiſſio relationis ad debitum finem actionibus ipſis intrinſeca eſt, eaſque vel perficit, vel vitiat.

At, inquies, nonnullæ ſunt actiones infidelium, quæ non fiunt propter finem poſitivè malum. Quid verò inde ſequitur? Nihil aliud quàm eas actiones non eſſe peccata commiſſionis; minimè autem non eis ineſſe peccatum omiſſionis. Nam quælibet actio humana fit ex amore aliquo, referturque ad finem aliquem, quem agens ſibi proponit, cujus dilectione movetur ad agendum, adeo ut in actionem ipſam influat. Atqui, fatentibus illis Theologis quibuſcum nunc diſceptamus, finis ultimus, quem agens in agendo ſibi proponit, vel Deus eſt, vel creatura aliqua propter ſeipſam, & abſque ullo ad Deum reſpectu dilecta, quæ dilectio in cupiditatem deſinit. Ergo, quàmvis non omnes infidelium actiones fiant propter finem abſolutè & in ſe malum, ſemper fiunt propter finem ultimum ſaltem negativè malum, ac proinde omnes illorum actiones ſunt malæ, ſaltem negativè, ex defectu relationis debitæ ad finem ultimum.

SECUNDA PROPOSITIO.

Virtutes infidelium, tametſi interdum veræ ſint ex parte officii, nunquam ſunt vitii expertes ex parte finis ultimi.

SPONTE fluit iſta Propoſitio ex præcedenti. Cùm enim vera virtus ſit habitus inclinans ad rectè agendum, ſi abſque fide nulla actio eſt recta & omni ex parte bona, profectò nec vera virtus eſt abſque fide. Nos tamen non pigebit aliqua SS. Patrum expreſſa hac de re teſtimonia in medium producere, illis prætermiſſis quorum verba legi poſſunt in præcedenti Propoſitione, & qui de virtutibus & de operibus infidelium conjunctim loquuntur.

S. Cyprianus initio libri *de Bono patientiæ*, ad cujus fine dubio normam de cæteris virtutibus judicandum eſt, ſic loquitur: „ Hanc ſe ſectari Philoſophi quoque profitentur; ſed tam illic patientia falſa eſt, „ quàm & ipſa falſa ſapientia eſt. Unde enim vel ſapiens eſſe, vel pa„ tiens poſſit, qui nec ſapientiam, nec patientiam Dei novit?" Et paulò poſt: „ Si ſapientia illic vera non eſt, eſſe non poteſt & vera pa„ tientia. Nam ſi ſapiens ille eſt, qui eſt humilis & mitis, Philoſo-

„ phos autem nec humiles videmus eſſe, nec mites, ſed ſibi multùm „ placentes, &, hoc ipſo quòd ſibi placeant, Deò diſplicentes, appa„ ret illic non eſſe veram patientiam, ubi ſit inſolens affectata libertatis „ audacia.“

Infidelium virtutes comparat Lactantius, lib. 6 *Inſtitutionum divinarum*, cap. 6, cadaveribus mortuorum formam corporis adhuc retinentibus, ſed omni vita motuque privatis. „ Putemus, inquit, fieri poſ„ ſe ut aliquis naturali & ingenito bono veras virtutes capiat,..... ta„ men, cùm illud unum, quod eſt maximum, deeſt, agnitio Dei, jam „ illa bona omnia ſupervacua ſunt & inania, ut fruſtra in his aſſequen„ dis laboraverit. Omnis enim juſtitia ejus ſimilis eſt humano corpori „ caput non habenti, in quo tametſi membra omnia & locis ſuis con„ ſtent, & figurâ & habitudine, tamen, quoniam deeſt id quod eſt „ omnium principale, & vitâ & omni ſenſu caret. Itaque membra illa „ formam tantummodò membrorum habent, uſum non habent; tam„ ſcilicet quàm caput ſine corpore, cui ſimilis eſt qui, cùm Deum „ non ignoret, vivit injuſtè. Id enim ſolum habet quod eſt ſummum, „ ſed fruſtra, quoniam virtutibus tanquam membris eget. Itaque ut ſit „ vivum ac ſenſibile corpus, & agnitio Dei neceſſaria eſt quaſi caput, „ & omnes virtutes quaſi corpus...... Sed tamen ſumma omnis in ca„ pite eſt, quod quàmvis conſtare non poteſt ſine omnibus, ſine qui„ buſdam tamen poteſt ;. & erit quidem animal vitioſum ac debile, „ ſed tamen vivet, ſicut & is qui & Deum novit, & in aliqua re pec„ cat...... Itaque ſine membris aliquibus vivi poteſt, ſine capite nullo„ modò. Hæc res efficit ut Philoſophi, etiamſi naturâ ſint boni, ta„ men nihil ſciant, nihil ſapiant. Omnis doctrina & virtus eorum „ ſine capite eſt, quia Deum neſciunt, qui eſt virtutis ac doctrinæ „ caput: quem qui non agnoſcit, licet videat, cæcus eſt, licet audiat, „ ſurdus, licet loquatur, elinguis eſt...... Nam profectò is videt, „ qui veritatem, in qua Deus eſt, vel Deum, in quo veritas eſt, ocu„ lis cordis aſpexerit: is audit, qui divinas voces ac præcepta vitalia „ pectori ſuo affigit: is loquitur, qui cœleſtia diſſerens virtutem ac „ majeſtatem Dei ſingularis enarrat. Quare non dubium eſt quin im„ pius ſit, quiſquis Deum non agnoverit; omneſque virtutes ejus, quas „ habere aut tenere ſe putat, in illa mortifera via reperiuntur, quæ eſt „ tota tenebrarum.“ Lactantio ergo judice, virtutes infiedlium non modò inanes, ſed etiam falſæ ſunt, mortuæ ſunt, formam tantùm virtutis habentes, non caput ex quo vivere queant.

S. Ambroſius, lib. 2 *de Abele & Caïn*, cap. 9, dicit *fidem eſſe indicem omnium virtutum;* ac proinde nullam ſine fide veram virtutem agnoſcit. Et in Pſalmum 1, num. 4: „ Virtutes, inquit, ſine fide folia „ ſunt: videntur virere, ſed prodeſſe non poſſunt: agitantur vento; „ quia non habent fundamentum. Quanti gentiles habent miſericor„ diam,

„ diam, habent ſobrietatem, ſed fructum non habent, quia fidem non „ habent? Labuntur citò folia, ubi ventus flaverit."

S. Hieronymus initio libri 2 in Epiſt. ad Gal., ad hæc verba: *Juſtus ex fide vivit*, hæc ait: „ Faciamus & nos aliquid ſimile huic quod di- „ citur, *juſtus ex fide vivit*, & dicamus: Caſtus ex fide vivit, ſapiens „ ex fide vivit &c,..... adverſùs eos qui, in Chriſtum non credentes, „ fortes, & ſapientes, & temperantes ſe putant eſſe, vel juſtos: ubi ſciant „ nullum abſque Chriſto vivere, ſine quo omnis virtus in vitio eſt." Et in Epiſt. 95 ad Ruſticum, paulò poſt medium: „ Philoſophi ſæculi „ ſolent amorem veterem amore novo, quaſi clavum clavo, expel- „ lere...... Illi vitium vitio, peccatumque peccato medicantur: nos „ amore virtutum" (ſeu illius quem Deum virtutum appellamus) „ vitia ſuperemus."

S. Chryſoſtomus, hom. 28, al. 27, in Joannem, num. 2. & 3: „ Chriſtianos eſſe qui mala perpetrant, inquit, & ego novi. Num au- „ tem gentiles ſint qui probam agant vitam, non perinde notum mihi. „ Ne mihi illos objicias qui ex natura ſua modeſti ornatique ſunt; hoc „ enim virtus non eſt. Nam ſi regni promiſſio, & gehennæ commina- „ tio, & alia hujuſmodi vix hominem in virtutis exercitio retinent, „ longè difficiliùs illi exercebunt qui nihil eorum credunt. Quòd ſi „ quidam virtutem ſimulant, id gloriæ cauſâ faciunt: qui autem vanæ „ gloriæ cauſâ virtutem exercent, ubi latere poterunt, non à pravis „ cupiditatibus abſtinebunt. Ne mihi dixeris caſtum illum eſſe, nec „ furari: non enim in his tantum conſiſtit virtus. Quæ enim utilitas, „ ſi hæc quidem obſervet, ſed vanæ gloriæ ſit cupidus? Hoc enim non „ eſt rectè vivere. Nam gloriæ ſervus non minus peccat quàm forni- „ cator; imò longè plura & graviora admittit. Verùm indica mihi „ quemdam inter gentiles ab omnibus vitiis peccatiſque liberum. Nun- „ quam poſſis: nam qui apud eos maximè claruerunt, maximè omnium „ gloriæ ſervierunt; quod ſanè omnium eſt cauſa malorum."

Tom. 8. pag. 161 & 162. Al. tom. 2. pag. 175.

S. Auguſtinus, lib. 1 *de Nuptiis & concupiſcentia*, cap. 3. num. 4, docet pudicitiam conjugalem, ſi à fide non procedat, non veram eſſe virtutem, ſed in vitium verti. Sic enim dicit: „ Cùm faciunt hæc „ homines ſine fide, quæ videntur ad pudicitiam conjugalem pertinere, „ ſive hominibus placere cupientes, vel ſibi, vel aliis, ſive in his rebus „ quas vitioſè concupiſcunt humanas moleſtias devitantes, ſive dæmo- „ nibus ſervientes, non peccata coercentur, ſed aliis peccatis alia pec- „ cata vincuntur. Abſit autem pudicum veraciter dici, qui non prop- „ ter Deum verum fidem connubii ſervat uxori." Et cap. 4. num. 5: „ Hoc tam evidens bonum cùm infideles habent, quia infideliter utun- „ tur, in malum peccatumque convertunt." Id verò inde confirmat, quòd vera pudicitia eſſe nequeat in corde non caſto, cor autem infide- lium caſtum non ſit, cùm à Deo vero fornicetur. En ipſius verba at-

Digitized by Google

tentione profectò digniſſima: „ Cùm enim virtus ſit pudicitia, cui contrarium vitium eſt impudicitia, omneſque virtutes, etiam quæ per corpus exercentur, in animo habitent, quomodò verâ ratione pudicum corpus aſſeritur, quando à vero Deo animus fornicatur? Quam

Pſalm. LXXII. 27. „ fornicationem ſanctus ille pſalmus accuſat, cùm dicit: *Ecce enim qui longè ſe faciunt à te, peribunt: perdidiſti omnem qui fornicatur abs te.* Vera ergo pudicitia, ſive conjugalis, ſive vidualis, ſive virginalis, dicenda non eſt, niſi quæ veræ fidei mancipatur...... Tantùm

Rom. XIV. Hebr. XI. „ valet fides de qua Apoſtolus: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt;* de qua item ſcriptum eſt: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.*"

Adeò ſanctam caſtamque doctrinam ſapere non poterat Julianus: ſed nedum illam propter eà revocaverit vel temperaverit S. Doctor, è contrario inſtantiùs eam validiùſque aſſerit lib. 4 *contra ipſum*, cap. 3. num. 17. „ Abſit, inquit, ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus: abſit autem ut ſit verè juſtus, niſi vivat ex fide; *juſtus* enim *ex fide vivit.* Quis porro eorum qui ſe Chriſtianos haberi volunt, niſi Pelagiani, aut in ipſis etiam fortè tu ſolus, juſtum dixerit infidelem, juſtum dixerit impium, juſtum dixerit diabolo mancipatum?" Rurſuſque id confirmat 1° ex eoquòd virtutes infidelium non Deo, ſed vanæ gloriæ ſuperbiæque ſerviant. „ Quomodò, ait, ſunt verè juſti, quibus vileſcit humilitas veri juſti? Quò enim propinquaverunt intelli-

Rom. I. „ gentiâ; inde ſuperbiâ receſſerunt, quia cognoſcentes Deum *non ſicut Deum glorificaverunt...... Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.*" 2°. Ex eoquòd, ſi quidpiam virtutis vel juſtitiæ ineſſet infidelibus, regno cœlorum fraudari non deberent, atque ita gratis Chriſtus mortuus eſſet. „ Prorſus, inquit, ſicut de lege veriſſimè dixit Apoſtolus: *ſi per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*, ita veriſſimè dicitur: ſi per naturam voluntatemque juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt: ſi per doctrinas hominum qualiscunque juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Deus namque ipſe, quod abſit, erit injuſtus, ſi ad ejus regnum verus non admittitur juſtus." Demùm ſic inde concludit: „ Si veram juſtitiam non habent impii, profectò nec alias virtutes comites ejus & ſocias. Si quas habent, veras non habent, quia, cùm non ad ſuum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipſo malè his utentes efficiuntur injuſti; ac per hoc continentia nec pudicitia vera virtus eſt impiorum."

Non in ſolis adverſus Pelagianos ſcriptis, ſed in aliis quoque eamdem doctrinam, tanquam in Eccleſia communem ac certiſſimam, ſemper aſſeruit. Sic lib. 13 *de Trinitate*, cap. 20. num. 26: „ Nunc, inquit, librum iſtum ita claudamus, ut admoneamus quòd *juſtus ex fide vivit*, quæ fides per dilectionem operatur: ita ut virtutes quoque ipſæ, quibus temperanter, prudenter, fortiter & juſtè vivitur, omnes ad eamdem referantur fidem; non enim aliter veræ poterunt eſſe virtutes."

Digitized by Google

„ tes.“ Et lib. *de Continentia*, cap. 12. num. 26: „ Quidam conti-
„ nent decepti fide falſâ, & vana ſperantes, & vana ſectantes, in qui-
„ bus ſunt omnes hæretici, & quicunque ſub nomine religionis aliquo
„ errore falluntur; quorum continentia vera eſſet, ſi eſſet & fides vera.
„ Cùm vero illa propterà nec fides ſit appellanda, quia falſa eſt, ſine
„ dubio & iſta continentiæ nomine indigna eſt. Numquid enim conti-
„ nentiam, quam munus Dei veriſſimè dicimus, dicturi ſumus eſſe pec-
„ catum? Abſit à noſtris cordibus tam deteſtanda dementia. Beatus
„ autem Apoſtolus ait: *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Quæ
„ igitur non eſt ex fide, nec continentia nominanda eſt.“

Quamobrem, lib. 1 *Retractationum*, cap. 2, ſeipſum graviter reprehendit, quòd in lib. *de Ordine* virtutes gentilium Philoſophorum laudaſſet. „ Diſplicet mihi, inquit, ... quod Philoſophos non verâ pietate „ præditos dixi virtutis luce fulſiſſe.“

S. Iſidorus Peluſiota, lib. 5. Epiſt. 162: „ Virtus, inquit, quomodò „ mortua non exiſtimetur, niſi fide animetur?“ Igitur ſicut mortuum hominem nemo verum hominem dixerit, ita nec virtutes ſine fide veras eſſe dicere fas eſt.

Cùm Caſſianus dixiſſet omni animæ ſemina virtutum inſerta eſſe, ſic eum refellit S. Proſper lib. *contra Collatorem*, cap. 13. num. 34: „ Puto
„ to iſtum veriſimilitudine decipi, & in ſpecie falſarum errare virtu-
„ tum, dum ea bona, quæ non poſſunt niſi ex Dei munere haberi,
„ etiam in impiorum cordibus exiſtimat reperiri, ideò ſcilicet quia multi
„ eorum ſunt juſtitiæ, temperantiæ, continentiæ, benevolentiæ ſectato-
„ res. Quæ omnia non fruſtra quidem, neque inutiliter habeant, mul-
„ tumque ex eis in hac vita honoris & gloriæ conſequuntur; ſed, quia
„ in iis ſtudiis non Deo, ſed diabolo ſerviunt, licet habeant tempora-
„ lem de vana laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non
„ pertinent veritatem. Et ita manifeſtiſſime patet in impiorum animis
„ nullam habitare virtutem, ſed omnia opera eorum immunda eſſe atque
„ polluta, habentium ſapientiam, non ſpiritalem, ſed animalem, non
„ cœleſtem, ſed terrenam, non Chriſtianam, ſed diabolicam, non à
„ Patre luminum, ſed à principe tenebrarum, dum & ipſa, quæ non
„ haberent niſi dante Deo, ſubdunt ei qui primum receſſit à Deo.“ Et
num. 41: „ Nec ideò æſtimare debemus in naturalibus theſauris prin-
„ cipia eſſe virtutum, quia multa laudabilia reperiuntur etiam in inge-
„ niis impiorum, quæ ex natura quidem prodeunt, ſed, quoniam ab
„ eo qui naturam condidit receſſerunt, virtutes eſſe non poſſunt.
„ Quod enimverò illuminatum eſt lumine, lumen eſt, & quod eodem
„ lumine caret, non eſt, quia *ſapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud*
„ *Deum:* ac ſic vitium eſt quod putatur eſſe virtus, quandoquidem
„ ſtultitia eſt quod putatur eſſe ſapientia.“

Auctor librorum *de Vocatione gentium*, lib. 1. cap. 7, ait: „ Sine

Digitized by Google

„ cultu veri Dei, etiam quod videtur virtus eſſe, peccatum eſt, nec „ placere ullus Deo ſine Deo poteſt: qui verò Deo non placet, cui niſi „ ſibi & diabolo placet?"

Julianus Pomerius, lib. 3 *de Vita contemplativa*, cap. 18. num. 3, cùm dixiſſet „ quatuor virtutes (cardinales), & omnes quæ ex illis exiſtunt, dona eſſe Dei, & nullum eas habere, habuiſſe, aut habiturum „ eſſe, niſi cui Deus, qui eſt omnium virtutum proprietas & origo, „ contulerit," ſic proſequitur: „ Quoniam quicunque, quocunque tempore, in quacunque gente in Deum credentes ex fide vixerunt, illius dono „ temperantes ac prudentes, juſti & fortes fieri utique potuerunt. Qui „ autem neſcientes Deum, vel etiam blaſphemantes ſine fide vixerunt, „ nihil earum virtutum à Deo accipere vel habere potuiſſe credendi ſunt."

Pag. 1305. S. Gregorius magnus, lib. 2 in Ezechielem, hom. 19: „ Per veſtibulum, inquit, fides poteſt intelligi...... Non enim virtutibus venitur ad fidem, ſed per fidem pertingitur ad virtutes." Porro ſi nonniſi per fidem venitur ad virtutes, non magis vera virtus eſt ſine fide, quàm domus ſine veſtibulo vel janua.

Venerabilis Beda, lib 1 *in Cantica*, cap. 6: „ Conſtat, inquit, quia „ quicunque Philoſophorum Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam „ neſcierunt, hi nullam veram virtutem, nec ullam veram ſapientiam „ habere potuerunt."

S. Eulogius martyr IX ſæculo, in *Apologia martyrum Cordubenſium*, pauló poſt initium, ait: „ Sane omnium virtutum radix & fundamentum fides eſt." Igitur, ſicut nec fructus eſt ſine radice, nec domus ſine fundamento, ita nec vera virtus ſine fide.

S. Bernardus, Serm. 22 *in Cantica*, num. 10: „ Fruſtra, inquit, „ hujus ſæculi ſapientes de quatuor virtutibus tam multa diſputaverunt, „ quas tamen apprehendere omnino nequiverunt, cùm illum neſcierint „ qui nobis à Deo factus eſt ſapientia &c." Et num. 11: „ Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Chriſtum ignoratis?"

Tom. 2 operum S. Bernardi. Ejus coævus & familiaris Guillelmus Abbas S. Theodorici, in lib. *de Amore Dei*, de virtutibus infidelium hoc modo loquitur: „ Philoſophi hujus mundi juſtitiam coluerunt, & affectu amoris & effectu operis, in tantùm ut diceretur de eis: *oderunt peccare boni virtutis amore*. „ Sed convincuntur juſtitiam non amaſſe, qui non amaverunt te, à „ quo fons & origo, & in quem finis & recurſus veræ juſtitiæ, & ſine „ quo omnes juſtitiæ hominum tanquam pannus menſtruatæ. Non enim „ habebant fidem quæ per dilectionem operatur, licet affectatum quemdam amorem & opera quædam haberent honeſtatis, quæ, quia ex „ fonte veræ juſtitiæ non prodibant, nec in veræ juſtitiæ fontem ibant, „ tantò deſperatiùs, quantò fortiùs extra viam currebant." Hic auctor, ut cæteri quos protulimus, agnoſcit quidem in infidelibus externa quædam virtutum officia, quæ & nos pariter agnoſcimus. Sed nedum ea

ea pro veræ virtutis operibus habeat, abſolutè pronuntiat ea immunda eſſe, eoquòd non fluant ex fide & amore Dei, nec ad Deum referantur.

Ex Theologis unum appellabo S. Thomam. Hic, 2. 2. quæſt. 23. art. 7, propoſitâ ſibi hâc objectione: „ Caritas non poteſt eſſe ſine fide......
„ Sed in infidelibus poteſt eſſe vera caſtitas & vera juſtitia. Ergo vera
„ virtus poteſt eſſe ſine caritate," ſic reſpondet ad 2: „ Cùm finis ſe
„ habeat in agibilibus ſicut principium in ſpeculabilibus, ſicut non po-
„ teſt eſſe ſimpliciter vera ſcientia, ſi deſit recta æſtimatio de primo
„ & indemonſtrabili principio, ita non poteſt eſſe ſimpliciter vera juſti-
„ tia aut vera caſtitas, ſi deſit ordinatio debita ad finem, quæ eſt per
„ caritatem, quantùmcunque aliquis rectè ſe circa media habeat." His verbis non tantum aſſeritur noſtra Propoſitio, ſed etiam validiſſimo argumento demonſtratur. Aliam objectionem ſibi proponit Angelicus Doctor ibidem, quæſt. 151. art. 1, hunc in modum: „ Nulla virtus eſt in
„ infidelibus. Sed aliqui infideles ſunt caſti. Non ergo caſtitas eſt
„ virtus." Sic autem reſpondet: „ Sicut Auguſtinus dicit in 4° *con-*
„ *tra Julianum*, abſit ut ſit in aliquo vera virtus, niſi fuerit juſtus;
„ abſit autem ut ſit verè juſtus, niſi vivat ex fide: & ideò concludit
„ quòd in infidelibus non eſt vera caſtitas, neque alia aliqua virtus,
„ quia ſcilicet non referuntur ad debitum finem, &, ſicut ibidem ſub-
„ dit, non officiis, id eſt, actibus" (ſeu operibus quæ fiunt), ſed
„ finibus à vitiis diſcernuntur virtutes."

Solvuntur objectiones contra duas ultimas Propoſitiones.

Antequàm ad ſingula objectionum capita reſpondeamus, ſedulò attendendum quid probandum incumbat adverſariis. Nihil profectò agent, aëremque verberabunt, ſi probant tantummodò infideles interdum facere bona quædam opera, virtutumque officiis defungi; id enim & nos ipſi declaramus. Sed probare tenentur infideles ea opera bona rectè & abſque ulla vitii admixtione agere, ita ut illa opera nulla ex parte peccato maculentur. Cùm enim, ut meritò obſervat S. Auguſtinus, lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3. num. 22, poſſint *aliqua bona fieri, non benè facientibus à quibus fiunt*, fruſtra oſtendis opera aliqua bona poſſe fieri abſque fide, niſi & illa rectè ac benè fieri oſtendas. Hoc monito præmiſſo, audiamus jam quid nobis opponatur.

Objiciunt 1°. Nonnulla in Scripturis laudantur infidelium opera. Sic laudatur miſericordia obſtetricum Ægyptiorum, quæ, contempto crudeli Pharaonis regis imperio, mares Iſraelitarum ſervaverunt, & quibus idcirco Deus domos ædificaſſe dicitur Exodi I. Nabuchodonoſor pariter à Deo remuneratus dicitur, Ezech. XXIX, propter ſuſceptos ab eo in expugnanda urbe Tyro labores. *Dedi ei*, ait Dominus, *terram Ægypti pro*-

Digitized by Google

pro eoquòd laboraverit mihi: quem in locum ſic loquitur S. Hieronymus: „ Ex eoquòd Nabuchodonoſor mercedem accepit boni operis, intelligi-„ mus etiam Ethnicos, ſi quid boni fecerint, non abſque mercede Dei
Cap. 29. „ judicio præteriri. Unde & per Jeremiam Nabuchodonoſor *columba* „ Dei appellatur, eoquòd adverſum populum peccatorem Dei ſervierit „ voluntati.“ Cyrus quoque commendatur, eoquòd Judæis libertatem in patriam remeandi conceſſerit, templum reædificari permiſerit, omnemque Dei voluntatem compleverit. Ergo &c.

Diſtinguo antecedens. Nonnulla in Scripturis laudantur infidelium opera conſiderata duntaxat quoad officium, vel quoad effectum exteriùs productum, concedo: conſiderata ſub omni reſpectu, nego. Nullum profectò nec Scripturarum, nec SS. Patrum textum proferre unquam poterunt, quo probent aliquos actus infidelium ſub omni reſpectu Deo placuiſſe, eoque nomine ab ipſo remuneratos fuiſſe. Ut autem ſingulis exemplis modò productis reſpondeamus:

Dico ad 1um gratis omnino ſupponi obſtetrices, de quibus agitur, Ægyptias & infideles fuiſſe; nam & appellantur *obſtetrices Hebræorum*, & in eodem capite bis dicuntur *Deum timuiſſe. Timuerunt*, inquit Moyſes, v. 17, *obſtetrices Deum, & non fecerunt juxta præceptum regis.* Et. v. 21: *Benè ergo fecit Deus obſtetricibus, &, quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos.* Verum, etiamſi infideles fuiſſent, terrena illis merces conceſſa probaret tantummodò in ipſorum facto aliquid boni fuiſſe, non verò illud bonum fuiſſe ſub omni reſpectu. Nam utique Deus non remuneravit illorum mendacium quo Pharaoni illuſerunt.

Eo ſenſu Nabuchodonoſor dicitur Deo laboraſſe in expugnatione urbis Tyri, quòd Deus illo uſus fuerit ad exequenda juſtitiæ ſuæ judicia; verùm in illa expeditione nequaquam ſibi propoſuit ut Deo ſerviret, ſed ut cupiditatem ambitionemque ſuam expleret. Igitur quod Deus juſto judicio contra Tyrum decreverat, hoc ipſe malè, ſuperbè, arroganter, crudeliter executus eſt, Deoque irato potius quàm propitio, ſpoliis Ægypti ditatus eſt, quæ ex inani gloria atque inexhauſta dominandi cupiditate rex impius concupierat: ferè quemadmodum ſervos ac mercenarios aliqua interdum ſtipe donamus, quando ea quæ volumus, quàmvis pravâ voluntate, ſtudioſè operati ſunt. Sic etiam Deus remuneravit Jehu regem Iſrael, eoquòd maximo ſtudio impiam Achabi ſobolem internecione penitus deleviſſet. *Quia ſtudioſè egiſti quod rectum erat & placebat in oculis meis*, ait Dominus, 4 Regum X. 30, *& omnia quæ in corde meo erant contra domum Achab, filii tui usque ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael:* quàmvis ibidem dicatur *cor Jehu rectum non fuiſſe coram Deo.* Unde S. Auguſtinus, lib. *contra Mendacium*, cap. 2. num. 3, ſic loquitur: „ Cum ſcriptum ſit eum rectum „ cor non habuiſſe cum Deo, quid ei profuit quòd pro nonnulla obe-„ dientia, quam de domo Achab omnino delendâ pro cupiditate ſuæ „ do-

Digitized by Google

„ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem tranſitoriam regni tem-„ poralis accepit?“ Nec verò mirum eſſe debet quòd Deus quandoque hujuſmodi terrena & temporalia bona impiis tribuat. Nam & inde rectè concludimus infructuoſas coram Deo non eſſe actiones pias, quas ipſe per gratiam ſuam in nobis operatur; cùm è contra ipſa merces temporalis à Deo impiis conceſſa, propter perverſam illorum voluntatem, plerumque occaſionem gravius peccandi illis præbeat.

De Cyro quoque idem dicendum eſt, qui, tanquam inſtrumentum divinis decretis exequendis ſerviens, nequaquam id intendit ut Deo obtemperaret. Quamobrem, Iſaiæ XLV, his verbis arguitur: *Vocavi te nomine tuo: aſſimilavi te, & non cognoviſti me,..... accinxi te, & non cognoviſti me.*

Inſtant. Cornelius Centurio adhuc infidelis multa opera bona Deoque placentia faciebat. Actorum quippe X. 2, dicitur *vir religioſus ac timens Deum, cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper;* ejuſque *orationes & eleemoſynæ* dicuntur, v. 4, *in memoriam aſcendiſſe in conſpectu Dei.* Ergo ſine fide fieri poſſunt opera verè & ex omni parte bona.

Reſpondeo 1° iſtud argumentum nihil probare, quia nimis probaret. Probaret enim opera Deo acceptiſſima & ad vitam æternam conducentia fieri poſſe ſine fide; quod expreſſis Eccleſiæ definitionibus directè adverſatur.

Reſpondeo 2° Cornelium, antequàm B. Petrus ad eum erudiendum acceſſiſſet, infidelem non fuiſſe, ſed crediviſſe explicitè in Deum, quem religioſè timebat & aſſiduè deprecabatur, & implicitè ſaltem in Chriſtum. Vivens quippe inter Judæos, ac *teſtimonium habens ab univerſâ gente Judæorum* (v. 22), dubitari vix poteſt quin ex fide Meſſiam expectaret, quàmvis eum jam adveniſſe & Jeſum Nazarenum eſſe nondum ſciret. Unde S. Auguſtinus in lib. *de Prædeſtinatione ſanctorum*, cap. 7. num. 12, dicit eum „ *non ſine aliquo fide donaſſe & oraſſe: nam quomodò*, inquit, *invocabat in quem non crediderat?* Non minus diſertè loquitur S. Gregorius magnus, hom. 9 in Ezechielem. „ Cornelius Centurio, ait, „ cujus eleemoſynæ ante baptiſmum, angelo teſtante, laudatæ „ ſunt, non operibus venit ad fidem, ſed fide venit ad opera...... Non „ enim poterat benè agere niſi ante crediviſſet; *ſine fide* enim *impoſſibile eſt placere Deo.*“ His conſentit Angelicus Doctor, 2. 2. quæſt. 10. art. 4. ad 3. „ De Cornelio, inquit, ſciendum eſt quòd infidelis non „ erat: alioquin ejus operatio accepta non fuiſſet Deo, cui ſine fide „ nullus placere poteſt. Habebat autem fidem implicitam, nondum „ manifeſtatâ Evangelii veritate. Unde, ut eum in fide pleniùs inſtrueret, mittitur ad eum Petrus.“

Inſtant iterum. Rom. II, gentes, quæ legem non habent, dicuntur ea quæ legis ſunt facere naturaliter. Sic enim loquitur Apoſtolus:

 Cùm

Cùm gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex; qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm judicabit Deus occulta hominum, ſecundùm Evangelium meum, per Jeſum Chriſtum. Ergo infideles interdum benè operantur, legemque obſervant.

Nego conſequentiam. Jam dudum textum iſtum Catholicis objecerunt Pelagiani, lugendumque eſt quòd hodie Theologos Catholicos eisdem armis militare non pudeat. Duobus autem modis Pelagianorum objectionem repulerunt SS. Patres, obſervaruntque verba Apoſtoli duplici ſenſu exponi poſſe, videlicet vel de gentibus ad fidem Chriſti converſis, vel de infidelibus, & neutram expoſitionem Pelagiano errori favere.

De gentibus quidem ad Chriſtum converſis, & per naturam gratiâ ipſius ſanatam ac reformatam cognoſcentibus & obſervantibus legem naturalem, verba illa intellexerunt S. Auguſtinus, lib. *de Spiritu & littera*, cap. 26. num. 43 & ſeq. & lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3. num. 25; S. Proſper lib. *contra Collatorem*, cap. 10. num. 29; S. Fulgentius, lib. *de Incarnatione & gratia Chriſti*, cap. 25. S. Thomas in hunc locum, lect. 3: „ Loquitur, inquit, de gentibus ad fidem converſis, qui auxi-„ lio gratiæ Chriſti cœperunt moralia legis ſervare."

Hanc interpretationem multa confirmant. 1°. Quòd gentes, de quibus ibi loquitur Apoſtolus, eædem eſſe videantur ac Græci, de quibus dicit in eodem capite: *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm & Græci: gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco. Non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum: quicunque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt* &c. Porro in hoc altero loco Græci qui bonum operantur, ideòque gloriam, & honorem, & pacem à Deo recipiunt, procul dubio non ſunt infideles. Nam, ut ait S. Auguſtinus, lib. *de Spiritu & littera*, cap. 26. num. 44: „ Quibus gentibus benè operantibus gloriam „ & honorem pacemque promitteret, extra Evangelii gratiam conſti-„ tutis?"

2°. De eiſdem gentibus ſubdit Apoſtolus ibidem, v. 26: *Si igitur præputium juſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium ejus in circumciſionem reputabitur, & judicabit, id quod ex natura eſt præputium legem conſummans, te qui per litteram & circumciſionem prævaricator legis es?* Mirum in modum conſentit hic textus cum eo qui nobis objicitur. In illo agitur de *gentibus*, in iſto de *præputio;* in illo de gentibus *quæ legem* ſcriptam *non habent*, in iſto de præputio ſine *littera* legis; in illo de gentibus quæ *ea quæ legis ſunt faciunt*, in iſto de præputio *juſtitias legis cuſtodiente ac legem conſummante.* Atqui in iſto poſteriori textu ma-

Digitized by Google

manifeſtè agitur de gentibus ad fidem Chriſti converſis, qui ſunt *in abſcondito Judæi, circumciſi corde in ſpiritu, non litterâ*, & quorum *laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.* Ergo in priori quoque loco ſermo eſt de gentibus ad fidem converſis.

3°. Loquitur Apoſtolus de gentibus quæ per legis obſervantiam juſtitiam conſequuntur, ut patet ex his verbis immediatè præcedentibus: *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur. Cùm enim gentes* &c. Atqui in illa præſertim Epiſtola totus eſt S. Paulus, ut probet neminem juſtificari niſi per fidem Jeſu Chriſti; ac proinde loquitur de gentibus Evangelium amplexis, ut rectè concludunt S. Auguſtinus & S. Fulgentius in locis modò laudatis.

4°. Dicuntur illæ gentes *oſtendere opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Hic autem proprius eſt caracter novi teſtamenti, quod eiſdem planè verbis promittitur apud Jeremiam, XXXI. 31, uti etiam obſervant S. Auguſtinus, S. Proſper & S. Fulgentius.

5°. Ex Apoſtolo, gentes illæ *cogitationibus ſuis defendentur in die judicii:* quod ſupponere videtur eas à Chriſto mercedem recepturas, ac proinde non ſine fide ea quæ legis ſunt facere. Quamobrem Juliano hunc textum objicienti S. Auguſtinus os occludebat his verbis: „ Quid „ vis eſſe iſtos? Utrùm veras virtutes habent, & ſteriliter boni ſunt, „ quia non propter Deum; an etiam Deo ex his placent, atque „ ab illo vitâ remunerantur æternâ? Si ſteriliter dixeris, quid ergo eis „ prodeſt quòd, ſecundùm Apoſtolum, defendent eos cogitationes ſuæ „ in die quâ judicabit Deus occulta hominum? Si autem qui defen„ dentur cogitationibus ſuis, eoquòd naturaliter opera fecerint legis, non „ ſunt ſteriliter boni, & ob hoc inveniunt æternam mercedem apud Deum, „ procul dubio propterea juſti ſunt, quia ex fide vivunt.“ Iſtud S. Doctoris argumentum non minorem vim habet contra modernos Scholaſticos. Fatentur ſiquidem, opera quæ ſine fide fiunt, nullius eſſe valoris & meriti apud Deum. Talia autem non ſunt eorum opera de quibus loquitur Apoſtolus, quandoquidem operarios ſuos defendent in die judicii; ac proinde non ſine fide facta ſunt.

Fatentur tamen SS. Patres textum Apoſtoli intelligi quoque poſſe de gentibus infidelibus, quæ ex naturæ bonæ reliquiis, & lege naturali commonitæ, nonnulla quandoque opera ex officio bona faciunt, quibus oſtendunt legem ſcriptam eſſe in cordibus, id eſt, in mentibus ſuis, cùm internis cogitationibus ſuis vel accuſantur, quando mala, vel defenduntur, quando bona faciunt; non quidem ut in die judicii non puniantur, ſed ut mitiùs puniantur. Hanc etiam interpretationem indicat S. Auguſtinus in lib. *de Spiritu & littera*, cap. 27. num. 48, & lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3. num. 25, ubi ſic loquitur: „ Si fidem „ Chriſti non habent, profectò nec juſti ſunt, nec Deo placent, cui „ ſine fide placere impoſſibile eſt; ſed ad hoc in die judicii cogitatio-

Digitized by Google

„ res ſuæ defendent, ut tolerabiliùs puniantur, quia naturaliter quæ legis ſunt fecerunt, ſcriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, ut aliis non faciant quod perpeti nollent; hoc tamen peccantes, quòd homines ſine fide non ad eum finem iſta retulerunt, ad quem referre debuerunt. Minùs enim Fabricius quàm Catilina punietur, non quia iſte bonus, ſed quia ille magis malus: & minùs impius, quàm Catilina, Fabricius, non veras habendo virtutes, ſed à veris virtutibus non plurimùm deviando.“

Eamdem quoque expoſitionem commemorat S. Proſper lib. *contra Collatorem*, cap. 10. num. 30. „ Sin autem, inquit, (quod magis vult hic diſputator intelligi) de illis iſta dicuntur, qui, alieni à gratia Chriſtiana, quædam ad ſimilitudinem legalium mandatorum proprio judicio ſanciebant, intelligentes mores civitatum concordiamque populorum non poſſe aliter contineri, niſi & rectè factis præmia, & peccatis pœnæ decernerentur,..... quis ambigat hanc ſapientiam humano generi, ad temporalis vitæ utilitatem, ex naturæ à Deo conditæ ſupereſſe reliquiis? Si enim nec ad iſta terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata eſſet, ſed extincta natura. Quæ tamen, etiamſi excellentiſſimis artibus, & cunctis mortalium eruditionum polleat diſciplinis, juſtificari ex ſe non poteſt; quia bonis ſuis malè utitur, in quibus, ſine cultu veri Dei, impietatis immunditiæque convincitur, &, unde ſe defendi exiſtimat, accuſatur.“

Inde perſpicuum eſt hanc alteram expoſitionem noſtræ doctrinæ nequaquam adverſari. Neque enim diffitemur infideles opera legis facere poſſe, quàmvis ea non rectè faciant, quatenus ea non referunt ad debitum ultimum finem, ideòque infideles illos tolerabiliùs puniendos in die judicii, quàm illos qui graviſſima quæque vitæ officia pervertunt. Prior tamen interpretatio multò magis placet, tum quia in eam multò magis inclinant Patres qui textum Apoſtolicum diligentius diſcuſſerunt; tum quia alteram permittunt potius quàm approbant, argumentando, ut dicitur, *ad hominem*; tum denique quia, ut ex ſupra dictis patet, magis congruit toti contextui Apoſtolico, atque imprimis ſcopo ipſius Epiſtolæ, in qua S. Paulus probare intendit Judæos omnes & Græcos ſub peccato fuiſſe, neutroſque legem obſervaſſe.

Et ſanè hoc ipſo in loco oſtendere vult eos, *qui ſine lege peccaverunt*, juſto Dei judicio *ſine lege perituros;* idque probat ex eoquod gentes, quæ legem ſcriptam non habent, ea tamen quæ legis ſunt cognoſcant & faciant. Porro certum eſt nullum unquam infidelium cognoviſſe & obſervaſſe præcepta caritatis erga Deum, humilitatis, ſui ipſius abnegationis, & alia hujuſmodi, obſtante ſcilicet cupiditate in eis dominante. Quàmvis ergo exemplo nonnullorum infidelium, qui aliqua legis naturalis præcepta cognita habuerunt, & quoad officium tantummodò obſervarunt, rectè probetur ignorantiam illorum præceptorum legis naturalis

non,

Digitized by Google

non excuſare à peccato, probari tamen perinde non poteſt ignorantiam aliorum præceptorum, quæ nullus infidelium, culpâ utique ſuâ, nec implevit, nec cognovit, excuſare apud Deum: ac proinde, ut argumentum Apoſtoli rectè concludat, in medium proferre debuit gentiles, qui, etſi non acceptâ littera legis, omnia tamen quæ legis ſunt cognoverunt & fecerunt. Tales autem non ſunt niſi gentiles ad fidem converſi.

Inſtant 3°. Loquitur Apoſtolus de gentibus *naturaliter* ea quæ legis ſunt facientibus. Atqui gentiles ad Chriſtum converſi, non *naturaliter*, ſed, gratiâ Chriſti auxiliante, legem obſervant. Ergo &c.

Reſpondeo adverbium iſtud, *naturaliter*, ibi legi ſcriptæ ſeu Moſaicæ tantummodò opponi, non gratiæ interiori, quæ naturam ipſam reformat, & ad benè operandum aptam facit. Iſta reſponſio eſt S. Auguſtini lib. *de Spiritu & littera*, cap. 27. num. 47. „ Nec moveat, inquit, „ quòd *naturaliter* eos dixit quæ legis ſunt facere, non ſpiritu Dei, „ non fide, non gratia. Hoc enim agit ſpiritus gratiæ, ut imaginem „ Dei, in qua naturaliter facti ſumus, inſtauret in nobis; vitium quip-„ pe contra naturam eſt. . . . . . Proinde naturaliter homines quæ legis „ ſunt faciunt. Qui enim non faciunt, vitio ſuo non faciunt, quo „ vitio lex Dei eſt deleta de cordibus. Ac per hoc, vitio ſanato, cum „ illic ſcribitur, fiunt quæ legis ſunt *naturaliter*; non quòd per natu-„ ram negata ſit gratia, ſed potiùs per gratiam reparata natura.“ Et „ lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3. num. 25: „ Iſti ergo, qui lege natu-„ rali ſunt juſti, ... ideò dicuntur *ſine lege naturaliter* quæ legis ſunt „ facere, quia ex gentibus venerunt ad Evangelium, non ex circumci-„ ſione, cui lex data eſt, & propterea *naturaliter*, quia in eis per Dei „ gratiam correcta eſt natura.“ Eodem modo vocem illam exponit S. Proſper, lib. *contra Collatorem*, cap. 10. num. 29: „ De his, inquit, „ Apoſtolus loquitur, in quorum cordibus Deus digito ſuo, id eſt, „ Spiritu ſancto, ſcribit teſtamentum novum, ut legis plenitudinem & „ opera caritatis naturaliter exequantur, reformatâ ſcilicet renovatâque „ naturâ.“ Similia videre eſt apud S. Fulgentium, lib. *de Incarnatione & gratia Chriſti*, cap. 25, & apud S. Thomam in Epiſt. ad Rom. cap. 2. lect. 3.

Inſtant 4°. Ut intentum ſuum obtineret Apoſtolus, proferre debuit in exemplum homines legem non habentes. Atqui gentes ad Chriſtum converſæ non erant ſine lege; ſiquidem legem Chriſti habebant. Ergo Apoſtolus loquitur de gentibus infidelibus.

Nego minorem. Nam per *gentes* quæ *legem non habent* intelligendi ſunt, tum illi qui ante legem ſcriptam, ut Noë, Abraham, cæterique Patriarchæ, ſolâ gratiæ unctione, ſine littera legis vel exteriori magiſterio, impleverunt quod lex jubet, tum illi qui eo tempore, quo hæc Apoſtolus ſcribebat, fidem erant amplexi. Porro utrique per ſolam fi-

dem in Chriſtum vitam ſanctiſſimam egerunt, omniaque legis mandata impleverunt, non per legem Moyſi, quæ nondum data erat, commoniti, nec per novi Teſtamenti libros, qui tunc aut nondum ſcripti erant, aut nondum ubique penetrarant; neque etiam per Apoſtolorum inſtitutiones, qui non ſingula morum præcepta neophytis tradebant, ut pote qui ad alia loca properare, vel perſequentium furorem effugere compellebantur. Undenam ergo illi gentiles omnia vitæ Chriſtianæ officia tam perfectè didicerant, niſi ex lege naturali per gratiæ naturam ſanantis illuminationem diſtinctè perſpecta & amata? Fide ergo & caritate ferventes Deo in omnibus obſequi & placere ſtudebant, & ex cordis munditia ſcriptum legebant in mentibus ſuis quidquid lex æterna præcipit. Hinc Apoſtolus ſcribens ad Theſſalonicenſes dicit, 1 Epiſt. IV. 9: *De caritate fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis: ipſi enim vos à Deo didiciſtis ut diligatis invicem*; & S. Joannes, 1 Epiſt. II. 20 & 21: *Vos unctionem habetis à Sancto, & noſtis omnia. Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam.* Et v. 27: *Non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos, ſed, ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium.* Immotum ergo ſtat S. Pauli argumentum, quod eſt hujusmodi: Juſtè profectò, *qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.* Nam quòd legem vel ignorent, vel non impleant, non aliunde oritur quàm ex propriæ voluntatis pravitate, uti manifeſtum eſt exemplo gentilium, qui, ſtatim atque corda illorum per fidem Chriſti mundata fuere, illico cognoſcunt & faciunt, absque adjutorio legis, quidquid in lege ſcripta præcipitur, oſtenduntque opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, ſolâ interiori gratiâ edocti.

Objiciunt 2°. SS. Patres opera verè bona agnoſcunt in infidelibus.

Tom. 1. pag. 289. S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 19 *in laudem Patris ſui defuncti*, ſic de illo loquitur: „ Ille, ante etiam quàm ſe ad noſtram caulam contuliſſet, noſter erat: mores quippe ipſum nobis adſciſcebant. Ut „ enim multi ex noſtris nobiſcum non ſunt, quos ſcilicet à communi „ corpore vitæ improbitas removet, ſic contra multi exterorum ad nos „ ſpectant, quicunque nimirum fidem moribus antevertunt, ac ſolo „ (Chriſtianorum) nomine carent, cùm rem ipſam teneant: quo in „ numero meus quoque pater erat; ramus quidem ille alienus, cæte„ rum vitâ ac moribus in nos propendens.“ S. Hieronymus, lib. 1 in Epiſt. ad Galatas, ad hæc verba capitis 1, *ut revelaret Filium ſuum in me*: „ Perſpicuum fit, inquit, naturâ omnibus Dei ineſſe notitiam, & ha„ bere in ſe ſemina ſapientiæ & juſtitiæ, reliquarumque virtutum. „ Unde multi, absque fide & evangelio Chriſti, vel ſapienter faciunt „ aliqua, vel ſanctè, ut parentibus obſequantur, ut inopi manum por„ rigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant.“ S. Gregorius magnus, hom. 27 in Evang: „ Sunt nonnulli, ait, qui diligunt proxi„ mos, ſed per affectum cognationis & carnis; quibus tamen in hac „ di-

„ dilectione ſacra eloquia non contradicunt. Sed aliud eſt quod ſponte „ impenditur naturæ, aliud quod præceptis Dominicis ex caritate de„ betur obedientiæ." Ergo admittenda ſunt in infidelibus aliqua opera verè bona, vitioque carentia.

Nego conſequentiam. Circa infideles quippe duo, uti præmonuimus, tenenda ſunt. Primum, ex naturæ bonæ, quam peccatum non penitus delevit, reliquiis eos quibusdam virtutum officiis defungi poſſe, & interdum etiam defungi: alterum eorum opera, quæ præclariora videntur, non rectè fieri, in quantùm non ex fide per dilectionem operante fiunt. Porro Patres modò appellati admittunt quidem in infidelibus quædam probitatis opera, ratione quorum nonnulli multò minùs perverſi ſunt quàm multi mali Chriſtiani (quod nemo non fatetur): ſed nusquam dicunt illa probitatis opera eſſe bona ſub omni reſpectu, nec vitiari ex defectu debiti finis ultimi; imò aliis in locis contrarium apertè docent, ut oſtendimus. Eodem modo ſe gerunt adverſarii, quo Sacramentarii quando realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam impugnant. Quoties enim illi apud SS. Patres reperiunt Euchariſtiam eſſe ſacramentum, ſymbolum, ſignum, figuram ſeu typum corporis Chriſti, id quaſi pro ſe dictum illico arripiunt, nobisque objiciunt. Reſpondent autem Catholici illis omnibus vocibus exprimi partem unam catholici dogmatis, alterâ minimè negatâ, quam aliis in locis iidem Eccleſiæ Doctores diſertiſſimè tradunt. Pariter adverſarii nihil aliud probant quàm quod ab omnibus conceditur, cùm ex Patribus oſtendunt aliqua opera bona interdum fieri ab infidelibus: illud autem quod controvertitur nequaquam probant, ſcilicet illa opera ex officio bona rectè & absque ullo peccato fieri ab infidelibus.

Objiciunt 3°. Ipſe etiam S. Auguſtinus, in lib. *de Spiritu & littera*, cap. 27 & 28. num. 48, agnoſcit in infidelibus opera verè bona. Sic enim loquitur: „ Impiorum nec Deum verum veraciter juſtèque colen„ tium quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, „ quæ ſecundùm juſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, „ verùm etiam meritò rectèque laudamus, quanquam, ſi diſcutiantur „ quo fine fiant, vix inveniuntur quæ juſtitiæ debitam laudem defen„ ſionemque mereantur. Veruntamen, quia non usque adeò in ani„ ma humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nul„ la in ea velut lineamenta extrema remanſerint, unde meritò dici „ poſſit, etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ, facere aliqua legis, vel „ ſapere, ... hoc illic (in cordibus hominum) ſcribitur per renova„ tionem, quod non omnino deletum eſt per vetuſtatem. Nam, ſicut „ ipſa imago Dei renovatur in mente credentium per teſtamentum „ novum, quam non penitus impietas aboleverat, nam remanſerat „ utique id, quòd anima hominis niſi rationalis eſſe non poteſt; ita „ etiam ibi lex Dei, non omni ex parte deleta per injuſtitiam, profectò

ſcri-

„ ſcribitur renovata per gratiam.“ Ex hoc loco ſic argumentantur: Opera quæ, ſecundum juſtitiæ regulam, non modo vituperari non poſſunt, ſed etiam meritò rectèque laudantur, procul dubio bona ſunt ſub omni reſpectu. Atqui, ex S. Auguſtino, aliqua ſunt hujuſmodi opera in infidelibus. Ergo in infidelibus admittenda ſunt opera bona ſub omni reſpectu.

Diſtinguo minorem. Ex S. Auguſtino, ſunt in infidelibus opera meritò rectèque laudanda ex parte officii ſeu objecti, concedo: ex parte finis ultimi, nego. S. Doctor eo in loco infidelium opera conſiderat in ſeipſis tantummodo, abſtrahendo à fine ad quem ab illis referuntur. Id autem quid commune habet cum præſenti controverſia, in qua potiſſimum agitur de fine ultimo, ad quem omnia opera, ut verè bona ſint, referri debent?

Inſtant. S. Auguſtinus ſatis apertè innuit nonnulla infidelium opera poſſe eſſe bona, etiam ex parte finis ad quem referuntur, ut patet ex his verbis: *quanquam, ſi diſcutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ juſtitiæ debitam laudem defenſionemque mereantur.*

Respondent nonnulli S. Doctorem eo in libro quæſtionem de operibus infidelium penitus tractare noluiſſe, ut pote ab eo quod tunc ſibi proponebat alienam; eoque ſenſu dixiſſe vix inveniri aliqua quæ juſtitiæ laudem mereantur, ſi diſcutiantur quo fine fiant, quemadmodum ſolent homines inter diſputandum, quando aliquid ingeritur rei quam tractant extraneum, obiter dicere *vix iſtud probari*, nec ultra progredi; quod autem in libro *de Spiritu & littera* diſcutiendum non judicavit, alibi apertiſſimè definiviſſe, atque imprimis lib. 4 *contra Julianum.* Verum, etſi manifeſtum ſit S. Auguſtinum in libro *de Spiritu & littera* non tractaſſe ex profeſſo de operibus & virtutibus infidelium, non tamen arbitror eum eſſe, quem putant, verborum ſenſum quæ nobis objiciuntur. Non enim ait S. Doctor *probari vix poſſe* inveniri in infidelibus opera meritò rectèque laudanda, ex parte finis ad quem referuntur, ſed dicit abſolutè vix inveniri in infidelibus hujuſmodi opera. Itaque

Aliter respondeo diſtinguendo propoſitionem. S. Auguſtinus innuit aliqua inveniri poſſe in infidelibus opera bona ex parte finis ad quem referuntur, ex parte, inquam, finis proximi, concedo: ex parte finis ultimi, nego. Nimirum in operibus infidelium tria diſtingui debent. 1°. Opus ipſum quod fit. 2°. Finis ab agente proximè intentus. 3°. Finis ultimus ad quem utrumque refertur & in quo agens conquieſcit. De duobus primis duntaxat loquitur ibi S. Doctor. Ait inveniri in infidelibus opera meritò rectèque laudanda, ſi in ſeipſis tantummodò conſiderentur; ſi autem diſcutiatur quo fine fiant, vix, id eſt, aut nunquam, aut raró admodùm inveniri quæ juſtitiæ debitam laudem mereantur, quia ſemper aut ferè ſemper contingit illa fieri, non ex ſincero virtutis amore, vel ex pura benè faciendi voluntate, ſed ex inani glo-

Digitized by Google

gloria, vel occulta ſuperbia, vel ex alia quavis mala cupiditate. Tertium quod reſtabat inquirendum, utrùm ſcilicet ea opera, quæ interdum forſitan ex fine proximo bona ſunt, veram laudem mereantur ex parte finis ultimi, eo in libro non diſcutit, quia nulla tunc erat illud diſcutiendi neceſſitas aut opportunitas, ſed alibi copioſiſſimè tractat, certòque definit infideles in illis operibus, quæ ab hominibus meritò laudantur, „ hoc peccaſſe, quòd homines ſine fide non ad eum finem „ iſta opera retulerunt, ad quem referre debuerunt:“ ut legitur lib. 4 *contra Julianum*, cap. 3. num. 25.

Inſtant iterum. Lib. 5 *de Civitate Dei*, cap. 15, S. Auguſtinus dicit Deum imperii Romani fines dilataſſe, ut Romanorum virtutes non ſine aliquo præmio remanerent. „ Quibus ergo, inquit, Deus non erat „ daturus vitam æternam cum ſanctis Angelis ſuis,..... ſi neque eis „ hanc terrenam gloriam excellentiſſimi imperii concederet, non redde„ retur merces bonis artibus eorum, id eſt, virtutibus, quibus ad tan„ tam gloriam pervenire nitebantur. De talibus enim, qui propter „ hoc boni aliquid facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, „ etiam Dominus dicit: *Amen, dico vobis, perceperunt mercedem ſuam.* Matth. VI. 2. „ Sic & iſti privatas res ſuas pro re communi, hoc eſt, Republica, & „ pro ejus ærario contempſerunt, avaritiæ reſtiterunt, conſuluerunt „ patriæ conſilio libero, neque delicto, ſecundùm ſuas leges, neque li„ bidini obnoxii. His omnibus artibus, tanquam verâ viâ, ad hono„ res, imperium, gloriam niſi ſunt, honorati ſunt in omnibus ferè „ gentibus, imperii ſui leges impoſuerunt multis gentibus, hodieque „ litteris & hiſtoriâ glorioſi ſunt penè in omnibus gentibus. Non eſt „ quòd de ſummi & veri Dei juſtitia conquerantur: *perceperunt mercedem ſuam.*“ Inde verò ſic arguunt: Opera quæ Deus remunerat non poſſunt non eſſe bona ſub omni reſpectu. Atqui, ex S. Auguſtino, Deus Romanorum virtutes remuneravit terrena felicitate & gloria. Ergo virtutes & opera Romanorum, quàmvis infidelium, bona fuerunt ſub omni reſpectu.

Diſtinguo majorem. Opera quæ Deus remunerat mercede ſpirituali, quæſitâ per dilectionem juſtitiæ, ſunt bona ſub omni reſpectu, concedo: opera quæ Deus remunerat mercede vanâ ac temporali, expetitâ per cupiditatem, ſunt bona ſub omni reſpectu, nego. Mens S. Auguſtini cuilibet verba ejus attendenti ſatis per ſe manifeſta eſt. Non ait Deum virtutes & opera verè bona Romanorum verâ & verè deſiderandâ mercede ipſis debitâ remuneraſſe; ſed juſto & inſcrutabili judicio illis conceſſiſſe gloriam temporalem, quam ut ſummum bonum appetebant, & ad quam per illa præclara opera pervenire nitebantur. Ibidem quippe, cap. 12. num. 1, poſt Salluſtium & Tullium ſic de illis loquitur: „ Laudis avidi, pecuniæ liberales erant: gloriam ingentem, divitias ho-

„ neſtas volebant: hanc ardentiſſimè dilexerunt: propter hanc vivere „ voluerunt: pro hac & mori non dubitaverunt: cæteras cupiditates „ hujus unius ingenti cupiditate vicerunt.“ Hinc Virgilius quoque de Romanis loquens ait:

Vincit amor patriæ , laudumque immenſa cupido.

Quis verò Chriſtiana fide imbutus neget prava eſſe opera, quæ per laudis & gloriæ humanæ cupiditatem fiunt? Id profectò nunquam negavit S. Auguſtinus, imò, Concione 12 in Pſalmum 118. num. 2, exponens hæc verba: *averte oculos meos ne videant vanitatem*, ait: „ In „ qua vanitate primum locum obtinet amor laudis humanæ, propter „ quam multa magna fecerunt, qui magni in hoc ſæculo nominati „ ſunt, multùmque laudati in civitatibus gentium, quærentes, non „ apud Deum, ſed apud homines gloriam, & propter hanc velut pru- „ denter, fortiter, temperanter, juſtèque viventes, ad quam perve- „ nientes perceperunt mercedem...... ſuam, vani vanam.“ Addit pravam illam intentionem à Chriſto fuiſſe reprobatam, Matth. V. 1, cùm dixit: *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* „ Non quia, inquit, laus humana culpanda eſt;..... ſed „ propter ipſam laudem benè operari, hoc eſt vanitatem in ſuis ope- „ ribus intueri; quandoquidem & ipſa ab hominibus laus homini juſto „ quantacunque provenerit, non ibi eſſe debet finis ejus boni, ſed etiam „ ipſa referenda eſt ad laudem Dei, propter quem bona faciunt verè „ boni, quoniam nec à ſeipſis, ſed ab illo fiunt.“ Illis tamen operibus virtutibuſque vaniſſimis, non certâ quidem lege, ſed quando ita judicaverit, Deus mercedem quamdam retribuit, ſed vaniſſimam, inanem ſcilicet gloriam, vel aliqua commoda temporalia, quæ negaret propitiùs; ut inde quoque intelligamus certam mercedem retribuendam eſſe veris virtutibus; ut nos pudeat pro regni cœleſtis ſempiterna beatitudine minùs facere, quàm infideles pro terrena & umbratili felicitate; ut, ſi fortè graviora nobis pro Deo patienda ſeſe obtulerint, ea fortiter toleremus, neque inde inaniter extollamur, ut obſervat idem S. Doctor, ejuſdem lib. 5 *de Civitate Dei* cap. 18 & cap. 19. „ Poteſt, in- „ quit, & alia eſſe cauſa latentior, propter diverſa merita generis hu- „ mani, Deo magis nota quàm nobis, dum illud conſtet inter omnes „ veraciter pios, neminem ſine vera pietate, id eſt, veri Dei vero cul- „ tu, veram poſſe habere virtutem, nec eam veram eſſe, quando glo- „ riæ ſervit humanæ.“

Objiciunt 4°. S. Thomas, 2. 2. quæſt. 10. art. 4. in corp. negat infideles peccare in omnibus operibus ſuis. „ Infideles quidem, inquit, „ gratia carent: remanet tamen in eis aliquod bonum naturæ. Unde pa-

„ tet

Digitized by Google

„ tet quòd infideles non poſſunt operari bona opera quæ ſunt ex gratia, „ ſcilicet opera meritoria; tamen bona opera, ad quod ſufficit bonum „ naturæ, aliqualiter operari poſſunt. Unde non oportet quòd in omni „ opere peccent; ſed quandocunque opus aliquod operantur ex infide- „ litate, tunc peccant. Sicut enim habens fidem poteſt peccatum ali- „ quod committere in actu quem non refert ad fidei finem, vel ve- „ nialiter, vel etiam quandoque mortaliter peccando; ita etiam infide- „ lis poteſt aliquem actum bonum facere in eo quod non refert ad finem „ infidelitatis." Idem docet in Comment. Epiſt. ad Romanos, cap. 14, ad illud: *omne quod nòn eſt ex fide, peccatum eſt.*

Reſpondeo Angelicum Doctorem in citatis textibus diſcrepare quidem aliquatenus à nobis penès loquendi modum; verùm, ſi mens ejus diligentiùs inſpiciatur, in doctrina ipſa omnino conſentire. Negat quippe tantummodò omnia infidelium opera eſſe peccata ratione objecti, atque etiam finis proximi; quod & nos quoque ultrò fatemur. Id conſtat 1° ex eoquòd opera, quæ infideles ex quodam naturæ bono faciunt, non dicat eſſe ſimpliciter & abſolutè, ſed tantùm *aliqualiter bona*, id eſt, bona ſub aliquo reſpectu. 2°. Quòd ibidem, ad 3, eadem illa opera dicat eſſe de *genere bonorum*, id eſt, bona eſſe quoad ſpeciem operis, non verò ſi ſpectentur in individuo. 3°. Quòd ſupra expreſſè doceat nullas eſſe in infidelibus veras virtutes, quia omnibus eorum actibùs deeſt ordinatio debita ad finem ultimum, quæ fit per caritatem. 4°. Quòd alioquín dicendum foret S. Doctorem ſibi non conſtitiſſe, & contraria docuiſſe. Nam, ex dictis ſupra, Cap. 1. Quæſt. 1, perſpicuum eſt eum ſemper docuiſſe hominem ex primo mandato teneri omnes actus ſuos referre in Deum, ut in finem ultimum. Inſuper, 2. 2. quæſt. 23. art. 7. ad 1, afferit omnem actum qui non fit ex caritate, ſaltem inchoatâ, non eſſe ſimpliciter & omni ex parte bonum. En ipſius verba: „ Actus alicujus caritate carentis pôteſt eſſe duplex: unus „ quidem ſecundùm id quod caritate caret, ut pote cùm facit aliquid „ in ordine ad id per quod caret caritate " (id eſt, cùm facit aliquod opus in ſe malum), „ & talis actus ſemper eſt malus: alius autem „ poteſt eſſe actus caritate carentis, non ſecundùm id per quod carita- „ te caret, ſed ſecundùm quòd habet aliquod aliud donum Dei, vel „ fidem, vel ſpem, vel naturæ bonum, quod non totum per peccatum „ tollitur; & ſecundùm hoc poteſt quidem ſine caritate eſſe aliquis ac- „ tus bonus in ſuo genere, non tamen perfectè " (ſeu ſub omni reſpectu) „ bonus, quia deeſt debita ordinatio ad finem ultimum." Unde liquidò apparet nonniſi in ſcholaſtico loquendi modo diſcrimen aliquod eſſe B. Thomam inter & nos; in ipſa autem doctrinæ ſubſtantia omnimodam eſſe conſenſionem. Ea ſola opera peccata appellat Angelicus Doctor, quæ mala ſunt ex ſeipſis & quoad objectum, aut quoad fi-

finem poſitivè pravum; ſed nobiſcum conſtanter docet omne opus quod non fit ex caritate, ſaltem inchoatâ, quantumvis bonum ſit ex objecto & ex fine proximo, *non eſſe perfectè*, id eſt, ex omni parte *bonum*, quia caret ordinatione debitâ ad ultimum finem.

Nec reponas infideles, ex S. Thoma, non ſemper agere *ex infidelitate*. Quàmvis enim infideles non ſemper faciant opera quæ fides reprobat, aut propter pravum aliquem finem proximum fidei poſitivè repugnantem, ſemper tamen agunt infideliter, id eſt, abſque fide & dilectione; ac proinde omnes illorum actus, *in individuo* conſiderati, mali ſunt, ſaltem negativè, ex defectu debiti finis ultimi.

Objiciunt 5° noſtram Propoſitionem nullatenus differre à duabus propoſitionibus per Bullam Pii V damnatis; 22ª videlicet, quæ talis eſt: *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli*, Rom. II, gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*: & 25ª: *Omnia infidelium opera ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.*

Reſpondeo certiſſimum eſſe doctrinam noſtram à SS. Pontificibus nequaquam damnatam fuiſſe, ut patet ex eoquòd plurimi maximi nominis Theologi & Romanæ ſedis decretis obſequentiſſimi eam palam & apertè, abſque ulla cenſuræ nota, tum Romæ, tum in aliis orbis Catholici partibus, poſt promulgatam Bullam defenderint, & quotidie defendant. Propoſitio 22ª, prout jacet, falſa eſt & temeraria: cum enim textus Apoſtoli intelligi poſſit, conſentientibus, ut modò diximus, SS. Auguſtino & Proſpero, de gentibus fidem non habentibus, immeritò prorſus iſta interpretatio Pelagianiſmi notatur. Quod verò ad 25am ſpectat, Turrianus Jeſuita, in tract. *de Erroribus Baii*, ad calcem tomi *de Gratia*, cap. 5. §. 1. num. 1, teſtatur, in editione Romæ facta ſub Gregorio XIII hoc modo conceptam illam fuiſſe: *Ad Pelagianiſmum rejicienda eſt illa ſententia: omnia infidelium opera ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia.* In Bullæ quoque autographo Lovanium tranſmiſſo, & in Lovanienſi Facultate aſſervato, eodem modo illam propoſitionem ſe habere declarat Duchesne item Jeſuita, in *Hiſtoria Baianiſmi* gallicè ſcripta, lib. 2. num. 49. Mendum tamen eſt manifeſtum. Quamobrem Suarez, Prolegom. 5 *de Gratia*, caſu 2. num. 7, & Noriſius in *Vindiciis Auguſtinianis*, cap. 4. §. 7, admonent ſupplendam eſſe particulam negantem, atque ita legendum: *Ad Pelagianiſmum rejicienda eſt illa ſententia: omnia opera infidelium* NON *ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum* NON *ſunt vitia*, cenſentque propoſitionem illam damnatam fuiſſe tantummodò propter acrimoniam acerbitatemque cenſuræ, quâ Baius adverſarios ſuos perſtringere credebatur.

Demum nonnulli putant eamdem propoſitionem eo ſenſu damnatam fuiſſe, quòd nulla in infidelibus agnoſcere videatur opera etiam ex officio bona.

Ob-

Digitized by Google

Objicit 6° Tournely plurima è ratione deprompta argumenta; ac primò quidem, tam poſſe infidelem aliqua opera bona facere, quàm peccatorem: porro peccator interdum benè operatur, nec ſemper agit ex cupiditate in ejus corde dominante. 2°. Non magis repugnare ut infidelis rectè operetur, quàm ut fidelis malè: atqui fidelis ſæpè bona non rectè operatur. 3°. Valde abſurdum eſſe infideles puniendos dici ob erogatam pauperi eleemoſynam. Ergo hujuſmodi opera omnis vitii expertia ſunt in infidelibus. 4°. Per peccatum quodlibet homo fit deterior: proinde ſi omnia opera infidelium eſſent peccata, ſingulis ſuis operibus, ſcilicet miſerendo pauperis, honorando parentes, amando filios, infideles fierent deteriores: quod ſine inſania dici aut cogitari nequit. 5°. Si ita eſſet, multò utilius foret infidelibus abſtinere ab operibus temperantiæ, miſericordiæ, patientiæ, aliarumque virtutum, quàm ea facere. 6°. Inde inſuper ſequeretur, quoties aliquod præceptum obſervandum erit, neceſſariò infidelem peccare. Nam, ſive præceptum obſervet, ſive non obſervet, ex utraque parte peccat. 7°. Multa infidelium opera Dei dona eſſe dicunt S. Auguſtinus aliique Patres. Porro dona Dei non ſunt peccata. Ergo non omnia opera infidelium ſunt peccata.

Reſpondeo hæc ſingula argumenta adeò infirma eſſe, ut mirum mihi videatur ea ſeriò proponi à viro non contemnendi profectò ingenii.

Ad 1um, nego paritatem, quæ nulla eſt. Poteſt utique homo fidelis, etiamſi in ſtatu ſit peccati mortalis, piè, rectè, ſanctèque operari ex fide & dilectione imperfecta, quæ in eo remanent: in infideli autem nullum eſt fidei caſtæque dilectionis initium, quo moveri queat ad benè operandum. Adeò certum eſt aliter ſentiendum eſſe de infidelibus quàm de peccatoribus fide non planè deſtitutis, ut, fatentibus ipſiſmet adverſariis, infideles nihil operari valeant quo diſponantur ad juſtificationem, cùm è contrario fideles, peccato licet adhuc obligati, plurima facere poſſint, quæ ſint diſpoſitiones ad obtinendam gratiam habitualem.

Altera quoque paritas nulla eſt. Ideò quippe fideles, etſi juſti, interdum peccant, quia ſimul cum fide & caritate remanet ſemper in eis, non ſolum humanæ naturæ fragilitas, quæ ex ſeipſa ad deficiendum vergit, verum etiam ignorantia concupiſcentiæ comes, quâ ad peccatum impelluntur: in infidelibus autem nulla eſt vera Dei dilectio, quâ ſolâ actus humani ad Deum tanquam finem ultimum referuntur.

Ad 3um dico neminem unquàm adeò cæcum & vecordem fuiſſe, ut diceret vel ſentiret infidelem ideò puniendum eſſe, quia pauperum inopiam ſublevavit, aut alia hujuſmodi operatus eſt; ſed quia illa opera ex ſe bona non rectè, nec in gloriam Dei operatus eſt. *Non quia per ſeipſum factum...... peccatum eſt, ſed de tali opere non in Domino glo-*

 riari,

rlari, *ſolus impius negat eſſe peccatum*, ait S. Auguſtinus. Solus ergo defectus relationis in Deum punietur, non opus ipſum miſericordiæ aliarumque virtutum.

Inde etiam patet reſponſio ad 4um. Abſit profectò ut infidelis, bonum opus faciendo, inde deterior fiat; ſed inde deterior fit, quòd propter aliquem creaturæ affectum inordinatum, nec ad Deum finem ultimum directum, ſeu propter creatum aliquid quod non rectè diligit, non propter Deum omnis boni fontem, bonum opus operatur. Nec mirum videri debet infideles ſingulis actibus ſuis deteriores, magisque à Deo averſos effici. Sicut enim *juſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit usque ad perfectam diem* (Proverb. IV. 18); ita, docente Apoſtolo, 2 Timoth. III. 13, *mali homines & ſeductores proficient in pejus*; & Pſalmo LXXIII. 23: *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper.* Et certè cum infidelis, in omnibus quæ facit, vel ſibi, vel aliis, non Deo, placere ſtudeat, ſemper auget in ſe, quantùm in ipſo eſt, inanis gloriæ cupiditatem, magisque ac magis, deſerto Deo, ad creaturas convertitur. Quamobrem S. Auguſtinus, Serm. 141. cap. 4: „ Invenies, „ inquit, homines benè viventes, & non Chriſtianos. Benè currunt, „ ſed in via non currunt. Quantò plus currunt, plus errant, quia à via „ recedunt.“ Et S. Proſper in carmine *de Ingratis:*

Al. Serm. 56 de Verbis Domini.

Quantò plus graditur, tantò longinquiùs errat.

Ad 5um, nego ſequelam. Nedum enim ex doctrina noſtra conſequatur infideles abſtinere debere ab operibus virtutum, eoquòd ea non ſicut oportet faciant, ſequitur è contrario multò graviùs eos peccaturos, ſi hujusmodi opera omitterent, pervertendo ſcilicet civilis & ſocialis vitæ officia. Non in eo enim culpantur quòd ſobrii ſint, quòd juſti tenaces, quòd miſericordes, multò ſanè graviùs puniendi ſi ebrioſi, ſi iniqui, ſi immites eſſent; ſed in eo quòd, ea virtutum officia ſectando, non Deo, ſed creaturæ ſerviant.

Ad 6um, nego pariter ſequelam. Quando enim præceptum aliquod implendum occurrit, tenetur infidelis & præceptum implere, & propter Deum, qui illud impleri jubet, implere; nec profectò peccat obſervando præceptum, ſed, quatenus non propter Deum illud obſervat, peccare convincitur contra primum & maximum mandatum. Neque etiam neceſſariò peccat, quia ſemper in liberi arbitrii poteſtate eſt Deum, ſi velit, diligere, quem ſummo amore diligendum eſſe lex ipſa naturalis & omnes creaturæ clamant.

Ad 7um denique, reſpondeo opera ex officio bona, quæ faciunt infideles, eſſe profectò dona Dei, ex quo ſunt omnia qualiacunque bona, non tamen munera eſſe gratiæ Chriſti Salvatoris. Porro ſoli gratiæ Salva-

Digitized by Google

vatoris competit ut nemo eâ malè utatur. Cæteris omnibus donis Dei non ſolùm malè uti poſſumus, ſed reipſâ malè ſemper utimur, ſi deſit ſingulare illud donum caritatis, quæ ſola, ut ait S. Paulus, 1 Corinth. XIII, *non agit perperam.*

FINIS *Tomi Secundi.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005648147
Digitized by Google

Digitized by Google